Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

LELAND·STANFORD·JVNIOR·VNIVERSITY

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, J. J. HARTMAN, C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

K. KUIPER, J. C. NABER, M. C. VALETON, I. VAN WAGENINGEN.

NOVA SERIES.
VOLUMEN QUADRAGESIMUM SEPTIMUM.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1919.

Digitized by Google

285704

STANFORD LIBRARY

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
Observatiunculae de Iure Romano, scripsit J. C. NABER S.A.FIL.	1– 34
De Idomeneo ac Merione, scripsit K. KUIPER	35—54
Ad epigramma Graecum nuper in Aegypto repertum. Revue des Etudes grecques, 1915, p. 55, vs. 8, scripsit G. V. .	54
Ad Senecae Troades, scripsit P. H. DAMSTÉ	55—65
Studia Epigraphica, scripsit GUILIELMUS VOLLGRAFF . . .	66—72
Ad Senecae Phoenissas, scripsit P. H. DAMSTÉ	73—76
De C. Asinii Pollionis ad Antonium Transitione, scripsit IACOBUS VAN WAGENINGEN	77—83
Polenarianum ad Hor. S. I, 4, 65, scripsit J. J. H.	83
De Aulularia Plautina, scripsit P. J. ENK	84—99
Polenarianum ad Hor. S. II, 6, 14—20, scripsit J. J. H. . .	99
Ammianea, scripsit C. BRAKMAN J.F.	100—110
Ad Senecae Agamemnonem, scripsit P. H. DAMSTÉ. . . .	111—115
Epigramma emendatum, scripsit CHARITON CH. f. CHARITONIDES	116
De vocibus etruscis Tul, Śpiral, Naper, Ten-, scripsit F. MULLER JAC.FIL.	117—121
Magni delator amici, scripsit J. VAN WAGENINGEN	122—123
De Mente Anaxagorea, scripsit K. KUIPER	124—137
Ad Senecae Oedipum, scripsit P. H. DAMSTÉ	138—145
Observationes ad Aegypti pertinentes administrationem qualis aetate Lagidarum fuit, scripsit M. ENGERS	146—157
Ad Platonis Apol. p. 39 B, scripsit I. BERLAGE	158—159
Polenarianum ad Hor. C. I, 32, 15.	159
Novae Inscriptiones Argivae, scripsit GUILIELMUS VOLLGRAFF	160—170
Qua aetate Plato Theaetetum dialogum scripserit, scripsit H. D. VERDAM.	171—186
Voce θώρηξ quid apud Homerum significetur, scripsit MATTHAEUS VALETON	187—211
Lucianea, scripsit P. H. DAMSTÉ.	212—227
Ad Catulli C. I, scripsit J. S. PHILLIMORE	228—229
De testatione triginta diebus post clarigationem facta, scripsit MA. MA. ASSMANN	229
Corollarium, scripsit GUILIELMUS VOLLGRAFF	230—231
Ad Soph. Ant. v. 605, scripsit MA. MA. ASSMANN	232

Digitized by Google

	Pag.
Paradoxa Tacitea, scripsit I. I. HARTMAN	233—251
Epigrammata emendata, scripsit G. V.	251
Novae inscriptiones Argivae, scripsit GUILIELMUS VOLLGRAFF	252—270
Ad Octaviam Praetextam, scripsit P. H. DAMSTÉ	271—281
Varia IV, scripsit P. GROENEBOOM	282—287
Ad Ciceronis Or. § 146, scripsit I. I. H.	287
Ad A. Gellii N. A. Lib. I—V, scripsit P. H. DAMSTÉ	288—298
Embaros, scripsit K. KUIPER	299—300
Plautina, scripsit C. BRAKMAN J.F.	301—306
Ad vitam Homeri, scripsit K. KUIPER	307—308
Ad Iulium Valerium, scripsit C. BRAKMAN J.F.	309—315
Ad Ovidii Tr. V, 3, 47 sqq., scripsit I. I. H.	315
De duobus locis Catullianis, scripsit J. S. PHILLIMORE	316—321
Ad Ovidii ex P. IV, 12, 50, scripsit I. I. H.	321
Theocritea, scripsit I. I. HARTMAN	322—331
Ad Senecae de Vita Beata c. 24, scripsit I. I. H.	331
Narratiuncula, scripsit I. I. H.	332
De Theocriti et Callimachi dialecto, scripsit GUILIELMUS VOLLGRAFF	333—340
Manere = Esse, scripsit J. VAN WAGENINGEN	341—344
Theocritea, scripsit GUILIELMUS VOLLGRAFF	345—358
Obiter tacta, scripsit H. WAGENVOORT H.F.	359—370
Ad Euripidis Ionis vs. 580, scripsit I. I. H.	370
Ad rescriptum Imp. Severi et Caracallae nuper repertum, scripsit A. G. ROOS	371—377
Hyginiana, scripsit C. BRAKMAN I.F.	378—381
Ad versum quendam Pomponii, scripsit I. I. H.	381
De Lydia et Diris carminibus, scripsit P. J. ENK	382—409
Velleiana, scripsit C. BRAKMAN I.F.	410—414
Ad Plutarchi V. Aristidis c. 17, scripsit I. I. H.	414
Ad Propertii elegiam Libri III 18am, scripsit I. I. HARTMAN	415—418
Ad Senecam rhetorem, scripsit A. G. ROOS	418
Observatiunculae de iure Romano *(contin. ex pag. 34)*, scripsit J. C. NABER	419—444

Digitized by Google

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S.A.FIL.

(continuantur ex vol. XLVI p. 126).

CXI

DE MENSURAE GENERIBUS.

Pars altera (de urbibus).

Longa magis quam benigna materia.

Ergo, quum legimus [1]) *secundum antiquam consuetudinem limites dirig(i)*, haec ipsa consuetudo dirigendi in septentrionem et in occidentem est intelligenda. Quae tam est antíqua, ut vestigia eius impressa sint quum lacustribus habitationibus quibusdam aut veteris Helvetiae [2]) aut Cisalpinae Galliae [3]), tum castellorum ipsorum quoque omni memoria vetustiorum [4]) ruderibus, quae castella in speciem lacustrium habitationum contignationibus superstructa, diruta licet, cernuntur tamen [5])

1) Gromat. p. 169 lin. 14 (Thulin 134, 15) (cf. Valeton, Mnemos. XXI p. 419, p. 411); Beaudouin, *Nouv. rev. histor.* XVII p. 402 not. 3).

2) Cantor, *Vorlesungen* I (1907) p. 15.

3) Peet, *Stone and bronze ages* (1909) p. 291, Munro, *Palaeolithic man* (1912) p. 320.

4) Disputat contra Nissen, *Landesk.* I (1883) p. 447; cui vel sic referre videntur coniunctim habitandi in Italia omnium vetussimam speciem (II (1902) p. 40: „*den ältesten Typus geschlossenen Siedelns in Italien*").

5) Formae exstant: *Not. degli scavi* 1897 p. 58 (*Rovere di Caorso*); 1900 p. 119 (*Montata dell' Orto*); *Bullett. di paletnol.* XXIII (1897) tab. IV (*Castellazzo di Fontanellato*), quam repetiverunt Baglioni, *Umschau* IX (1905) p. 804; Peet, *Stone and bronze ages* (1909) p. 333 (fig. 170); Munro, *Palaeolithic man* (1912) tab. XXXVI, Haverfield, *Ancient town-planning* (1913) p. 59 (fig. 11).

1

Digitized by Google

per Galliam Cisalpinam passim et appellari consueverunt novo vocabulo *terremare*. Sunt castella ambitu non utique permodico [1]) in modum plerumque [2]) vel certe principaliter [3]) parallelogrammi rectanguli, ipsa quidem ἑτερομήκη, sed ἰσόπλευρα in hoc tractatu seponendi nulla causa nec a me seponentur. Ergo sunt, ut dictum est, castella in modum plerumque vel certe principaliter parallelogrammi rectanguli, ut vere lacustria eius regionis non omnia [4]), ut Sinarum urbes — quas in hac operis parte praeterire volenti iam non licet [5]) — quum dirutae tum stantes pleraeque [6]), ut in India ulteriore desertum atque vel sic incredibili splendore fulgens *Angkor* [7]) et item deserta *Ava* [8]), *Amarapura* [9]) et quod hodie quoque habitatur *Mandalay* [10]), ut in Thebaide vetus Lucinae oppidum [11]), Aethiopia caput gentis Meroe [12]) et ubi hodie vocatur *Kuban* [13]), nec minus in Palaestina Gamala [14]), citra Taurum κτίσμα Ἀντιγόνου Nicaea [15]),

---

1) Montelius, *Civilis. primitive* (1895) p. 142: „*on peut bien nommer (ville) cette station considérable*" (Castellazzo di Fontanellato).

2) Pigorini, *Monumenti (dei Lincei)* I (1889) p. 134.

3) Cur pro parallelogrammo rectangulo saepe fiat trapezium, quomodo cessante causa rediri soleat ad figuram principalem, luculenter demonstrat Duhn, *Neue Heidelb. Jahrb.* IV (1894) p. 194[1], 150/1, verbis Pigorinii. Quamquam vocat rem in dubium Haverfield, *Ancient town-planning* (1913) p. 60 adnot. (i. f.).

4) Peet, *Stone and bronze ages* (1909) p. 295: „*the rectangular form is not universal*".

5) Haverfield, *Ancient town-planning* (1913) p. 147 (ia. p. 13).

6) Haverfield, l.l.: „*sometimes rectangular*". Apertius agit Aurelius, *Ruins of desert Cathay* I (1912) p. 389: „*assuming that the area enclosed ... had a square shape, as usual in the case of fortified chinese towns*". Quas vidit, singulas describit sic: II (1912) p. 10 („*square-walled*"), p. 42 („*square*"), p. 72 („*rectangular*"), p. 76 (*irregular rectangle*"), p. 236 lin. 1 („*oblong*"), p. 238 („*square*"), p. 247 („*irregular*"), p. 249 („*irregular quadrangle*"), p. 357 („*irregular oblong*").

7) Formam exhibet Aymonier, *le Cambodge* III (1904) ante textum et p. 92 (fig. 15) maiorem.

8) Reclus, *Nouv. gé gr. univ.* VIII (1883) p. 788: „*rectangulaire*".

9) Reclus, op. cit. VIII p. 789: „*carré parfait*".

10) Reclus, l.l. (VIII p. 789): „*carré parfait*"; *Imperial gazetteer* XVII (1908) p. 140: „*perfect square*".

11) Lepsius, *Denkmäler aus Aegypten und Nubien*, P. I tab. 100.

12) *Denkmäler* cit. P. I tab. 132.

13) *Denkmäler* cit. P. I tab. 111 (e regione Pselches).

14) Buckingham, *Travels in Palestine* (1821) p. 418: „*nearly a square*".

15) Strab. XII 4 § 7.

Digitized by Google

quocirca fallit, qui negat [1]) ullam Graecam urbem forma fuisse mensurali. Nec mutat, quod, hodie qui superest, circa Nicaeam murus plurilateram figuram efficit [2]); constat enim vetustius vallum interiore giro clausisse urbem, ubi nunc stat porta [3]), quam, quod mireris, non vidit Texier. Ergo prisca Nicaea instar habuit parallelogrammi rectanguli ut supradictae urbes et Caeritum Pyrgi [4]), Romanorum Augusta Praetoria [5]), Luca [6]), Florentia [7]), Pisaurum [8]), Urbs Salvia [9]), praetoria castra [10]), Saepinum [11]), Allifae [12]), Fundi [13]), Emona [14]), Margum [15]), trans Taurum Bostra [16]), Alpes Vetera [17]), Novaesium [18]), Bonna [19]), Limitis castella [20]), licet non omnia [21]), Oceanum Amboglanna [22]), Bor-

---

1) Frickenhaus, *Bonner Jahrb.* CXVIII (1909) p. 25.

2) Formam exhibet Texier, *Asie-mineure* I tab. 5—6.

3) *Athen. Mittheil.* XXIV (1899) p. 398.

4) Eorum formam exhibet Dennis, *Cities* etc. I (1883) p. 289 (*from* Caninà). Τὸ πρωτότυπον exstat: *Annali dell' istit. di corr. archeol.* XII (1840) tab. I. Cf. Nissen, *Landesk.* II (1902) p. 346. Reliquum fecit mare trapezium, sed fuisse parallelogrammum rectangulum, dubitari vix potest.

5) Forma exhibetur: *Memorie* etc. (*Torino*) XXI (1864) tab. III; *Not. degli scavi* 1899 p. 108; Frothingham, *Roman cities* (1910) *pl.* XXXVIII; Haverfield, *Ancient town-planning* (1913) p. 90 (fig. 16).

6) Nissen, *Landesk.* II (1902) p. 288: „*regelmässiges Rechteck*". Sed videtur esse res coniecturalis. Cf. Haverfield, op. cit. p. 96 (fig. 18).

7) Nissen, op. cit. II p. 296: „*Rechteck*". Sed videtur hoc quoque coniecturale (Haverfield, op. cit. p. 93/4).

8) Nissen, op. cit. II p. 389: „*annähernd ein Quadrat*".

9) Nissen, op. cit. II p. 422: „*ungefähr ein Rechteck*".

10) Richter, *Topographie von Rom* (1901) p. 297: „*Rechteck*".

11) Keppel Craven, quem laudat Nissen, *das* templum p. 61: „*a perfect square*".

12) Nissen, *Landesk.* II p. 798: „*die im 4. Jahrh. nach Chr. erbaute Mauer umschliesst ein Rechteck*".

13) Nissen, op. cit. II p. 658: „*regelmässiges Viereck*".

14) Haverfield, *Ancient town-planning* (1913) p. 115: „*a rectangle*". Non abludit forma (p. 116) fig. 25.

15) Kanitz, *röm. Studien* (1892) (*Denkschr.* (*Wien*) XLI) fig. 8.

16) Haverfield, op. cit. p. 136 (fig. 34).

17) Koepp, *die Roemer in Deutschl.* (1912) p. 14/5.

18) *Bonner Jahrb.* CXI/CXII (1904) p. 20, p. 137 (cum tab. II et III); Koepp, op. cit. p. 52/3.

19) *Jahrb.* cit. CXI/CXII p. 20. Cf. Koepp, op. cit. p. 105 („*leidlich bekannt*"). Formas continet *Bonner Festschrift* 1888.

20) Minora quoque: Reg. (*Strecke*) I (fasc. 40) p. 56, 71, 93, 124.

21) Veluti efficiunt (78a) *Böhming* (fasc. 29) „*ein etwas unregelmässiges Parallelogramm*" (p. 2); (66c) *Faimingen* (fasc. 35) „*ein unregelmässiges Viereck*" (p. 5); (53a) *Neckarburken: Ostkastell* (fasc. 9) „*ei(n) stark verschobene(s) Viereck*" (p. 8);

Digitized by Google

coviccium [1]), Cilurnum [2]), Mancunium [3]), nisi Mancunium trapezio similius est, ut sunt Albana castra [4]) et quae cohaerent Mogontiacae urbi [5]) et ipsa Antinoe [6]) et colonia Traiana prope Vetera [7]), Limitis castella (45^a) *Welzheim-Ost* [8]), (66) *Aalen* [9]), (67^b) *Oberdorf-am-Ipf* [10]), Moesicum *Gamzigrad* [11]), sed rhombo Limitis (31) *Wiesbaden* [12]), (46^b) *Seckmauern* [13]), (73) *Pfünz* [14]), in Britannia utrumque *Bar Hill* [15]) et item *Newstead*, etsi rectangulare pronuntiat Curle [16]), quod habet praeterea, ut eius regionis pleraque [17]) et Limitis (40) *Osterburken* [18]) (53^a) *Neckarburken: Ostkastell* [19]), extrinsecus adhaerentia, quae nulla mensura continentur. Ad rem denique pertinet — censet pertinere Haverfield [20]) — quod facit Apocalypticus [21]) coelestis urbis τὸν κύκλον τετράγωνον, quod ridiculum visum Aristophani [22]). Nam Aquileja vix videtur [23]); de Acerris [24]) incerta res; de Capua mera coniectura est Iulii Beloch [25]). Babylonis autem forma diversa fuit [26]), quam τετράγωνον facit Herodotus [27])

---

abnormem plane speciem (61^b) *Waldmössingen* (fasc. 6), aliquanto minus abnormem (42^1) *Oehringen*: *Westkastell* (fasc. 5). De trapeziis et rhombis dicetur statim.

22) *Archaeol. Anzeiger* 1901 p. 81 (*Abb.* 1). Adiacet vallo Hadriani.

1) Formam exhibet Encyclop. Britann. XXXII (1902) p. 280 et item Bruton, *Roman Manchester* p. 58/9 (*pl.* 23). Adiacet ipsum quoque vallo Hadriani.

2) *Archaeol. Anz.* 1901 p. 81 (*Abb.* 2). Vallum Hadriani partim excedit.

3) Bruton, *Roman Manchester* (1909) *pl.* 1, 2, 20, 25, *folding pl.* I.

4) Formam exhibet Nibby, *Viaggio* etc. II (1819) p. 116/7, et convenit descriptio (p. 120 ima: *rettangolo* (*più largo*) *nella parte più bassa*).

5) Koepp, *die Roemer in D.* (1912) p. 22/3.

6) *Descr. de l'Egypte, Antiq.* IV tab. 53 et 54.

7) Koepp, op. cit. p. 14/5.

8) fasc. 21.

9) fasc. 23.

10) fasc. 41 (p. 3).

11) Kanitz, *Reise durch Süd-Serbien* (1868) (*Denkschr.* (*Wien*) XVII) tab. IV fig. 4.

12) fasc. 31 (p. 7).

13) fasc. 19 (p. 2).

14) fasc. 14 (p. 3).

15) Macdonald et Park, *Roman forts on Bar Hill* (1906) tab. 2.

16) *the fort of N.* (1911) p. 29 ima.

17) ibid. p. 86.

18) fasc. 2 (p. 13).

19) fasc. 9 (p. 15/6).

20) *Ancient town-planning* p. 55.

21) Apocal. XXI 16.

22) Av. 1005.

23) Principio quadratam vellet Maiolica, *Fundkarte von A.* (1893) p. 25.

24) Nissen, *Landesk.* II p. 754.

25) *Campanien, Atlas* (*zu Bl.* XII); Nissen, *Landesk.* II p. 696, 699.

26) Oppert, *Expéd. scientif.* (1851) tab. 3 et 7; Koldewey, *Babylon* (1914) *Abb.* 1 (et 6). Putabat quidem Oppert (*Texte*) p. 197) esse arcem.

27) I § 178. Cf. Hero, Defin. 51 (Hultsch. 52): τὰ ὀρθογώνια ἰσόπλευρα τετράγωνα καλεῖται. Quodsi alterutrum desit, erit τετράπλευρον: ibid. 49 (Hultsch 50).

Digitized by Google

et creditus est [1]), nec minus veteris Troiae [2]) et Hetthaeorum quondam capitis *Chatti* [3]) et Palaestinensium Gazarae [4]) Lachis [5]) Gath [6]) Marissae [7]), Aegyptiorum Heliopolis Tanis [8]), Poenorum Erycis [9]) Motyes [10]), Graecorum veluti Homerica quae fuisse putatur Arne [11]), quae ceteras heroum urbes longe post se relinquit [12]) et Mycenarum [13]) Tirynthis [14]) Messenae [15]) Mantineae [16]) Tegeae [17]) utriusque Orchomeni [18]) Thebarum [19]) Dystri [20]) Palaeri [21]) Vibonis [22]) Veliae [23]) Paesti [24]) Cumarum [25]) Neapolis [26])

1) Cf. Oppert, *Expéd.* cit. tab. 6; Hirschfeld, *Ztschr. der Ges. für Erdk. zu Berlin* XXV (1890) p. 285. Etiamnunc contra suam ipsius formam credit Koldewey, op. cit. p. 2: „*(d)ass das Stadtbild ein ... Quadrat bildete*". — Excusat amabiliter Herodotum Haverfield, *Ancient town-planning* (1913) p. 20/5, sed se decipi non patitur.

2) Perrot et Chipiez, *Hist. de l'art dans l'ant.* VI (1894) p. 169 (fig. 88), 178/9 (*Pl.* 1); Kuhn, *Gesch. der Baukunst* I (1909) p. 132 (fig. 163).

3) *Archaeol. Anz.* 1909 p. 507/8 (*Abb.* 5). Vocatur ibi hodie *Boghasköi*.

4) *Anz.* cit. 1909 p. 349/50 (*Abb.* 1).

5) *Anz.* cit. 1908 p. 9/10 (*Abb.* 3) ia. p. 11.

6) *Anz.* cit. 1908 p. 365/6 (*Abb.* 7). 7) *Anz.* cit. 1908 p. 392/3 (*Abb.* 14).

8) Huius utriusque oppidi et Sais formas exhibet Lepsius, *Denkmäler* cit. P. I tab. 55; Tanis etiam *Text* I p. 218. 9) *Not. degli scavi* 1883 (*Aprile*) Tab. I.

10) *Not. degli scavi* 1915 p. 432: „*una antica cinta .... segue il circuito intero della isoletta*".

11) *Ath. Mitth.* XIX (1894) tab. X; *BCH* XVIII (1894) tab. X.

12) *Mitth.* cit. XIX p. 421, 422; *Bull.* cit. XVIII p. 274[1]. Septenas Mycenas, duodecim Tirynthes capit paulo minus.

13) Perrot et Chipiez, *Hist. de l'art* VI (1894) p. 304/5 (fig. 88), p. 310/1 (fig. 90); Kuhn, *Gesch. der Baukunst* I (1909) p. 133 (fig. 164).

14) Perrot et Chipiez, op. cit. VI p. 268/9 (fig. 70); Kuhn, *Gesch.* cit. I p. 134 (fig. 166). 15) Formam exhibet Baedeker, *Grèce* (1910) p. 424/5.

16) Fougères, *Mantinée* (1898) tab. VIII et fig. 48 (p. 195).

17) *BCH* XVI (1892) tab. XIII. Cf. ibid. pag. 547 („*ellipse irrégulière*"). Esse quidem videtur res admodum coniecturalis.

18) *Abhandl. Berl. Akad.* 1911. *Anh.* IV. Tab. II (Arcad.); *Abhandl. Münch. Akad.* (*philol.-philos. Kl.*) XXIV (1909) II Tab. I (Boeot.).

19) Formam exhibet Baedeker, *Grèce* (1910) p. 180/1 (ia. p. 184). Στρογγύλας τῷ σχήματι facit Dicaearch. Mess. fr. 59 § 12 (Fr. hist. II p. 258).

20) *Ath. Mitth.* XXIV (1899) tab. V.

21) *Archaeol. Anz.* 1916 (*Beil. zu Sp.* 221).

22) *Memorie dell' ist. di corr. arch.* I (1832) tab. IV.

23) Nissen, *Landesk.* II p. 895: „*Dreie(ck)*". Formam exhibet *Archaeol. Jahrb.* IV (1889) p. 172 (minorem), p. 194/5 (maiorem).

24) Baedeker, *Italien* III (1887) p. 169: „*unregelmässiges Sechseck*". Formam exhibet Delagardette, *Ruines de* P. (an VII) tab. I.

25) *Monumenti* (*dei Lincei*) XXII (1913) pag. 13/6 et tab. I.

26) Beloch, *Campanien* (*Atlas*) tab. II (et ad tab. II). Cf. praeterea *Not. degli scavi* 1902 p. 290/4; 1906 p. 448 sqq.

Digitized by Google

Locrorum [1]), Cauloniae [2]), Tarenti [3]), Agrigenti [4]), Selinuntis [5]), Achradinae [6]), Camarinae [7]) — Gela funditus intercidit [8]) unius templi sede minus [9]) — in Ponti litore Olbiae [10]), ad Cogamum Philadelphiae [11]), Apollonidis [12]), Attalorum Pergami [13]), Mytilenes ceterorumque Lesbi oppidorum [14]), Cnidi [15]), Ephesi [16]), Mileti [17]), Prienes [18]), Attaliae [19]), Perges [20]) Sides [21]), Gerasae [22]), Cyrenes indeque propagatorum Apolloniae, Ptolemaidis, Tauchirorum [23]) magnae denique Alexandriae [24]) et ipsarum Athenarum [25]) Piraeeique [26]), ut praeterea Latinorum vel Oscorum quum ceteris Italiae partibus [27]) tum prope lacum

1) Forma exstat: *röm. Mittheil.* V (1890) p. 162 (fig. 1).

2) *Monum.* (*dei Lincei*) XXIII (1914) (Caul.) tab. I.

3) Forma pingitur: *Not. degli scavi* 1881 (*Dicembre*) tab. II. Illustratur ibid. p. 501/3 (390/2).

4) Formam exhibet Schubring, *Akragas* (1870).

5) Formam exhibet Haverfield, *Ancient town-planning* p. 34 (fig. 3).

6) Cf. Lupus, *Syrakus im Altertum* (1887) p. 46 (qua mare adluit, subseqnebatur murus ipsos littoris anfractus).

7) Formam qualemqualem exhibet Orsi, *Monumenti* (*dei Lincei*) IX (1899) p. 205/6 (fig. 1). Cf. ibid. p. 207/13.

8) Orsi, *Monum.* cit. XVII (1906) p. 11 („*nulla più ne esiste*"), p. 12/3.

9) Ibid. p. 547/57.

10) Fuisse videtur trigonon. Cf. *Archaeol. Anz.* 1908 p. 179/80 (*Abb.* 15) ia. p. 187/8.

11) *Abhandl. der Berl. Akad. a. d. J.* 1872 tab. VIII.

12) Formam exhibent *Athen. Mitth.* XXIV (1899) p. 155.

13) *Alterthümer von* P. I tab. III.

14) Koldewey, *Baureste der Insel* Lesbos (1890) tab. I, IV, VIII, IX, XI, XIII.

15) Newton, *History of discov. at* Halic. etc. (1863) tab 50; *Ztschr. der Ges. für Erdk. zu Berlin* XXV (1890) p. 297.

16) Sartiaux, *Villes mortes* (1911) tab. III (et p. 86). Maiore sumptu, non maiore fructu, contuleris *Forschungen in* E. I (1906) *Karte* (et p. 90/1).

17) *Archaeol. Anz.* 1911 p. 423.

18) Haverfield, *Ancient town-planning* p. 42 (fig. 6).

19) Lanckoronski, *Städte Pamphyliens* etc. I (1890) p. 8 (fig. 4).

20) Lanckoronski, *Städte* etc. I p. 34 (fig. 26).

21) Lanckoronski, *Städte* etc. I p. 124/5. (*Plan*).

22) Haverfield, *Ancient town-planning* p. 51 (fig. 10).

23) Horum quatuor exhibet formas Beechey *Proceedings* etc. *to explore the northern coast of* Africa (1828) ad cap. XII, XV, XVII.

24) Diod. Sic. XVII 52; Strab. XVII 1 § 8 (χλαμυδοειδὲς τὸ σχῆμα, sicut (II 5 § 14) τῆς οἰκουμένης). Authenticam formam, quam parvi pendit Haverfield, *Ancient town-planning* p. 47, exhibet Erdmann, *s. Kunde der hellen. Städtegründungen* (1883) et item Pauly, *Realencyclop.* I (1894) p. 1379/80.

25) Vid. *Iwan Müller's Handb.* III (2) 2 (1905) *Abb.* 9 (p. 112/3): *Mauerringe Athens.*

26) Vid. *Handb.* cit. (III (2) 2). *Plan* III.

27) Guhl et Koner, *Leben der Griechen und Römer* (1876) § 69 (p. 407): „*derartige Mauerkreise finden sich nicht selten auf Anhöhen in den verschiedenen Landschaften Italiens*"; Mommsen, *röm. Gesch.* 1 (1861) p. 38: „*die Landschaft*

Digitized by Google

Volsiniensem et Sabatinum horrendae vetustatis arcium [1]), veluti ubi hodie vocatur *Monte S. Angelo* [2]), tum paulo recentiorum Faleriorum [3]) et cui nomen hodie [4]) *Narce* [5]) et huic utrique similis [6]) Ardeae [7]) et Norbae [8]), Signiae [9]), Aletrii [10]), Arpini [11]), Pompejorum [12]), Aufidenae [13]), ut Romae quum Servianae tum Palatinae [14]), quam per abusum Quadratam appellaverunt, ut Tus-

der Aequiculer .... zeigt (deren) eine Menge"; Baumeister, *Denkmäler des kl. Altertums* III (1888) p. 1695: „*eine grössere Anzahl .... ist neuerdings in Süditalien aufgedeckt*". Unius formam addit: fig. 1778 (p. 1694). Cf. praeterea de Sicilia: *Bull. di paletnol.* 23 (1897) p. 179—181; 36 (1911) p. 66/7, p. 159/64, p. 175; 39 (1914) p. 82/3; 41 (1916) p. 169/70; *Monumenti* (*dei Lincei*) IX (1899) p. 81/2; XX (1910) p. 743/4; de Cossyra: *Monum.* cit. IX (1899) p. 453/4 (fig. 1); de Creta: ibid. (IX) p. 353/4 (fig. 25).

1) *Monumenti* (*dei Lincei*) IV (1894) p. 43. Antiquioribus forma est sine ullo angulo in modum circuli, recentioribus plurilatera, recentissimae cuique rectangula (p. 103/4: „*come altrove da noi fu dimostrato*". I nunc miser et quaere). Videntur igitur in illis partibus non experti vel mature superasse rotundae constructionis difficultatem („*la difficulté de construire des murs courbes*"), quae Tiryntha facere coegit plurilateram (De Ridder, *BCH* XVIII (1894) p. 273 not. 4).

2) Formam exhibent *Monumenti* cit. IV p. 38.

3) *Not. degli scavi* 1887 tab. II, quae sane minuscula (cf. quoque *Monum.* cit. IV p. 14 et (*Atlante*) tab. I); Dennis, *Cities* etc. I (1883) p. 87 (*from* Canina).

4) De pristino nomine quaeritur *Monum.* cit. IV p. 106[1].

5) *Monum.* cit. IV p. 107: „*le mura seguivano il taglio delle rupi*". Erat quidem unius collis summitas casu quodam rectangula, proinde ibi munitio quoque.

6) Eodem modo crevit adiciendo sibi subinde proximum quemque collem.

7) Forma exstat, sed minuscula: *Not. degli scavi* 1900 p. 62 (cf. ibid. p. 53 atque *Monumenti dell' istit.* XII tab. 2, unde repetivit Baumeister, *Denkmäler* etc. III (1888) p. 1637/8 = fig. 1780, 1781).

8) Formam exhibent *Monumenti dell' istit. di corr. archeol.* I tab. 2; aliam, sed quae solum ambitum signet, habent sibi adnexam *Not. degli scavi* 1901.

9) *Annali dell' instit. di corr. archeol.* VI (1834) tab. H („*tracée de souvenir*") Add. Nissen, *Landesk.* II p. 650: „*in Gestalt einer Birne*".

10) *Röm. Mittheil.* IV (1899) tab. V.

11) Formam exhibet Candidi-Dionigi, *Viaggi in Lazio* (1809) p. 46.

12) Mau, *Führer durch* P. (1903) *Pl.* II; Haverfield, *Ancient town-planning* (1913) p. 64.

13) *Monumenti* (*dei Lincei*) X (1901) tab. VII. Cf. ibid. pag. 234 (*cinta ... quasi triangolare*").

14) K. O. Müller, *die Etrusker* III 6 § 7 post notam 71: „*das ... Palatinische Rom .... hatte einen spitzen Winkel .... gegen den ....* Circus". Hoc de monte dictum sit oportet, quia valli rudera eo usque certe non perveniunt. Quocirca rectissime observat Valeton, Mnemos. XXI (1893) p. 64 ima, etiamsi hoc de monte verum sit, nihilominus in summo monte ipsam urbem ad aequilibrium poni *potuisse*. Ceterum nihil impedit, quominus murus radicem Palatii cinxerit, ut Eresi (Koldewey, *Baureste der Insel* Lesbos (1890) p. 22, etsi non putant Richter, *Annali dell' ist. di corr. arch.* 56 (1884) p. 189); Valeton, Mnemos. XXV (1897) p. 99—107; Pinza, *Monumenti* (*dei Lincei*) XV (1905) p. 788 ima.

Digitized by Google

corum oppidorum [1]): Arretii [2]), Blerae [3]), Caere [4]), Cortonae [5]), Cosae [6]), Faesularum [7]), Perusiae [8]), Populoniae [9]), Rusellarum [10]), Saturniae, quum Auria appellabatur [11]), Sutrii [12]), Tarquiniorum [13]), Vejorum [14]), Vetuloniae [15]), Volaterrarum [16]), Volcorum [17]); Romanorum, ut coloniae Faliscae [18]), ut Atestis [19]), Bononiae [20]), Serdicae [21]), ut in Pisidarum finibus Cremnae [22]),

---

1) Cf. K. O. Müller, *die Etrusker* I 8 § 8 circa notam 24.

2) Forma exhibetur C I L XI (1901) pag. 1082. Cf. Nissen, *Landeskunde* II p. 817/8. — Ubi vetus quaerit Arretium Dennis, *Cities* etc. II (1883) p. 389—390 (*at San Cornelio*) etiam instar habere dicitur „*of an irregular ellipse*" (p. 391 not. 2), sed alio teste (p. 391 ante notam 2) quadrati („*square or nearly so*").

3) Formam exhibet Dennis, *Cities* etc. I (1883) p. 206.

4) Formam exhibet Dennis, *Cities* etc. I (1883) p. 235 (*from* Canina); cf. ibid. p. 236[7].

5) Formam exhibet Dennis, *Cities* etc. II (1883) p. 394 (*from* Micali), quam explicat verbis p. 397.

6) Dennis, op. cit. II p. 247 (*from* Micali).

7) Dennis, op. cit. II p. 122 (*from* Micali). Arcis quod superest exhibetur forma: *Monumenti* (*dei Lincei*) XX (1910) p. 860/1 (fig. 2).

8) Formam exhibet Dennis, op. cit. II p. 416/7, quam explicat verbis p. 417.

9) Dennis, op. cit. II p. 217 (*from* Micali); *Not. degli scavi* 1914 p. 412.

10) Dennis, op. cit. II p. 226 (*from* Micali).

11) Et forma èt descriptio suppeditat: *Not. degli scavi* 1882 (*febbraio*). Cf. Dennis, *Cities* etc. II (1883) p. 277, quem diceres aliud oppidum describere.

12) Formam exhibet Dennis, op. cit. I p. 65.

13) Formam exhibet Dennis, op. cit. I p. 304/5 (*from* Westphal); cf. ibid. p. 424 („*in many ... parts around the brow of the cliffs are ... the foundations of the ancient walls*") p. 426, p. 427. Cf. praeterea *Not. degli scavi* 1885 (*Dicembre*) tab. unic. (sed etiam Nissen, *Landesk.* II p. 329 not. 4).

14) Formam exhibet Dennis, op. cit. I (ante p. 1). Exstant enim vel nunc in circuitu murorum particulae, rarae licet.

15) *Not. degli scavi* 1885 (*Ottobre*) tab. I.

16) Formam exhibet Dennis, op. cit. II p. 144/5 (*from* Micali).

17) Formam exhibet Dennis, op. cit. I p. 438 (cf. ibid. p. 444).

18) Dennis, op. cit. I p. 105: „*right-angled triangle with the edges truncated*". Formam exhibet quum ipse (ibid.) tum Deecke, *die Falisker* (1888).

19) *Not. degli scavi* 1882 (*Gennaio*) tab. I.

20) Coloniae ambitum primis utique lineis signat Grenier, *B. villanovienne et étrusque* (1912) tab. 1, cui praeivit Zannoni (*Arc. abitazioni* (1907) p. 97—100 et tab. I), quem laudat p. 34[2], quem ego propter bella inspicere non potui. Tuscae urbis, quum Felsina appellabatur, ipsa sedes quaeritur (Grenier, op. cit. p. 31, p. 89—91, p. 122—126; Duhn, *prähistor. Ztschr.* V (1913) p. 481). Pristinae aboriginum vestigia abundant, sed σχῆμα latet (Grenier p. 33/4) deficiente vallo (p. 42 not. 3).

21) Kanitz, *Donau-bulgarien* II (1882) p. 210 (forma), p. 219/20.

22) Lanckoronski, *Städte Pamphyliens* etc. II (1892) p. 160/1 (*Plan*). Romanorum coloniam fuisse testatur Strabo XII 6 § 5.

Digitized by Google

Iudaeorum, ubi nunc vocatur *Tell-el-Dschudeide* [1]), ut coloniae Agrippinae [2]), ut Mogontiacae urbis [3]), ut Treverorum Augustae [4]), ut Augustoduni [5]), ut Carnunti [6]), ut Vindonissae [7]), ut Taunensium Nidae [8]), ut castellorum Limitis complurium, de quibus dictum supra et circumfusi Limitis (54) castello vici, cui hodie *Wimpfen* [9]) est nomen, ut Britannorum Callevae [10]), Moesorum Ovidio dictae Trosmis [11]) et item Ulmeti [12]), ut castrorum castellorumve anonymorum complurium quum apud eosdem [13]) tum in aliis terrarum partibus veluti, quae effodit Schulten, Nobilioris et Scipionis ad Numantiam [14]), et ubi hodie vocitatur *Jublains* [15]), *Argentan* [16]), *Haltern* [17]), *Oberaden* [18]), *Hofheim* [19]), *Heldenbergen* [20]), et item prope coloniam Agrippinam *Alteburg* [21]), nostris quoque partibus effossi prope Hagam comitis

---

1) *Archaeol. Anz.* 1908 p. 385/6 (*Abb.* 11).

2) *Bonner Jahrb.* XCVIII p. 157 et tab. I; Koepp, *die Roemer in D.* (1912) p. 128/9.

3) Koepp, op. cit. p. 22/3.

4) Koepp, op. cit. p. 122/3.

5) Fontenay, *Autun* (1889). *Plan*, unde repetivit Haverfield, *Ancient town-planning* p. 122 (fig. 29).

6) Koepp, *die Roemer in D.* (1912) p. 77.

7) Koepp, op. cit. p. 102/3 („*nach Mittheilungen der .... Betheiligten*"). Cf. Heuberger, *Aus der Baugeschichte Vindonissas* (1909) tab. I.

8) G. Wolff, *die Römerstadt* Nida (1908), *Plan*; id. *Kastell* (27) *Heddernheim* (fasc. 42) tab. I.

9) Fasc. 13.

10) Formam exhibent Encyclop. Britann. XXXII (1902) p. 636; Archaeol. (Oxon.) 61 (1909) *pl.* LXXXV; *Transactions town planning conference* 1910 p. 127; Haverfield, *Ancient town-planning* (1913) p. 128 (fig. 31). Vocatur ibi hodie *Silchester*.

11) Formam exhibent Daremberg et Saglio, *Dictionn. des antiq.* I 2 (1887) p. 958 (fig. 1223).

12) *Archaeol. Anz.* 1915 p. 237/8.

13) Kanitz, *röm. Studien* (1892) (*Denkschr.* (*Wien*) XLI) fig. 7, 14, 37, 44 (ia. pag. 69), 48, 54, 61, 73, 74, 78, 81, 98, 101.

14) *Archaeol. Anz.* 1911; 1912; 1913 (ubique est *Beil.* 1).

15) Daremberg et Saglio, *Dictionn.* cit. I 2 (1887) p. 949 (fig. 1217).

16) *Dictionn.* cit. I 2 p. 950 (fig. 1218); Caylus, *Recueil d'antiq.* IV (1761) tab. CXVI (ia. pag. 383).

17) Koepp, *die Roemer in D.* (1912) p. 32/3.

18) Koepp, op. cit. p. 48/9.

19) Ritterling, *das frührom. Lager im* Taunus (1913) p. 8.

20) Fuit ibi postea Limitis (25) castellum (fasc. 13).

21) F. Wolf, *Kastell Alteburg* (1889). *Blatt* 1 et 2.

Digitized by Google

castelli, cui nomen indiderunt *Arentsburch* [1]), quae castella partim antiquitatis speciem prae se ferunt, veluti, quorum prope Numantiam formae cernuntur, partim Byzantinam consuetudinem adumbrant, veluti ad Herculem in Pannonia [2]) et intra Anastasii vallum [3]), claustra novae Romae, intra idque vallum, in Scythia minore (*Dobrudscha*) quod secunda aetas aedificavit [4]), nam, quod prior aedificaverat, adiecta habet formà castella legitima [5]). Quocirca nemo potest errare, sive docebit antiquioribus placuisse formam quadratam [6]), sive recentius genus esse [7]); quum sero in usum venerit et mature cesserit loco [8]). Illa autem quasi lacustria castella, de quibus dicere instituimus, praeterea hoc habere solent, ut latera vergant in occasum et septentrionem [9]), quemadmodum vergunt prisci illius Aegyptiorum oppidi Sais [10]) et, ubi hodie appellatur *Kahun* [11]), Aethiopum, ubi *Sesebi* [12]), Assyriorum ubi *Nimrud*, cuius

---

1) Cf. *Arentsburch. Verslagen* 1909/15, *Archaeol. Anzeiger* 1915 p. 63/4. Potest fuisse rhombus.

2) *Archaeol. Anz.* 1907 p. 217/8 (ia. p. 216). Appellatur ibi hodie *Pilismaród*.

3) Schuchhardt, *Jahrb. des archaeol. Instituts* XVI (1901) p. 112 (*Abb.* 8).

4) Schuchhardt, *Jahrb.* cit. XVI p. 121, 123/4 (*Abb.* 19, 24—31). Operae pretium est conferre Pergamena castella Attalorum (*Archaeol. Anzeiger* 1912 p. 63/4).

5) Schuchhardt, *Jahrb.* cit. XVI p. 122 („*annähernde Quadrate*").

6) Fink, *Kastell* (74) *Kösching* (fasc. 38) (1913) p. 4: „*die in der älteren Zeit beliebte annähernd quadratische Gestalt*"; G. Wolff, *Kastell* (23) *Gross-Krotzenburg* (fasc. 20) (1903) p. 4: „(*Entfernung*) *von der Quadratform ... (wird) im allgemeinen für ein Zeichen relativ später Entstehungszeit angesehen*".

7) Schuchhardt, *Jahrb.* cit. XVI (1901) p. 124: „*die goldene Latinität ... (schafft) noch beliebig unregelmässige (Lagerformen)*". Docet nihilominus (p. 126) hoc esse diffidentis militum virtuti, contrarium fidentis: „*das schematische*" (= silberne) „*Römerthum (glaubt), auf die Tüchtigkeit der Truppe vertrauend, überall mit derselben einfachen Form .... auskommen zu können*".

8) G. Wolff, *Kastell* (27) *Heddernheim* (fasc. 42) (1915) p. 5: „*die Kastelle der flavischen Zeit (unterscheiden) (sich) sowohl von den augusteischen als von den späteren Limeskastellen durch eine fast absolute Regelmässigkeit der Grundrisse*".

9) Helbig, *die Italiker in der Poebene* (1879) p. 11 (ia. p. 63 lin. 1/2); Peet, *Stone and bronze ages* (1909) p. 331.

10) Lepsius, *Denkmäler* cit. P. I tab. 55.

11) Fl. Petrie, *Kahun* (1890) § 38. Habitabatur sub regibus, quos duodecima aetas tulit. Situs indicatur ibid. tab. IV (*Sketch map*) atque *Illahun* (1891) tab. XXX. Orientem versus clausum non erat, ut in Hispania Emporiae, quae pars oppidi a mari retractior barbaris incolenda data erat (*Bonner Jahrb.* CXVIII (1909) p. 18), sed ne meridiem quidem versus (Fl. Petrie, *Ten years' digging* (1893) p. 114).

12) Lepsius *Denkmäler* cit. P. I tab. 119.

Digitized by Google

formam servat, sicuti ceterorum Assyriorum oppidorum artificiosi collis substructio [1]), nam ubi hodie vocitatur *Khorsabad*, non latera sed diagonales lineae [2]). Eodem modo, quo *Khorsabad*, lineis diagonalibus directa inveniuntur vel non multo secus, in Helvetia castellum Romanum, cui hodie nomen *Irgenhausen* [3]); Moesia, ubi *Sarkamen* [4]); Limitis castella (3) *Arzbach* [5]), (5) *Hunzel* [6]), (10) *Feldberg* [7]), (19) *Oberflorstadt* [8]), (24) *Kesselstadt* [9]), (31) *Wiesbaden* [10]), (36) *Wörth* [11]), (60) *Köngen* [12]), (70) *Gnotzheim* [13]), (75) *Pföring* [14]), in Britannia *Hardknot* [15]), *Gellygaer* [16]), Calleva [17]), pristinum quoque *Bar Hill* [18]); ex diverso ut *Nimrud* lateribus quum interius munimentum Arnes, si neque fallit sagitta Ferdinandi [19]) neque de genere aedificationis opinio doctissimi De Ridder [20]), tum Taurinorum

---

1) Layard, *Monuments of Nineveh* I tab. 99. Cf. Place, *Ninive et l'Assyrie* III tab. 1.

2) Place, *Ninive* etc. I pag. 17; III tab. 1 et 2.

3) *Mittheil. der antiq. Ges. in Zürich* XXVII 2 p. 43[1]. Cf. ibid. p. 94 („*das Kastell ist ein nicht ganz regelmässiges .... Quadrat*") atque tab. II.

4) Kanitz, *röm. Studien* (1892) (*Denkschr. (Wien)* XLI) fig. 68 (sit modo fides sagittae).

5) Fasc. 12.

6) Fasc. 6.

7) Fasc. 25; Domaszewski, *Anlage der Limeskastelle* (1908) tab. II.

8) Fasc. 18.

9) Fasc. 10.

10) Fasc. 31; *Annalen für nassauische Altertumsk.* V 2 (1871) p. 4: „*ein längliches Rechteck, ... das (die Nordlinie) in der Diagonale durchschnitt*". Aratro redditum est (p. 2), ut *Marzabotto*, quocirca in describendo veteribus subsidiis contentus esse debuit Ritterling (fasc. 31 cit.). Qui rectissime observat formam similiorem esse rhombo („*ein (ein) wenig verschobenes dem Quadrat sich näherndes Rechteck*").

11) Fasc. 11 (p. 8: „*fast genau*").

12) Fasc. 30. Forma est tantum non quadrata (pag. 4/5).

13) Fasc. 29. 14) Fasc. 16.

15) Formam exhibent Traill et Mann, *Social England* I (1901) p. 81. De situ cf. CIL VII p. 77.

16) Formam exhibet Bruton, *Roman Manchester, pl.* 24 (p. 58/9). Est vicina *Cardiff* (Encycl. Britann. XXXII (1902) p. 279).

17) Encyclop. Britann. XXXII (1902) p. 626; Archaeologia (Oxon.) 61 (1909) p. 486, modo fides adsit sagittis.

18) Macdonald et Park, *Roman forts on Bar Hill* (1906) p. 12 (ia. p. 11).

19) *Ath. Mitth.* XIX (1894) tab. X.

20) *BCH* XVIII (1894) tab. X et pag. 302 („*camp retranché*"). Cf. ibid. pag. 451 (ad p. 431).

Digitized by Google

Augusta [1]), in Numidia Thamugadi [2]), Lambaesis [3]), Moesia duorum vetustius castellum, ubi Traianus pontem fecit [4]), aliaque eius regionis [5]), Pannonia, ubi hodie vocatur *Leányvár* [6]), Britannia Venta [7]), Lindum [8]), et ubi hodie vocatur *Newstead* [9]), Hispania Emporiae, quae pars oppidi a mari retractior a barbaris incolebatur [10]), nec minus in Germania Castra Regina [11]), Limitis castella (8) *Zugmantel* [12]), (13) *Langenhain* [13]), (14) *Butzbach* [14]), (22) *Rückingen* [15]) (23) *Gross-Krotzenburg* [16]), (25^a) *Okarben* [17]), (29) *Hofheim* [18]), utrumque (42 et 42^1) *Oehringen* [19]), (43) *Mainhardt* [20]), utrumque (45 et 45^a) *Welzheim* [21]) (46^b) *Seckmauern* [22]), (47) *Vielbrunn* [23]), (52) *Oberscheidenthal* [24]), (53) *Neckarburken-Westkastell* [25]), (54) *Wimpfen* [26]), (63) *Lorch* [27]),

---

1) Nissen, *Rh. Mus.* XXV (1870) p. 421; *Orientation* (1906) p. 92.

2) Exstat forma: *Bonner Jahrb.* CXX (1911) p. 102. Ad amussim („*eractement*") ibi directum esse, docet Cagnat, *Timgad* (1905); tribus μοῖραις, quos nos vocamus gradus, erratum esse, totidem Lambaesi, αὐτόπτης Barthel, *Jahrb.* cit. CXX p. 107, p. 108.

3) Forma extat: *Bonner Jahrb.* CXX p. 109.

4) Kanitz, *röm. Studien* (1892) (*Denkschr.* (*Wien*) XLI) fig. 25 ia. pag. 45 lin. 11/2: „*gleich der Brücke streng N. gerichtete Anlage*". Similiter, ubi hodie appellatur *Saalburg*, recentius castellum declinat.

5) Kanitz, op. cit. fig. 1, 15, 21 (A), 42, 43, 89 (modo ubique fides adsit sagittis).

6) Forma extat: *Archaeol. Anz.* 1909 p. 291/2.

7) Forma principalis (Archaeol. (Oxon.) 62 (1910) *pl.* LXIV) non habet sagittam. Sed suppletur vitium particularibus formis (pl. I; LVII; LX, LXIII). Appellatur ibi hodie *Caerwent.*

8) Haverfield, *Ancient town-planning* (1913) p. 117 (fig. 26), fides modo sit sagittae.

9) Curle, *the fort of Newstead* (1911) p. 38/9. Non computo anonymum castellum, cuius forma exhibetur: *Archaeol. Anz.* 1909 p. 245/6 (*Abb.* 12).

10) *Bonner Jahrb.* CXVIII (1909) p. 18. Κτίσμα Ῥωμαίων esse demonstrat ibi (p. 25/6) Frickenhaus.

11) Ortner, *das römische Regensburg* (1909) p. 16 (cum tabulis I, II, V).

12) Fasc. 32.
13) Fasc. 8.
14) Fasc. 1.
15) Fasc. 38. Declinant latera 14 μοῖραις, quos hodie vocant gradus (p. 3).
16) Fasc. 20.
17) Fasc. 16 (p. 3: „*fast genau*").
18) Fasc. 7.
19) Fasc. 5.
20) Fasc. 32.
21) Fasc. 21.
22) Fasc. 19 (p. 2: „*fast genau*").
23) Fasc. 5.
24) Fasc. 6.
25) Fasc. 9.
26) Fasc. 13.
27) Fasc. 5.

Digitized by Google

(66^a) *Urspring* [1]), (67) *Buch* [2]), (67^b) *Oberdorf am Ipf* [3]), (69) *Dambach* [4]), (71^a) *Theilenhofen* [5]), (72) *Weissenburg* [6]), (74) *Kösching* [7]), cuique hodie nomen est (11) *Saalburg* [8]); nam, ubi hodie vocitatur *Hofheim*, etiamsi maxime praetorium directum sit, nihilomagis efficitur [9]), quod quaerimus, vallum directum esse. In Syria quoque, ubi hodie vocatur *Khunâsara* [10]) et summo monti, cui nomen hodie *Shekh Berekât*, impositum Διὸς Μαβδάχου τέμενος [11]) et in Aegypto, ubi fuit Arsinoe, περίβολος Suchi [12]), Sinarum denique urbes, veluti dirutum *Khara-Khoto* [13]), gentis caput [14]) *Peking*, quod propter crebras sedis mutationes complurium exemplorum instar habet [15]), *Singan* [16]) et castellum *Kurgan*, quod

1) Fasc. 24. 2) Fasc. 10 (p. 3: „*genau*").

3) Fasc. 41 (p. 2: „*mit geringer Abweichung*").

4) Fasc. 15. 5) Fasc. 24.

6) Fasc. 26. Declinant latera 15 μοῖραις, quos nos vocamus gradus (p. 5).

7) Fasc. 38.

8) Cohausen et Jacobi, *das Römercastell Saalburg* (1900) p. 19: „*das älteste Kastell ... hat ... quadratischen Grundriss und ist genau nach Norden orientiert*"; p. 20: „*das (neuere) Kastell liegt .... mit westwärts verdrehter Axe in der Richtung der Roemerstrasze*". Est praeterea ἑτερομήκης. Cf. ibid. tab. 1 et 2 (Koepp, *die Roemer in D.* (1912) p. 58/9 et p. 112/3).

9) Effici putat Ritterling, *das frühröm. Lager im* Taunus (1913) p. 3: „*das Lager ist, wie die Lage des Mittelgebaeudes anzeigt, mit der Front annähernd nach Norden orientiert*". Sic apud nos faceti homines ex notate magistri de fastis navigii coniecturam capi iubent. Nisi forte ut Fabricius, (72) *Weissenburg* (fasc. 26) p. 5, intellexit „*orientiert, das heisst, welche Seite ist als Front zu bezeichnen*".

10) Sachau, *Reise durch Syrien* (1883) p. 117. Forma est rectangularis tantum (ὀρθογώνιος μὲν μὴ ἰσόπλευρος δέ). Vetus nomen: Ἀνάσαρβα (τὰ). Appellavit Iustinianus Θεοδωριάδα transtulitque ex castri in municipii formam.

11) Prentice, Herm. 37 (1902) p. 93/4: „*bis auf zwei oder drei Grad genau*". Forma eius quadrata est.

12) Schweinfurth, *Ztschr. der Ges. für Erdk. zu Berlin* XXII (1887) p. 73/4, p. 77/8: „*Abweichung gegen zwei Grad (von Nord) zu West*". Forma est rectangularis tantum (ὀρθογώνιος μὲν μὴ ἰσόπλευρος δέ).

13) *Geograph. Journal* 34 (1909 II) p. 386: „*a town of the Chinese type*". Distat ab aequinoctiali circulo particulas, quos vocamus gradus, $41\frac{3}{4}$, Londinio ad orientem versus 101 (*Journal* cit. 36 (1910 II) p. 308). Esse creditur Marci Poli Etzina (*Journal* cit. 45 (1915 I) p. 408). — Forma extat in: *Journal* cit. 36 (1910 II) p. 306; *Transactions town planning conference* 1910 p. 124; Haverfield, *Ancient town-planning* (1913) p. 146/7 (fig. 36).

14) Ut quodlibet gentis caput („*Hauptstadt*") dirigatur, sacro quodam praecipitur libro, quem laudat Cantor, *Vorlesungen* I (1907) p. 676/7.

15) Cf. Reclus, *Nouv. géographie univ.* VII (1882) p. 320 (*déplacements successifs de P.*). Hodiernam formam exhibent Brockhaus, *Convers.-Lexic.* XII (1903) p. 982; Meyer, *Convers.-Lex.* XV (1906) p. 542/3.

16) Reclus, op. cit. VII p. 383: „*carré parfait, orienté*". Formam exhibet p. 563

Digitized by Google

visit Hedin [1]), nec minus in ulteriore India desertum *Angkor* [2]) lateribus directa sunt, sed in Numidia diagonalibus lineis περίβολος templi, ubi hodie appellatur *Sbeitla* [3]). Ipsum quidem imperium Romanum fuisse directum, lateribus opinor, tam est quorundam absurda doctrina, ut miraculi instar sit, quod ludificari se passus est doctissimus et clarissimus Cantor [4]). Refellit enim sententiam quaevis orbis, non templi, Romani delineatio. Illas autem, ubi nunc dicuntur *terremare*, et his contermina castella vere lacustria sedes sibi Latini defixisse in Italia putantur primas [5]). Ceterum Sinarum urbium *Khara-Khoto*, *Peking*, *Singan*, non muri tantum in occasum et septentrionem directi sunt, sed muris ordinati, sicut in India ulteriore *Mandalay* [6]), sicut *Kahun* [7]), sicut Nicaeae [8]), sicut Augustae Taurinorum [9]),

„*comme type*". Est certe simillima forma *Sutchou* (ibid. p. 463). Testatur praeterea Stein, *Ruins of desert Cathay* II (1912) p. 42: „*The usual alignment of streets at right angles somewhat after the fashion of a Roman* castrum", p. 843: „*the clean and regular streets of this* castrum". Add. Haverfield, *Ancient town-planning* (1913) p. 147.

1) *Ergänzungsheft* 131 (1900) p. 76. Tantum ferme abest a *Lob-nor*, quantum a *Bagrasch-Kul*.

2) Sagittae sunt quidem omissae ab utraque forma Stephani Aymonier, *le Cambodge* III (1904) ante textum et p. 92 (fig. 15), sed potest hoc vitium suppleri pedissequarum formarum adminiculo: fig. 2 (p. 7), 3 (p. 19) etc.

3) Vetus nomen est Suffetula. Formam exhibent Boeswillwald et Cagnat, *Timgad* (1905) p. 163.

4) *Vorlesungen* I (1907) p. 540: „*das ganze Reich ein* templum, ... *ein wohl orientiertes Eigenthum mit gleichmässig .... gerichteten Grenzen*". Cf. ibid. p. 533[3] (Nissen). Alia id genus doctorum deliramenta perstringit Valeton, Mnemos. XXI p. 62[1], 66[2], 400/1.

5) Res commentitia („*völlig unbeweisbar*") videtur Eduardo Meyer, *Gesch. des Alterthums* II (1893) p. 506, p. 499. Substructiones tantum Latinis abiudicat Meitzen, *Siedelung und Agrarwesen* I p. 243/5. Ne substructiones quidem Duhn, *Neue Heidelb. Jahrb.* IV (1894) p. 155/6. Consanguinitatis magnum indicium interim accrevit (*Not. degli scavi* 1895 p. 16/7).

6) Encycl. Britann. XV (1883) p. 471: „*the streets run parallel with the walls dividing the building-sites into rectangular blocks*". De directione neque hic auctor quidquam exprimit neque Reclus, *Nouv. géogr. univ.* VIII (1883) p. 789, neque *Imperial gazetteer* XVII (1908) p. 139, p. 140. Eadem orbis parte, ubi *Angkor* fuit, omnia spatia inter aedificia occupata hodie sunt densissimis virgultis vepribus sentibus (Aymonier, *le Cambodge* III (1904) p. 96).

7) Fl. Petri, *Illahun* (1891) tab. XIV. Cf. ibid. § 13—16 atque *Ten years' digging* (1893) p. 113/4.

8) Strabo XII 4 § 7. Directos ibi fuisse muros vicosque non tradit.

9) Cf. Barthel, *Bonner Jahrb.* CXX (1911) p. 105[2]; Nissen, *Landesk.* II (1902) p. 165/6; id, *Rh. Mus.* XXV p. 418—422. Formam exhibet Haverfield, *Ancient town-planning* p 88/9 (fig. 15).

Digitized by Google

sicut Thamugadi et Ventae, vici, Augustae Praetoriae cloacae [1]), quocirca putat ibi Promis vicos eodem modo directos fuisse, quod verisimile sit vias super cloacas esse ductas [2]). Quod Smyrnae quidem omissum [3]) usu venisse constat in praehistorica Meliorum urbe [4]) et Pergami [5]) et Augustae Taurinorum [6]) et Venetorum Concordiae [7]) et colonia Carthagine [8]) et Thamugadi [9]) et Emonae [10]) et Agrippinae Ubiorum [11]) et fortasse Lindi [12]); indicat praeterea Livius [13]) moris esse, ut *per publicum duc(antur)* cloacae neve *privata passim subeant tecta.* Ipsa colonia Agrippina hodie passim ostendit vicorum cloacarum vestigia in occasum et septentrionem vel haud multo secus („*fast genau*") directorum [14]), etsi non prorsus desunt oblique ducta [15]). Sic per Campaniam utique in singulis urbibus Tuscis Graecis vici in septentrionem et occasum directi sunt, modo Neapolin exceperis Herculaneumque. Et Herculanei quidem partim inter occidentem et septentrionem, partim inter septentrionem et orientem vici spectant [16]); Neapoli autem [17]) partim ad mare directi partim litori sunt ordinati eodem prorsus modo, quo Caesareae vicos ad mare direxit [18]) vel directos a Stratone ita servavit [19]) Iudaeus Herodes, quorum vestigia ante paucos annos comparebant, sed, antequam

1) Promis, *Memorie* etc. (*Torino*) 2 XXI p. 136—140.

2) *Memorie* cit. (2 XXI) p. 137 lin. 6: „*sottostessero* (*le chiaviche*) *agli assi stradali*".

3) Strabo XIV 1 § 37: ἓν δ'ἐλάττωμα τῶν ἀρχιτεκτόνων οὐ μικρόν· ὅτι τὰς ὁδοὺς στρωννύντες ὑπορρύσεις οὐκ ἴδοσαν αὐταῖς.

4) *Excavations at Phylakopi* (1904) p. 26, p. 50 (ia. p. 22 lin. 1—4).

5) *Alterthümer von* Pergamon I (1912) p. 216: „*die .... (Pflaster)platten decken auf langen Strecken .... den antiken Strassenentwässerungskanal*".

6) *Not. degli scavi* 1902 p. 279.

7) *Not. degli scavi* 1880 (*Novembre*).

8) Schulten, *Archaeol. Anz.* 1909 p. 191.

9) Haverfield, *Ancient town-planning* (1913) p. 112 lin. 6/7.

10) Haverfield, op. cit. p. 116.

11) *Bonner Jahrb.* XCVIII (1895), p. 85 lin. 4—9.

12) Haverfield, *Ancient town-planning* p. 118.

13) V 55 § 5.

14) *Bonner Jahrb.* XCVIII (1895) p. 82—86 (cum tab. I).

15) *Jahrb.* cit. (XCVIII) p. 84 lin. 26—32.

16) Beloch, *Campanien* (1879) p. 229/30 (cum tab. (VIII).

17) Beloch, *Campanien* (1879) p. 66—68 (cum tab. II).

18) Joseph., B. Iud. I § 414.

19) Cf. Schreiber, *Festschr. für Kiepert* (1898) p. 336[1].

Digitized by Google

explorator accederet, deleta sunt [1]), estque eadem colonia Carthagine directionis causa [2]), Cauloniaeque [3]), quam secunda habitavit aetas [4]). Ergo remanent Capua [5]), Dicaearchia [6]), Surrentum [7]), ubi in occasum et septentrionem aut ad amussim [8]) aut non multo secus [9]) vici directi sint. Ex quibus Capua fuisse creditur Tusca Livii fide docentis [10]) anno urbis 331 *Vulturnum Etruscorum urbem, quae nunc Capua est, a Samnitibus captam.* Quibus tamen verbis profecto non demonstratur [11]), Capuam ab Etruscis esse conditam [12]) potius quam possessam, quod posterius placet Eduardo Meyer [13]), et sunt qui vel sic negent [14]). Erant [15]) praeterea in septentrionem et occasum directi urbis vici eius, quae prope Bononiam [16]) haud ita pridem effossa est et aratro mox reddita et fuisse ipsa quoque putatur Tusca. Etiam Bononiae platea cernitur in oc-

---

1) *Festschr.* cit. p. 335[1].

2) Schulten, *Archaeol. Anzeiger* 1909 p. 190/1. Forma exstat ibid. 1911 p. 245/6 et apud: Haverfield, *ancient town-planning* (1913) p. 114.

3) Cf. *Monumenti (dei Lincei)* XXIII (1914) (Caul.) tab. I. A coeli quidem ratione aliquantum declinant vici (tab. VIII).

4) Ita sentit Orsi, *Monum.* cit. XXIII p. 825.

5) Beloch, *Campanien* (1879) p. 345 (cum tab. XII).

6) Beloch, op. cit. p. 128 (cum tab. III); Dubois, *Pouzzoles antique* (1907) p. 231/2.

7) Beloch, op. cit. p. 262 (cum tab. IX).

8) Capuae (Beloch: *„genau"*).

9) Dicaearchiae (Beloch: *„fast genau"*). Surrenti equidem (inspecta tabula) eo modo directos vicos dixerim, quemadmodum Neapoli, Caesareae, Carthagine, Cauloniae.

10) IV 37 § 1. Cf. Strab. V 4 § 3.

11) Pro demonstrato habet Valeton, Mnemos. XXI (1893) p. 64.

12) Cur *condita sit necesse (si)t a gente stirpis Italicae*, docet credulum lectorem Mommsen, CIL X pag. 365.

13) *Gesch. des Alterthums* II (1893) p. 706: *„erobert (wurde)* Capua .... *Etruskerstadt"*.

14) His quidem rursus it obviam Mancini, *Lapide terminale arcaica* (1877) p. 50/1. Mediam quodammodo tenet Niese, *Grundriss der röm. Gesch.* (1897) p. 18[1]: *„freilich ist, wie die Funde lehren, Kampanien nicht von Etruskern bewohnt gewesen. Es handelt sich also um eine Oberherrlichkeit"*.

15) Testis Brizio, *Monumenti (dei Lincei)* I (1889) p. 278. Exhibent formam etiam Montelius, *Civilisation primitive* (1895) pag. 497/8; Haverfield, *Ancient town-planning* p. 61 (fig. 12); Grenier, *Bologne villanovienne et étrusque* (1912) tab. III.

16) Propius villam, cui nomen *Marzabotto*. Antiquitus Misano nomen ei fuisse, docet Duhn, *Neue Heidelb. Jahrb.* IV (1894) p. 154, sed videtur error esse.

Digitized by Google

casum directa, quam duxisse videntur pristini conditores [1]) et similiter directa extra vallum alia, quae putatur intra vallum ab iisdem [2]) perducta eam urbem dextra laevaque divisisse, sicut aeternam Sacra via, cuius ad Vestae perpendicularis cernitur, tunc dividebat Urbem in occasum directa [3]), quum fori quoque monumenta adhuc eo et in septentrionem dirigebantur [4]). Accedunt Siciliensia exempla quum Graecum Selinuntis, vetustissimi scilicet, ubi postea arx fuit [5]), tum Poenum Solunti [6]), nam utrubique vicos in septentrionem et occasum directos, nisi Solunti declinant [7]), hodie quoque apparet. In Samnio porro Saepini [8]) et in Lusitania Nabanciae [9]) et in Hispania ubi fuerat Numantia [10]) et apud Britannos Callevae [11]) et in Acarnania Palaeri [12]), Asia Prienes [13]), Pisidarum finibus Cremnae [14]) eadem causa est, nec diversa ad Orontem Apameae [15]) et trans Iordanem Gerasae [16]),

---

1) Grenier, *Bologne villanovienne* etc. (1912) p. 37 („*en tout cas antérieur(e) aux Romains*").

2) Ibid. p. 26/7: „*il n'est pas douteux que le tracé n'en soit antérieur à l'époque romaine*".

3) Piganiol, *Mélanges d'archéol. et d'hist.* XXVIII (1908) p. 233 sqq. Subiecit formam p. 243.

4) Ibid. p. 235 ima. De re constare dicit Vaglieri, *Bull. communale* 31 (1903) p. 11.

5) Baedeker, *Italien* III (1887) p. 282. Cf. Beloch, *Bull. dell' ist. di corr. archeol.* 1877 p. 10 = *Atti* (*dei Lincei*) 2 III 3 (1876) p. 270. Formam exhibet Haverfield, *Ancient town-planning* (1913) p. 34 (fig. 3).

6) Baedeker, *Italien* III (1887) p. 275. Cf. Beloch, *Bull.* cit. 1877 p. 10; Brizio, *Monumenti* (*dei Lincei*) I (1889) p. 291*. Formam exhibet Haverfield, op. cit. p. 37 (fig. 5).

7) *Bull. della comm. archeol. di Sicilia* 8 (1875) p. 4.

8) Keppel Craven, quem laudat Nissen, *das* templum p. 61.

9) *Études dédiées à* Leemans (1885) p. 254. Effodi coepit 1882.

10) Cf. Schulten, *Abhandl. der Ges. der W. zu Gött.* VIII 4 (1905) p. 55/6, (cum tab. II). Declinant niholominus ibi vici a vero occasu vel septentrione 22 μοίραις, quos vocamus gradus

11) Encyclop. Britann. XXXII (1902) p. 626; Archaeol. (Oxon.) 61 (1909) p. 486, modo fides adsit sagittis.

12) *Archaeol. Anz.* 1916 *Sp.* 222 (et *Beil. zu Sp.* 221): maximam utique partem.

13) Wiegand et Schrader, Priene (1904) p. 45; Nissen, *Orientation* (1906) p. 103; Stübben, *der Städtebau* (1907) p. 263; *Transactions of the town planning conference* 1910 p. 112. Qua de Priene hic agitur, Alexandrina est (Wiegand, op. cit. p. 35: „*eine Schöpfung der Zeit Alexanders*"; Haverfield, *Ancient town-planning* p. 43).

14) Lanckoronski, *Städte Pamphyliens* etc. II (1892) (p. 160/1 (*Plan*). Cf. ibid. p. 163 lin. 24: „*fast genau*". Rectorum quidem angulorum ratio (p. 164 summa) passim ibi destituitur.

15) Sachau, *Reise in Syrien* (1883) p. 45.

16) Haverfield, *Ancient town-planning* p. 51 (cum forma).

Digitized by Google

ubi utrubique cernitur platea ad septentrionem directa et ad occasum transversae nec movere debet, quod declinant aliae [1]). Sagalassi quoque [2]) nec minus in Ponti litore Olbiae [3]) platea ad septentrionem directa cernitur; de transversis hactenus altum est silentium. Plane Antiochiae ad Orontem quum veteris tum, quae tum nova erat, novae ad septentrionem et occasum directos fuisse vicos, testis est Libanius [4]); Vitruvius denique [5]) *in multis civitatibus*, veluti Mytilenae, usu hoc venisse significat et propter ventorum inclementiam vitandum esse existimat; ex diverso nihil salubrius cogitari posse Oribasius [6]). In Aegypto quoque ἐν τῇ Λίμνῃ aggeres conditi sunt in occasum et septentrionem [7]), quos putat Mahaffy [8]) non tantum aquarum continendarum, qui praecipuus usus est τῶν χωμάτων [9]) — nam ipsis fossis aut *Nilus exaestuat* [10]) et ποτίζονται agri aut rursus ἐκχέονται, quas vocitatas putat Grenfell [11]) ἐξαγωγούς, illas, quibus agri ποτίζοντκι, διώρυγας, sed est revera ὑδραγωγὸς [12]) sive διῶρυξ nomen commune [13]), cuius species ἐξαγωγὸς et εἰσα-

---

1) Fit similiter Agrippinae.

2) Lanckoronski, *Städte Pamphyliens* etc. II (1892) p. 126/7 (*Plan*), p. 128.

3) *Archaeol. Anz.* 1913 p. 212. — Praehistoricam Meliorum urbem (*Excavations at Phylakopi* (1904) p. 26, 39, 50) ideo omisi, quia potius erat fides habenda formis quam verbis.

4) I (Reiske) p. 337, 15—339, 14—340, 6 (Erdmann, *z. Kunde der hellenist. Städtegründungen* (1883) p. 24/5). Delineare ad verba sophistae et in tabulam referre urbem vicos ausus est C. O. Müller, Comment. Soc. Gott. VIII (1841).

5) I 6 § 1. Observatione dignum est apud virum doctissimum Stübben, *der Städtebau* (1907), de dirigendo verbum fieri nullum.

6) Coll. Med. IX 20 § 1 (II (1854) p. 318/9).

7) Pap. Lille 1; Petrie III 37. — Cf. praeterea, quem nunc constare videtur esse coaevum (Mahaffy, *On the Petrie papyri* I pag. 49) pap. Paris. 66 lin. 58—61 (P. Petrie III pag. 342).

8) Ad pap. Petrie I 22(2), quae pars est P. (III) 37 cit. Cf. *On the Petrie Papyri* II pag. 43 [100].

9) Ulp. l. 10 D. 47. 11. Subiungit idem chomatum ope *incrementa Nili* etiam *dispensa(ri)*.

10) Sueton. II 18.

11) Ad P. Tebt. 13, 7.

12) Cf. P. Lond. 1897, 37 (*Archiv* VI p. 107); Ryl. 154, 15: ὑδραγωγὸς δι' οὗ ποτίζεται ὁ κλῆρος. Nescio, quo iure definiat Grenfell, Pap. Tebt. II pag. 365: „*the larger canals are* διώρυγες, ... *smaller canals are* ὑδραγωγοί".

13) Cf. Corp. Rain. I pap. 1 lin. 8/9: διῶρυξ εἰς ἣν ἐκχεῖται ὁ κλῆρος — διῶρυξ, δι' ἧς ποτίζεται ὁ κλῆρος; Pap. Ryl. 154, 14. 18: διῶρυξ, δι' οὗ ἀποχεῖται ὁ κλῆρος — διῶρυξ εἰς (= καθ') ὃν εἰσχεῖται ὁ κλῆρος. Apud scriptores plerumque διὰ τῶν διωρύγων εἰσάγεται τὸ ὕδωρ (Herod. II § 149 (τὸ δὲ ὕδωρ .... κατὰ

Digitized by Google

γωγὸς [1]), nisi τῇ αὐτῇ διώρυγι .... τὸ πλεονάζον ἀποδίδοται [2]), tertia denique περιαγωγός [3]) — sed etiam sortium discernendarum causa intervenisse. Cui tamen obstat coniecturae, quod medias sortes interdum secabant quum novi [4]) aggeres tum veteres [5]), quorum εἰς ἐπιβολήν, id est, refectionem [6]) impendebatur, quum potius destruendi fuissent. Manet utique ipsa χωμάτων in occasum et septentrionem directio. Quam praeterea secuti dicebantur villarum conditores Danicarum [7]), cuius quidem negotii testis [8]) iamdudum in mendacio convictus est [9]), sed eo quodammodo compensatur error, quod convenit descriptio Saxonicis trans Albim coloniis [10]). Quid, quod in terra America hanc secuti sunt semper agrorum publicorum divisores [11]), urbium quoque nonnumquam conditores et in terra Australia quoque [12])?

διώρυχα ἐσῆκται); Strab. XVII 1 § 3 (ποτισθῆναί γῆν .... διὰ τῶν διωρύγων), § 7 (πληροῖ δὲ ταύτην (τὴν λίμνην) πολλαῖς διώρυξιν ὁ Νεῖλος), § 24, § 25, § 27) atque similiter P. Gizeh 67002 II 21/2 (ἔφραξε τὴν διώρυγα ... εἰς ἀβροχίαν κατέστησε τὸ πεδίον); Oxy. 1409, 17/9 (διώρυχας ἀνακαθαρθῆναι .... ἵνα .... τῶν ὑδάτων εἴσροιαν ὑποδέχοιντο); *Griech. Texte* 20, 17/8 (ἐὰν εἰσέλθῃ ὕδωρ εἰς τὴν ζώρυγα).

1) Genus fit species, ubi concurrunt (P. Oxy. 918 XI 17) εἰσαγωγὸς et διῶρυξ.

2) Strab. XVII 1 § 37 (ἡ δ' οὖν *M.* λίμνη .... τὸ πλεονάζον ἀποδ(ίδωσι) τῇ αὐτῇ διώρυγι).

3) P. Lond. 1897, 25 (*Archiv* VI p. 107).

4) P. Petrie III 37 (b) Ro. col. I lin. 2 (cf. col. II lin. 6/7).

5) Veluti P. Petrie III 37 (a) col. II lin. 17/8.

6) *BGU* 1116, 13 (τῶν δημοσίων ὀχετῶν); P. Gizeh 10874 (Thead. 5) lin. 11. De novis aggeribus efficiendis utitur hoc vocabulo Iosephus, B. Iud. VII § 304, de substructionibus id. ibid. V § 189 (ia. § 190), de historia Diod. Sic. lib. 40 fr. 7.

7) Maurer, *Einleitung* etc. (1854) p. 18: „*nach einem alten Herkommen gehörten zu jedem alt-dänischen Dorfe vier Feldwege, welche nach den vier Himmelsgegenden gerichtet .... den innern Dorfraum .... durchschitten.*"

8) Olufsen.

9) Meitzen, *Siedel. und Agrarw.* I p. 23.

10) Pergit (Meitzen I p. 23): „*wohl aber stimmt das Bild ... mit den üblichen Umgestaltungen .... sowie mit den meisten neuen Anlagen überein, welche seit dem 12. Jahrhundert von deutschen Kolonisten .... östlich der Elbe .... ausgeführt worden sind*" Adstipulatur Schlüter, *Ztschr. der Ges. für Erdk. zu Berlin* 34 (1899) p. 450.

11) Reclus, *Nouv. géogr. univ.* XVI (1892) p. 703: „*Tous ces quadrilatères sont parfaitement orientés et chacune de leurs faces regarde l'un des points cardinaux*"; Schulten, *Abhandl. der Ges. der W. zu Gött.* II 7 (1898) p. 72; id. *Bull. archéol.* 1902 p. 129 (laudat utrubique Gulielmum Roscher, *Kolonien* (1856) p. 305). Cf. praeterea H. Verloren van Themaat, *Eene studie over het grondbezit in de V. S.* Diss. Leid. 1912 p. 83.

12) Hassert, *die Städte* (1907) p. 104.

Digitized by Google

Veluti tota sic directa est *Chicago* [1]) et Philadelphia [2]) et intercurrentibus velut ex puncto circuli radiis *Washington* [3]) et Novi Eboraci pars praecipua [4]) quin ad amussim [5]) mentiente sagitta Caroli Baedeker [6]) et *Savannah* [7]) et *Goldfield*, Nev. [8]) et ex parte *Baltimore* [9]) Cincinnatique [10]). Potest autem interdum dubium esse, utrum in occasum et septentrionem directum sit, vel ideo, quia non semper ad amussim directum est, vel ideo quia possunt, qui direxerunt, secuti esse non verum ortum sed *mobilem* [11]), id est, eius diei. Eo quippe modo („*in empirischer Weise*") dicere temptat Helbig [12]) directa esse castella quasi lacustria, quibus hodie nomen est *terremare*, de quibus supra dictum est, quorum in tot exemplis semel omnino directio cum coeli ratione prorsus congruit [13]). Eodem modo ad occidentem solem observat Erdmann [14]) posse quem defendere Alexandriam directam esse [15]), ubi, quum declinet fide astronomi, quem consului, ab occidente vero occidens hibernus vel aestivus 28 μοίραις, quos hodie appellant gradus [16]), ipsae, quas indagavit

---

1) Reclus, op. cit. XVI p. 416 med.

2) Encyclop. Britann. XVIII (1885) p. 737; Ratzel, *Städte- und Culturbilder* I (1876) p. 201.

3) Encyclop. cit. XXIV (1888) p. 882; Ratzel, op. cit. I p. 236/7.

4) Brockhaus, *Convers.-Lex.* XII (1903) p. 300.

5) Encyclop. cit. XVII (1884) p. 459: „*due*".

6) *Nord-Amerika* (1904) *Pl.* 20 (cf. ibid. p. 5).

7) Ratzel, op. cit. II p. 48/9.

8) *Woche* 1909 (4) p. 156.

9) Meyer, *Convers.-Lex.* II (1903) p. 312. Formam sagittiferam exhibet Encyclop. Britann. III (1875) p. 298.

10) Encyclop. cit. V (1876) p. 783. — Sunt praeterea quam plurimae divisae normalibus urbes (Ratzel, op. cit. II p. 238: „*alle neuern*"), sed non utique directae secundum rationem (ibid. II p. 61),

11) Gromat. p. 31, 4—7 (Thulin 14, 14/7).

12) *Die Italiker in der Poebene* (1879) p. 11.

13) *Die Italiker* etc. p. 14.

14) *Zur Kunde der hellenistischen Städtegründungen* (1883) p. 19—22.

15) Non esse directam ad orientem solem constat (Erdmann, l.l.; Nissen, *Orientation* (1906) p 96).

16) Apud veterus *gradus* (Manil., Astronom. I 579) sive *scrupulus* (Peschel, *Gesch. der Erdk.* (1877) p 43 not. 2) sive ἑξηκοντὰς (Strab. II 5 § 7) sex constat μοίραις (Eudem. Rhod. fr. XCIV), quos hodie gradus vocant (Ptolem. I 7 § 1: *οἵων ἐστὶν ὁ .... κύκλος τξ'*; Censor., de die nat. 8 § 5: *particulae .... totius .... zodiaci numero* 360).

Digitized by Google

Mahmoud [1]), non plus declinant ab occidente versus meridiem prorsae, a septentrione versus occidentem transversae, 24 μείραις plateae [2]), ubi Numantia fuerat, vel minus [3]). Similis causa est Neapolis [4]) Carthaginisque [5]), ubi diximus partim ad mare directos partim litori ordinatos esse vicos, sed forte fortuna ipsum utrubique littus aut non multum recedit a meridiano circulo aut aequinoctiali quodammodo est ordinatum; esse videtur praeterea quum Augustoduni tum Taurinorum Augustae [6]), nec minus Piraeei [7]), quocirca fallit Wachsmuth, quum doceat [8]): tantum non ad amussim ibi directum esse. Quibus addi possunt quum alia exempla tum Solunti [9]). Dicitur etiam via Nolana, qui Pompejorum quasi decumanus sit, ad solstitialem ortum [10]) brumalem occasum, Sinarum caput *Peking* ad brumalem ortum [11]) solstitialem occasum esse directum. Quod autem diximus: limitibus antiquam divisionem caruisse, id non eo refellitur, quod post Wolfgangum Helbig [12]) quasi per manus traditur: in castellorum illorum quasi lacustrium ruderibus, quibus *terremare* nomen est, vestigia semel iterumque decumani vel cardinis vel decumani cardinisque cerni. Quam rem qui totam in dubium revocavit Pigorini [13]), post pro ea propugnare coepit inventis, ubi hodie *Castellazzo* vocatur, pontibus convenienter positis [14]), multo vero magis effossis ibi tandem solidi aggeris limitibus aequidistantibus in longitudinem cum ipso castello

---

1) Cf. praeterea Noack, *Athen. Mittheil* XXV (1900) p. 231—279.
2) Erdmann, op. cit. p. 20.
3) Dictum est supra.
4) Beloch, *Campanien* p. 67; Nissen, *Orientation* (1906) p. 108.
5) Barthel, *Bonner Jahrb.* CXX (1911) p. 112/3.
6) Nissen, *Orientation* (1906) p. 92 (*„nach den Plänen"*).
7) *Athen. Mittheil.* IX (1884) tab. VIII.
8) *Athen* II 1 (1890) p. 134.
9) *Bull. della comm. archeol. di Sicilia* 8 (1875) p. 4.
10) Nissen, *Orientation* (1906) p. 107.
11) Nissen, *Orientation* p. 90.
12) *Die Italiker in der Poebene* p. 60/1.
13) *Memorie (dei Lincei)* 8 VIII (1883) p. 304.
14) *Not. degli scavi* 1895 p. 123: *„la scoperta dei due ponti .... provandoci nel modo più evidente l'esistenza del* kardo *e del* decumanus .... *avvalora la notizia data molto tempo fa, ... che (nella terramara) di Bellanda .... si notarono le traccie di due strade, che partendo dal mezzo dei lati verrebbero ad incrociarsi nel centro"*.

Digitized by Google

decurrentibus, quos vocat cardines, tribus et horum perpendicularibus, quos decumanos vocat, quinque [1]), effosso praeterea, ubi hodie *Rovere* vocatur [2]), limitationis velut umbilico, adspecto denique cardine, ubi hodie vocatur *Montata* [3]). Est propemodum idem tractatus de arcibus horrendae vetustatis prope lacum Volsiniensem et Sabatinum superstitibus [4]), quorum mentionem supra fecimus. Ideo enim haec, etiamsi maxime aliquando, ut speramus, confirmabuntur, non tamen obstant quominus limitum usus in agris dividendis recens videatur, quia urbi quoque destinatus locus ante dividi solet — non fieri semper Romae post Gallorum recessum exemplo demonstratur [5]) — quam civibus aedificandi copia fiat [6]), estque ibi utilitas [7]) *vicos dirigendi* quam in agro limites evidentior. Nam urbs sine *spati(is) communibus* habitari non potest [8]); ager sine ullis spatiis potest, veluti vetere illo Germanorum instituto [9])

---

1) *Bull. di paletnol.* XXIII (1897) p. 59—61. Latus est cardo maximus metra Gallica 15, decumanus maximus eius dimidium. Reliqui cardines decumanique, quae latitudo in suo genere maximo cuique est, eius dimidium. A cardine ad cardinem sunt metra 50, decumanorum intervallum sescuplum. Ergo fiunt laterculi in modum strigarum.

2) *Not. degli scavi* 1896 p. 60.

3) *Bull. di paletnol.* XXIV (1898) p. 300 = *Not. degli scavi* 1900 p. 123[1].

4) „*Si può supporre che l'abitato fosse diviso con le linee del cardine e del decumano; perocchè gli ingressi* (intelligit a porta ad portam rigores) *per quanto è possibile riconoscere ...., erano orientati*" *(Monum. (dei Lincei)* IV (1894) p. 43. Cf. ibid. p. 109, p. 111). Ex coniecturali fit certum *Bullett. di paletnol.* XXIV (1898) p. 49/50. Eodem modo de *Tell-el-Dschudeide* divinat Thiersch, *Archaeol. Anz.* 1908 p. 389.

5) Liv. V 55 § 4; Tac., Ann. XV 43. — Dividebat nihilominus, ut dictum est supra, dextra laevaque urbem vetus Sacra via, cuius ad Vestae perpendicularis cernitur.

6) Cf. Brockhaus, *Convers.-Lex.* II (1892) v. *Bebauungsplan.* — Hoc modo post incendium aedificandum curavit Nero *dimensis vicorum ordinibus et latis viarum spatiis* (Tac. Ann. XV 43) quin ἐξ ὀρθογωνίου: *Not. degli scavi* 1917 fasc. 1 (p. 9 et *Pianta*).

7) Limites institutos esse propter religionem et utilitatem, putat Meitzen, *Siedelung* etc. I (1895) p. 304/5. Sed non ita est, ad religionem enim pertinet sola secundum coeli rationem directio, quae ipso limitum usu antiquior est: Gromat. p. 169, 14 (Thulin 134, 15) iis. p. 3 lin. 2—5 (Thulin 1 lin. 10/2); p. 110, 1/3 (= p. 3, 12/5 = Thulin 53, 21/3); p. 207, 1/2 (Thulin 170, 1/2).

8) Cic. de Rep. I 26 § 41.

9) Fuit etiam Platoni cognita res et probata: Leg. VIII 10 (Partsch, *Archiv für Papyrusf.* VI p. 52). Legem fert idem περὶ ... συγκομιδῆς τῶν ὁραίων: ἐξέστω τῷ βουλομένῳ τ(ὰ) ἑαυτοῦ διὰ παντὸς τόπου κομίζεσθαι, ὅπηπερ κτλ. (VIII 11).

Digitized by Google

per communem sationum messiumque observationem [1]) („*Flurzwang*"); sin ea removebitur, sufficient *vicinales viae,.... ut unusquisque possit ad particulas suas iure pervenire* [2]), multo igitur magis ad integra scamna. Cuius rei ex ipsa illa vetere Germania speciem adfert Meitzen [3]); Romae certe anno urbis 448 (ante Chr. 306) a censoribus *via(s) per agros publica impensa facta(s)* traditur [4]). Atqui urbium divisionis, quam *ῥυμοτομίαν* appellant Polybius [5]), Diodorus [6]), Strabo [7]), Dicaearchus [8]), *limitationem* autem Nissen [9]), Beloch [10]), Brizio [11]), Schulten [12]), quod hodie potest defendi [13]) *K(ardinis)* Arausionensis exemplo, de quo dicetur infra, alioquin auctores nostri nullos noverunt limites nisi vinearum [14]) vel agrorum [15]), — urbium igitur divisionis [16]), quamquam in ea re cautione opus

---

Cf. Inscr. Gortyn. (Kohler et Ziebarth, *Stadtrecht* p. 35 no. 4): *αἰ μὴ κτέ., δὶ' ἀλλότριον κορίον νέκυν πέρονσι ἅπατον ἥμεν.*

1) Meitzen, *Siedelung* etc. I p. 305.

2) Gromat. p. 152 lin. 5—10 (Thulin 116, 6—11).

3) Op. cit. I p. 427: *„wie das Kartenbild zeigt, sind alle einzelne Parzellen im Heiteren.... durch Feldwege zugänglich gemacht"*. Idem factum docet *„auf allen Nachbarfluren bis auf weite Entfernung hin"*. Quando, tunc iguorabat *(„zu irgend einer Zeit")*, sed hodie constat factum saeculo sexto decimo (Hammer, *Ztschr. für Vermessungswesen* 41 (1912) p. 958/61).

4) Liv. IX 43 § 25.

5) VI 31 § 10.

6) XVII 52.

7) XII 4 § 7; XIV 1 § 37.

8) Fr. 59 § 12 (Fr. histor. II p. 258), sed § 1 (ibid. p. 254) porrigit appellationem ad promiscue aedificata, quum doceat Athenas esse *κακῶς ἐῤῥυμοτομημέν(ας) διὰ τὴν ἀρχαιότητα.* Cf. de Taxilis Philostr. vit. Apollon. II 23: *ἀτάκτως τε καὶ Ἀττικῶς τοὺς στενώπους τέτμηται.* Atticae illius *ῥυμοτομίας* partem, quae cernitur, exhibet Judeich, *Topogr. von Athen* (1905) fig. 32 (p. 260).

9) *Das templum* (1869) p. 73.

10) *Bull. dell' istit. di corr. archeol.* 1877 p. 9.

11) *Monumenti (dei Lincei)* I (1889) p. 278 (ia. p. 290).

12) *Abhandl. der Ges. der W. zu Göttingen* II 7 (1898) p. 6.

13) Invitus concedit Haverfield, *Ancient town-planning* (1913) p. 73.

14) Plin., Hist. nat. XVII § 169.

15) Plin., Hist. nat. XVIII § 326, 327, 331, 333; Gromat. passim.

16) Normalibus utique non radiis (Schreiber, *Festschr. für Kiepert* (1898) p. 340: *„ein fächerförmiges Strassennetz.... scheint im Alterthum nie(e) angewandt... zu sein"*). Erat quidem res cognita (Aristoph., Av. 1005/9), quin putat Haverfield, *Ancient town-planning* (1913), Rhodum sic fuisse divisam (p. 14, p. 31) Mytilenenque (p. 49), Mantineam Fougères, *Mantinée* (1898) p. 162/64. Extare denique dicitur prope Agrigentum, ubi hodie dicitur *Cannatello* praehistoricum exemplum

Digitized by Google

est, maxime, ubi habitari perseverat, quia medio quoque aevo et nostro urbes divisae sunt [1]), quin ex integro, ut patrum memoria Florentia [2]), quocirca cauti simus recte monet Haverfield [3]), qui an ipse sibi semper caverit [4]), nescio: ergo urbium divisionis vestigia cernuntur passim velut, ubi hodie vocant Aegyptii *Kahun*, cuius supra mentionem fecimus, et item *Tell-el-amarna* [5]), quod aliquando caput fuit, sed conditoris odio cito desertum est [6]), habet autem kardinem flumini ordinatum [7]) et ad huius anfractus se flectentem [8]), prorsos limites illius ubique perpendiculares; quod similiter factum videtur Palmyrae [9]), non ad cursum fluminis, ut illic, flexo cardine sed, quia

(*Archaeol. Anz.* 1909 p. 134), qua de re cf. potius *Monumenti (dei Lincei)* XVIII (1907) p. 629/32, p. 640.

1) Haverfield, *Transactions of the town planning conference* 1910 p. 129 *(„it is quite possible for roads to cross at right angles without being Roman* etc."). De medio aevo cf. e. g. Schlüter, *Ztschr. der Ges. für Erdk. zu Berlin* 34 (1899) p. 450, 452, 453; Brinckmann, *Transactions* cit. p. 174, p. 175; Haverfield, *Ancient town-planning* p. 84, 143/4.

2) Haverfield, *Ancient town-planning* (1913) p. 92: *„a generation ago"*.

3) *Ancient town-planning* p. 32/3: *„it does not follow, when we find streets in .... an ancient city, that they must belong to its earliest period"*; p. 84: *„it would be rash to assume a Roman origin for an Italian town simply because it streets are old and their plan rectangular"*. De Italia nominatim excipit, quod extra Italiam nullam urbem, quae sub Romanis steterit, in modum divisae nunc habitari putat praeter Singidunum et Bracaram (ibid. p. 103/4). Quidni igitur ibi cautione opus sit? Opus esse demonstrat Singidinum, quod dividi coepit post 1861 (Kanitz, *Serbien* (1868) p. 435, 436 et *Karte*).

4) Op. cit. p. 84/5 *(Italian town-plans)*. In reliqua operis parte abunde sibi prospexit.

5) Prisse, *Hist. de l'art égyptien* (1879) p. 234: *„ancienne* Psinaula". Sed cf. ibid. p. 371: *„ville qu'on croyait représenter l'ancienne* Psinaula".

6) Divisam dixerunt Prisse, *Hist.* cit. (1879) p. 371; Hirschfeld, *Ztschr. der Ges. für Erdk. zu Berlin* XXV (1890) p. 283 ima. Formam exhibet Lepsius, *Denkmäler* P. I tab. 64 (1849); eandem Prisse, *Hist.* cit., *Atlas* (1878) tab. (38). Veteris regni urbem hanc esse solam, cuius supersint rudera ἀξιόλογα, docet etiam Ed. Meyer, *Gesch. des alten Aegyptens* (1887) p. 265[2]. Accesserunt interim occupatae similior quam divisae Naucratis (Petrie, *Naukratis* I (1886) *pl.* 40, 41; II *pl.* 4), ubi Graecorum colonia fuit, atque (1890) *Kahun*.

7) Perrot-Chipiez, *Hist. de l'art dans l'antiquité* I (1882) p. 480: *„parallèle au fleuve"*. Pertinere dixerat Prisse (p. 371) a septentrione ad meridianum, qui, ubi minus divertit, id est, antequam se occidentem versus flectit, secundum formam declinare videtur 20 vel 30 particulas, quos nos vocamus *gradus*.

8) Luckhard, *das Privathaus*, Diss. Bonn. 1914 p. 13[2]: *„die Längsachse ... ist* [mehrmals] *gebrochen, was durch den Nillauf bedingt wird; aber (die) Nebenstrassen ... stossen auf die Theilachsen rechtwinklig"*.

9) Cassas, *Voyage pittoresque* vol. I tab. 26 et 53.

Digitized by Google

nisi per anfractus ab aede Solis ad templum Neptuni, quae varios exitus claudebant, frontibus dissidentibus perveniri non poterat [1]); nec minus cernitur divisio Augustae Taurinorum et Praetoriae et in agro Samnite Saepini et in illis Campaniae urbibus [2]) et prope Bononiam Tusca et Siciliensibus et Cauloniae et colonia Carthagine et ubi fuerat Numantia et Lusitanorum Nabantiae et Ubiorum Agrippinae et Britannorum Callevae, Acarnanum Palaeri, et in Asia Prienae, Sagalassi, Cremnae, et ad Orontem Apameae et trans Jordanem Gerasae et in litore Ponti Olbiae, de quibus omnibus iam dictum est, atque praeterea magnae Alexandriae [3]), et sub Traiano vel Hadriano velut a stirpibus renatae Ostiae [4]) et Norbae [5]) et Aquileiae [6]) et Emonae [7]) et Viminacii [8]) et, Limitis castellis qui subcrevere vici, in eorum plerisque [9]) et Emporiis, quae pars

---

1) Cassas, *Explic. provis.* fascic. 5.

2) Atqui Dicaearchiae, Surrenti solum vestigium est hodierna divisio, quod quam sit anceps, interim didicimus. Neapoli etiam antiqua viarum strata subveniunt (Beloch, *Campanien* p. 67) et item Augustae Taurinorum (Nissen, *Rh. Mus.* XXV (1870) p. 419; id., *Landesk.* II p. 165; d'Andrade, *Not. degli scavi* 1902 p. 278; Haverfield, *Ancient town-planning* p. 86).

3) Authenticam formam, quam parvi pendit Haverfield, *Ancient town-planning* p. 47, exhibet Erdmann, *zur Kunde der hellenistischen Städtegründungen* (1883) et item Pauly, *Real-encyclop.* I (1894) p. 1379/80.

4) Lanciani, *Transactions of the town planning conference* 1910 p. 178; Hülsen, *Internat. Monatsschr.* VII (1913) p. 1418/9 (cum forma). Quem vocant decumanum, Romam spectat (Hülsen p. 1418: „*(ist) direkte Fortsetzung der* .... via Ostiensis"), quod Capuae non contigit (Beloch, *Campanien* (1879) p. 344/5). Apparent etiam oblique ductae viae ut Norbae, Ubiorum Agrippinae, Apameae, Gerasae. Cf. praeterea *Not. degli scavi* 1911 p. 281; 1912 p. 441; 1913 p. 12, 122, 395, 399; 1914 p. 245; 1916 p. 428/9; 1917 p. 314, *Monumenti (dei Lincei)* XXIII (1914) *Tempietti, tav.* I—II, *Preminenza, tav.* I—III; atque de pristina Ostia: *Not.* cit. 1914 p. 426/9.

5) *Monumenti dell' ist. di corr. archeol.* I tab. 2. Vici spectant partim inter occidentem et septentrionem, partim inter septentrionem et orientem.

6) Maionica, *Fundkarte von* A. (1893) p. 50 (et adiecta forma).

7) Haverfield, *Ancient town-planning* p. 116 (cum forma).

8) Jirecek, *die Heerstrasse* etc. (1877) p. 15: „*noch sieht man die Spuren von .... im rechten Winkel sich kreuzenden Strassen*". Eundem praebet adspectum *Kladrup* (Kanitz, *Donaubulgarien* I (1882) p. 100/1).

9) G. Wolff, (25) *Heldenbergen* (fasc. 13) p. 8: „*nach dem regelmässigen Bauplan .... wie .... üblich*". Est exemplo (53) *Neckarburken* (fasc. 9) (p. 19). Sed non ubique servabatur, veluti nulla cura fuit dividendi, ubi hodie dicitur (73) *Pfünz* (fasc. 14) (p. 9).

Digitized by Google

Romana potius quam Graeca fuit [1]) et Augustoduni [2]) et Trevererorum Augustae [3]) et in Britannia Ventae [4]), Numidia Thamugadi [5]) Thibili [6]), Graecorum partibus Sicyone [7]) Mileti [8]) Cnidi [9]) Olbae [10]) Cyrenae [11]), quam quidem habitavit secunda aetas [12]) et hinc propagatis Ptolemaide [13]) Tauchirisque [14]) et trans Jordanem Bostris [15]) Romanorum colonia, et citra Taurum Pergami, quae pars urbis in radicibus montis sub Romanis aedificata est [16]), nam Attalorum urbe occupatae nihil similius [17]), et ad Maeandrum Hierapoli [18]), quae item sub Romanis

---

1) Haverfield, op. cit. p. 117 not. 1 (p. 118).

2) Fontenay, *Autun et ses monuments* (1889) p. 49/50. Nihil addit Haverfield, *Ancient town-planning* (1913) p. 123.

3) *Die Denkmalspflege* VI (1904) p. 127; *Transactions* cit. 1910 p. 131; Koepp, *die Roemer in D.* (1912) p. 132/3; Haverfield, *Ancient town-planning* (1913) p. 124/6.

4) *Transactions* cit. 1910 p. 128/9; Archaeologia (Oxon.) 62 (1910) *pl.* LXIV; Haverfield, *Ancient town-planning* (1913) p. 133 (fig. 33).

5) *Bonner Jahrb.* CXX (1911) p. 102; Haverfield, op. cit. (1913) p. 109 (fig. 22).

6) *Archaeol. Anz.* 1909 p. 220.

7) *Expéd. scient. de Morée. Archit.* III (1838) *pl.* 81. Vicorum quod cernitur, non multum declinat a coeli ratione, si sagittae fides. De fastis vid. quum ibi pag. 39 („*ruine romaine*"), tum qui Macedonibus potius quam Romanis divisionem tribuit Haverfield, op. cit. (1913) p. 48/9.

8) *Archaeol. Anz.* 1911 p. 421/2, unde repetivit Haverfield, op. cit. (1913) p. 45. De tempore videbimus infra.

9) Newton, *Hist. of discov. at* Halic. etc. (1863) p. 368/9 cum tab. 50; Hirschfeld, *Ztschr. der Ges. für Erdk. zu Berlin* XXV (1890) p. 297/8.

10) Forma extat: *Archaeol. Anz.* 1909 p. 432/3 (*Abb.* 1).

11) Divisionis vestigia nulla exhibet forma, quam signavit Pacho, *Voyage dans la Marmarique* (1827), sed manifesta, quam Beechey, *Proceedings* etc. *to explore the northern coast of* Africa (1828) (ad cap. XV), et huic simillima, quam ediderunt Smith et Porcher, *Discoveries at* Cyrene (1864) tab. 40, unde repetivit Studniczka, *Kyrene* (1890) p. 167, et item Haverfield, *Ancient town-planning* (1913) p. 35 (fig. 4).

12) Studniczka, l. l.: „*d(ie) Diadochen und Römerzeit*". Meram ignorantiam profitetur Haverfield, l. l.

13) Formam exhibet Beechey, op. cit. (ad cap. XII).

14) Beechey, op. cit. p. 375. Adiecit formam (ad cap. XII). Cf. quidem p. 367: „*the town .... is scarcely more than a heap of confused ruins*"; Pacho, op. cit. p. 184: „*l'intérieur de la ville ne présente que de confuses agglomérations de débris*".

15) Haverfield, *Ancient town-planning* p. 136 (fig. 34).

16) Huic destinatur *Alterthümer von* P. vol. VI. Interim vid. *Athen. Mittheil.* XXXV (1910) p. 385.

17) Conze, *Alterthümer* cit. I (1912) p. 156: „*Strassen ... waren spärlich in* P., *wir kennen bisher nur eine, sonst Gässchen und Treppenzüge*" et p. 216: „*auch diese Hauptstrasse (ist) ... durch die Terrainbildung ... vorgezeichnet und nicht (etwa) trassiert*".

18) Humann, Cichorius cet., *Alterthümer von* Hierap. (1898) p. 7.

Digitized by Google

non ante secundum a Christo saeculum est condita ex integro [1]). Arausionis denique *K(ardinem)* vetus forma servat [2]), quocirca fit verisimile urbem fuisse divisam [3]). Incerta magis res est de Bononia, Brixia, Como, Mutina, Parma, Placentia, Ticino, Verona [4]), Mediolanio [5]), Florentia [6]), Luca [7]), Tarquiniis [8]), Faleriis novis [9]), Ardea [10]), Arimino [11]), Venetorum Concordia [12]), Lindo [13]), Epheso [14]) ne illa quidem vetere sed cuius conditor Lysimachus [15]), Thessalonica [16]), Gamala [17]). Nam Paestum [18])

---

1) Op. cit. p. 6. Addunt: *„die aeltere Stadt soll durch ein Erdbeben zerstört . . . sein."*

2) Bruns, font. (1909) no. 142. Cf. Schulten, Herm. 41 (1906) p. 41.

3) Divisionis vestigia superesse negat Haverfield, *Ancient town-planning* p. 108. Ex diverso Schulten, Herm. 41 (1906) p. 5, colligit inde directionem secundum coeli rationem (*„noch im heutigen Orange (haben) viele Strassen südnördliche und ostwestliche Richtung. S. den Plan im Guide Joanne"*).

4) Earum urbium hodiernam divisionem pro antiqua habet Haverfield, *Ancient town-planning* (1913) p. 85. Bononiae quidem antiqua pavimenta passim cerni, auctor est Grenier, *Bologne villanovienne* etc. (1912) p. 37[2] (*„on a retrouvé de nombreux tronçons de rues Romaines"*), qui testimonium denuntiat Zannonio *(Arc. Abitazioni* (1907) p. 75 sqq.), quem propter bella inspicere non potui.

5) Cf. Haverfield, op. cit. p. 85[1].

6) *Transactions town-planning conference* 1910 p. 125; *„as a map of* 1427 *shows"*. Cf. Haverfield, *Ancient town-planning* p. 92.

7) Divisionem pristinam agnoscit Nissen, *Landesk.* II p. 288, *„in dem (heutigen) Grundplan"*. Adstipulatur Haverfield, *Ancient town-planning* p. 95/6 (cum forma).

8) *Not. degli scavi* 1885 (*Dicembre*) ia. Nissen, *Landesk.* II p. 329[4].

9) Haverfield, op. cit. p. 68 not. 2 (p. 69).

10) Vid. forma: *Not. degli scavi* 1900 p. 62 (et p. 53) cum textu (p. 54).

11) Tonini, *Rimini* I (1848) p. 187/8 (cum tabula).

12) Cf. *Not. degli scavi* 1880 *(Novembre)* cum tab. I. Confidenter eam cum divisis numerat Brizio, *Monumenti (dei Lincei)* I p. 288, quamquam forma expressa est ad memoriam unius operarii.

13) Haverfield, *Ancient town-planning* p. 117 (fig. 26), 118, 143.

14) Inventae sunt tres plateae aequinoctiali fere circulo ordinatae *(Forschungen in* E. I (1906) p. 64; *Jahreshefte* VII (1904) *Beibl.* p. 38, p. 46, quae quidem omnia ita scripta sunt, quasi id unum referret, ne possent intelligi). De una tantum platea narrat Sartiaux, *Villes mortes* (1911) p. 97 ima.

15) *Forschungen in* E. I. (1906) p. 10, p. 87 sqq.

16) Hodiernam divisionem pro antiqua habet Tafrali, *Topographie de Th., Thèse complém. Paris. Lettres* 1912 p. 121.

17) Buckingham, *Travels in Palestine* (1821) p. 418: *„a noble street ran through the whole length of the city"*.

18) Inter divivas numerat Brizio, *Monumenti (dei Lincei)* I p. 291, fide Iulii Beloch (*Bull. di corr. arch.* 1877 p. 10), mihi qui comiter rescripsit percontato: *„ich (habe) das nur aus der Lage der 4 Thore erschlossen"*. Sed denuntiat Grenier, *Bologne* etc. (1912) p. 95[3], testimonium Henrico Nissen, *Landesk.* II p. 892[4], Nissen Gallico auctori Delagardette, *les ruines de* P. (1840), cuius propter bella

Digitized by Google

et Delos [1]) et Thera et Assos [2]) et praehistorica Melos [3]) et Iudaeorum Marissa [4]) vestigium divisionis praebent nullum; haud magis Arsinoe [5]), ac ne Pompeji quidem inter divisas urbes numerandi sunt [6]), etiamsi constet regionem unam [7]) alteramve [8]) solemniter fuisse divisam [9]) et ne normalibus quidem [10]), quo laborat item vitio Antinoes divisionis quod superest [11]). Alexandriam divisam fuisse, etiam auctores [12]) memoriae tradiderunt, quibus debetur similis notitia de Pi-

---

non potui inspicere nisi pristinam editionem (anni VII), Ergo quodammodo consolatur me, quod Meyer, *Convers.-lex.* XV 1906) p. 493, esse docet „*ein neuer Abdruck*" nec praeterea quidquam.

1) Formae extant in *Bull. de corr. hell.* XXX (1906) tab. IX et in *Comptes-rendus de l'acad. des inscr.* 1908 p. 162/3 et apud Carolum Baedeker, *Grèce* (1910) p. 248/9. Est nihilominus qui divisam contendat. Quamquam praecavit Jardé, *Bull.* cit. XXX p. 633 (et p. 664).

2) Inter divisas numerat utramque urbem Michaelis, *die archaeol. Entdeck. des XIX Jahrh.* (1906) p. 170, et refellitur ipsis formis, quas Hillero debemus („Thera") Clarkioque („*Investigations at* A."). Illam repetivit Baedeker, *Grèce* (1910) p. 262/3.

3) Inter divisas referunt, qui effoderunt *(Journal of hell. studies. Supplem. paper 4. Excavations at Phylakopi* (1904) p 26, 39, 50) quin immo vicos in septentrionem et occasum directos esse docent paene ad amussim (p. 39: „*almost due*"). Qui suismet iacent formis.

4) *Archaeol. Anz.* 1908 p. 392/3 (*Abb.* 14). Cf. ibid. p. 399: „*in die Augen springt .... der einheitliche Zug*". Sed concedat Thiersch necesse est: sine ulla quidem norma rectoque angulo.

5) *Ztschr. der Ges. für Erdk. zu Berlin* XXII (1887) p. 73: „*unentwirrbar ... verschlungene Gässchen ... machen jede Orientierung unmöglich*".

6) Cavillatur Michaelis, *archaeol Entdeck.* cit. 170/1. Cf. Hülsen, *Intern. Monatschr.* VII (1913) p. 1432/3; Haverfield, *Ancient town-planning* (1913) p. 64 sqq.; Sogliano, *Not. degli scavi* 1906 p. 153/4; Mau, *Führer durch* P. (1903) p. 4 (cum tabulis); Weichardt, *Pompeji* (1897) p. 13 (fig. 11); Brizio, *Monumenti (dei Lincei)* I (1889) p. 287, atque per se Nissen, *Orientation* (1906) p. 105/7; *Landesk.* II (1902) p. 763 („*der Plan ist durchaus einheitlich*"), p. 759 („*geflickt wie* P."), *Pompej. Studien* (1877) p. 579/80; 585/7; *das* Templum (1869) p. 63—70.

7) Schulten, Herm. 41 (1906) p. 4: „*die sechste Region (ist) in Rechtecke getheilt*". Sunt revera parallelogramma communia.

8) Primam et nonam habere observat Brizio (p. 287 cit.) *quasi* quadratas insularum formas, id est, ex rhomborum genere.

9) Ita prudenter sentit Brizio (p. 287 cit.).

10) Hülsen (l.l.): „*ein ... rechteckiger Häuserblock ist in ganz* P. *kaum vorhanden*"; Haverfield (l.l.): „*there is hardly a right angle ... at any street corner*".

11) *Description de l'Egypte. Antiquités* IV *pl.* 53. Apparet ibi una prorsa et viae transversae duae ordinatae. Docet nihilominus Wilcken, *Grundzüge* (1912) p. 50 lin. 4 normalibus („*rechtwinklig*") fuisse divisam. Quem sequitur Haverfield, *Ancient town-planning* p. 135.

12) Diod Sic. XVII 52; Strabo XVII 1 § 8.

Digitized by Google

raeeo [1]), Thuriis [2]), Nicaea [3]), Caesarea Herodis [4]), Antiochia [5]), colonia Carthagine [6]), Rhodo [7]), Messene [8]), Achradina [9]), Mytilene [10]), Thebis [11]), Admedera [12]) et fortasse Smyrna [13]), Tarento [14]); nam de Sicyone merus error est clarissimi Haverfield [15]). Sed Piraeeum quidem κατέτεμεν Hippodamus Milesius The-

---

1) Testimonia dabuntur statim. De vestigiis cf. Fabricius, *Pauly's Real-encycl.* VIII (1913) p. 1732 lin. 43—54; Judeich, *Topogr. von Athen* (*Iwan Müller's Handb.* III 2, 2) (1905) p. 378/9; Angelopulos, περὶ Πειραιῶς (1898) quem librum nec illi videntur inspexisse nec propter bellum ego potui; Curtius et Kaupert, *Karten von Attika* I (1881) p. 43 (Milchhöfer) § 38: „*(es) zeigen sich den heutigen Strassen parallele Mauerzüge*". Plane. quam invenit viam Dörpfeld, *Ath. Mitth.* IX (1884) p. 281, ea declinat 4 μοῖραις, quos hodie vocant gradus. Cf. etiam Curtius et Kaupert, op. cit. § 36. 4 („*abweichende Orientierung* (*eines Hauses*)") et (p. 65) not. 27 (Kaupert) i. f.: „*im südwesten des Hafens Zea und im Osten der Akte reihen sich Stadttheile, deren Strassenrichtungen* (*nach den . . . antiken Grundmauerresten*) *abweichend von der Hauptanlage sind*", contra quam putabat G. Hirschfeld, *Berichte* (*Leipzig*) 30 (1878) p. 7/8. — Add., cui sine teste nihil credendum, Michaelis, *die archaeol. Entdeck.* etc. (1906) p. 170: „*bei der Neugründung . . . . seit den vierziger Jahren brauchte man nur dem ueberall noch zu Tage tretenden Strassennetze des Hippodamos zu folgen*".

2) Diod. Sic. XII 10 § 7. Rudera sunt οὐκ ἀξιόλογα, ne ulla quidem veteris Sybaris, praeter busta (*Timpe*). Cf. *Not. degli scavi* 1879 tab. V.

3) Strabo XII 4 § 7; Geegr. lat. min. (ed. Riese) p. 117 lin. 12—15 (= Expos. totius mundi § 49).

4) Joseph., Antiq, XV § 331; B. Iud. I § 414.

5) Laudabamus modo Libanium.

6) Geogr. lat. min. (ed. Riese) p. 123 lin. 5/6 et (infra lineam) 6/9 (= Expos. totius mundi § 61).

7) Cf. Strab. XIV 2 § 9 (Erdmann, Philol. 42 p. 202); Aristid. (Dind.) I p. 799 (Erdmann, Philol. 42 p. 219). Vestigium aliquod cernere sibi visus est Erdmann, Philol. 42 p. 223.

8) Cf. Pausan. IV 27 § 3 (Erdmann, Philol. 42 p. 218).

9) Accus. VI 53 § 119 (Lupus, *Syrakus im Alterthum* (1887) p. 30).

10) Cf. Vitruv. I 6 § 1.

11) Dicaearch. Mess. fr. 59 § 12 (Fr. histor. II 258).

12) Gromat. p. 180 (Thulin 144). Cf. *Archaeol. Anz.* 1900 p 76.

13) Strabo XIV 1 § 37 (ἔστι δ' ἡ ξυμοτομία διάφορος ἐπ' εὐθείαν, sed addit: εἰς δύναμιν); Aristid. (Dind.) I p. 374 (Hirschfeld, *Berichte* (*Leipzig*) 30 (1878) p. 11 not. 52).

14) Liv. XXV 11 (*satis latae viae patent in omnes partes*). Cf. praeterea *Not. degli scavi* 1881 (*Dicembre*) tab. II; *Journal of hell. studies* VII (1886) p. 4, ubi Tarentinae urbis rara vestigia in modum formae illustrantur. Add. *Not. degli scavi* 1883 (*Maggio*). Hodierna quidem urbs, quae arcis locum occupat, ad normam divisa esse dicitur (*Journal* cit. VII p. 1—3).

15) *Ancient town-planning* p. 48[2].

Digitized by Google

mistoclis vel Periclis aequalis [1]), quem praeterea putat Aristoteles [2]) τὴν τῶν πόλεων διχίρεσιν invenisse, quum possit aliunde mutuatus esse; licet enim falso creditum sit [3]) ipsam Babylonem divisam fuisse nec absurdum inde disciplinam ad Graecos manasse [4]) Italosque [5]), quae hodie abicienda est opinio, quia effossionibus factis iam constare coepit Babylonem occupatae instar urbis fuisse [6]), licet praeterea non, quod putabat Luckhard [7]), iustius utique quam civis ipsa civitas Milesia eam laudem pro sua sit vindicatura [8]), esse vel sic potest [9]) multo [10]) antiquius exemplum Selinus, ubi postea arx fuit [11]). Neapolis enim divisa

---

1) Cf. Curtius, *griech. Gesch.* II (1874) p. 313; Erdmann. Philol. 42 p. 193—204; Fabricius, *Pauly's Real-encycl.* VIII (1913) p. 1731, 1733.

2) Polit. II 5 (8) § 1. Cf. Phot., Hesych. et Anon. Bekkeri (p. 266) vv. Ἱπποδάμου et Ἱπποδαμεία.

3) Propter Herod. I § 178 et 180. Directam („*in den Himmelsrichtungen*") de suo adsperzit Stübben, *Städtebau* (1907) § 326 (p. 260). Qua de re cf. Koldewey, *Babylon* (1914) p. 236, 237.

4) Verba sunt Curtii, *griech. Gesch.* II (1874) p. 108/9: „*die Vorbilder orientalischer Städte, ... namentlich Babylon, wirkten ohne Zweifel darauf ein, das Hippodamos .... rechtwinklig abgeschnittene Stadtquartiere verlangte.*"

5) Nissen, *Pompej. Studien* (1877) p. 585: „*es mag sein, dass Babylon das eigentliche* (dicere voluisse eum *mittelbare*, apparet ibid. p. 584) *Vorbild .... der italischen Städte abgibt*". Eodem inclinat Beloch, *Bull. dell' istit. di corr. archeol.* 1877 p. 10. Brizio disciplinam nullo Graecorum interventu a Chaldaeis transfert ad Tuscos (*Monumenti (dei Lincei)* I (1883) p. 292/3), et item Grenier, *Bologne villanovienne* etc. (1912) p. 97/8.

6) Koldewey, *Babylon* (1914) p. 235/6 (*Abb.* 155). Reliquas Chaldaeorum urbes, quatenus sint effossae, vel minus divisarum instar („*beträchtlich unregelmässiger .... als die .... Metropole*") esse, dicit idem ibid. p. 236/7.

7) *Das Privathaus*, Diss. Bonn. 1914 p. 11: „(*Hippodamos*), *dessen Vaterstadt schon ein Bild .... rechtwinkliger Strassenzüge bot*".

8) Interfuisse Hippodamum Mileti divisioni, opinio est Felicis Sartiaux, *Villes mortes* (1911) p. 173. Diu post Hippodamum divisam censent Schede, *Archaeol. Anz.* 1911 p. 422; Wiegand, *Abhandl. Berl. Akad.* 1911, *Anh.* I p. 12; Haverfield, *Ancient town-planning* (1913) p. 46.

9) Esse contendit Duhn, *prähistor. Ztschr.* V (1913) p. 482; posse fatetur Haverfield, op. cit. p. 33.

10) Nam conditus est Selinus annis 130 ante prioris Mileti excidium aut non multo secus (Thucyd. VI 4 § 2; Curtius, *griech. Gesch.* I (1874) p. 428: ante Chr. 628).

11) Hoc quidem in dubium vocat Haverfield, op. cit. p. 33 („*in the so-called* acropolis"), ne sit necesse ad urbis cunabula rem referre. Ergo ad rem facit, quod Megarae Hyblaeae, unde Selinus propagatus est, quam delevit Gelo (Thucyd. VI 4 § 2) non post ante Chr. 478, invenit Orsi divisionis „*tracce deboli ma assai arcaiche*" (*Monumenti (dei Lincei)* XXIII (1914) p. 823/4).

Digitized by Google

quidem est, sed, quando sit condita, ignoratur; Paestum Tarentumque fuerintne divisa videndum est. Sane Italicarum et Siciliensium coloniarum opes qui cogitaverit, is profecto non mirabitur, cur fuerint ibi urbes magnificentius conditae quam in illa vetere Graecia [1]). Quocirca, licet sit apud Italiae populos dividendarum urbium ritus valde antiquus, nihil tamen obsit, quominus a Graecis mutuati sint Itali [2]), nisi iam, quod vix dubitari potest, constet [3]) de divisione castellorum illorum quasi lacustrium, quibus *terremare* hodie nomen esse diximus, quorum conditores non videntur priscis illis Achaeis, Mycenarum et Tirynthis dominis [4]), multum debere [5]). Non constet: potest quis vel sic negare a Graecis sumpsisse Italos, quin negabat aliquando Nissen [6]), necdum de castellis illis fama percrebruerat. Qui mutavit postea in contrarium sententiam [7]) et ne tum quidem ad priorem rediit, quum constare ipsi coepit de divisione saepe a me dictorum castellorum, sed in medio quasi itinere substitit. Ultimo enim dixit: ipsam quidem divisionem Italos invenisse [8]), sed artem [9]) a Tuscis sumpsisse, a Graecis

---

1) Nissen, *Pompej. Studien* (1877) p. 583/4.

2) Duhn, *prähistor. Ztschr.* V (1913) p. 482: „*möglich ist es ja, dass das Beispiel der Griechen für die Etrusker eine Anregung gegeben hat*". Illisne, qui in proximo habebant exemplum, quod sequentur („*die .... überraschend regelmässigen Anlagen (der Pfahlbauern)*")?

3) Ita constare censent Nissen, *Landesk.* II (1902) p. 10; Haverfield, *Ancient town-planning* (1913) p. 58/60. Etiam Grenier, *Bologne villanovienne* etc. (1912) p. 57/8, de divisione contendere non audet, sed tantummodo (p. 58 not. 1) de directione. Quodsi non constet, argumento abstinendum, prudenter monet Helbig, *die Italiker* etc. p. 60/1.

4) Horum urbes fuisse divisas, neque negare in animo est neque affirmare. Quadratae certe non fuernnt.

5) Rem tractare coepit Ghirardini, *Bullet. di paletnol.* XXXIX (1914) p. 148/9.

6) *Das templum* (1869) p. 93/4.

7) *Pompej. Studien* (1877) p. 584: „*dass die (Städte der Italioten und Sikelioten) das unmittelbare Vorbild für die italische* urbs *abgegeben haben, wird vom Standpunkt universaler Geschichtsbetrachtung aus immer die wahrscheinlichste Annahme bleiben*". In eundem sensum disputat Beloch, *Bull. dell' istit. di corr. archaeol.* 1877 p. 9 (sed cf. ibid. p. 10).

8) *Landesk.* II (1902) p. 40, p. 45.

9) „*die wichtigsten Anregungen*" (p. 41 lin. 11). Apertius Haverfield, *Ancient town-planning* (1913) p. 72/3, 81/2: „*a stricter use of the rectangle*". Qui rem habebit cum clarissimo Lanciani, quo teste (*Transactions town planning conference* 1910 p. 178) castella illa semilacustria sunt divisa „*into squares much more exactly than any Greek ..., or .... Roman city*".

Digitized by Google

Tuscos [1]). Idem Haverfield, nisi de medio tollit Tuscos [2]), ut a Graecis recto didicerint Itali [3]). Ex diverso Graecis praeceptoribus Tuscos usos negant Brizio [4]), Grenier [5]), quibusquibus Helbig [6]); quin potius Tuscum [7]) secutos exemplar in Campania utique Graecos Valetonio sententia sedit [8]). Plane, quum apud Graecos Tuscos Poenos Aegyptios res occurrat, rectissime negat Eduardus Meyer [9]) Italorum propriam („*eine* [specifisch] *den Italikern (im engeren Sinne) eigenthümliche Anlage*") fuisse, sed absurde praemittit apud omnes istos populos, quae ab integro („*neu*") conderentur, urbes ex more („*in der Regel*") factas esse rectanguli ad instar parallelogrammi, lateribus directas esse, cardine decumanoque divisas esse, quod quum priscis illis temporibus tum posterioribus omnibus saeculis, ut in tanto numero, factum est raro, quum plerumque ipsa locorum natura et opportunitas obstarent [10]). Excitantis porro [11]) Vejos [12]), Caere [13]), ipsam denique Palatinam Romam plus quam singularis est audacia cum immani lectoris contemptu mixta. Prudentius multo iudicabat Abeken [14]): quod

---

1) *Landesk.* II p. 41 (cf. ibid. p. 48).

2) *Ancient town-planning* p. 62, p. 71.

3) Op. cit. p. 72/3, 81/2.

4) *Monumenti (dei Lincei)* I (1889) p. 292/3.

5) *Bologne villanovienne* etc. (1912) p. 97/8.

6) *Die Italiker* etc. (1879) p. 62.

7) Haverfield: non Tuscum, sed Italicum, et rudimentum potius quam exemplar (*Ancient town-planning* p. 102).

8) Mnemos. XXI (1893) p. 64.

9) *Gesch. des Alterthums* II (1893) p. 524.

10) Grenier, *Bologne villanovienne* etc. (1912) p. 94: „*quelles que fussent les préférences théoriques des Etrusques et alors même qu'ils étaient appelés à fonder une ville neuve sur un sol encore vierge, force leur était bien de prendre en considération les accidents naturels du terrain*". Eduardo adstipulatur nihilominus Duhn, *prähistor. Ztschr.* V (1913) p. 482: „*es (mag) richtig sein, dass etruskische Neuanlagen genau wie griechische und heutige Koloniatstädte nach festen Orientierungsnormen angelegt wurden*".

11) Meyer, op. cit. p. 715 (sed Palatinam Romam p. 524).

12) Cf. Dennis, *Cities* etc. I (1883) p. 3; Encycl. Britann. XXXII (1902) p. 288; *Not. degli scavi* 1913 p. 168.

13) Cf. Dennis, *Cities* etc. I (1883) p. 236; Nissen, *Landesk.* II (1902) p. 347: „*ausser einigen geringfügigen Resten der Ringmauer tritt von der Anlage nichts mehr zu Tage*".

14) *Mittelitalien* (1843) (p. 130—138: „*Anlage und Bildung der Städte*") p. 138.

Digitized by Google

late patentibus campis urbes quadratae vel certe rectangulares extiterint ut Pyrgis [1]), ut Angitiae [2]), eo demonstrari atque ostendi propensionem ad hanc condendi rationem antiquorum illorum architectorum („*diese Wahl des (Recht)eckes, wo die Architectur .... freien Spielraum fand, bezeugt die Vorliebe, welche man im alten Städtebau für jene Form hatte*"). Errare denique videtur Valeton, quum doceat [3]), urbem, si forma sit mensurali, dividi posse, sin minus, non posse. Fons erroris, quod putat non tantum cardinem cardini, decumanum decumano ordinatos fuisse, sed alternis quoque extremitatibus cardines decumanosque [4]), quod ne in agris quidem necesse est. Quem vitavit errorem Haverfield [5]) („*often the outline of the town was irregular, ... but the streets .... kept to a rectangular plan*"); errorem esse convincunt circumferens linea divisioque Norbae et Augustoduni et Augustae Trevirorum et coloniae Agrippinae et Callevae et Selinuntis, Neapolis, Piraeei, Prienes, Mileti, Cnidi, Cremnae, Gerasae, Alexandriae, Cyrenes indeque propagatorum Ptolemaidis Tauchirorum. Ibi Haverfield videritne verum dubito, ubi scribit [6]) etiam hoc modo homines a fera agrestique vita ad illum humanum cultum civilemque a Romanis esse deductos („*town-plan(ning) was one of the forms through which the Italian civilisation diffused itself*"), quum constet non tantum ipsos praeceptores in sua urbe diu mediocrem vel plane nullam huic instituto operam impendisse, sed etiam multas urbes, quae numquam divisae sint, elegantiorum hominum sedes esse fuisseve, ut Babylonem, Athenas, Oxoniam [7]), illas denique, quas fabulosa gens *Maya*, in extremo terrarum orbe, ubi *Yucatan* appellant, monumentum sui nominis reliquit in aevum [8]). Quid, quod India citerior de suo unam tantum

1) Dictum est supra.
2) De Angitia nihil mihi compertum est.
3) Mnemos. XXI p. 65, p. 70.
4) Mnemos. XX p. 384, 385.
5) *Ancient town-planning* (1913) p. 15.
6) *Ancient town-planning* p. 105.
7) Forma extat: Encycl. Britann. XVIII (1885) p 95.
8) Hellwald, *Culturgesch.* II (1884) p. 378 (ima): „*sie haben nichts von .... Ordnung ...., keine ausgesteckten Strassen*". Ex diverso *Chulucanas*, Incarum urbem, ὡς διάφορον ἐπ' εὐθειῶν τὴν ξυμετρομίαν ἔχουσαν („*wegen ihrer ausserordentlichen*

Digitized by Google

divisam urbem habere dicitur *Jaipur* [1]), ideone ad humanum cultum civilemque deducenda videbitur et ab iis qui in eodem vitio cubant, quibus, urbem divisam si cognoscere volunt, *Darmstadt* usque progrediendum est [2])? Meliore utique iure Barmani, quorum teste Elissaeo [3]) caput *Mandalay* curatius divisa („*plus régulière*") est quam ipsum *Peking*, erudiendos sibi deposcerent Sinas.

(Continuabitur).

Regelmässigkeit bemerkenswerth") commemorat (p. 394) et laudat quidem (not. 3), sed non describit textum Alexandri Humboldt (*Vues des Cordillères* II (1816. 8°) p. 332): „*les maisons, construites en porphyre, sont distribuées en .... quartiers formés par des rues qui se coupent en angle droit*". Reliquas Incarum urbes ita pingunt Rivero et Tschudi, *Peruvian antiquities* (1853) p. 234: „*a square with the principal edifices forms the centre, from which project, in the direction of the four quarters of the world the principal streets. In many towns of the Sierra the dwellings were scattered... without order, as the face of the ground permitted*".

1) *Imperial Gazetteer* XIII (1908) p. 400: „Tod (1822) *described it as being as regular as* Darmstadt *and the only city in* India *built upon a regular plan... in rectangular blocks*". Libro quidem, qui inscribitur *Manasara*, divisionis praecepta exponuntur (Acharya, *A summary of* Manasara. Diss. Leid. 1918 p. 8).

2) *Gazetteer* cit., l. l.

3) *Nouv. géogr. univ.* VIII (1883) p. 789.

Digitized by Google

DE IDOMENEO AC MERIONE·

SCRIPSIT

K. KUIPER.

Felicissimo eventu longam et laboriosam operam absolutam esse ab iis qui in colle Iliaco rudera effodientes et secundum certam quandam normam vasa fictilia lapides murorum parietumque fragmenta discernentes, oppida Troiana alia aliis superimposita ad lucem trahere conati sint, vix quisquam est qui neget. Sed quod in Hissarlik monticulo successit viris archaeologis, vanum plerumque et irritum hucusque fuisse videtur in arte philologica. Carmina homerica ipsa qui artis criticae hodiernae instrumentis dissecare atque singulas partes ad suam quamque aetatem revocare conati sunt, in diversissimas sententias abeuntes vix quidquam certi invenerunt. Nec mirum hoc est. Etenim, fuerunt profecto ante Agamemnonem reges, quorum praeclara gesta poetis Homero Homeridisve antiquioribus materiam carminum praebuerunt. Quae vero illi cantoribus cycli Iliaci tradiderant, raro integra ita Homerus in Iliadem suam inseruit, ut hodie arte critica eximi possint ex Achilleïde, et tamquam a prisco aliena disiungi; Homeridae cum Iliacum poema ex vetustis narrationum thesauris augerent ornarentque, decurtarunt multa, multa immutarunt, modo versus integros ex veteribus poematis in usum suum converterunt, modo leviter, nec non neglegenter, variarunt quae tradita invenerunt. In quibus vestigia versionis antiquae indagare, heroum gloriam obsoletam ad lucem revocare, in bellatorum formis humanis memoriam divinam agnoscere tamen non raro licebit. Quis, ut uno exemplo defungar, semel ad-

Digitized by Google

monitus non agnoscet, in Iliade nostra Aeneam spoliari eo honore qui olim eius fuerat in carmine vetustiore? Hectori enim cedere Aeneam iussit Homerus. Simile quiddam, quamvis non prorsus idem, evenisse Idomeneo ac Merioni demonstrare conabor, vestigia heroum Creticorum per librum N praesertim secutus. Liber Iliadis XIII singularem locum obtinet in rhapsodiis M—O, quae ipsae quoque propriam et multis rebus diversam a reliqua Iliade speciem praebeant. Dicas Homerum peculiarem illam indolem neque ignorasse neque celare voluisse. Sicut enim in historia sacra Josua traditur cursum inhibuisse imperio suo „στήτω ὁ ἥλιος κατὰ Γαβαών" clamitans, ita poetae placuit certaminum diem vicesimum sextum praeter naturae leges producere. Sistit solem inde a Λ. 86 usque ad Π. 777. Nam priore loco ita dixerat:

86 ὄφρα μὲν ἠὼς ἦν καὶ ἀέξετο ἱερὸν ἦμαρ,
τόφρα μάλ' ἀμφοτέρων βέλε' ἤπτετο, πῖπτε δὲ λαός,
ἦμος δὲ δρυτόμος περ ἀνὴρ ὠπλίσσατο δεῖπνον
. . . . . .
90 τῆμος σφῇ ἀρετῇ Δαναοὶ ῥήξαντο φάλαγγας.

sed altero loco, forma versuum ipsa priores versus auditori in memoriam revocans, Π. 777:

ὄφρα μὲν ἠέλιος μέσον οὐρανὸν ἀμφεβεβήκει
τόφρα μὲν ἀμφοτέρων βέλε' ἤπτετο, πῖπτε δὲ λαός,
ἦμος δ' ἠέλιος μετενίσσετο βουλυτόνδε
καὶ τότε δή ῥ' ὑπὲρ αἶσαν Ἀχαιοὶ φέρτεροι ἦσαν.

Quin etiam diei spatio in infinitum protracto ipsum Solem delectatum fuisse lepide fingit poeta cum Σ. 239 narrat

ἠέλιον δ' ἀκάμαντα βοῶπις πότνια Ἥρη
πέμψεν ἐπ' Ὠκεανοῖο ῥοὰς ἀέκοντα νέεσθαι.

Notissima refero, eo tamen consilio ut pronuntiem haec non neglegentiae poetae aut parasceuastae cuiusdam stoliditati deberi. Cantoribus homericis, hymnorum poetis, rhapsodisque similis fuisse semper videtur antiquitus licentia inserendi, novandi, addendi, decurtandi, non vero semper par ingenium similisve aptitudo. Quae per libros M—O narrantur servant memoriam antiquiorum carminum sed conturbatam servant, nec ita a poetis tractatam ut cum Iliadis cursu convenire vel etiam inter se accurate consentire videantur. Quae ut insereret

Digitized by Google

Patroclum iusto diutius in Eurypyli tentorio degentem finxit poeta (Λ. 805 cl. Λ. 585).

Ne narrationis cursum, satis conturbatum, nimia brevitate confundam, necesse est rem altius repetere et legenti in memoriam revocare, qua ratione poeta proelii condicionem disposuerit.

In illo discrimine rerum, ubi Λ. 599 Achilles, *ἐπὶ πρυμνῇ μεγακήτει νηῒ* prospiciens in campum Trojanum Machaonem vulneratum reduci ad naves a Nestore vidit, ea erat pugnae condicio, ut Hector, postquam *μάχης ἐπ' ἀριστερά*, ad Scamandrum, Achaeorum robur infregit, ad medium agmen graecorum se convertisset; cui praeerat Aiax (Λ. 521 sqq.). Hectore appropinquante vs. 542

Ζεὺς δὲ πατὴρ Αἴανθ' ὑψίζυγος ἐς φόβον ὦρσε,

pedetentim Aiax recedit, id agens ut hostes prohibeat *θοὰς ἐπὶ νῆας ὁδεύειν*, donec (vs. 595) Achaei eum recipiunt:

στῆ δὲ μεταστρεφθεὶς ἐπεὶ ἵκετο τέθνος ἑταίρων.

Fiunt haec omnia in campo aperto. Murus ille castrorum qui Iliadem legentibus molestias exhibet haud minores quam olim Troianis pugnantibus, nusquam memoratur.

Sed aliter res se habet initio carminis duodecimi. Nunc intra vallum se continent Achaei, Trojanos vero (vs. 3):

οὐδ' ἄρ' ἔμελλε
τάφρος ἔτι σχήσειν Δαναῶν καὶ τεῖχος ὕπερθεν
εὐρύ, τὸ ποιήσαντο θεῶν ὕπερ e. q. s.,

Necesse autem erat poetae longiore proemio plura de eo vallo docere auditores; nam festinanter ea narrata erant libro VII.

Multa insunt in hac priore libri M parte admodum molesta interpreti cui persuasum sit totam narrationem per hoc librum expositam uni eidemque poetae deberi, suo consilio libere fingenti exponentique proelii decursum qualem eum *Μοῦσ' ἐδίδαξε*, nec unquam defuerunt qui ad singulas hasce difficultates animum attenderent. Haec neglegere nunc licebit; nonne enim ipse poeta diserte monet, pauca tantummodo ad auditorum animos delectandos se elegere ex multo uberioribus factorum copiis quas si voluisset, enarrare potuerat? „Alii — inquit — circum alias portas manus conseruerunt" (M. 175):

ἄλλοι δ' ἀμφ' ἄλλῃσι μάχην ἐμάχοντο πύλῃσιν·

Digitized by Google

ἀργαλέον δέ με ταῦτα θεὸν ὣς πάντ' ἀγορεῦσαι·
πάντῃ γὰρ περὶ τείχος ὀρώρει θεσπιθαὲς πῦρ.

Sed mirum profecto in modum poeta ea licentia reticendi et neglegendi utitur in re admodum gravi et singulari, quam paullo accuratius investigari omnino opus est: novum illud consilium dico quod iniisse Hector narratur (M. 85 sqq.), cum in quinque agmina diversa bellatores Troianos dividit.

Primum ordinem ducunt Hector, Polydamas, Cebriones. Accuratius quam ceterorum huius agminis res gestas poeta describit. Coniunctos servat agminis duces, non modo per librum M. cum praesertim portam castrorum principalem quam Aiaces defendunt, duce Hectore aggrediuntur (M. 250—289) et in fine libri eiusdem, cum fractis foribus Hector castra invadit, sed sequenti quoque libro, cum N. 39—170 Hector in media pugna certat, cum N. 679 idem

ἔχεν ᾗ τὰ πρῶτα πύλας καὶ τεῖχος ἐσᾶλτο,

cumque, 765—88, per breve spatium μάχης ἐπ' ἀριστερὰ degens, redit ad mediam aciem et Polydamanti Cebrionique denuo se adiungit.

Cetera agmina haec sunt:

II. cui praesunt Paris, Alcathous, Agenor.
III. cui praesunt Helenus Deïphobus, Asius.
IV. cui praesunt Aeneas, Acamas, Archelochus.
V. cui praesunt Sarpedo, Glaucus, Asteropaeus.

Horum agminum fata non neglegit quidem omnino poeta, sed ita narrat ut fere oblivisci videatur, quo consilio Hector in quinque partes diversas milites suos diviserit. Coniunctim pugnare videmus agmina secundum et tertium (N. 402, 426), nam juxta Deïphobum pugnat Alcathous. Proximus est Aeneae pugnanti (agmine IV) Deïphobus N. 460. 490. Proximi stant Deiphobo Paris (agm. II) atque Agenor. Agminis autem quinti, cui praeest Sarpedon, post res praeclare gestas libro M insequenti libro nulla fit mentio.

Raptim hoc indicare sufficit, quoniam data opera quivis libros MN percurrens ea agnoscere poterit. Causam autem rei si quaerimus, vix poterimus totam hanc agminum divisionem temerariae cuidam poetae inventioni tribuere, quam statim postquam excogitavit mira socordia neglexerit. Decurtatam

Digitized by Google

potius et in brevius contractam hic inseruisse videtur carmini suo poeta descriptionem praelii castrensis longe maiorem quam cum reliqua Iliadis condicione convenit.

Dixerit quispiam me aberrare ab heroïbus Cretensibus de quibus acturum me esse pollicitus sim. Aberravi, sed non temere. Via enim mihi munienda esse videbatur qua ad libri N compositionem accedere possem, atque uno exemplo brevius illustrato deinde longiore quadam disputatione indicare, quali componendi ratione in Libro de proelio ad naves facto poeta usus sit.

Liber N ex tribus partibus constat, si proemium excipies quo Juppiter depingitur, in Idae solitudine desidens et *πάλιν τρέπων ὅσσε φαεινώ*: quarum partium prima vs. 39—205 versatur in medio certamine, altera quam Idomenei *Ἀριστείαν* merito dicas, certamen exponit *ἐπ' ἀριστερὰ* ad Scamandrum habitum (205—662), tertia redit ad mediam pugnam sed ita redit ut neque locorum notio neque personarum accurate cum prioribus conspiret. Primam partem atque alteram eodem fere modo Homerus incohat, Neptuno scilicet bellatores ad proelium incitante. Operae pretium videtur utrumque episodion percurrere.

vs. 1—12. Iuppiter solus sedet in Ida monte oculos a proelio avertens (vs. 8):

οὐ γὰρ ὅγ' ἀθανάτων τιν' ἐτέλπετο κὸν κατὰ θυμὸν
ἐλθόντ' ἢ Τρώεσσιν ἀρηξέμεν ἢ Δαναοῖσιν.

15—38. Versibus splendidissimis et celeberrimis Neptunus per mare accedens ad litus Troianum describitur.

vs. 46. Neptunus Aiaces ad pugnam incitat. Quod cum deum facientem poeta fingit, neglegit prorsus ea quae de Aiacibus narraverat libro M. 400 sqq. Sed fere valet hoc de tota pugna ad naves facta, parum rem convenire cum praecedentibus.

vs. 91. Neptunus, nunc quidem non induta humana forma, monet Graecos bellatores ut adsint Aiacibus; inter eos Teucer memoratur, itemque Meriones.

Iam sequitur inde a versu 125 ipsius proelii exordium. Congrediuntur acies. Adest Hector

ἀντικρὺ μεμαώς, ὀλοοίτροχος ὡς ἀπὸ πέτρης.

Digitized by Google

Magnifica comparatione auditoribus proponitur imago bellatoris impetuosi. Sed ipsa imago non castra verum campum apertum, agminaque in planitien disposita in animum revocat. Dixeris totum hoc proelium brevius a poeta enarratum, et aliunde desumtum esse. Raptim nonnumquam et obscurius quam velis res gestae exponuntur. Duo sunt, quae in hoc proelio nunc nos detinere possint: certamen Deïphobi cum Merione, caedesque Imbrii. De Imbrio primum dicam, licet tempore antecedat pugna Deiphobi Merionisque.

Proelio iam condensato, cum *βοὴ δ'ἄσβεστος ὄρωρε* (vs. 169), Teucer primus hostem interimit

Ἴμβριον αἰχμητήν, πολυίππου Μέντορος υἱόν.
Ναῖε δὲ Πήδαιον πρὶν ἐλθεῖν υἷας Ἀχαιῶν,
κούρην δὲ Πριάμοιο νόθην ἔχε Μηδεσικάστην·
αὐτὰρ ἐπεὶ Δαναῶν νέες ἤλυθον ἀμφιέλισσαι,
ἂψ ἐς Ἴλιον ἦλθι, μετέπρεπε δὲ Τρώεσσι,
ναῖε δὲ πὰρ Πριάμῳ, ὃ δέ μιν τίε ἶσα τέκεσσι

Quem cum hasta percussisset Teucer (non enim ut in libro M. 360 et O. 458 sagittaria arte utitur *ὁ τόξων ἐὺ εἰδώς*) armis spoliare cupit. Sed obstat Hector vs. 183:

Ἕκτωρ δ'ὁρμηθέντος ἀκόντισε δουρὶ φαεινῷ
ἀλλ' ὃ μὲν ἄντα ἰδὼν ἠλεύατο χάλκεον ἔγχος
τυτθόν, ὃ δ' Ἀμφίμαχον Κτεάτου υἱ' Ἀκτορίωνος
νισσόμενον πόλεμόνδε κατὰ στῆθος βάλε δουρί.

Amphimachum autem mortuum cum spoliare galea Hector parat, adest Aiax — uter sit non indicatur — qui in Hectorem hastam torquens *ἀσπίδος ὀμφαλὸν οὖτα* et eum cogit recedere (193)

ὃ δὲ χάσσατ' ὀπίσσω
νεκρῶν ἀμφοτέρων· τοὺς δ' ἐξείρυσσαν Ἀχαιοί.

Amphimachi cadaver Stichius Menestheusque portant ad naves Achaeorum. Item duo heroes, nempe Aiax Oilei filius ac Telamonius, auferunt Imbrium quem *ὑψοῦ ἔχοντε* miro sane modo armis spoliant, caput detruncant, quod (205)

Ἕκτορι δὲ προπάροιθε ποδῶν πέσεν ἐν κονιῇσι.

In hac caede duplici multa fiunt mira et obscura — neque enim videas qua ratione Aiaces cadaver Imbrii dum humeris portant spoliare et capite orbare potuerint, neque mirari nequeas

Digitized by Google

prorsus taceri de Hectoris ira, quae tamen sane commota est cum fratris caput ante pedes sili obvolvi videret. Decurtata et in brevius contracta haec sunt ex longiore poemate. Iliadis poeta Teucro partes dedit in Imbrii caede, sed postquam Teucer hostem hasta percussit, nusquam est et cedit Aiacibus.

Eustathius in commentariis ad vs. 171 de Imbrio adnotat: *ἔρριψε δὲ αὐτὸν ὁ μέγας Αἴας νύξας ὑπ' οὔατος*. Facile est archiepiscopum Thessalonicensem erroris accusare, nec deerat causa erroris quoniam vs. 177 Homerus, Teucrum respiciens, sic aït „*τόν δ' υἱὸς Τελάμωνος ὑπ' οὔατος ἔγχεϊ μακρῷ νύξ', ἐκ δ' ἔσπασεν ἔγχος*". Sed non solet neglegentia errare Eustathius. Contra accurate Homerum legit et sicubi quid legentem offendit lectores monet, veluti in versu illo 206, qui cuivis legenti admirationem movere debet:

καὶ τότε δὴ περὶ κῆρι Ποσειδάων ἐχολώθη
υἱωνοῖο πεσόντος ἐν αἰνῇ δηιότητι,

haec habet: *ἐχολώθη μὲν εὐθὺς ὁ Ποσειδῶν υἱωνοῦ πεσόντος, οὐκ ἔσχε δὲ ὁ ποιητὴς αὐτίκα ἱστορῆσαι, τί ἐποίησε χολωθεὶς ὁ Ποσειδῶν*, nec minus neglegit quod Amphimachus hoc loco nepos dicitur Neptuni, cum alibi, in libro M, Amphimachi pater Cteatus filius est Actoris.

Quapropter suspicio oritur Aiacem Telamonis filium ab Eustathio Teucri loco memorari lapsu quidem memoriae, sed causam lapsus fuisse quod cognita ei fuerit alia alio modo de Imbrii Amphimachique tradita historia; uterque enim heros clarior fuit in antiquis poematis quam ex Iliade apparere potest. Occurrit Amphimachi nomen in numero Helenes procorum (Apollod. III. 129): apparetque ex Pausania V. 3. 4 in fabulis Eleis de Actorionibus eum partes habuisse. Quod autem ad Imbrium attinet, operae pretium est memorare, Polygnotum in lesche Cnidiorem pinxisse Medesicasten, Imbrii uxorem, inter captivas Troianas una cum Andromache *κάλυμμα ἐπικειμένην*, ergo ornatu lugubri. Non pauci illi versus qui in Iliade leguntur Polygnoto suasisse videntur ut Priami filiae spuriae eiusmodi locum in tabula sua tribueret. Plura profecto de Medesicaste ac Imbrio narraverat *Ἰλίου Πέρσις* cui sua debet pictor. Plura et fortasse Iliade antiquiora. Quae Homerus multo brevius enarrans memoriam tamen herois clarissimi

Digitized by Google

eatenus servavit ut de genere, patria, vita raptim quidem sed accurate referret.

Quod in Imbrii caede factum esse videtur, nempe ut poeta duas „versiones" q. d. inter se misceret, et in breviorem formam contraheret, id in Merione multo luculentius apparet. Bis enim Meriones cum Deïphobo proelio certat, prinum in media acie ubi Hector Troianis praeest, deinde in Idomeneï ἀριστείᾳ, in qua Aeneas primas apud Troianos partes tenere vel olim tenuisse putandus est. Commodum erit lectoribus si utrumque proelium ipsis Homeri versibus descriptum ante oculos eis proponetur.

Itaque postquam Troiani προὔτυψαν ἀολλέες, (vs. 156) Hectore duce:

Δηΐφοβος δ' ἐν τοῖσι μέγα Φρόνέων ἐβεβήκει
Πριαμίδης, πρόσθεν δ' ἔχεν ἀσπίδα πάντοσ' ἐΐσην,
κοῦφα ποσὶ προβιβὰς καὶ ὑπασπίδια προποδίζων.
Μηριόνης δ' αὐτοῖο τιτύσκετο δουρὶ Φαεινῷ,
καὶ βάλεν, οὐδ' ἀφάμαρτε, κατ' ἀσπίδα πάντοσ' ἐ ἴσην,
ταυρείην· τῆς δ' οὔ τι διήλασεν, ἀλλὰ πολὺ πρὶν
ἐν καυλῷ ἐάγη δολιχὸν δόρυ· Δηΐφοβος δὲ
ἀσπίδα ταυρείην σχεθ' ἀπό ῥέο, δεῖσε δὲ θυμῷ
ἔγχος Μηριόναο δαΐφρονος· αὐτὰρ ὅ γ' ἥρως
ἂψ ἐτάρων εἰς ῥέθνος ἐχάζετο, χώσατο δ' αἰνῶς
ἀμφότερον, νίκης τε καὶ ἔγχεος ὃ ξυνέραξε.

Laetiore successu iterum Meriones Deïphobum invadit cum hic in proelio μάχης ἐπ' ἀριστερὰ facto iuxta Aeneam pugnans Ascalaphi cadaver spoliare conatur:

οἳ δ' ἀμφ' Ἀσκαλάφῳ αὐτοσχεδὸν ὡρμήθησαν.
Δηΐφοβος μὲν ἀπ' Ἀσκαλάφου πήληκα Φαεινὴν
ἥρπασε, Μηριόνης δὲ θοῷ ἀτάλαντος Ἄρηϊ
δουρὶ βραχίονα τύψεν ἐπάλμενος, ἐκ δ' ἄρα χειρὸς
αὐλῶπις τρυφάλεια χάμαι βόμβησε πεσοῦσα.
Μηριόνης δ' ἐξαῦτις ἐπάλμενος, αἰγυπιὸς ὡς,
ἐκτέρυσε πρυμνοῖο βραχίονος ὄβριμον ἔγχος,
ἂψ δ' ἐτάρων εἰς ῥέθνος ἐχάζετο,

Quoniam poeta in libro N pugnam illam ἐν μέσῳ sedulo separat a proelio ἐπ' ἀριστερὰ facto atque in utroque certamine

Digitized by Google

Deïphobum cum Merione pugnantem fecit, veri simile videtur, eum in duabus historiae Iliacae „versionibus" diversis Merionem Deïphobo oppositum invenisse. Omisit narrare qua ratione heros Troianus a medio certamine ad sinistram pugnam transierit. Merionem vero ut transporterat artificio usus est non admodum felici, quod τοῖς ἐνστατικοῖς copiam dedit multa rogandi. Ipse sermo inopiam seu mavis neglegentiam poëtae patefacit:

166 χώσατο δ' αἰνῶς
ἀμφότερον, νίκης τε καὶ ἔγχεος ὃ ξυνέηκε.
βῆ δ' ἰέναι παρά τε κλισίας καὶ νῆας Ἀχαιῶν
οἰσόμενος δόρυ μακρὸν ὅ οἱ κλισίηφι λέλειπτο.

Quam dure dictum sit illud χώσασθαι ἔγχεος καὶ νίκης, omnes vident. Gravis autem labor est τῶν λυτικῶν cum respondere debent rogantibus, quidni Meriones ministrum suum mittere ad telum quaerendum maluerit, num una tantum ei hasta in tentorio reliqua fuerit, cetera.

Sed necesse, quamvis difficile, erat poetae. Merionem cum Idomeneo coniungere. Ipsum Idomeneum Neptunus nescio ubi in castris Achaeorum invenerat. Unde venientem? Ultimum nos eum videbamus in proelio quod libro Λ describitur ubi vs. 501 Nestori mandat ut curru Machaonem vulneratum ad naves reducat. Nunc vero unde venit? Paratum est responsum:

N. 211. ἐρχόμενος παρ' ἑταίρου, ὅ οἱ νέον ἐκ πολέμοιο
ἦλθε κατ' ἰγνύην βεβλημένος ὀξέϊ χαλκῷ.
τὸν μὲν ἑταῖροι ἔνεικαν, ὃ δ' ἰητροῖς ἐπιτείλας
ἤϊεν ἐς κλισίην· ἔτι γὰρ πολέμοιο μενοίνα ἀντιάαν.

Fugientem Troiani, ut videtur, ἑταῖρον vulneraverant, nam ἰγνύη est τὸ ὄπισθεν γόνατος μέρος. Reportatum ad ipsius tentorium eum visitaverat Idomeneus, armis — incertum ubi — depositis. Hic statim ἐνστατικός quispiam poetam interpellare possit rogando: „Qui fit, ut in tam acri pugnae discrimine ὁ μεσαιπόλιος inermis sit?" Non multum prodest responsum scholiastae qui adnotat „πρὸ Μηριόνους δὲ ἀναχωρεῖ ἐκ τῆς μάχης", nam in „certamine medio" non adfuit Idomeneus, saltem non memoratur. Causa perspicua videtur. Necesse fuit ex more quodam solemni τὴν Ἰδομενέως ἀριστείαν ornare exordio panopliae. Superest in nostra Iliade illud exordium inde a versu

Digitized by Google

240, sed hic quoque cantoribus contrahendi et decurtandi quaedam fuit necessitas.

Ἰδομενεὺς δ' ὅτε δὴ κλισίην εὔτυκτον ἵκανεν,
δύσετο τεύχεα καλὰ περὶ χροΐ, γέντο δὲ δοῦρε,
βῆ δ' ἴμεν ἀστεροπῇ ἐναλίγκιος, ἥν τε Κρονίων
χειρὶ λαβὼν ἐτίναξεν' ἀπ' αἰγλήεντος Ὀλύμπου
δεικνὺς σῆμα βροτοῖσιν, ἀρίζηλοι δέ ϝοι αὐγαί·
ὥς τοῦ χαλκὸς ἔλαμπε περὶ στήθεσσι θέοντος.

Damnum comparatio concepit, in breviorem formam dum contrahitur: cum fulminis candore non ipse Heros comparandus erat, sed fulgor. Ceterum qui sermones a Neptuno cum Idomeneo habitos — inutiles sane, nam etiam non incitante deo Idomeneus ἔτι πολέμου ἐμενοίνα — perlegit, persuadeat sibi necesse est hanc quidem partem parum apte ad connectenda sequentia cum prioribus esse adhibitam.

Iam vero cum Merione congreditur Idomeneus. Quem vs. 249 ita alloquitur:

Μηριόνη Μόλου υἱέ, πόδας τάχυ, Φίλταθ' ἑταίρων
τιπτ' ἦλθες πόλεμόν τε λιπὼν καὶ δηιότητα;
ἦέ τι βέβληαι, βέλεος δέ σε τείρει ἀκωκή,
ἦέ τευ ἀγγελίης μετ' ἔμ' ἦλυθες; οὐδέ τοι αὐτὸς
ἧσθαι ἐνὶ κλισίῃσι λιλαίομαι, ἀλλὰ μάχεσθαι.

Respondet Meriones talia, quae congruunt cum iis quae ante narravit poeta, fractam sibi esse hastam (257 τό νυ γαρ κατεϝάξαμεν ὃ πρὶν ἔχεσκεν) et aliam se quaerere velle εἴ τι τοι ἔγχος ἐνὶ κλισίῃσι λέλειπται.

At Idomeneus: „Abundant in tentorio meo inter spolia Troianis derepta hastae gladii arma omne genus. Ex iis novam hastam si vis tibi sumere licebit".

Cui Meriones (vs. 266)

καί τοι ἐμοὶ παρά τε κλισίῃι καὶ νηῒ μελαίνῃ
πόλλ' ἔναρα Τρώων, ἀλλ' οὐ σχεδόν ἐστιν ἑλέσθαι.

Talia gloriantem Merionem sibi non constare, nec convenire haec verba cum praecedentibus („videre volo numqua mihi supersit hasta in tentoriis meis") iam diu a multis observatum et varie explicatum est. Inter multa diversae originis indicia quibus liber N abundat hoc unum est, nec fortasse gravissimum. Nobis autem qui Merionis personam ac dignitatem investigamus

Digitized by Google

extrema illa lucide demonstrant hoc quidem loco Merionem non *θεράποντα* Idomenei videri poetae, nec fortasse *ὀπάονα*, sed amicum. Nam in Merionis dignitate ac condicione describenda non sibi constat Homerus. Saepe quidem, et praesertim in eis versuum clausulis quae formulae instar recurrunt, Moli filius audit *θεράπων ἐὺς Ἰδομενῆος*, saepe iuxta Idomeneum pugnat, sed longe alia eius est adversus regem Cretensem condicio atque Eurymedontis adversus Agamemnonem, vel Stheneli erga Diomedem. Quin etiam Patroclus magis Achilli tamquam *ὀπάων* paret quam Meriones Idomeneo. Parum ponderis habent in hac re dirimenda eiusmodi versus quibus poeta ad augendam proeliorem gravitatem heroum nomina multa in unum confert (ut E. 59. H. 165. O. 263. 302), qui versus quid valeant ipse indicat cum, ut P. 259 sqq., tamquam numero pugnantium oppressus, exclamat:

ὀξὺ δ' ἄκουσεν Ὀϊλῆος ταχὺς Αἴας,
πρῶτος δ' ἄντίος ἦλθε θέων ἀνὰ δηϊότητα·
τὸν δὲ μετ' Ἰδομενεὺς καὶ ὀπάων Ἰδομενῆος
Μηριόνης, ἀτάλαντος Ἐνυαλίῳ ἀνδρεϊφόντῃ·
τῶν δ' ἄλλων τίς κεν ῥῇσι φρεσὶν οὐνόματ' εἴποι,
ὅσσοι δὴ μετόπισθε μάχην ἤγειραν Ἀχαιῶν;

Utile igitur videtur raptim percurrere Iliadis locos quibus Merionis fit mentio.

B. 645—652.

Κρητῶν δ' Ἰδομενεὺς δουρίκλυτος ἡγεμόνευεν,
οἳ Κνωσόν τ' εἶχον Γόρτυνά τε τειχιόεσσαν,
Λύκτον Μίλητόν τε καὶ ἀργινόεντα Λύκαστον
Φαιστόν τε Ῥύτιόν τε, πόλεις εὖ ναιεταώσας,
ἄλλοί θ' οἳ Κρήτην ἑκατόμπολιν ἀμφενέμοντο.
τῶν μὲν ἄρ' Ἰδομενεὺς δουρίκλυτος ἡγεμόνευε
Μηριόνης τ' ἀτάλαντος Ἐνυαλίῳ ἀνδρεϊφόντῃ·
τοῖσι δ' ἅμ' ὀγδώκοντα μέλαιναι νῆες ἕποντο.

Laxior quam in ceteris rhapsodiis versuum sententiarumque structura est in catalogo. Sed re ipsa hoc explicatur in conputandis copiis ducibusque, a quo dicendi genere omnis abest poeseos elegantia. Itaque quod non arcte cohaerent versus illi Cretensium milites navesque enumerantes, id interpolatoris manum non necessario arguit. Poeta Cretensibus duos addicit

Digitized by Google

duces, quorum alter Idomeneus, Deucalionis filius, alter euisdem ex Molo, spurio, nepos. Coniunctos eos habet catalogi poeta sed eo modo coniunctos ut epigramma Cnosii sepulchri eos coniunxit (Diod. Sic. V. 79)

Κνωσίου Ἰδομενῆος ὅρα τάφον. αὐτὰρ ἐγώ τοι
πλησίον ἵδρυμαι Μηριόνης ὁ Μόλου·

addit autem Diodorus, *τούτους μὲν οὖν ὡς ἥρωας ἐπιφανεῖς τιμῶσιν οἱ Κρῆτες διαφερόντως, θύοντες καὶ κατὰ τοὺς ἐν τοῖς πολέμοις κινδύνους ἐπικαλούμενοι βοηθούς*. Quod notatu dignum est. Non enim quod Homerus eos carmine celebravisset in honore fuerunt apud cives suos, sed quod cultu fruebantur divino in Creta insula, in Iliadem recepti sunt.

Sequitur *ἐπιπώλησις* in libro quarto (vs. 251—254):

ἦλθε δ' ἐπὶ Κρήτεσσι κιὼν ἀνὰ τουλαμὸν ἀνδρῶν.
οἳ δ' ἀμφ' Ἰδομενῆα δαΐφρονα θωρήσσοντο·
Ἰδομενεὺς μὲν ἐνὶ προμάχοις, συῒ τείκελος ἀλκήν,
Μηριόνης δ' ἄρα τοι πυμάτας ὤτρυνε Φάλαγγας.

Solum *τὸν μεσαιπόλιον* adloquitur Agamemnon. Meriones autem non ad eius latus stat, id quod *θεράποντος* est, sed in ultimo Cretensium agmine ducis vice fungitur.

Neque magis *θεράποντα* se praebet Meriones in libro K. Occupat ibi locum *ἐν τοῖς Φυλακτῆρσιν*, qui in libro I nominati sunt, et nequaquam ministri munere fungitur cum Thrasymede Meriones. Doloneae poeta quidem Agamemnonem haec dicentem ad fratrem facit (K 52):

ἀλλ' ἴθι νῦν, Αἴαντα καὶ Ἰδομενῆα κάλεσσον
ῥίμφα θέων παρὰ νῆας, ἐγὼ δ' ἐπὶ Νέστορα δῖον
εἶμι, καὶ ὀτρυνέω ἀνστημέναι, αἴ κ' ἐθέλῃσι
ἐλθεῖν ἐς Φυλάκων ἱερὸν τέλος ἠδ' ἐπιτεῖλαι.
κείνου γάρ κε μάλιστα πυθοίατο· τοῖο γὰρ υἱὸς
σημαίνει Φυλάκεσσι καὶ Ἰδομενῆος ὀπάων
Μηριόνης· τοῖσιν γὰρ ἐπετράπομέν γε μάλιστα.

verum *διασκεύασιν* parum felicem hos versus expertos esse arguit mira versuum structura inde a verbis „*καὶ Ἰδομενῆος ὀπάων*"; quid enim esset, cur Nestori is quoque potius quam alii seniorum pareret (*μάλιστα πύθοιτο*). Ceterum postquam duces ad fossam pervenerunt Menelaus quidem adest (vs. 230), at non memoratur Idomeneus, ad quem arcessendum a fratre

Digitized by Google

missus erat Menelaus. Contra Meriones, quod non videtur ὀπάονος sive θεράποντος esse, honoris causa cum Thrasymede in consilium principum advocatur (194

ὣς ῥειπὼν τάφροιο διέσσυτο· τοὶ δ' ἅμ' ἕποντο
Ἀργείων βασιλῆες, ὅσοι κεκλήατο βουλήν.
τοῖς δ' ἅμα Μηριόνης καὶ Νέστορος ἀγλαὸς υἱὸς
ἧϊσαν· αὐτοὶ γὰρ κάλεον συμμητιάασθαι.

In eodem autem libro K idem Iliadis poeta qui tam saepe minus opportune Merionem data opera Idomeneï θεράποντα vocaverat, inscius fere et inconsulto indicium quoddam nobis servavit, quo prisca herois Cretici dignitas agnosci possit. Ulixen Diomedemque ad expeditionem periculosam profecturos armant armis suis Thrasymedes atque Meriones. Rem notissimam verbo notare satis est; apte autem poeta id quod vetus carminis argumentum fuerat narrationi suae accommodavit: inermes enim a lectulo surgentes uterque Diomedes atque Ulixes ad concilium convenerant. Sed non ipsum Doloneae poetam illud excogitasse, contra antiquiorem quandam narrationem eum ad suum usum convertisse, et alia monent et versus quibus ample de galea, quam Ulixi dedit Meriones, disserit (K. 266):

τήν ῥά ποτ' ἐξ Ἐλεῶνος Ἀμύντορος Ὀρμενίδαο
ἐξέλετ' Αὐτόλυκος πυκινὸν δόμον ἀντιτορήσας,
Σκάνδειαν δ' ἄρα δῶκε Κυθηρίῳ Ἀμφιδάμαντι·
Ἀμφιδάμας δὲ Μόλῳ δῶκεν ξεινήιον εἶναι,
αὐτὰρ ὁ Μηριόνῃ δῶκεν ῷ παιδὶ φορῆναι.

Longa est genealogia huius galeae, et Agamemnonis sceptri, hastaeque Peliadae stirpibus similis. Mythologiae fines ingredi necesse est, si quis huius κυνέης ῥινοῦ πσιητῆς veram naturam indagari velit. Nobis sufficit monere aptissimam fuisse ad Ulixis expeditionem hanc galeam quae antea fuerat Autolyci. Novimus enim callidi hominis artem (Hesiod. fr. 111 Rz²).

ὅττι κε χερσὶ λάβεσκε, ἀείδελα πάντα τίθεσκε.

Itaque qualem vim Gygis annulus ac celeberrima Ἄϊδος κυνέη habebant, ea fuit opinor potestas huius galeae: non conspicitur ab iis qui adsunt is qui hac galea caput tegit. Ecce quam mire huius rei memoria, iam ipsi Doloneae poeta vix cognita, abierit in oblivionem et ad absurdae historiae formam detorsa sit. Erat apud Cretenses, teste Plutarcho in libro *de*

Digitized by Google

defectu oraculorum c. 14. festus quidam dies in quo καὶ εἴδωλον ἀνδρὸς ἀκέφαλον ἀνδεικνύουσι, καὶ λέγουσι ὡς οὗτος Μόλος ἦν ὁ Μηριόνου πατήρ, νύμφῃ δὲ πρὸς βίαν συγγενόμενος ἀκέφαλος εὑρέθη. Cultum heroïs Moli vetustum ut saepe fabulosa plebiculae inventio abscondit, nec tamen abolevit.

Sed accuratius est adumbranda Meriones homerici imago. In libro Λ cum ἐπ' ἀριστερὰ pugnatur adest Idomeneus, nec tamen Meriones eum comitatur, quem cum eo convenientem libro N vidimus et infra accuratius tractabimus. Sed antea de singulari libri P condicione dicendum est. Iterum locum quamvis longiorem exscribam (vs. 605—625).

Ἕκτορα δ' Ἰδομενεὺς μετὰ Λήϊτον ὁρμηθέντα
βεβλήκει θώρηκα κατὰ στῆθος παρὰ μαζόν·
ἐν καυλῷ δ' ἐτάγη δολιχὸν δόρυ, τοὶ δὲ βόησαν
Τρῶες. ὁ δ' Ἰδομενῆος ἀκόντισε Δευκαλίδαο
δίφρῳ ἐφεσταότος· τοῦ μέν ῥ' ἀπὸ τυτθὸν ἅμαρτεν,
αὐτὰρ ὁ Μηριόναο ὀπάονά θ' ἡνίοχόν τε
Κοιρανόν, ὅς ῥ' ἐκ Λύκτου εὐκτιμένης ἕπετ' αὐτῷ —
πεζὸς γὰρ τὰ πρῶτα λιπὼν νέας ἀμφιελίσσας
ἦλυθε, καὶ κε Τρωσὶ μέγα κράτος ἐγγυάλιξεν,
εἰ μὴ Κοίρανος ὦκα ποδωκείας ἤλασεν ἵππους·
καὶ τῷ μὲν Φάος ἦλθεν, ἄμυνε δὲ νηλεὲς ἦμαρ,
αὐτὸς δ' ὤλεσε θυμὸν ὑφ' Ἕκτορος ἀνδροφόνοιο —
τὸν βάλ' ὑπὸ γναθμοῖο καὶ οὔατος, ἐκ δ' ἄρ' ὀδόντας,
ὅσσε δόρυ πρυμνόν, διὰ δὲ γλῶσσαν τάμε μέσσην.
ἤριπε δ' ἐξ ὀχέων, κατὰ δ' ἡνία χεῦεν ἔραζε.
καὶ τά γε Μηριόνης ἕλαβεν χείρεσσι φίλῃσι
κύψας ἐκ πεδίοιο, καὶ Ἰδομενῆα προσηύδα·
„μάστιε νῦν, εἴως κε θοὰς ἐπὶ νῆας ἵκηαι·
γιγνώσκεις δὲ καὶ αὐτὸς ὅ τ' οὐκέτι κάρτος Ἀχαιῶν"
Ὣς ἔφατ', Ἰδομενεὺς δ' ἴμασεν καλλίτριχας ἵππους
νῆας ἐπὶ γλαφυράς· δὴ γὰρ δέος ἔμπεσε θυμῷ.

Praemisi hunc locum disputationi de Idomenei ἀριστείᾳ quoniam quamvis intricatus, et ex longiore quadam pugnae enarratione decurtatus contractusque, luculentius quam cetera omnia probat in antiquiore poesi non tali fuisse Merionem condicione ut Idomenei θεράπων dici posset. Quod ad rem ipsam attinet, teneamus memoria necesse est eandem pugnam hic

Digitized by Google

continuari quae libro Λ incohari narratur, sed iam extra castrorum moenia circum corpus Patrocli mortuum ardere proelium. Adest in primis Idomeneus, sed adest in curru pugnans, non suo — ut obiter legenti videri potest — non enim Idomeneus curru unquam uti solet in Iliade nostra, sed Merionis, id quod effici non potest ex versu conclamato N. 325 (*νῶϊν δ' ὦδ' ἐπ' ἀριστερ' ἔχε στράτου*) sed ex. P. 610 quem ut versibus obscuris qui sequuntur lucem afferant, frustra conantur emendare editores. Res aperta est. Merioni *ὀπάων* est; non ipse — hoc quidem loco — poetae videtur Idomenei esse *ὀπάων*.

Versus P. 604 sqq. aptissimum praebent argumentum iis qui — merito, ut mihi videtur — contendunt Iliadem nostram saepe damnum accepisse cum antiquorum carminum memoria Iliacum poema exornare studerent Homeridae. Idomeneae cuiusdam exitus in iis versibus servatus est, admodum nunc quidem exilis; fugientem enim sine iusta causa Idomeneum, iubente Merione, fingit poeta. Sed aptus est locus ad veram atque antiquiorem Iliade imaginem Merionis cognoscendam. Procul dubio antiquior illa poësis coniunxerat ambos Deucalides arcto vinculo. Et cum inter Helenes procos ipse solus Spartam venisse Idomeneus referretur, operae pretium visum est poetae Hesiodo diserte id monere (Hes. fr. 96. 16 Rz³.):

ἐκ Κρήτης δ' ἐμνᾶτο μέγα σθένος Ἰδομενῆος,
Δευκαλίδης, Μίνωος ἀγακλείτοιο γενέθλη,
οὐδέ τινα μνηστῆρα μετάγγελον ἄλλον ἔπεμψεν,
ἀλλ' αὐτὸς σὺν νηῒ πολυκλήϊδι μελαίνῃ
βῆ ὑπὲρ Ὠγυλιόν πόντου e. q. s.

Quid, si in eiusdem Catalogi fragmento 94 recte Blassius versum detruncatum „*ης πάντων ἀριδείκετος ἀνδρῶν*" addito nomine Merionis, iuniori quoque Deucalidae locum inter *Ἑλένης μνηστῆρας* dedisse putandus est?

Sed ad Idomeneam recurro. Iam ex iis quae attulimus apparet in colloquio amicorum N. 268 minime absurdum esse, licet cum antecedentibus parum conveniat, quod Meriones dicit „*ἀλλ' οὐ σχεδόν ἐστιν ἑλέσθαι*", non enim proxime Idomeneo habebat tentorium is qui *πυμάτας* ducebat Cretensium *φάλαγγας*. Item magis cum antiquiore de Cretensibus poemate, quam cum Iliade nostra convenit egregia Merionis laudatio quam

Digitized by Google

habet Idomeneus N. 275—290, quam fere invitus poeta ut aliunde sumtam arguit vs. 291: ἀλλ' ἄγε, μηκέτι ταῦτα λεγώμεθα νηπύτιοι ὥς. Praecipue enim in iis versibus ratio pugnandi laudatur qua Meriones dicitur quidem excelluisse, sed in nostra Iliade nusquam excellit, neque propter ipsam belli Troiani condicionem exellere potuit:

εἰ γαρ νῦν παρὰ νηυσὶ λεγοίμεθα πάντες ἄριστοι
ἐς λόχον, ἔνθα μάλιστ' ἀρετὴ διακρίνεται ἀνδρῶν e. q. s.

In Ilii campo vix locus est illi bellandi rationi. Memoratur quidem A. 227.

οὔτε λόχον δ' ἴμεναι σὺν ἀριστήεσσιν Ἀχαιῶν
τέτληκας θυμῷ,

sed non adhibetur. In Odyssea autem Ulixes cum se Cretensem fingit ac militem Idomenei λόχου mentionem inicit, fictam a se et in commodum suum excogitatam (ξ. 469):

ὡς ὅθ' ὑπὸ Τροίην λόχον ἤγομεν ἀρτύναντες,

quis vero aptus unice locus fuerit λόχῳ, lucide demonstrat hoplopoia in descriptione urbis oppugnatae (Σ. 512).

Longus sit necesse est qui singulas Idomeneae difficultates ac diserepantias monstrare aut explanare velit. Commentarii non disputationis illud est. Equidem hoc tantum ago ut gravioribus quibusdam indiciis diversam partium originem arguam. Seligam pauca, atque ea tantum quae antiquioris Idomeneae vestigia prodere possint. Attendendum est primum ad Asium, quem vs. 387 Idomeneus hasta interficit. Quam difficile sit, Asii sortem per libros M N explicare, omnes norunt. Primus praeest (M. 95) agmini Troianorum tertio. Statim post, pedestre proelium contemnens et curru desistere nolens, a ceteris se iungit (110), curru vectus cum aliis quibusdam Troianorum bellatoribus portam castrensem frustra aggreditur quam Lapithae defendunt (M. 124—175). Nunc autem, N. 383, postquam Idomeneus Othryonea interemit et πόδας εἷλκε κατὰ κρατερὴν ὑσμίνην:

τῷ δ' Ἄσιος ἦλθεν ἀμύντωρ
πεζὸς πρόσθ' ἵππων.

Itaque ad Idomeneum poeta Asium necessario reducit, nam — ut iam ipse M 176 sqq. monuerat — in fatis erat Asium manu Idomenei interfectum mortem obire.

Digitized by Google

Quis autem et unde Asius Hyrtacides? Eum (B. 836. cl. M 96) Ἀρίσβηθεν φέρον ἵπποι αἴθωνες μεγάλοι. Troianus igitur secundum Homerus erat. Sed legimus apud Stephanum Byzantium in voce Arisbe: Κεφαλὼν δέ φησιν ὅτι Δάρδανος ἀπὸ Σαμοθράκης ἐλθὼν εἰς τὴν Τρῳάδα τὴν Τεύκρου τοῦ Κρητος θυγατέρα γαμεῖ Ἀρίσβην. Itidem Eustathius ad M 96: Ἀρίσβη πατρὶς Ἀσίου κληθεῖσα οὕτω ἀπὸ Ἀρίσβης θυγατρὸς μὲν Τεύκρου τοῦ Κρητὸς, γυναικὸς δὲ Δαρδάνου. Originem Asii Cretensem praeterea arguere possit quod Hyrtacides dicitur. Extabat enim in insula Creta oppidum Hyrtace, et notior aliquanto est iurbs Cretica Asos, cultu Iovis Asii celebrata. Nonne haec fabularum Cretensium memoriam in Idomenea patefaciunt? Accedunt autem alia. Othryoneus cui Ἄσιος ἦλθ' ἐπαμύντωρ ex urbe Cabeso oriundus ab Homero dicitur. Quae urbs ubinam sita fuerit, commentatores veteres litigant; quim etiam eo ventum est, ut in editione Argolica pro verbis molestis (N. 363) Καβήσοθεν ἔνδον ἐόντα legeretur inepte Ἐκάβης νόθον ἔνδον ἐόντα. Obscura Othryonei ut erat origo ita persona. Nam secundum Homerus (N. 365):

ἦτεε δὲ Πριάμοιο θυγατρῶν εἶδος ἀρίστην
Κασσάνδρην ἀνέεδνον, ὑπέσχετο δὲ μέγα ἔργον.

idem autem Vergilius de Coroebo narrat (*Aen.* II. 341):

iuvenisque Coroebus
Mygdonides; illis ad Troiam forte diebus
Venerat, insano Cassandrae incensus amore.

unde efficimus, diversa in Cyclicorum poematis fuisse tradita de Casandrae proco.

In tam incerta re coniecturae locus esse videtur. Quid, si vere tradidit Hesychius, adnotans Ὄθρυς Κρῆτες τὸ ὄρος? Creticum nomen tum erit Othryoneus (= Ophryoneus) et Creticum par bellatorum Asius atque Othryoneus. Creticam Idomeneae memoriam tunc servat Homerus in hac parte Nausimachiae, sicut alibi nomina Cretensium in Idomenei rebus gestis occurrunt; etenim Z. 43 Idomeneus Phaestum perimit, Phaesti urbis heroem eponymum.

Libri N poeta antiquiorum carminum memoriam secutus quae heroum Cretensium praeclare gesta referebant, operam quidem dedit ut Idomeneum Merionemque consociaret tamquam

Digitized by Google

principem ac ὀπάονα, sed in enarratione quam splendido exornavit exordio (vs. 334)

ὡς δ' ὅθ' ὑπὸ λιγέων ἀνέμων σπέρχωσιν ἄελλαι,

heroes in pugnam consociatos comitatus, quos vs. 295 cum Marte, filioque Martis Phobo comparaverat, vix coniunctim pugnantes servat. Idomenei primum vestigia sequitur cui adesse Meriones iam non videtur. Neque hoc accurate cum priore consilio convenit, neque haec pars rhapsodiae, inde a versu 330 difficultatibus vacat quae originum diversitates arguere videntur.

Singula tractare nolo quoniam non de libri N compositione nunc ago, de qua disputare inutile est si non integros libros M—P adhibeas. Sed unum exemplum proferam quod prae ceteris memorabile mihi videtur.

Raptim percurramus versus 361 sqq. ubi — sine Merione — Idomeneus, Τρώεσσι μετάλμενος ἐς Φόβον ὦρσε.

Primum vs. 363 Idomeneus Othryonea interficit. Deinde vs. 387 Idomeneus Asium necat. Tertio loco Antilochus vs. 396 Asii aurigam caedit. Versus ipsos excribere necesse est, cum praesertim mireris non Merionem hic adesse Idomeneo ἐπ' ἀριστερὰ pugnanti, sed Antilochum de quo — quandoquidem N 93 cum Teucro ceterisque praesto fuerit Aiacibus ἐν τῷ μέσῳ — quaerere non absonum erit, qui fiat ut nunc iuxta Idomeneum certans adsit in altera pugnae parte. Audiamus poetam (N. 394):

ἐκ δέ τοι ἡνίοχος πλήγη Φρένας ἂς πάρος εἶχεν,
οὐδ' ὅ γ' ἐτόλμησεν δηΐων ὑπὸ χεῖρας ἀλύξας
ἂψ ἵππους στρέψαι. τὸν δ' Αντίλοχος μενεχάρμης
δουρὶ μέσον περόνησε τυχών· οὐδ' ἤρκεσε θώρηξ
χάλκεος, ὃν Φορέεσκε, μέσῃ δ'ἐνὶ γαστέρι πῆξεν.
αὐτὰρ ὅ γ' ἀσθμαίνων εὐεργέος ἔκπεσε δίφρου,
ἵππους δ' Αντίλοχος, μεγαθύμου Νέστορος υἱός,
ἐξέλασε Τρώων μετ' ἐυκνήμιδας Ἀχαιούς.

Tum vs. 411. Deïphobus, Ἀσίου ἀχνύμενος, Idomeneum hasta petit, sed Hypsenora Hippasi filium percutit.

Tandem Idomeneus Alcathoum Anchisis generum, qui M. 93 praeerat cum Paride et Agenore agmini Troianorum secundo, interficit. Quibus Troianis, qui quattuor erant numero, occisis Idomeneus exclamat (vs. 446):

Digitized by Google

Δηΐφοβ', ἦ ἄρα δή τι τετίσκομεν ἄξιον εἶναι
τρεῖς ἑνὸς ἀντὶ πεφάσθαι;

Haec adversa fronte inter se pugnant. Non tres sed quattuor Troianos interfecti erant: Othryoneus, Asius, Asii auriga, Alcathous. Quemnam igitur gloriatus victoria Idomeneus in numero occisorum non computavit?

Respondere quod certum sit difficile videtur. Indicabo tamen quaenam mihi nata sit suspicio. Simili fere morte plectuntur auriga ignotus Asii atque Alcathous. Nam Alcathous quoque miro terrore dum percellitur necatur (vs. 434):

τὸν τόθ' ὑπ' Ἰδομενῆϊ Ποσειδάων ἐδάμασσε
θέλξας ὅσσε φαεινά. πέδησε δὲ φαιδιμὰ γυῖα·
οὔτε γὰρ ἐξοπίσω φυγέειν δύνατ' οὔτ' ἀλέασθαι.

Duae igitur eiusdem pugnae „versiones" subesse huic narrationi videntur. τρεῖς illi sunt:

Othryones, Asius, Auriga
Othryones, Asius, Alcathous.

Sed reverane ignotus erat semperve fuit auriga ille? Latere potest eius nomen in parte Iliadis longe diversa, Diomedeam dico. Ibi iuxta Menelaum certans Antilochus itidem aurigam letali telo percutit. E 577 Pylaemenes interficitur dux Paphlagonum. Tum 580 Antilochus Mydonem Pylaemenis ἡνίοχον θεράποντα, ἐσθλὸν Ἀτυμνιάδην obtruncat. Nomina Cretica in hominibus Paphlagonibus! Pylaemenes enim heros κτίστης est decapolidis Creticae; filius Pylaemenis N 650 occumbit manu Merionis et tandem ut Mydonem Atymniadem Antilochus, ita Atymnium — Creticum est nomen — Meriones profligat Π. 318.

Nolo diutius hisce insistere. Persuasum mihi est, fieri non posse ut resecando, expungendo, conglutinando Teichomachiae, Nausimachiaeve partes antiquiores quaedam ac recentiores inter se discernantur atque coniungantur. Sed vestigia veteris mythologiae poeseosve secutos, nos antiquiores heroem formas distinguere posse pro certo habeo. Insunt enim in libro N fragmenta tantummodo, sed insunt, certaminis clarissimi in quo a Troianorum partibus Aeneas cum Deiphobo, a partibus Achaeorum Idomeneus cum Merione primas tenent. Obscurata haec sunt ea enarrandi ac decantandi licentia qua antiqui Homeridae ῥάψαντες ἀοιδὴν iure suo utebantur; quanto magis

Digitized by Google

obscurari necesse erat vetustissimorum carminum memoriam quae res non in agro Troiano sed in Cretensium montibus gestas olim exposuissent! In quibus carminibus tali amicitiae vinculo quale Glaucum Sarpedonti adiunxit Idomeneum ac Merionem sociatos fuisse, mihi quidem certum videtur.

Ad epigramma Graecum nuper in Aegypto repertum. Revue des Etudes grecques, 1915, p. 55, vs. 8:

ἤγουν μοι πείθη καὶ σὺ μέτελθε γο[ῶ]ν,

cuius initium se non intellegere fatetur editor Theodorus Reinach, per iotacismum η pro ει scriptnm esse videtur. Legendum enim, si quid video:

εἰ γοῦν μοι πείθῃ, καὶ σὺ μέτελθε γό[ω]ν.

Neque recte contendit editor vs. 5:

ἔγγυς μὲν ναίω Δημητρίου τοῦ Φιλαδέλφου

ἄμετρον esse, nam synizesis quae dicitur in voce Δημητρίου legitima vel saltem non prorsus inusitata est.

G. V.

Digitized by Google

AD SENECAE TROADES.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ [1]).

In tragoediae exordio Hecuba luget patriae interitum,

8. *ad cuius arma venit et qui frigidum*
septena Tanain ora pandentem bibit,
et qui renatum primus excipiens diem
tepidum rubenti Tigrin inmiscet freto,
12. *et quae vagos vicina prospiciens Scythas*
ripam catervis Ponticam viduis ferit.
excisa ferro est, Pergamum incubuit sibi.

Est hic versuum ordo in libris mss. traditus omnibus.

Hecuba igitur Troianis auxilium tulisse affirmat Rhesum, Memnonem, Penthesileam: Rhesus enim intellegendus est qui Tanaidis ripas incolat.

Locus editoribus Germanis displicuit: versus 12 et 13 Leo delevit, Richter post vs. 9 inseruit. Illius argumenta, quae in Analectis (I p. 209) exposuit, iam consideremus.

Scripsit autem, Senecam, quamvis situs locorum incuriosum, hoc tamen crimine absolvi Etrusci ope et auctoritate, qui praebeat: *et quae frigidum*, Amazon scilicet, cuius illic legitimus sit locus. Cuius cum iterum mentio fiat vss. 12 et 13,

---

1) Sero me meminisse doleo, J. J. Cornelissen τὸν μακαρίτην nonnullas annotationes ad Senecae tragoedias in Mnemos. Vol. V p. 175—187 evulgasse. Quibus nuper percensis didici coniecturam, qua Med. 987 correxisse mihi videbar (Mnemos. Vol. XLVI p. 414), ei deberi: iam anno 1877 magister meus optimus pro inepta lectione *faciunt* emendatione certissima *fervent* restituerat.

Digitized by Google

hos versus spurios esse contendit, quod confirmari ait verbo quod sequitur *excisa ferro est:* hoc enim nullo modo ut nunc legitur ad Troiam attinere, sed utique ad Amazonem.

Quid autem fiet, rogo, si Etrusci lectione *quae* (vs. 8) recepta versus 12 et 13 ad calcem paginae erunt relegati, ut Leo fecit? Nempe ut Rhesus iam nusquam compareat. At vero alia causa est propter quam scripturam codicis optimi *quae* veram non esse atque poetam verbis *qui... bibit* revera Rhesum significasse persuasum mihi habeo: videlicet Seneca alibi quoque in eundem errorem Istri cum Tanai confusi incidit, sc. Nat. Quaest. VI 7, 1: *Danubius ac Rhenus, alter Sarmaticos impetus cohibens et Europam Asiamque disterminans, alter Germanos, avidam gentem belli, repellens.* Quod a Gronovio iam observatum Leonem fugisse videtur.

Neque ultimum quod attulit argumentum mihi probari potest, verbum *excisa ferro est* nullo modo ut nunc legitur ad Troiam attinere, sed utique ad Amazonem. Hecuba vs. 4 exclamat: *me vĭdeat et te, Troia!* unde nomen Troia subiectum verbi *excisa ferro est* (vs. 14) idemque antecedens pronominis *cuius* (vs. 8) facile cogitatione intellegitur, dummodo post *ferit* (vs. 13) plene distinguatur.

In tragoediis legendis et emendandis nos memores esse oportet, non cum grammatico, sed cum poeta nobis esse negotium.

Denique Leo versum 11, quem recte de Memnone dictum agnoscit, duas ob rationes ineptissimum dicit: „primum Tigrin mari rubro excipi audimus — quod ferimus si cogimur; dein Assyrios ipsos flumen mari inmiscere, quale nemo umquam dixit."

„Immo vero Seneca dixit!" respondeo atque licentia illa poetica, qua posuit *qui Tigrin inmiscet freto* pro: *qui vivit ubi Tigris se inmiscet freto* mihi quidem tragico cothurno haud indigna videtur, aliquanto sane dignior quam Leonis coniectura, quae, ab elatione atque altitudine tragicae orationis alienissima, ad socculum et vulgarem sermonem proxime accedit:

tepidum rubenti Tigrin inmiscet mero.

Ita prorsus *rubenti mero*, ne Memnonem vinum candidum bibere solitum credamus!

Quicumque in carminibus interpretandis ista via ac ratione

Digitized by Google

uti velit, versum 189 haud dubie corruptum existimabit, ubi Talthybius de Achille praedicat:

egitque habenas Hectorem et Troiam trahens.

Absurde nimirum dictum putabit, Achillem, in curru stantem, oppidum totum secum traxisse. Neque sanum censebit versum 284:

gladiusque felix, cuius infecti semel
vecors libido est.

Rogabit, credo, quomodo gladio, vita et sensu carenti, humani affectus, qualis libido est, iure ac merito assignari umquam possint.

Ceterum satis me iam demonstrasse opinor, non solum versus 12 et 13 Leoni immerito in suspicionem incidisse et lectionem *freto* in vs. 11 iniuria ab eo esse sollicitatam, sed etiam ordinem versuum, quo in codicibus omnibus et in editionibus vetustioribus leguntur, perperam a Richtero esse immutatum, quo facto ad versus, qui continuo sequuntur, transeo.

Hecuba autem ita pergit:

15. *en alta muri decora congestis iacent*
tectis adusti, regiam flammae ambiunt e. q. s.

Haec Etruscus exhibet et Leo recepit — Richter lectionem codicis A *congesti — adustis* praetulit. Pro *congestis* Koetschau coniecit *conlapsi*, Peiper *disiecti* — pro *adusti* Bentley *adusta*. Equidem secutus codicis optimi vestigia emendo:

en alta muri decora cum celsis iacent
tectis adusti.

Cf. 652: *poteris celsa per fastigia*
missum rotari?

et 1075: *haec nota quondam turris et muri decus.*

Chorus Troadum cum Hecuba excidium patriae luget utque praeeat sibi reginam adhortatur.

79. *ite ad planctus, miseramque leva,*
regina, manum. vulgus dominam
vile sequemur: non indociles
lugere sumus.

Ut numerus pluralis *ite*, a loco nostro alienus, tolleretur,

Digitized by Google

Rutgers *ito* scribi iussit, quod editores veteres receperunt. Sane verum est, Iliades nondum inter se cohortari ut lugeant, sed prima strophe unam Hecubam compellare rogareque ut praeeat sibi et elevata manu modum luctus det planctusque: ipsae deinde se dominam secuturas esse pollicentur. Quae cum ita sint, voc. *ite* sine dubio corruptum est. At tamen non *ito ad planctus* reponendum esse arbitror, sed *itera planctus*, cl. vs. 96 sq.:

iterum luctus redeant veteres,
solitum flendi vincite morem.

Similiter poeta scripsit vs. 626: *iterabo metum.*

Strophe secunda ipsius Hecubae est, quae virginibus plangendi modum atque ordinem praescribit (vs. 83—98); tertiam (vs. 99—116) rursus Troades cantant, qua se Hecubae iussa iam exsecutas esse respondent. Ad illius autem verba:

83. *Fidae casus nostri comites,*
solvite crinem,
per colla fluant maesta capilli
tepido Troiae pulvere turpes

hoc virginum responsum pertinet:

99. *Solvimus omnes lacerum multo*
funere crinem;
coma demissa est libera nodo
sparsitque cinis fervidus ora.

Haec omnia ad illa quadrare apte ita demum videbuntur, si emendaveris mecum:

Solvimus omnes lacerum multo
pulvere crinem.

Cf. Herc. II 120: *Nos turpis macies et lacrimae tenent*
et crinis patrio pulvere sordidus.

Pyrrhus patris sui laudes praedicat.

210. *an meruit parum*
qui, fugere bellum iussus et longa sedens
aevum senecta ducere ac Pylii senis
transcendere annos, exuit matris dolos
falsasque vestes, fassus est armis virum?

Digitized by Google

Ut manifestae corruptelae, qua versus ultimus laborat (deest enim particula copulativa), mederetur Peiper in priore editione Teubneriana duo hemistichia posteriora commutavit atque in apparatu critico ascripsit, in Scaligeranis pro *exuit* inveniri *exuens*. Nulla tamen opus est mutatione, dummodo virgula tollatur, quae post *vestes* ab editoribus perperam collocata est, itaque locus intellegatur: exuit matris dolos falsasque esse vestes suas muliebres fassus est armis virûm i. e. eo quod arma virilia, quae inter ceteras merces femineas Ulysses persona institoris assumpta adduxerat, avide arripuit.

In eadem Pyrrhi et Agamemnonis altercatione hic praedicat:

250. *iuvenile vitium est regere non posse impetum;*
aetatis alios fervor hic primus rapit,
Pyrrhum paternus.

Peiper codici A astipulatus est postea, qui *hic primae* praebet, quam scripturam Heinsius acriter defendit, neque ego quomodo vindices lectionis codicis optimi *hic primus* eam interpretentur coniectura assequi possum. In aliis, inquit Agamemnon, fervor iste vitium iuvenile est, in Pyrrho paternum: alii ab aetate hoc habent, Pyrrhus a patre. Ad vocabulum igitur *fervor* attributum *primus* ferri nequit, voci *aetatis* tamen adiectivum *primae*, quamvis propter versum proxime antecedentem minime necessarium, addi potest. Quibus de causis lectionem libri deterioris *primae* recipiendam esse censeo aut, si quis Etrusci vestigiis omnino insistendum putet, auctor ei sum ut pro *hic primus* substituat: *imprimis*.

De vs. 263 sq.: *magna momento obrui*
vincendo didici
videantur ea quae ad Herc. Oet. 3 disserui.

Inferius paulo Agamemnon in Pyrrhum invehitur:

287. *regia ut virgo occidat*
tumuloque donum detur et cineres riget
et facinus atrox caedis ut thalamos vocent?
non patiar.

Sive post *vocent* signum interrogandi cum Richtero seu cum Leone virgula statuitur, vocabulum *caedis* mihi utique intolerabile est, pro quo vix dubito quin Seneca verbum aliquod scripserit quale est *quaeris* vel *tendis*.

Digitized by Google

Mox Pyrrhus Agamemnonem hac suspicione insectatur:

303. *iamne flammatum geris*
amore subito pectus ac veneris novae?

Haec manifeste corrupta sunt et Leo, quamquam scribendum coniecit *Amoris igne*, versui crucem praefigere satius duxit, Richter Bentlei coniecturam *amoris aestu* recepit. Maluerim: *amore rabido*, quod certe ad litterarum in libris mss. traditarum ductus proxime accedit.

Unus locus in eadem disceptatione restat, de quo interpretando pauca monenda mihi videntur.

Agamemnon postquam Pyrrho obiecit quod Priamum, supplicem paternum, trucidaverit, hic respondet:

313. *supplices nostri patris*
hostesque eosdem novimus.

Hoc dictum invidiosum interpretes non omnes recte intellexisse video. Kingery annotavit: „I recognize my father's suppliant (spared because he was a suppliant), and the same man as an enemy (whom I slew because he was an enemy in arms). Though plural, *supplices* and *hostes* refer to Priam", neque aliter Farnabius locum interpretatus est, qui ascripsit: „Supplici illi pepercit pater, hostem ego interfeci." At acritudinem et mordacitatem, quae Pyrrhi verbis inest, uterque non agnovit, Gronovius vero persensisse videtur, cuius haec sunt: „Immo hoc dicit: Recte meministi hostis supplicis: sic enim potes recordari, id patri meo sorte datum, ut qui hostes illi forent, tandem supplices fierent, quorum in numero et tu fuisti." Sic est! Pyrrhus insectatione sua Agamemnonem petit, id quod verba, quibus eam illustrat, abunde comprobant:

Priamus tamen
praesens rogavit; tu gravi pavidus metu
nec ad rogandum fortis, Aiaci preces
Ithacoque mandas clausus atque hostem tremens.

Andromacha et umbra Achillis ex inferis reduci et somnio perturbata exclamat:

430. *Stygis profundae claustra et obscuri specus*
laxantur et, ne desit eversis metus,

Digitized by Google

hostes ab imo conditi Dite exeunt.
solisne retro pervium est Danais iter?
certe aequa mors est. turbat atque agitat Phrygas
435. *communis iste terror, hic proprie meum*
exterret animum noctis horrendae sopor.

Corrigendum est: *certe aequa mors sit!* Andromacha haec vult: quoniam Achilli patuit ab inferis iter, Hectori quoque inde redire aequum est.

In iis quae sequuntur illustrandis Kingery in mirum errorem incidit interpretans: „That terror (Achilles' appearance), common to Greeks and Trojans alike, troubles and disturbs us." Non hercle vero! Scribere oportuit: „common to all Trojans alike" neque enim Graecos Andromacha cogitavit.

---

541. *quae tenera caeso virga de trunco stetit,*
par ipsa matri tempore exiguo subit
umbrasque terris reddit et caelo nemus.

Poetam scripsisse credo: *et caelo tenus.* Cf. Herc. Oet. 316:

primusque laudes novit et caelo tenus
erecta terras fama suppositas habet.

Ad rem etiam cf. Herc. Oet. 1620:

flectit hic pinum ferox
astris minantem et nube de media vocat

et Phaedr. 1007:

cum subito vastum tonuit ex alto mare
crevitque in astra.

Ulysses Andromachae, natus ubi sit aperire recusanti, minatur:

578. *verberibus igni † morte cruciatu eloqui*
quodcumque celas adiget invitam dolor.

Iure et Leo et Richter lectionem *morte* cruce affixa notarunt. Ille coniecit: *omnique*, Peiper: *nocte*, Koetschau *cruciatam* corrigere maluit.

Locus qui multum me vexavit nescio an sic restituendus sit:

verberibus igni mille cruciatûm eloqui
quodcumque celas adiget invitam dolor.

Digitized by Google

Versui 587: *stulta est fides celare quod prodas statim*, quem Leo delevit, Raphelingius post vs. 588 traiecit, an non locus suus reddendus sit post vs. 574 futuri editores videant, ita scilicet ut ibi Ulyssem praedicantem faciamus:

587. *stulta est fides celare quod prodas statim.*
575. *magnifica verba mors prope admota excutit.*

Andromacha, quae filium iam periisse simulat, facere non potest quin trepide respiciat tumulum, in quo occultus est, quod Ulysses animadvertens rogat: „Quid respicis trepidasque? iam certe perit" (sc. Astyanax): respondet illa

632. *utinam timerem. solitus ex longo est metus:*
dediscit animus † sicre quod didicit diu.

Pro lectione depravata *sicre* cod. Etrusci — *sero* cod. A alii alia protulerunt, Leo *saepe* scripsit de suo, Richter coniecit *nempe*. Vestigia veteris lectionis in codice optimo servata me inducunt ut emendandum esse credam:

dediscit animus s e g n e quod didicit diu.

Cf. Phoen. 418: *sic agmen armis segne compositis venit.*
et Phaedr. 509: *ornique ventis lene percussae tremunt.*

Iam Andromacha fluctuat dubia utrum Hectoris tumulum solo aequari patiatur an Astyanactis latibulum Ulyssi prodat:

648. *prorutus tumulo cinis*
mergetur? ossa fluctibus spargi sinam
disiecta vastis?

Corrigendum est: *p r o r u t o tumulo*, quod sana ratio exigit et comprobant versus

667: *tumulus hic campo statim | toto iacebit.*
677: *tumuloque cineris socia defenso cadam.*
Phoen. 115: *duc ubi sit altis prorutum saxis iugum.*

Mater filium e tumulo, ubi latuerat, progressum alloquitur:

715. *gere captivum positoque genu,*
si tua nondum funera sentis,
matris fletus imitare tuae.

Nonne potius: *matris fletus imitare t u i s*?

Andromacha filium iamiam periturum luget:

768. *genetricis o spes vana, cui demens ego*
laudes parentis bellicas, annos avi
medios precabar, vota destituit deus.

Digitized by Google

Lectio *medios* viros doctos vehementer offendit, qua reiecta Leo crucem voci praeposuit, Richter coniecturam suam *demens* substituit, Garrod *melius* emendandum censuit, Leo denique proposuit *toties*. Cum tamen multum diuque locum considerassem, traditam lectionem recte se habere atque ab omnibus suspicionibus vindicandam esse mihi persuasi: Andromacha enim Priami aetatem mediam intellegit, opibus, regno, liberis florentem, non senectutem eius, quae miseriis extremis obnoxia fuit, neque iuventutem, qua patriam ab Hercule captam vidit vastatamque, Laomedontem patrem amisit, ipse ab Hesione sorore grandi pecunia redemptus est, quo facto nomen Priami a verbo *πρίασθαι* accepit, cum ante Podarces appellatus esset. Nihil igitur mutandum esse censeo.

Mox ad Ulyssem rursus versa eadem precatur:

788. *concede paucas, ut mea condam manu*
viventis oculos. occidis parvus quidem,
sed iam timendus.

Qui lectionem cod. Etrusci *paucas* tuentur (cod. A *parvos* praebet), intellegunt scilicet *lacrimas*, quandoquidem proxime antecedit versus

lacrimis, Ulixe, parva quam petimus mora est.

Richter de suo *patiens* recepit, alii *patrios* vel *opacos* vel *caros* coniecerunt. Legendum puto:

concede, partus ut mea condam manu
viventis oculos.

Cf. vs. 137: *post elatos Hecubae partus.*
Phaedr. 691: *crimen biformi partus exhibuit nota.*
Herc. Oet. 407: *conciliat animos coniugum partus fere.*
Oct. praet. 949: *cara marito partuque potens.*

Ad filium rursus Andromacha versa loquitur:

794. *fremitu leonis qualis audito tener*
timidum iuvencus applicat matri latus,
at ille saevus matre summota leo
praedam minorem morsibus vastis tenens
frangit vehitque: talis e nostro sinu
te rapiet hostis.

N. Heinsius *summota loco* scribi iussit cl. Med. 927: *discessit loco,* quod Richter recepit. Atque sane voc. *leo* in *at ille*

Digitized by Google

saevus leo pueriliter repetitum est, sed non *loco* rei consentaneum puto, emendandum potius: *matre summota nece.*
Cf. Phoen. 106: *notum nece | ensem paterna.*
ibid. 260: *genitorem adortus impia stravi nece.*
Denique in hoc colloquio summa arte composito locus unus restat, qui malae interpretationi potest esse obnoxia: dico vs.

806. *sume nunc iterum comas*
et sume lacrimas, quicquid e misero viri
funere relictum est, sume quae reddas tuo
oscula parenti.

Ad *iterum* Kingery annotavit: „*now, over our son, as formerly at your death.*" Hoc verum non est: Andromacha voc. *iterum* ad vs. 799 sq. respicit, ubi iam dixerat:

oscula et fletus, puer,
lacerosque crines excipe.

Cf. formula: vale iterumque vale.

Hecuba, Andromacha, Polyxena ipsa ab Helena certiores factae iam sunt de inferiis Achilli ita peragendis ut Polyxena veste nuptiali induta ei mactaretur. Ex Andromachae verbis discimus, Polyxenam animo forti laetoque nuntium accepisse, Hecubam vero primum novo malo prope succubuisse, sed mox ad se rediisse. Iam mater grandaeva in questus erumpit precaturque ut post tot funera hoc unum dei immortales sibi remittant atque ipsam de vita decedere patiantur. Deinde ad filiam morituram se convertit, quam lacrimas cohibere non potuisse cernit

965. *irrigat fletus genas*
imberque victo subitus e vultu cadit.

Iam superat affectus amorque maternus: suo dolore absterso dolorem eius consolari cupiens dicit:

967. *laetare, gaude, gnata. quam vellet tuos*
Cassandra thalamos, vellet Andromache tuos.

Andromache autem, subtili iudicio consilium matris perspiciens, toto animo se sociam ei adiungit affirmans:

nos, Hecuba, nos, nos, Hecuba, lugendae sumus,
quas mota classis huc et huc sparsas feret.

Digitized by Google

Quid sincerius veriusque excogitari, quid pulchrius elegantiusque enuntiari potuit? At tamen Richter vs. 967 et 968 post vs. 978 traiecit et Leo eum secutus est! Reclamo quantum possum.

In cantico quod sequitur haec leguntur

1029. *aequior casum tulit et procellas,*
mille qui ponto pariter carinas
obrui vidit tabulaque litus
naufraga, terris mare dum coactis
fluctibus Corus prohibet, revertit.

Pro lectione in libris mss. tradita et manifeste corrupta *litus* Leo *vectus* — Richter auctore M. Muellero *latus* posuit, Koetschau *laetus* coniecit. Suspicor veram lectionem fuisse *tutus*, quod cogitata *qui mille pariter carinas obrui vidit* et *tabula naufraga tutus* inter se opposita nec non alliteratio commendat. Quod inferius paulo vs. 1051 pro *flagret* in meo exemplari emendaveram *lucet*, Garrrodum iam occupasse nunc video gaudeoque.

Nuntius mortem Astyanactis enarrat,

1091. *ut summa stetit*
pro turre, vultus huc et huc acres tulit
intrepidus animo.

Haec deinde illustrat comparatione adhibita

qualis ingentis ferae
parvus tenerque fetus et nondum potens
1095. *saevire dente — iam tamen tollit minas*
morsusque inanes temptat atque animis tumet:
sic ille dextra prensus hostili puer
ferox † superbe.

D. Heinsius coni. *superne*, addens: „potes et *ferox superbus*", Leo *superbit*. Verbum utique requiro, qua de causa maluerim: *ferox superstat*. Nuntius scilicet repetit vs. 1091: *summa stetit pro turre*. Similiter de Polyxena infra vs. 1151 refert:

conversa ad ictum stat truci vultu ferox.

Digitized by Google

STUDIA EPIGRAPHICA.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.

I.

Parvam inscriptionem, quam primam interpretari conabor, olim ab homine mihi ignoto non care emi. Est fragmentum tenuis tabulae aeneae in duas partes fractum. Latitudo fragmenti est 0m.23, altitudo 0m.045; altitudo litterarum versus superioris circiter 0m.007, inferioris circiter 0m.009. Litterarum ductus firmiter et satis alte in aes incisi sunt, formae saeculum VIum a. C. arguunt. Omnia a sinistro ad dextrum scripta sunt. Sed animadvertes inferioris versus litteras inversum ductas videri. Duae igitur fuerunt in hac tabula inscriptiones, quarum utriusque pauca ex ultimis versibus verba in fragmento nostro adhuc comparent.

Versu superiore legitur:

ρχμὰς ε⌈×τν'· ὀλὲν Ηιέρας· τ'. ἐ

sive:

...[δα]ρχμὰς πεντακισχιλίας τριακοσίας πεντήκοντα. οὐλὴν Ἱέρας· τριακοσίας. ἐ...

Altero versu legitur:

πάντα.....ας ρδ'

sive:

πάντα· [δαρχμ]ὰς ἑκατὸν τέσσερας.

Rationes igitur hac tabula consignatas fuisse in aperto est. Verba autem οὐλὴν Ἱέρας mea sententia significant: *hordeum Hierae.* Vocem enim quae est οὐλή, quae plurali numero *molae*

Digitized by Google

salsae apud Graecos nomen est, olim *hordeum* (quod deinde ab omnibus *κριθή* dictum est) significasse consentaneum est. Fuerint ergo rationes *σιτωνῶν* civitatis alicuius.



Iam locum, ubi tabula conscripta est, ut definiamus, argumenta nobis suppetunt haecce:

1°. Litterae forma simillimae sunt earum, quae in titulis Magnae Graeciae comparent [1]); conferas modo litteras δ, h, ι, λ, π, σ, χ. Oppida autem Magnae Graeciae litteras suas ex Achaia accepisse arbitratur Kirchhoffius. Quamquam hoc pro certo nemo affirmare possit, quandoquidem vetusta Achaiae litteratura nobis maximam partem ignota est. Constat vero litteraturam Magnae Graeciae litteraturae Chalcidis et coloniarum eius valde similem esse. Solum signum M pro Σ in illis non occurrit.

2°. Ἱέρα uni ex Liparis nomen est, quae hodie *Volcano* vocatur. Fertilis quidem insula non est, sed colebatur tamen ab incolis Liparae [2]).

3°. Quod ad dialectum attinet, verba ὁλὴν Ἱέρας attica esse possent. Sed titulum atticum non esse demonstrat litteratura. Quid ergo? Dialectus ionica est, sed nomen Ἱέρα hic dorica terminatione praedita est, cum tamen forma vocis *ἱερός* tantum ionica (et attica et arcadica) sit: dorica enim forma est *ἱαρός*. Iam reputantes, ubi dorica dialectus ionicae commixta reperiatur, rursus subit cogitare de eadem fere regione, scilicet

1) V. Larfeld, Handb. der griech. Epigr. II, Schrifttafel, et p. 350.

2) Thucyd. III, 88: *οἰκοῦσι δ' ἐν μιᾷ τῶν νήσων οὐ μεγάλῃ, καλεῖται δὲ Λιπάρα· τὰς δὲ ἄλλας ἐκ ταύτης ὁρμώμενοι γεωργοῦσι, Διδύμην καὶ Στρογγύλην καὶ Ἱέραν.* Diod. V, 9; Strab. VI, p. 225; Paus. X, 11, 4.

Digitized by Google

de coloniis chalcidensibus in ora septentrionali et orientali Siciliae, quae initio saeculi Vi a Doribus occupatae sunt. E quibus de Himera servatur ipsius Thucydidis testimonium inaestimabile: *φωνὴ μὲν μεταξὺ τῆς τε Χαλκιδέων καὶ Δωρίδος ἐκράθη* [1]), et Messanae nummis saeculo V° modo *Μεσσανίων*, modo *Μεσσηνίων* inscriptum est. Ipsas Liparas, teste Diodoro [2]), iam Lª olympiade (580—576) Cnidiorum coloni sibi vindicaverunt. Ab eo inde tempore demum in Liparis dorica ionicis admixta sunt et insula, ab incolis primum, deinde etiam ab accolis, Ἱέρᾳ nuncupari coepta est.

Inscriptionem igitur saeculo VI°, sed diu post a. 575 conscriptam esse reor Zanclae vel Rhegii vel in alia eiusdem regionis colonia chalcidensi, cuius *σιταγέρται* etiam hordeum Hierae coëmerant.

Quantum ego sciam, hucusque nulla inscriptio saeculi sexti reperta erat, quae notas numerales alphabeticas exhibebat. Aetate inter titulos, in quibus illae exstabant, praecellebat inscriptio halicarnassensis ex secunda parte saeculi Vi [3]). Inde profectus olim Bruno Keil suspicatus est notas numerales alphabeticas inter annos 550 et 425 in Caria dorica ab aliquo excogitatas esse [4]). Quae quidem opinio novo quod attuli documento nunc refutata est. Contra Larfeldio, qui notas numerales alphabeticas vel VII° saeculo antiquiores esse rationibus et argumentis evicit [5]), inscriptio mea auxilium dabit non inperatum quidem, arbitror, sed tamen haud ingratum.

Artifex qui titulum in aes incidit etiam notas herodianeas quae dicuntur probe callebat. Nam numerum qui est *quinque milia* dupliciter, scilicet littera E et deinde littera π litterae χ superimposita expressit. Quod eum ambiguitatis vitandae causa fecisse apparet, cum littera E etiam significaret *quinque*.

II.

Nunc agam de inscriptione saeculi a. C. IIIi prope oppidum

1) Thucyd. VI, 2.
2) Diod. V, 9.
3) Dittenberger, Syll.³ 46.
4) Hermes, 1894, p. 280.
5) L. l. II, p. 419 sqq.

Digitized by Google

Aegas in Aeolide meridionali reperta, qua continetur pactum inter Aegas et Olympenos de lana importanda. Hanc Salomon Reinach iam a. 1891 publici iuris fecit et interpretatus est [1]). Deinde Iosephus Keil et Antonius de Premerstein a. 1906 ipsum lapidem inspexerunt et nonnulla in eo legerunt [2]), quae Reinachius in ectypomate sibi misso expedire non potuerat. Docti Austriaci inscriptionem hoc modo restituerunt:

μα
αιλ
οιο
εμι
ἐξώμ-
[ιδας] ἄδολα ἀμ-
[όργινα] τριημίσ[εον], ἰμά[τι-]
[α ἐρί]ων, οἶνον. Ὅκοσσον
[ἐργ]ωνοῖσι ἐν Ὀλύμπ[η], ἔ-
[ριο]ν, ὅττι κε ἦ, μὴ ἐργά[ζ-]
εσθαι. Τὰ ἐγκλήματα, ὅσ-
σα ἔον Αἰγαέεσσι καὶ Ὀλυ-
μπήνοις πρόσθε τᾶς ὑμ-
ολογίας, πάντα διαλέλ-
υσθαι. Ἔπεροι καὶ ἀρνή-
αδες ἐρίων ἀτέλεες. Χ-
ιμαιράδες, αἴ κε τέκοισι,
ἀτέλεες. Ἀρνηάδων ἔ-
ταλα ἀτέλεα.

Verba ὅκοσσον — ἐργάζεσθαι (vs. 8—11) significare arbitrantur, „dass Bürger von Aigai insofern (ὅκοσσον) sie in Olympe gewerbliche Arbeiten gegen Entgelt übernehmen, keine irgendwie gearteten Wollprodukte für die dortigen Bewohner herzustellen befugt sind." Explicationis gratia addunt haec: „Damit ist offenbar der Schutz der von Olympenern betriebenen Wollindustrie gegen auswärtige Unternehmer bezweckt." Haec recte disputata esse concedere nequeo, quia et eiusmodi usus vocis

1) Rev. des Et. grecques, 1891, p. 268 sqq.

2) V. Denkschr. der kais. Akad. der Wiss. vol. LIII (Vindobonae. a. 1910), II, p. 97 sq.

Digitized by Google

ὅκοσσον valde mirus esset et mancipes operum peregre lanam expedire vel texere non solent neque multum profuisset solos mancipes vetare lanam facere, ceteris Aegaeensibus, qui apud Olympenos degerent, permittere, maxime vero quod, si haec recte haberent, hoc pacto cives oppidi Graeci prohiberentur, quominus lanificio operam darent, barbari vero accolae in montibus suis id libere exercerent. Nonne consentaneum est in contrarium hoc vertendum esse? Age, non ante, sed post verba ὅκοσσον .. ωνοισι distingue, sequetur: Ἐν Ὀλύμπῃ ἔριον, ὅττι κε ᾖ, μὴ ἐργάζεσθαι, *in finibus Olympenorum lanam, qualiscumque est, ne faciunto.* Atque hic est cardo conventionis. Nam coloniae Graecae lanam, qua iis ad lanificium, quo excellebant [1]), opus erat, a pastoribus Mysiis et Phrygiis emebant, maxima vero damna accepissent, si ipsi barbari lanam nere et texere consuevissent. Non enim sibi tantum vestimenta faciebant, sed etiam illis et aliis vendebant.

Quod ad initium inscriptionis attinet, lectionis ἀμ[όργινα] et τριημίσ[εον] non malae quidem, sed nimis incertae sunt. Contra editorum supplementa ἐξώμ[ιδχς] et ἰμά[τια ἐρί]ων [2]) optima videntur. De vestimentis ergo hic sermo est. Sed sequitur deinceps: οἶνον. Itaque, quod editores timidius suspicati sunt, satis certum mihi videtur, scilicet hic enumerari merces, quas Olympenis, cum Aegas cum pecore et velleribus mercatum venirent, sine vectigalibus emere et exportare concessum esset. Vs. 8 sq. scribendum esse censeo:

οἶνον, ὅκοσσον
[ὀψ]ωνοῖσι. [3])

.. *vinum et quodcumque obsonium emunt.*

Non omnem commeatum quaestus et mercaturae faciendae causa coëmere et auferre iis licet, sed tantum victus exportare quantum quisque domi consumet. Conferas quaeso id quod legitur in inscriptione ex vicina Magnesia: ἀ[τέλειαν] εἶναι

---

1) Inprimis Miletus. Cf. etiam inscriptio Tei saeculi IIIi (A. M. 1891, p. 292, Hoffmann, Griech. Dial. III, n° 106, Berl. Sitz. Ber. 1898, p. 545), vs. 13 sq.

2) Cf. Aristoph. Av. 493: χλαῖναν ... Φρυγίων ἐρίων.

3) Reinachius in ectypomate initio vs. 9 ante ωνοισι duarum litterarum vestigia evanida agnovit; scripsit enim: ΕΤΩΝΟΙΣΙ.

Digitized by Google

Φωκαιεῦσιν ἐν Μαγνησίᾳ ἀπ[άντων] ἐξάγοντας ὅσα ἂν εἰς τὸν ἴδιον [οἶκ]ον ἐξάγωσιν [1]).

Sed nunc mihi cum Bechtelio res est, qui editoribus exprobravit vocibus ὄκοσσον et ἐργωνοῖσι in inscriptione aeolica locum non esse [2]), ὄκοσσον igitur non bene lectum pro κὄσσον [3]) aut ὅποσσον, ἐργωνοῖσι male suppletum esse. Quod si verum esset, aeque de mea lectione ὀψωνοῖσι valeret. Neque Bechtelius, qua est doctrina et prudentia, haec sine aliqua specie veri statuit, nam ὄκοσσον ionicum sonat et pro ὀψωνοῖσι in aeolica inscriptione ὀψώνεισι vel ὀψωνέοισι exspectaremus. Sed reputandum est, quam diu sermo aeolicus in illa regione duraverit et purus manserit. Inscriptionem quarto saeculo exeunti tribuerat Reinachius, sed de sententia novissimorum editorum procul dubio recentior est [4]). Tertio saeculo dialectus aeolica in vicina urbe Pergamo propemodum evanuit et in universum dialecti Graecae formis τῆς κοινῆς διαλέκτου inquinatae sunt. Tunc etiam varia monstra hyperdorica et hyperionica coorta sunt et nonnullae formae mixtae inter duas dialectos intermediae [5]). Nonne igitur ea aetate etiam forma ὀψωνοῖσι ex aeolica ὀψωνέοισι et ionica ὀψωνοῦσι coalescere et ὄκοσσον ex vicino sermone ionico irrepere potuit?

III.

Milet, III, das Delphinion, p. 177, n° 33, e, 4: δοῦναι δὲ τὸν γραμματέα τὸ ἀντίγ[ρα]φον καὶ τοῖς οἰνοφύλαξι, τοὺς δὲ παραλαβόντας καταχωρίσαι εἰς [τὰ] λευκώματα, ἐν οἷς καὶ αἱ ὠναὶ ὑπάρχουσι.

Merito in voce οἰνοφύλαξι haesit Wilamowitzius [6]), quam ut explicaret, editor Rehmius sine idonea causa suspicatus erat

---

1) Kern, Inschr. von Magnesia, 7b; Dittenberger, Syll.² 480.

2) Bechtel, Aeolica, p. 44 sq.

3) Bechtel l. l.: „Nimmt man an, dass die Punkte, in denen die Herausgeber Spuren von O sahen, von einer Verletzung der Fläche herrühren, die schon zur Zeit ihrer Benutzung vorhanden gewesen war, so erhält man den Complex ΚΟΣΣΟΝ."

4) „Buchstaben frühhellenistischer Zeit, nach Reinach etwa aus dem Ende des 4ten Jahrhunderts, unseres Erachtens sicher später."

5) Thumb, Handb. der griech. Dial. § 52, p. 46; Neue Jahrb. 1905, p. 391 sq. Cf. etiam I. G. XII, 2, 8; Wackernagel, Sprachl. Unters. zu Hom., p. 97.

6) Gött. Gel. Anz. 1914, p. 101.

Digitized by Google

hic de vineis agi. Equidem, collata inscriptione Delphica [1]): τὰν ὠνὰν καὶ τὸ ὁμόλογον Φυλάσσει Καλλίερος, vix dubito (sive quadratarius sive editor hac in re peccavit) quin pro τοῖς οἰνοφύλαξι legendum sit: τοῖς ὠνοφύλαξι.

IV.

Omnes qui multas inscriptiones Graecas ex lapidibus ipsi descripserunt, sciunt quam facile permutentur litterae A et X. Velut Clarkius olim in inscriptione Boeotica legerat: Διὶ Μειλία, quod hodie dudum emendatum est in: Διὶ Μειλίχ[υ] [2]). Iam in lapide quodam aetatis Macedonicae prope Amphipolin invento, quem solus vidit et descripsit Pantazidis, legit ille: Δημόνικος Ῥίχνου [3]). Cum cetera nomina eius tituli bene Graeca sint, non est veri simile unum Ῥίχνον esse nomen Thracicum. Sed ex lingua Graeca explicationem non habet. An in lapide scriptum erat: Δημόνικος Ῥιανοῦ?

V.

In inscriptione quadam ex Amphissa legitur: ἀπέδοτ[ο Σω]σίλα Ζωσᾶ Ἀμφισσὶς τῷ Ἀσκλαπιῷ τῷ ἐν Ἀμφίσσᾳ σῶμα οἰκ[ογεν]ές, ᾇ ὄνομα Νικοστράτα, δοῦσαν Ὀ[ν]ησιφόρῳ [4]) Νίκωνος παιδία δύο [εἴτε ἐ]ξ ἀθῆς εἴτε ἀγοράσασα μὴ ἔλασσον τῶν δύο [5]). In meo ectypomate lego: ΙΕΩΝ δύο. Legendum esse puto: μὴ ἔλασσον υἱέων δύο.

---

1) Dittenberger, Syll.² 850, 27 sq. Cf. ibid. 844, 14 sq.
2) Ibid., 579, 4.
3) Dittenberger, Syll.² 832, 5.
4) Ο.ησιφόρῳ est in lapide, non Ο.ασιφόρῳ.
5) Dittenberger, Syll.² 844, 6 sqq.

Digitized by Google

AD SENECAE PHOENISSAS.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Oedipus cum Antigona in scenam progressus loquitur.

1. *Caeci parentis regimen et fessi unicum*
patris levamen, gnata, quam tanti est mihi
genuisse vel sic, desere infaustum patrem.

Displicet Gronovii coniectura *lateris levamen*, quae ab editoribus fere recipitur, atque omnino reiciendam videtur Peiperi propositum *pariter l.* Maluerim: *gradus levamen, gnata.*

Mox haec sequuntur

5. *melius inveniam viam,*
quam quaero solus, quae me ab hac vita extrahat
et hoc nefandi capitis aspectu levet
caelum atque terras.

Haud inutile videtur monere, attributum *solus* ad verbum *inveniam* — non ad verbum *quaero* pertinere, qua de causa virgula post *quaero* collocare praestat, id quod editores adhuc neglexerunt.

Oedipus se loca multa horrenda peragraturum dicit et

19. *qua cucurrit, corpus invisum trahens,*
Zethi iuvencus, qua per horrentes rubos
tauri ferocis sanguis ostentat fugas.

Leo pro *invisum* de suo *inlisum* scripsit, quod Richtero persuasit. At versum, quem ipse attulit ad coniecturam confirmandam, traditam lectionem vel maxime tueri mihi videtur; est vs. 96:

aliquando terra corpus invisum tege.

Digitized by Google

Nempe corpus Dirces alligatae, quod taurus exuere non poterat, huic invisum erat itaque magis magisque in rabiem actus est. Nec non se iturum Oedipus praedicat

22. *qua alta maria vertice inmenso premit*
Inoa rupes, qua scelus fugiens suum
novumque faciens mater insiluit freto
mersura natum seque.

Peipero auctore Leo et Richter pro corrupta lectione *fugiens suum* scripsere: *f. novum*, Gronovius *scelus fugiens viri* legendum censuit, cum in Vossiano esset *fugiens sui*. Tam alliteratio quam ductus litterarum traditarum me inducunt ut veram lectionem esse credam: *scelus fugiens ferum*. Cf. Troad. 1057:

quod tam ferum, tam triste bis quinis scelus
Mars vidit annis?

Oedipus patrem necatum compellans et caecitatem suam significans dicit:

169. *nec ista morte contentus fui,*
nec me redemi parte.

Pro *morte* Gronovius probabiliter, immo evidenter coniecit: *nocte*, quod editores recentiores ne memoraverunt quidem. De pronominis *iste* usu pro *hic* cf. quae ad Herc. Oet. 128 disserui. Deinde solatia, quibus Antigona eum mitigare studuit, his verbis repellit:

216. *me fugio, fugio conscium scelerum omnium*
pectus, manumque hanc fugio et hoc caelum et deos
et dira fugio scelera quae feci innocens.

Versum ultimum Leo et Richter iussu Wilamowitzii deleverunt. Male! Dummodo bona lectio *feci nocens*, quae in cod. A servata est, restituatur, versus apte respondet ad Antigonae verba vs. 204 sq.:

et hoc magis te, genitor, insontem voca,
quod innocens es dis quoque invitis.

Idem tam parentis quam nati nomen sibi horrendum dicit:

226. *utinam quidem rescindere has quirem vias*
manibusque adactis omne qua voces meant
aditusque verbis tramite angusto patet,
eruere possem!

In cod. A lectionem genuinam *quo* pro *qua* servatam esse

Digitized by Google

suspicor. Versu enim proxime antecedenti Oedipus se vias, meatus, cavernas auditus (qua voces meant) rescindere posse optavit, hoc versu etiam sedem ipsam auditus (quo voces meant) eruere se velle addit. Voc. vero *omne* corruptum habeo, pro quo nescio an sit legendum *antra*, ut antra narium, palati, pectoris Latine dicuntur.

Iam lamentari pergit:

241. *nullas animus admittit preces*
novamque poenam sceleribus quaerit parem:
et esse par quae poterit?

Bothium ante me perspexisse emendandum esse: *at esse par quae poterit?* in editione priore Teubneriana vidi, cuius emendationis neque in editione altera neque a Leone fit mentio. In iis quae mox Oedipus rogat:

249. *aliquis intra viscera*
materna letum praecoquis fati tulit:
sed numquid et peccavit?

corrigendum moneo: *sed numquis et peccavit?*

Antigonae ad Iocastam verba sunt:

404. *compesce tela, fratribus ferrum excute,*
nudum inter enses pectus infestos tene:
aut solve bellum, mater, aut prima excipe.

Pro *nudum* quin *medium* reponendum sit, nemini, opinor, dubium erit. Cf. vs. 457: *media se opponit parens.*

Refert nuntius, quomodo Iocasta proelium Eteoclis et Polynicis prohibere conetur:

440. *laniata canas mater ostendit comas,*
rogat abnuentes, irrigat fletu genas.

Pro *abnuentes* nescio an rectius *ambigentes* scripseris coll. versu proxime sequenti:

negare matri qui diu dubitat, potest.

Iamque matrem ipsam fratres compellantem audimus:

454. *in vestra manu est,*
utrum velitis: sancta si pietas placet,
† *donate matri pacem, si placuit scelus,*
maius paratum est.

Digitized by Google

Versum mutilatum editores cruce praefixa notarunt, e quibus Richter apparatum criticum etiam coniecturis virorum doctorum oneravit, quarum alia est alia improbabilior, de Gronovii vero emendatione palmari, qua iam pridem locum sanavit, apud eos οὐδεὶς λόγος. Quae cum ita sint, ea quae maxime ad rem causamque pertinent ex eius annotatione describere lubet. Scripsit autem et alia et haec:

„Venit in mentem hic fuisse: *si pietas placet, Donate matri bella:* eodem sensu verbi *donare*, de quo ad vers. 232. monuimus: quem non assecutus corrector, cogitans matrem intervenire pacificatricem, *pacem* ingessit ἀντὶ τοῦ *bella*: ut superius *Negastis* pro *Donastis*. Nimis quam verisimilis haec mihi coniectura videtur, utcumque sit audacior."

Gronovii coniecturae etiam versum, qui mox sequitur, adminiculum haud leve esse arbitror:

proinde bellum tollite aut belli moram,

ubi Iocasta *belli moram* nimirum se ipsam dicit.

Deinde Polynicem multis incusans et alia dicit et haec:

542. *ut recedas, magna pars sceleris tamen*
vestri peracta est: vidit hostili grege
campos repleri patria e. q. s.

Quandoquidem toto hoc loco cum uno Polynice matri res est, legendum videtur: *magna pars sceleris tamen | vasti peracta est.* Cf. Herc. Oet. 767:

nec audent fata tam vastum nefas
admittere.

Denique vs. 558:

petendō patriam perdis? ut fiat tua, e. q. s.

ad Herc. Oet. vs. 3 a me emendatum esse moneo.

Digitized by Google

DE C. ASINII POLLIONIS AD ANTONIUM TRANSITIONE.

SCRIPSIT

IACOBUS VAN WAGENINGEN.

Caesar cum ineunte anno 44 a. Chr. n. Romae expeditionem Parthicam pararet, C. Asinium Pollionem praetorium [1]), qui toto bello civili ab eo steterat eumque a Rubiconis transitu usque ad pugnam Mundensem strenue adiuverat, in Hispaniam ulteriorem, M. Lepidum in Hispaniam citeriorem et Galliam Narbonensem, L. Munacium Plancum in Galliam comatam misit. Pollioni autem imprimis mandatam erat, ut in Hispania bellum cum Sexto Pompeio, Pompeii Magni filio, conficeret, sed rem parum feliciter gerebat [2]) clademque effugit, partim quia Lepidus ei auxilio venit, partim cum Sextus a senatu in Italiam revocatus orae maritimae praeficeretur.

Eodem fere tempore Octavianus, postquam Caesarem Idibus Martiis interfectum accepit, Apollonia, ubi frustra eum exspectaverat, Romam rediit, veteranos Caesaris et duas Antonii legiones sibi conciliavit palamque adversarius exstitit Antonio, qui curaverat, ut populus Galliam Cisalpinam provinciam, iam a senatu Decimo Bruto consuli designato decretam, sibi daret. Inde ortum bellum, quod dicitur Mutinense, quo Brutus Mutinae ab Antonio obsessus, ab Octaviano obsidione liberatus est, Antonius fugit Italiamque deseruit, consulum tamen alter

1) App. b. c. IV 84; Vell. II 60.
2) Dio 45, 10.

Digitized by Google

(Hirtius) in acie, alter (Pansa) post paucos dies e vulneribus mortem obiit [1]). Quae facta sunt die 26° vel 27° mensis Aprilis anni 43[1].

Per omne id tempus Pollio in Hispania manebat (ab Idibus Martiis anni 44 usque ad bellum Mutinense, mensem Aprilem a[1] 43) ibique quietem agebat, etsi tres habebat legiones [2]), quas Antonius et Lepidus ab eo flagitare non destiterunt. Asinius, etsi haud facile erat milites praemiis et pollicitationibus incitatas retinere, tamen exercitum rei publicae servare maluit quam vendere Antonio vel deminuere.

De iis rebus tres epistulas ad Ciceronem scripsit (ad fam. **X 31; 32; 33**), quarum una (31) a. d. XVII Kal. Apriles (= d. 16° m. Martii anni 43[1]), altera (33) exeunte mense Maio eiusdem anni, postquam nuntius cladis Mutinensis in Hispaniam perlatus est, tertia (32) a. d. VI Idus Iunias (= d. 8° m. Iunii) Corduba Romam missa est [3]). Quae litterae, etsi Ciceronis epistulae, ad quas Pollio rescripsit suas, desunt, tamen egregiam nobis dant occasionem èt animi Asinii penitus inspiciendi èt causas eruendi, cur hic vir, qui paulo ante (X 31, 3) scripserat: „*ita, si id agitur, ut rursus in potestate omnia unius sint, quicumque is est, ei me profiteor inimicum, nec periculum est ullum, quod pro libertate aut refugiam aut deprecer*," idem iam mense Septembri Antonio Decimum Brutum obsidione liberatum persequenti duas adduxit legiones suas [4]) atque Plancum ei conciliavit [5]).

In epistula 31[a], quam primam ad Ciceronem Pollio scripsit, *posteaquam itum est ad arma* (§ 1) h. e. postquam Caesar in-

---

1) App. b. c. III 71—76; Dio 46, 38—39.

2) Gardthausen, Augustus und seine Zeit II 43, 8; I 109; Thorbecke, de C. Asinii Pollionis vita et studiis doctrinae (diss. Lugd. 1820) p. 13 sqq.

3) Sic ordinem restituerunt Tyrrell et Purser: **31. 33. 32.** In editione Muelleri epistula tricesima altera tricesimae tertiae antecedit.

4) App. b. c. III 97, 1. Una legio in Hispania remanserat.

5) Non ab omni parte recte de hac Pollionis ad Antonium transitione mihi videtur iudicasse Gröbe apud Pauly-Wissowa 2, 1591: „so lange es anging, nahm er (Asinius) eine abwartende Stelle ein, um nach beiden Seiten hin freie Hand zu haben. Schliesslich aber sah er sich bei seiner völligen Abgeschlossenheit von Rom und der republikanische Partei und bei der caesarianischen Gesinnung seiner von Antonius und Lepidus bearbeiteten Truppen doch genötigt Partei zu ergreifen."

Digitized by Google

terfectus est, ad id quod Cicero questus esse videtur se nullas ab eo litteras accepisse, respondet milites *ab utraque parte* [1]) locis omnibus dispositos scrutari tabellarios et retinere; itaque nisi nave perlatae litterae essent, se omnino ignoraturum fuisse, quid Romae fieret. Tum vero se nanctum occasionem, cum navigari coeptum esset [2]), cupidissime scribere ad Ciceronem. Deinde Pollio, ut nos quoque in litteris scribendis facere solemus, ad singulas res, quas Cicero tetigit, rescribere incipit (§ 2). Et apparet Pollionem ab amico monitum esse, ne aures praeberet sermonibus Balbi quaestoris, Caesaris perfamiliaris, etiam tum in Hispania versantis. Respondet enim: „*ne movear eius sermonibus, quem tametsi nemo est qui videre velit, tamen nequaquam proinde ac dignus est, oderunt homines, periculum non est; adeost enim invisus mihi, ut nihil non acerbum putem, quod commune cum illo sit* (sc. mihi praetori). *Natura autem mea et studia trahunt me ad pacis et libertatis cupiditatem. Itaque illud initium civilis belli* (quod Caesar cum Pompeio gessit) *saepe deflevi.* Iam perventum erat ad locum, ubi Pollio exponere poterat, quomodo in amicitiam Caesaris venisset, quam ob causam eius castra secutus esset, qualem se sub eo praestitisset, denique qua ratione Caesaris imperium se erudivisset, *quam iucunda libertas et quam misera sub dominatione vita esset*" (§ 3). Vides hominem paenitere, quod a Caesare steterit, quin etiam addit: „*ita, si id agitur, ut rursus in potestate omnia unius sint, quicumque is est, ei me profiteor inimicum, nec periculum est ullum, quod pro libertate aut refugiam aut deprecer.*" Quae verba ex animi sententia ab eo dicta esse videntur, sed senatus aut copias Pollionis sprevit aut eum propter Caesaris amicitiam suspectum habebat neque auxilio eius uti volebat. Sic enim pergit (§ 4)*: sed consules* (Pansa et Hirtius) *neque senatus consulto neque litteris suis praeceperant mihi, quid facerem; unas enim post Idus Martias demum a Pansa litteras accepi, in quibus hortatur me, ut senatui scribam me et exercitum in potestate eius futurum.* Itaque nihil a senatu

1) Haec verba interpretor de epistulis Roma in Hispaniam et ex Hispania Romam missis.

2) Hoc fieri solebat d. 5 m. Martii, Veget. V 9.

Digitized by Google

iussus est facere. Alter tantum consul ei suadet, ut ad senatum scribat se et exercitum in potestate eius fore. Sed hoc omnino facere non poterat, quia periculum erat, ne epistulae a Lepido, qui iam cum Antonio consentiebat, interciperentur. Ducere autem exercitum per Lepidi provinciam in Italiam invito illo non licebat Pollioni, praesertim cum nulla senatus auctoritate fretus vim facere nollet. Itaque satis habuit Cordubae pro contione dicere *provinciam* se *nulli, nisi qui ab senatu missus venisset, traditurum*, quae formula eius est, qui senatus auctoritati se pariturum profitetur (§ 5), atque ut Ciceronis animum omni suspicione liberet, hanc adicit sententiam: „*quare eum me existima esse, qui primum pacis cupidissimus sim (omnis enim civis plane studeo esse salvos) deinde qui et me et rem publicam vindicare in libertatem paratus sim.*"

Haec omnia optime inter se congruunt et ex animo eius profluxerunt, qui sciret quae via sibi sequenda esset, neque facile a proposito se deterreri pateretur. Sed postquam pauca (§ 6) de Cornelio Gallo, utriusque amico, atque de se ipso inseruit, mirum in modum sic loquentem eum audimus: „*illud vehementer admiror non scripsisse te mihi, manendo in provincia an ducendo exercitum in Italiam rei p. magis satisfacere possim*" (haec aliquatenus ferri possunt, quamquam Pollio iam supra dixit sibi non per Lepidum licere exercitum in Italiam ducere). Sed multo magis mira sunt quae sequuntur: „*Ego quidem, etsi mihi tutius ac minus laboriosum est manere, tamen, quia video tali tempore multo magis legionibus opus esse quam provinciis, quae praesertim recuperari nullo negotio possunt, constitui, ut nunc est, cum exercitu proficisci. Deinde ex litteris, quas Pansae misi, cognesces omnia; nam tibi exemplar misi.*"

Ergo Pollio iam constituit cum exercitu proficisci neque difficultates, quas ante commemoravit, in extrema parte epistulae curare videtur. Sed non profectus est, quia semper senatus consultum exspectabat, quo in Italiam arcesseretur, quod cum non acciperet, rursus ad Ciceronem, consules, Octavianum mense Aprili epistulas scripsit, cf. X 33, 3: *itaque a Gadibus mense Aprili binis tabellariis in duas navis impositis et tibi et consulibus et Octaviano scripsi, ut me faceretis certiorem, quonam modo plurimum possem prodesse rei p.*" Illae

Digitized by Google

tamen epistulae Romam sero pervenerunt, nam quo die naves profectae sunt, iam proelium a Pansa commissum erat.

Ex secunda epistula, quam Pollio exeunte mense Maio anni 43[1] ad Ciceronem misit (X 33), apparet eum iam certiorem factum esse de proeliis apud Mutinam factis, sed tarde, quia Lepidus tabellarios novem dies retinuit. Etiam cognovit non sine dolore, Plancum et Lepidum senatus consulto in Italiam arcessitos esse, se tamen praeteritum, quare exclamat: „*atque utinam eodem s. c., quo Plancum et Lepidum in Italiam arcessistis, me quoque iussissetis venire! profecto non accepisset res p. hoc vulnus*" (§ 1). Et paulo post: „*neque ego non videbam, quanto usui rei p. essem futurus, si ad Lepidum venissem; omnem enim cunctationem eius discussissem* (sc. in senatus auctoritate defendenda), *praesertim adiutore Planco.*" Non planius Pollio animi secreta aperire potuit quam his verbis. Vehementer dolebat se a senatu in Italiam non esse revocatum; satis enim se idoneum putabat, qui principum inimicitias componeret, (quae opinio eum non fallebat, nam etiam postea is fuit, qui una cum Cocceio Nerva et Maecenate Antonium Octaviano conciliaret) [1]). Sed quamvis a senatu neglectus et contemptus esset, tamen in fide manebat et ita ad Ciceronem scripsit (§§ 4, 5): „*nunc haec mihi scribuntur ex Gallia Lepidi*[2]) *et nuntiantur Pansae exercitum concisum esse, Pansam ex vulneribus mortuum... Hirtium quoque perisse... dici etiam Octavianum cecidisse (quae si, quod di prohibeant! vera sunt, non mediocriter doleo)... Parmam direptam; L. Antonium Alpes occupasse. Quae si vera sunt, nemini nostrum cessandum est nec expectandum, quid decernat senatus; res enim cogit huic tanto incendio succurrere omnis, qui aut imperium aut nomen denique populi R. salvum volunt esse... in dilectu non multum spei puto esse, praesertim cum nihil sit periculosius quam spatium confirmandi sese Antonio dari. Anni autem tempus libertatem maiorem mihi dat, propterea quia frumenta aut in agris aut in villis sunt. Itaque proximis litteris consilium meum expedietur; nam neque desse neque superesse rei p. volo.*"

1) De pace Brundusina cf. App. b. c. V 64 (anno 40); cf. Vell. II 76, 2.
2) h. e. ex Gallia Narbonensi.

Digitized by Google

Pollio igitur in Italiam proficisci paratus est neque iam iter per provinciam metuit neque a re frumentaria laboraturum se putat, sed proximis litteris consilium suum exponet. Vereor tamen ne illae litterae aut non scriptae sint aut si scriptae sint, aliter a senatu acceptae atque Pollio putarit, nam in epistula tricesima secunda (32), quam tertiam ad Ciceronem misit, nulla omnino mentio fit illius consilii. Postquam in ea (§§ 1—3) gravissimis verbis sed non illepide scelera Balbi quaestoris sui perstrinxit, tres legiones firmas habere se iactat, quas rei publicae retinuerit et conservarit, quamquam Antonius et Lepidus eas litteris et pollicitationibus incitare et corrumpere non destiterint. Ex ea re Cicero potest efficere, quam fideli animo Pollio et fuerit et futurus sit in senatum (§ 4): „*debetis ... ita credere, quodcumque imperassetis, facturum fuisse, si, quod iussistis, feci.*" Quid senatus iussit? Ignoramus, saltem non certo scimus, sed ex omnibus rebus, quas iam in litteris superioribus legimus, conicere nobis licet senatum Pollioni imperasse, ut in provincia maneret, illum huic imperio obsecutum esse. Et quid sibi vult illud: *quodcumque imperassetis, facturum fuisse?* Sine dubio Asinius significat, si senatus iussisset se cum tribus legionibus in Italiam venire ad bonorum causam defendendam, se venturum fuisse. Quam coniecturam non esse audacem apparet ex verbis consequentibus: „*nam et provinciam in otio et exercitum in mea potestate tenui, finibus meae provinciae nusquam excessi*" in quibus coniunctio *nam* referenda est ad ea quae antecedunt: „*si, quod iussistis, feci.*" Et confirmatur haec sententia nostra iis, quae paulo post in fine epistulae legimus: „*sed, res p. si me satis novisset et maior pars senatus, maiores ex me fructus tulisset*" En habes interiores cogitationes Pollionis. Pars maior senatus eum non satis noverat neque ei fidem habebat [1]), qua re eum in Italiam arcessere et bello gerendo praeficere non ausus est. Hoc iudicium virum superbum laesit, mansitque, ut poeta ait, „alta mente repostum", hoc eum a senatu

1) Etiam D. Brutus a. d. III Kal. Maias ad Ciceronem ex castris Regio scribit (XI 9, 1): „nam de Pollione Asinio puto te perspicere, quid facturus sit."

Digitized by Google

abalienavit. Itaque sicut Octavianus [1]) συνεχῶς ὑβριζόμενος a senatu, quodammodo pulsus est in castra adversariorum, ita Pollio, non ille quidem de industria cunctans et deliberans, utram ad partem tutius se recepturus esset, (ut Groebius vir doctissimus putat), sed ab eodem senatu contemptus et repudiatus ad Antonii societatem se applicavit [2]).

---

1) App. b. c. III 86: τά τε ὑβρίσματα ὅσα ἐς αὐτὸν ἐκ τῆς βουλῆς γεγένητο κατέλεξε. Vell. II 62: „Caesaris adeo nulla habita mentio, ut legati, qui ad exercitum eius missi erant, iuberentur summoto eo milites alloqui."

2) App. b. c. III 46; 81; 97.

Polenarianum ad Hor. S. I, 4, 65.

Sulcius acer
Ambulat et Caprius, rauci male *cumque* libellis.

Nihili est istud *cumque*. Lege *uterque:* vocem suam delatores isti in iudiciis corruperunt. Sequitur:

Magnus *uterque* timor latronibus; at bene si quis
et vivat puris manibus, contemnat *utrumque*.

Minime ingrata eiusdem vocabuli repetitio. Immo „moralitatem" habet huic loco aptissimam.

J. J. H.

Digitized by Google

DE AULULARIA PLAUTINA.

SCRIPSIT

P. J. ENK.

Quaevis fere fabula Plautina accuratius legenti aliquod problema aenigmave solvendum dat, quod philologi volventibus annis variis modis solvere conati sunt. Neque tamen nos, qui post eos venimus, absterremur, ne iterum iterumque eadem via eamus qua iam tot viri ante nos frustra ierunt; tantam enim vim studiosos alliciendi lepidissimus ille poeta tantamque delectationem ipsa problemata habent, ut quisque in Plauti comoediis versatior obscuram nebulam discutere sua sponte impellatur.

Haec quoque fabula, de qua disputaturi sumus, iam multos philologos calamum sumere coegit; nam quis non scripsit de servorum personis in Aulularia partes agentibus! Lis autem renovata est, cum quattuor ante annis dissertatio [1]) prodiit, quam scripsit Augustus Krieger Sonnhofensis. Difficultatem praebet quod nomen (*Strobilus*) Megadori servi idem est atque Lyconidis servi et praeterea legentibus offensioni est *Pythodici* [2]) persona, cui in tota fabula octo tantum versus tribuuntur (363—370).

Diversas virorum doctorum de Aulularia textu opiniones in hunc modum comprehendere possumus:

1. Fabula non retractata est, sed ipse Plautus voluit Euno-

1) De Aululariae Plautinae exemplari Graeco, dissertatio Gissensis, Typis officinae Otto Kindt.

2) Cod.: Fitodicus.

Digitized by Google

miam eiusque filium Lyconidem in Megadori aedibus habitare, Strobilumque servum communem esse Lyconidis et Megadori (Krieger) [1]).

2. Eunomia Lyconidesque in eadem domo habitant atque Megadorus, sed servus Megadori, qui in priore fabulae parte inducitur, non idem est atque Lyconidis puer. Retractator ex duobus servis unum fecit (Jachmann) [2]).

3. Plautus exemplum Graecum, in quo Eunomia Lyconidesque non in Megadori aedibus, sed extra scaenam habitabant, ita mutavit, ut frater et soror cum Lyconide unam domum haberent, neque tamen in hac re mutanda sibi constitit poeta Romanus, quo fit, ut nonnullis locis Eunomia ex alia domo extra scaenam posita venire, pluribus autem locis in eadem domo habitare videatur atque frater. Servo Megadori, qui in codicibus Strobilus vocatur, hoc nomen a retractatore datum est; neque enim idem est atque Lyconidis servus (Dziatzko) [3]).

---

1) Haec opinio non ab omnibus partibus nova est. Eunomiam apud Megadorum habitare primus anno 1877 defendit vir cl. C. M. Francken nostras, sed differt Franckeni coniectura, quam dubitanter protulit, ab opinione Kriegeri eo, quod ille putabat Eunomiam eiusque filium in Megadori aedibus habitare, Strobilumque servum communem esse Lyconidis avunculique *non* apud poetam Latinum, sed in exemplo Graeco, quod Plautus ita mutasset, ut Eunomia in alia domo habitaret atque frater. Legimus enim apud Franckenium in Aululariae editione (p. XVI sq.) eum suspicari „dat Strobilus in 't origineel slaaf was zoowel van Megadorus als van Luconides, en dat Plautus, omdat geen verwarring daarvan 't gevolg was, den naam onveranderd heeft gelaten, schoon hij voor één twee personen in de plaats stelde. Eunomia en haar zoon Luconides bewoonden, zoo het schijnt, met Megadorus, broeder der moeder en oom van Luconides, hetzelfde huis; Strobilus, de slaaf van Megadorus, sluit zich, zooals gewoonlijk, aan den zoon des huizes aan — als zoodanig kon Luconides beschouwd worden — dien hij als zijn jongeren meester aanhangt. Hij was het, die het best in staat was om Luconides te berichten, wat Megadorus voornemens was (vide tamen, quae de versu 604 disputavimus). Voor dit vermoeden pleit, vooreerst, dat het met de afhankelijkheid der Attische vrouwen overeenkomt, dat Eunomia na den dood haars mans bij een nabestaande inkeerde, vervolgens, dat door de hypothese, dat Eunomia en haar broeder één huis bewonen, de tooneeltoestel eenvoudiger wordt, daar nu behalve de tempel van Fides niet drie huizen (die van Megadorus, Eunomia, Euclio), maar slechts twee den achtergrond van het tooneel uitmaken;" vide tamen adnotationem nostram p. 92. Cur non cum Franckenio stemus, ipsa nostra disputatio docebit; nunc hoc tantum rogo, cur Plautus, si pro uno servo Strobilo, qui, Franckenio si credimus, in exemplo Graeco partes agebat, duos induxerit, duobus his servis idem nomen dederit.

2) Recens. Kriegeri dissertat. Berl. Philol. Wochenschr. 1915, p. 1010 sqq.

3) Rhein. Mus. 37, p. 261—273.

Digitized by Google

4. Non Plautus Eunomiam et Lyconidem in Megadori aedibus habitantes induxit, sed retractator aliquis fabulam ita commutavit, ut Eunomia et Lyconides apud Megadorum habitarent. Praeterea in Plauti archetypo Strobilo servo Megadori aliud nomen erat atque Lyconidi puero (Pressler) [1]).

Hae fere opiniones sunt quas de nostra fabula protulerunt viri docti, neque tamen omnes enumeravi, cum nonnullae iam dudum refutatae sint. Qui eas omnes cognoscere cupit, legat quae scripsit Kriegerus in dissertatione sua supra laudata p. 26—32.

Qui ante Kriegerum de hac re scripserunt defendentes in fabula nondum retractata Eunomiam et Lyconidem simulque cum iis Strobilum II [2]) extra scaenam habitare, ad id demonstrandum nonnullis locis usi sunt, quos Kriegerus alio modo atque ii, interpretatus est. Eius argumenta tam acute excogitata sunt, ut dubitare incipias quid verum sit quid falsum. Ut saepenumero fit, in utramque partem hi versus intellegi et explicari possunt. Nos qui huius litis arbitri esse volumus, id studebimus, ut eos animo non praeoccupato examinemus singulaque argumenta accurate perpendamus.

Proficiscar ab opinione Kriegeri qui putat Strobilum et Megadori et Lyconidis servum esse, Lyconidemque igitur cum matre sua apud Megadorum habitare. Primum igitur quaeramus, utrum in Plauti archetypo Strobilus communis Lyconidis avunculique servus fuerit necne.

Versibus 603/7 Lyconidis servus ita secum loquitur:

603 nunc eru'meus amat filiam huiius Euclionis pauperis;
604 eam ero nunc renuntiatum est nuptum huic Megadoro dari.
605 is speculatum huc misit me, ut quae fierent fieret particeps.
606 nunc sine omni suspicione in ara hic adsidam sacra;
607 hinc ego et huc et illuc potero quid agant arbitrarier.

De versu 604 iam vir doctus Dziatzko [3]) observavit Strobilum Megadorum hic omnino non dominum appellare. Quod

1) De Plauti Aulularia, Commentat. Ienenses, vol. 8, fasc. poster.

2) Brevitatis causa cum Dziatzkone Megadori servum, qui in priore parte comoediae prodit, *Strobilum I* nominabo, Lyconidis vero servum *Strobilum II.*

3) Mus. Rhen. XXXVII, p. 261 sqq. „Zur Aulularia des Plautus."

Digitized by Google

non ab usu Plautino alienum esse exemplo demonstrat Kriegerus. In Pseudolo enim puer Ballionis his verbis prodit:

775 *nunc huic lenoni hodie est natalis dies.*

„Eodem iure", inquit ille, „quo Plautus puerum lenonis erum *hunc lenonem*, Megadori quoque servum erum *hunc Megadorum* appellantem inducere potuit."

Licet servus erum suum vocabulo *huic* significare possit, tamen admodum mirum est eodem versu Lyconidem a Strobilo *erum* appellari, Megadorum tanquam *ignotum* nominari. In hac re mecum stat v. d. G. Jachmann, qui in docta Kriegeri libelli recensione de hac re ita scribit: „zugegeben selbst, Strobilus konnte mit *huic Megadoro* (604) von Megadorus als seinem Herrn reden, so konnte er es doch nicht, wenn er im gleichen Verse Lyconides seinen Herrn (*ero*) nennt."

Vir clarissimus Dziatzko non opus esse dicit Lyconidi ab alio aliquid nuntiatum esse (v. 604) de Megadori consilio Euclionis filiam uxorem ducendi, cum ipse Strobilus, qui in epulis nuptialibus parandis adfuit, id ero suo minori narrare potuerit.

Quam difficultatem Kriegerus in hunc modum tollere conatur, ut Plautum verbo *renuntiatum est* idem dicere voluisse contendat quod „mihi (= a me) renuntiatumst" = „renuntiavi", cf. Aulular. v. 572 *mihi decretum est* = „decrevi" et praesertim v. 581 *aurum quod tibi concreditum est* = quod tibi ⟨mihi⟩ (= a me) concreditum est. „Aulul. 604 scribere debebat" — ita pergit Kriegerus — „eam *ero mihi* nunc renuntiatum est eqs., sed dativum *mihi* ne adderet eo facilius permotus est, quod eodem versu iam alius dativus *huic Megadoro* sequebatur."

De quo loco hoc tantum rogare velim, cur poeta, si *renuntiatum est* = mihi r. e., non *renuntiavi* scripserit, quod multo facilius intellectu [1]). Verissime scripsit idem v. d. Jachmann: „Es bedarf für einen Kenner der Geschichte der syntaktischen Konstruktion, an die K. denkt, keiner langen Worte darüber

1) Ipse Kriegerus (p. 59) confitetur *mirum* esse Strobilum dicere *ero nunc renuntiatumst* „quippe qui, cum Megadorum in nuptiis parandis adiuverit, optime sciat Euclionis filiam Megadoro uxorem dari et aptissimus esse videatur qui Lyconidem de hac re certiorem faciat. . . . Certe exspectamus servum *renuntiasse* dicere."

Digitized by Google

dass weder Plautus *mihi renuntiatumst = renuntiavi* (oder gar *matri renuntiatumst = mater renuntiavit*, was K. für möglich hält) sagen konnte, noch überhaupt je ein Römer sich so ausgedrückt hat — es sei denn, er hätte es darauf angelegt, dass man ihn nicht verstünde."

Sequitur igitur, ut Lyconidi ab alio renuntiatum sit Euclionis filiam Megadoro nupturam esse. Neque igitur Strobilus Lyconidis servus idem esse potest atque is Strobilus qui in codicibus Megadori servus appellatur; nam Megadori servus aderat, cum nuptiae parabantur.

Non multum contra proficimus Ussingii [1]) verbis: „quod ut in tenui re familiari fieri potuit, ita divitem hominem non est veri simile tam paucos servos habuisse, ut idem avunculi atriensis et nepotis pedisequus esset", cf. quae scripsit Kriegerus p. 76.

Mirum tamen est, ut optime observavit v. d. Dziatzko l.l. p. 264, si Strobilus et Megadori et Lyconidis servus sit, eum inde a versu 280 usque ad versum 362 contentum esse eventu rerum, quippe qui postea omnibus modis Lyconidis rem curare velit. „Es war zu erwarten", haec sunt ipsa Dziatzkonis verba, „dass Strobilus I, welcher als Strobilus II sich so lebhaft für die Liebe des Lyconides zu Euclio's Tochter interessirt, an irgend einer Stelle innerhalb der Verse 280—362 (bez. 370) seine Unzufriedenheit mit dem Gange der Dinge zu erkennen gab."

Aula reperta Strobilus a Lyconide petit, ut manu mittatur (v. 817); de Megadoro ero maiore *οὐδεὶς λόγος*.

Ad haec respondet Kriegerus (p. 29 adnot. 2). „A quo alio, quaeso, servum illo loco libertatem poscere posse putamus? si non solus servum libertate donare, ab avunculo certe precibus impetrare potest, ut servus manu mittatur." Quidquid id est, servus dicens „igitur orabo ut manu me emittat" de solo Lyconide cogitat.

---

1) Editio Plauti, vol. VII, p. 274.

Digitized by Google

Accedit quod mores Strobili I et Lyconidis servi inter se differunt. Strobilus Megadori servus *subdolus* vocatur a Congrione, neque immerito, cf. 340—349. Lyconidis tamen servum subdolum dicere non possumus, quippe qui, ut Pressleri verbis utar (l. l. p. 12), primum ero dicat se repperisse thesaurum, tum demum ut manu mittatur petat, et, postquam aurum sibi ereptum iri intellexit, se repperisse aulam neget.

Neque recte igitur scribit Dziatzko (p. 263): „in Bezug auf das innere Wesen und den Charakter des Doppelsklaven muss man zugeben, dass Strobilus in den beiden Teilen des Lustspiels nicht als eine verschiedene Person erscheint: Keckheit und Schlauheit sind ihm hier wie dort eigen."

Omnibus his locis examinatis apparet praesertim e versu 604 Strobilum I et II non eundem esse. Quae opinio fortiter confirmatur actus secundi scaena septima, ubi *Pythodicus* prodit. Prorsus non intelligimus, quare hoc loco nova inducatur persona, cum hic servus octo tantum versus loquatur neque alio fabulae loco prodeat. Kriegerus scaenae inscriptionem *Fitodicus servus* nihil aliud esse conicit nisi *Fit odiosus servus*, quibus verbis adscriptis librarium aliquem dicere voluisse putat servum odii plenum fieri quod coqui sibi obtemperare nolint.

Sed tales ineptae adnotationes, quae rem scaenicam nihil adiuvant, nusquam alibi in Plauti textu inveniuntur. Neque enim comparari potest adnotatio quae legitur Cistell. I. 2 *lena restitit du* (sic) in codice V, Bacchid. IV 3 *adulescens restit* (sic) in codice Turnebi, Asin. II. 4 *Chlamidatus*, quae adnotationes omnes, quo modo fabula agenda sit, explicant.

Qui autem secum reputat et Strobilum I et Pythodicum *atriensis* partes agere (cf. v. 281 ⟨erus⟩ *edixit mihi ut dispertirem opsonium hic bifariam*), intelligit Strobilum I et Pythodicum unum et eundem servum esse. Verissime igitur coniecit Goetzius [1]) retractatorem aliquem duobus servis Megadori et Lyconidi idem nomen *Strobili* dedisse, Megadori ergo servo *Pythodici* [2])

1) In praefat. edit. anni 1881, p. IX.

2) Versu 363 Pythodicus coquis conductis domum Euclionis relinquens dicit: „curate" sc. quae vobis curanda sunt; deinde Megadori domini aedes introiens „ego intervisam", inquit, „<hi> quid faciant coqui"; omnino hoc versu recipienda est lenissima coniectura Dziatzkonis pronomen *hi* supplentis.

Digitized by Google

nomen reddendum esse quod metrum [1]) omnibus quattuor versibus ubi Megadori servus nomine *Strobili* appellatur permittit. Sunt autem v. 264, 334, 351, 354.

Quomodo factum sit, ut Pythodici nomen ante versum 363 in nostris codicibus remaneret, optime explicat Presslerus l. l. p. 23. „Quod autem remansit ante versum 363 Philodici nomen (vid. adnotat. 1), id factum esse librarii cuiusdam errore perspicuum est qui duarum illarum recensionum rationem habuit, quas simul fuisse certo quodam tempore nemo erit qui neget. Ille quem diximus librarius et cur in altera recensione ubique esset Philodici nomen, in altera Strobili et cur nova inciperet scaena ante v. 363 parum intellexisse videtur. Immo non ea de causa quod abierunt Staphyla et coqui novam scaenam incipere, sed quod *nova* quaedam inferretur persona putasse videtur, quam personam novam alterius recensionis Philodicum esse credidit."

Eandem opinionem Jachmannus quoque veram ducit, qui l. l. p. 1011 haec scribit: „Ich halte es für ein völlig sicheres Ergebnis der Untersuchungen von Götz und namentlich Dziatzko, dasz die Doppelexistenz des „Strobilus" als *atriensis* des Megadorus im zweiten und als *pedisequus* des Lyconides im vierten Akt eine scheinbare ist."

Itaque in Plauti archetypo Megadorum et Lyconidem utrumque suum sibi servum habuisse contra Kriegerum demonstravimus. Quaeritur nunc, utrum in fabula nondum retractata Eunomia eiusque filius apud Megadorum habitaverint necne. Kriegerus et Jachmannus aiunt, negat Presslerus. Quae Dziatzkonis esset opinio, supra vidimus. Kriegerus Eunomiam marito mortuo (cf. v. 779, ubi Lyconides dicit: *meu' fuit pater Antimachus*) in fratris domum cum filio migravisse [2]) putat.

Videamus, quae ipsa fabula nos de hac re doceat.

---

1) Fortasse praestat pro nomine corrupto *Fitodicus*, quod Merula in *Pythodicus* mutavit, cum viro docto K. Schmidt (Herm. vol. XXXVII, 1902, p. 204) scribere *Philodicus*. Cum enim huius servi nominis syllaba prima vel longa vel brevis esse possit in versibus 264, 334, 351, 354, magis placet *Philodicus* (Φιλόδικος), cf. Presslerum l. l. p. 19. 20.

2) Cf. quae supra de Franckenii opinione adnotavi.

Digitized by Google

Postquam Euclio versu 119 ad magistrum curiae abiit, Eunomia et Megadorus prodeunt e Megadori domo:

133 eo nunc ego secreto ted huc foras *seduxi*,
134 ut tuam rem ego tecum hic loquerer familiarem.

Ad hunc versum adnotat Kriegerus: „e versu 133 non facile colligimus Eunomiam ad fratrem venisse ut eum viseret." Sed paulo post Eunomia dicit:

144 id quod in rem tuam optumum esse arbitror,
145 ted id monitum *advento*.

Unusquisque qui haec animo non praeoccupato legerit, verbum *adventandi* hic ita interpretabitur, ut Eunomia fratrem *visat*, unde sequitur, ut non apud fratrem habitet. Sed Kriegerus *advento* in hunc modum explicare conatur: *advento* sc. ante aedes idem est quod „tecum aedibus egredior." Quam interpretationem confirmari putat iis locis quibus aliquis e domo scaenica exiens se *advenire* dicit, cf. Amphitr. v. 32 *propterea pace advenio*, quae sunt Mercurii verba Amphitruonis domum in scaena positam relinquentis. Sed hoc loco *advenio* nihil aliud significat nisi „ad vos, spectatores, venio, cf. v. 17 sqq.:

nunc quoiius iussu venio et quam ob rem venerim,
dicam simulque ipse eloquar nomen meum.
Iovi'. iussu venio; nomen Mercuriost mihi;
pater huc me misit ad vos oratum meus.

Neque igitur nostro loco *ted id monitum advento* accipi potest: „e domo egredior, ut te moneam" vel „ad spectatores venio, ut te moneam"; nam qui *advenit*, semper *ad aliquem* vel *aliquo* advenit; cf. e. g. Aulular. v. 223, ubi Megadorus, qui Euclionem conventurus est (cf. v. 176), ad eum dicit:

neque edepol ego te derisum venio neque derideo.

Mecum stat etiam v. d. Dziatzko [1]) (Mus. Rhen. 37, p. 264), quamquam de tota re aliter iudicat atque ego; is autem recte scribit: „v. 144 f. lassen vermuthen, dass Eunomia ihren Bruder nur besucht habe, um ihn zum Entschluss des Heiratens zu bestimmen."

1) Nam quae p. 266 scribit: „unbenommen bliebe Einem noch *adventare* von der geringen räumlichen Bewegung zu verstehen, deren es für Eunomia bedurfte um aus ihrer Hausabtheilung in die des Bruders zu gelangen" ipsi displicent. Et revera est contortissima interpretatio!

Digitized by Google

Simplicissima igitur interpretatio, si sumimus Eunomiam ex alia parte urbis venisse fratris conveniendi causa. Quae non pugnant cum versu 133 *secreto te huc foras seduxi*; nam Eunomia paulo ante fabulae initium fratris domum intravit; iam cum eo de aliis rebus locuta est, sed tunc foras eum seduxit, ut quietius loqui possent. Si locum sic interpretamur, omnia bene procedunt verbisque *ted monitum advento* suam damus sententiam.

Aliud argumentum Kriegerus invenit in v. 172: „Neque puto", inquit, „feminam non vicinam fratri roganti noveritne Euclionem respondere posse:

Novi; hominem haud malum ecastor."

Quid? nonne rogat Hegio Demeam?:

nostrum amicum noras Simulum
aequalem *Dem.* Quid ni?

Non tamen Demea Simuli unquam fuit vicinus. In eadem scaena et alius locus est quo Kriegerus ad suam opinionem defendendam utitur.

Versu 175 sq. colloquio Eunomiae et Megadori finito legimus: *Eun.* di bene vortant. *Me.* idem ego spero. *Eun.* quid me? [num quid vis? *Me.* vale. *Eun.* et tu, frater — *Me.* ego conveniam Euclionem, si domi est.

Adnotat Kriegerus: „ex v. 175 non apparet Eunomiam in domum in scaena non positam abire."

Ad Terentii Eunuch. 341 legimus apud Donatum: „abituri ne id dure facerent *numquid vis?* dicebant iis quibuscum constitissent." Si quid igitur Aululariae versus 175 demonstrat, ex eo efficitur Eunomiam abire in aliam domum, nam, cum Megadorus nondum dixisset se abire velle, Eunomia, si revera in fratris domo habitaret, non habebat, cur putaret Megadorum non secum domum intraturum esse. Eunomia igitur „numquid vis" dicens abitura est domum suam quae non in scaena [1]) posita est. Etiam v. 264 Megadorus, qui Euclionem convenit, ad macellum abiens ei dicit: „numquid me vis?"

---

1) Recte adnotat vir doctus Dziatzko (Rhein. Mus. 37, p. 263): „es verbietet die feste Bühnenpraxis, ausser den Häusern des Megadorus, Euclio und dem *fanum Fidei* ein viertes Gebäude für die hintere Bühnenwand anzunehmen."

Digitized by Google

Sed alia scaena etiam magis perspicue ostendit ipsum poetam voluisse Eunomiam eiusque filium non in Megadori aedibus habitare; versu 682 Lyconides adulescens cum matre loquens inducitur. Kriegero si credimus, Plautus matrem et filium e Megadori aedibus prodeuntes fecit. Quod si sumimus, non intelligimus cur Eunomia et Lyconides e domo sua exeant; nam ne quis putet eos secreto colloqui velle eamque ob rem, ut v. 133, foras prodire, moneo Lyconidem initio nostrae scaenae (v. 682) matri omnia iam narravisse de Euclionis filia. Itaque, si Kriegero adstipulamur, non patet, cur foras prodeant, praesertim cum paulo post mater filium, ut introeat, roget (v. 694). Quod si Eunomia cum filio extra scaenam domicilium habet, sumere possumus eos ambulantes ad domum Megadori advenisse, Lyconidemque matri aliquanto ante quidnam commisisset narravisse.

Praeterea, si sumimus Lyconidem apud Megadorum habitare, iure nostro miramur, quare tam *sero* matri narraverit se Euclionis filiam amare. Nam non poterat fieri quin Lyconides, cum nuptiae pararentur, de avunculi consilio Phaedriam ducendi certior fieret, saltem si apud Megadorum habitaret. „At domo afuit Lyconides, cum coqui epulas pararent." De industria hic induco aliquem, qui me sic interpellat; lego enim apud Jachmannum l. l. p. 1011: „Krieger scheint zu glauben dasz Lyconides und Strobilus, wenn sie in Megadorus' Hause wohnen, sich auch immer da aufhalten müszten, bezw. wenn sie auftreten, daher kommen. So kommt es, dasz die, die Lyconides' Wohnung irrtümlich von der Bühne weg verlegten, von Gang und Gliederung der Handlung in manchem eine richtigere Vorstellung hatten als Krieger." Fac autem Lyconidem revera apud Megadorum habitare, sed domo afuisse, cum nuptiae pararentur cumque Lyconides mandatum daret, de quo versu 605 sermo est. Nunc rogare velim, quomodo adulescens v. 682 cum matre ex Megadori domo venire possit. Nam prorsus non vidimus eum domum redeuntem.

Et si Jachmannus mihi respondeat: „non exit e Megadori domo, aliunde venit", ego contra dicam: si aliunde venit, ei ostium pultandum materque evocanda est; sed horum nihil e contextu discimus. „At etiam Eunomia aliunde venit filium

Digitized by Google

comitans." Ne hoc quidem concedi potest si Eunomia apud fratrem habitat, nam Jachmanno et Kriegero auctoribus, qui Eunomiam apud fratrem habitantem inducunt, ea v. 175 Megadori aedes introiit unde eam exeuntem postea non vidcmus. Me tamen si sequeris, omnia luce sunt clariora. Eunomia enim, postquam cum Megadoro fratre collocuta est, v. 175 in suam se ipsius aedes extra scaenam sitas confert filioque ibi nuntiavit avunculum Euclionis filiam ducturum esse; v. 682 matrem et filium, ut diximus, una domo redeuntes videmus. Sic simul intelligimus, cur nunc demum fortunam suam conqueratur Lyconides; aliquod temporis spatium intercedit inter versum 175 et 682, antequam mater domum suam venit cumque filio ad Megadori aedes rediit.

Accedit quod verba *i hac intro mecum, gnate mi, ad fratrem meum* mire dicta sunt, si Eunomia fratris suamque domum intret; neque talibus verbis utitur is, qui modo e suis ipsius aedibus exiit. Etiam adverbium *hac* sic vehementer displicet. Idem ante me sensit v. d. Dziatzko l. l. p. 265 haec scribens: „V. 694, wo Eunomia ihren Sohn auffordert mit ihr zu ihrem Bruder zu gehn, kann es scheinen, als wären sie anderswoher gekommen und kehrten nicht bloss in das Haus des Megadorus zurück."

Praeterea rogare velim, num veri simile sit Lyconidem, qui v. 777 Euclioni dicat:

> si me novisti minus,
> genere quo sim gnatus: hic mihi est Megadorus avunculus,
> meu' fuit pater Antimachus, *ego vocor Lyconides*,
> mater est Eunomia

eius vicinum esse. Kriegerus (p. 75) hos versus non cum sua opinione pugnare putat: „nam haec sententia", inquit, „in *sponsione* usurpari solet, cf. Aulular. 216 (Megador.)

> dic mihi quali me arbitrare genere prognatum?

Sed ibi Megadorus ipse se commendat, neque solum de genere, sed etiam de sua fide, factis, aetate loquitur, hic adulescens *nomen* quoque suum seni narrat. Quis autem credat morem fuisse Romanis, ut adulescens, quamvis bene notus esset patri

Digitized by Google

virginis, quam sibi in matrimonium petebat, futuro socero suum nomen nominaret? Et certe mirum admodum putare Euclionem nomen adulescentis vicini ignorare.

His locis addam alium, quem viri docti, qui de hac re egerunt, nondum animadverterunt.

Versu 712 Strobilus se aulam auri plenam, quam invenit, domum condere velle ait. Si iis qui Lyconidem apud avunculum habitare statuunt credis, sequitur Strobilum *Megadori* domum intrare; ibi autem Lyconides quoque adest, cf. v. 700 *ibi intro*, inquit adulescens, *ubi de capite meo sunt comitia.* Spectatoribus igitur fieri posse videbitur, ut Strobilus in Lyconidem incidat, cum uterque intus sit, quod in hunc locum comoediae nondum quadrat. Sed mox nova difficultas orietur, cum Strobilus redibit.

Versu enim 805 Lyconides ante Megadori domum, ex qua v. 727 exiit, servum suum opperitur. Nunc rogare velim: num veri simile est Strobilum clamantem *di inmortales* eqs. ex eadem illa domo Megadori exire? Non opinor; non dico fabula retractata hanc scaenam sic agi non potuisse; sed omnia magis speciem veritatis habent, si Strobilus aulam in domo, quae non est in scaena, condidit. Sic neque periculum est, ne erus et servus v. 712 inter se aspiciant, neque mirandum nobis Lyconidem ante ianuam Megadori astantem non statim servum suum exeuntem videre. Simul melius intelligimus, cur servus post tam longum demum tempus domo redeat; ierat ad aedes domini extra scaenam positas.

De industria praetereo eos locos ex quibus nulla argumenta ad hanc controversiam dirimendam peti possunt.

Versum 728 dico, ubi Lyconides exclamat: *atque hic quidem Euclio est, ut ego opinor.* Non licet ex hoc versu efficere Lyconidem non bene nosse Euclionem eumque igitur Euclionis vicinum non esse; senem eminus videt neque satis discernere potest quis sit.

De versu 605 scribit Presslerus l. l. p. 25: „si Lyconides habitabat apud Megadorum avunculum, sicuti retractator voluit, cur speculatum miserit Strobilum servum vix intellegi possit." Si tamen duos versus sequentes legimus, hic quoque locus quodam modo explicari potest, etiamsi sumis Strobilum in

Digitized by Google

Megadori aedibus habitare, nam *huc misit* significat: „in aram, unde utraque domus observari possit."

Plura tamen alius nos docet locus; sunt idem versus (603. 4) de quibus supra fuse disputavimus:

nunc eru' meus amat filiam huiius Euclionis pauperis;

eam ero nunc *renuntiatum est* nuptum huic Megadoro dari. Confirmat enim hic locus, si non omnia me fallunt, quae defendimus neque Eunomiam neque Lyconidem apud Megadorum habitare; nam si Lyconides in avunculi habitaret aedibus, domique esset, cum nuptiae pararentur, ipsum *renuntiandi* verbum vehementer displiceret. Filius enim a matre vel ab alio qui in eadem domo habitabat certior fieri potuit de Megadori nuptiis, sed num dici potest matrem vel alium in eadem domo habitantem id *renuntiasse*? Non opinor; *narrandi* verbum exspectaremus, vel *audivit erus*, vel eiusmodi aliquid. Sin afuit domo, quae potior interpretatio est, eadem difficultas oritur atque supra in explicando versu 682.

Omissis omnibus locis paulo incertioribus vel non plane certis, in quibus parum est praesidii, mihi res ita se habere videtur, ut versus 145 *(te monitum advento)*, versus 727 *(ego vocor Lyconides)*, versus 682—694 argumento sint Eunomiam et filium non apud Megadorum habitare.

Obstat tamen unus versus 727. Nam cum Euclio, postquam repperit pecuniam suam ablatam esse, ut insanus Megadori aedes praetervolat, Lyconides ex avunculi aedibus prodiens exclamat:

quinam homo hic *ante aedes nostras* eiulans conqueritur
[maerens.

Jachmanno hic versus summi momento esse videtur; ab eo enim in hac controversia dirimenda proficiscendum esse putat. Legimus autem l. l. p. 1011: „mit Recht gelangt Krieger zur Ablehnung der Annahme, dasz sie in einem eigenen Hause auszerhalb der Szene wohne. Allerdings kommt er dazu nicht auf Grund der richtigen Argumente (p. 20 sqq.); es gibt nämlich nur einen Beweis dafür: die Worte des Lyconides (727) *ante aedes nostras*."

Sed res non tam facilis est quam Jachmannus putat. Nam si hoc versu nitimur, quid faciamus versu 145 *te monitum*

Digitized by Google

advento. Quoquo te vertis, hi loci, quales nunc sunt, inter se pugnant.

Difficultatem tollere conatus est v. d. A. Tartara [1]) qui putat Lyconidem dicere posse *aedes nostras*, etiamsi non apud avunculum habitet; confert enim Terent. Adelph. 910, ubi Demea non de *suis*, sed de *fratris* aedibus dicit:

traduce et matrem et familiam omnem *ad nos*.

Quo loco, ut nostro *aedes nostras* accipere licet, significat „domum quae nostrae familiae est." Quod negat Kriegerus (p. 75) apud quem legimus: „*ad nos* idem est quod *ad me et fratrem meum*. Nos quoque si in alienis aedibus cum altero sumus, tertium quendam sic hortari possumus *komm zu uns*, sed non *komm in unser Haus*." Equidem nescio an *aedes nostras* hoc loco *domum nostrae familiae* significare possit, sed fac hanc vim in verbis *aedes nostras* non inesse, ne sic quidem hic locus mihi id demonstrare videtur quod Jachmannus vult. Quare contra iudicandum sit ipsum Plautum Eunomiae domum extra scaenam posuisse, breviter exponam.

Versus 144 *te monitum advento* cuique aequo arbitro ostendit Eunomiam non e fratris domo sed aliunde venire; versus 727 — libenter hoc concedo — *aedes nostras* contrarium demonstrare *videtur*. Quid igitur nunc credamus? Responsum non difficile est. *Versus 727 unicus locus est ex quo matrem et filium apud Megadorum habitare efficere possis.* Alii tamen loci omnes ostendunt versum 144 nobis veram monstrare viam. Supra vidimus fabulam retractatam esse quod Jachmannus quoque concedit. Quid igitur? Cur non licet sumere retractatorem, cum Eunomiam et Lyconidem in Megadori aedes traduceret, ipsa verba Plautina mutasse? Qui *aedes nostras* (v. 727) nolunt accipere *domum nostrae familiae*, iis respondeo, si recte iudicent, in fabulae archetypo nondum retractatae versus 727 formam fortasse hanc fuisse:

quinam homo hic ante *avunculi aedes* eiulans conqueritur
[maerens?

Nam cur iusto audacior coniectura est putare, iterum rogo, hoc loco verba ab ipso Plauto scripta leniter a retractatore

1) Rivista di Filologia XXVII (1899) p. 198.

Digitized by Google

esse commutata, quippe qui quattuor locis pro *Pythodici* nomen *Strobilum* scripserit? Sed quidquid id est, nequaquam ex v. 727 argumentum peti potest quo demonstretur Eunomiam eiusque filium apud Megadorum habitare.

Quod vero v. d. Dziatzko putat Plautum in Aulularia scribenda Megadori et Eunomiae Lyconidisque familias, non coniunctas in exemplo Graeco, in una eademque domo habitare voluisse, sed sibi in exemplo ita mutando non constitisse, cum v. 133 *seduxi* et v. 727 *nostras aedes* de suo adderet, aliis vero locis exemplar Graecum mere verteret, eam coniecturam levem parumque veri similem duco, cum uno tantum loco nitatur, v. 727, neque eo certo; nam *seduxi* alio modo explicari posse supra demonstrare conatus sum. Cum autem ipsi Dziatzkoni retractatam esse fabulam constet, etiamsi nulla alia argumenta accederent, vel sic praestaret discrepantias duci alicui gregis quam ipsi Plauto imputare. Quin etiam melius intelligimus, quare dux gregis ex binis servorum partibus unas fecerit, si sumimus eum retractatorem simul fabulam Plautinam ita mutasse, ut Eunomiam cum filio in Megadori domo habitantem faceret. Neque enim partes Pythodici et Strobili ideo huic soli datae sunt, ut ab uno histrione agi possent, nam id fieri poterat, etiamsi duo servi essent. Dux gregis Eunomiam Lyconidemque et Megadorum hanc ob causam connectere voluit, cum cognati essent et vis comica augesceret, si duo viri in una domo habitantes eandem puellam uxorem ducere vellent. Fabula sic mutata res scaenica simplicior reddebatur, neque iam necessarium erat duos esse servos.

Etiam alio loco videmus fabulam in brevius contractam, quamquam editio recentissima quam curavit v. d. E. J. Thomas [1]) difficultatem inde ortam non tangit. Versu 150 Eunomia fratri suadet, ut uxorem ducat: „volo te uxorem domum ducere". Megadorus exclamat „ei occidi", deinde addit: „ut quidem emoriar priu' quam ducam"; Eumomia his verbis nequaquam deterrita fratri dicit se nosse feminam divitissimam mediaque aetate.

1) Oxford, Clarendon Press, 1913.

Digitized by Google

Postquam Megadorus ei respondit se neque divitem uxorem neque anum ducere velle, soror eum rogat „dic mihi, si audes, quis ea est, quam vis ducere uxorem?" et frater statim respondet: „Euclionis vicini filiam mihi desponderi cupio". Non sine causa miramur Megadorum, qui modo mori mallet quam uxorem ducere, nunc subito animum mutasse. Non tamen quicquam intercidit, sed hic quoque retractatoris manum agnoscimus.

Polenarianum ad Hor. S. II, 6, 14—20.

Hos versus sic dispone et corrige:

(0 Mercuri)
14 pingue pecus domino facias et cetera praeter
15 ingenium, utque soles custos mihi maximus adsis,
18 nec mala me ambitio *perdat* nec plumbeus Auster
19 autumnusque gravis, Libitinae quaestus acerbae!
16 Ergo ubi me in montes et in arcem ex urbe removi
17 quid prius illustrem satiris Musaque pedestri?
20 Matutine pater e. q. s.

Equidem etiam nunc in vs. 17 haereo et vs. 16 pro *et* legendum *ut* puto.

J. J. H.

Digitized by Google

AMMIANEA.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN J.F.

Ut disputationem haberem in Societate Philologica Lugduno-Traiectina, diligenter de integro Ammiani Marcellini Res Gestas perlegi in usum meum convertens, quae et C. U. Clark et V. Gardthausen uterque optime de historico illo meritus iam invenerat. Ceterum a non paucis viris doctis novi atque scio Ammianum sive ob res luculentissime narratas sive ob fidem maximi fieri, quibus omnibus meas coniecturas, qua par est verecundia offero.

Civium Romanorum mores quasi Iuvenalis stilo praeclare depingens cum alia scribit Ammianus tum haec [1])

XIV 6, 9 Alii summum decus in carruchis solito altioribus, et ambitioso vestium cultu ponentes, sudant sub ponderibus lacernarum, quas in collis insertas iugulis ipsis adnectunt, nimia subtegminum tenuitate perflabilis, *expectantes* crebris agitationibus, maximeque sinistra, ut longiores fimbriae tunicaeque perspicue luceant, varietate liciorum effigiatae in species animalium multiformes.

Pro corrupta voce *expectantes* repono, quod verba *crebris agitationibus* flagitant, *expatiantes* coll. Quintil. XI 3, 84 at cum speciosius quid uberiusque dicendum est, ut illud „Saxa atque solitudines voci respondent", *expatiatur* (sc. bracchium) in latus et ipsa quodammodo se cum gestu fundit oratio.

Paulo infra historicus noster agit de peregrino, qui primum

1) Textum dedi secundum recensionem Clarkianam.

Digitized by Google

ab hospite Romano comiter acceptus deinde tamen paene ut ignotus contemnitur. Auctoris verba haec sunt

XIV 6, 13 hacque adfabilitate confisus, cum eadem postridie feceris, ut incognitus haerebis et repentinus, hortatore illo hesterno ..... *numerando*, qui sis vel unde venias diutius ambigente.

Tale quid Ammiano ipsi fortasse accidit, nam quater [1]) queritur de patronis Romanis antea valde liberalibus erga ingenuos advenas, nunc parum benevolos. Hic certe perstringit hospitem perfidum, cuius singulari quadam comitate illectus est alienigena quidam, ut salutatum rediret. Cliens autem heri *maxime memorabili* benignitate exceptus hodie non multum abest quin repulsam ferat. Censeo igitur pro *numerando* scribendum esse *memorando* atque ut lacuna quinque litterarum expleatur, addendum *etiam*.

XIV 11, 33 et Eunus quidam ergastularius servus, ductavit in Sicilia fugitivos. quam multi splendido loco *natura*, eadem rerum domina conivente, Viriathi genua sunt amplexi vel Spartaci?

Qui scribunt *splendido lóco náti*, peccant contra legem clausulae requirentem duas vel quattuor syllabas inter duos ultimos accentus [2]). Verum Ammiani genus dicendi [3]) flagitare videtur: *splendido loco natalium*, quod fortasse primum depravatum est in *naturalium*, deinde in *natura*. *Natales* autem in latinitate argentea ponitur pro *origine, genere*. Tacitus, quem Ammianus saepissime imitatus est, scribit Agric. 6 Domitiam Decidianam splendidis *natalibus* ortam; Histor. II 86 sed procurator aderat Cornelius Fuscus, vigens aetate, claris *natalibus* cet. Cf. etiam Schol. Bobiens. (Stangl) 80, 14 cuius virtutibus obtrectare non poterant, eius humilitatem *natalium* maledica insectatione carpebant.

Constantius Augustus Iulianum, quem declaraturus est Caesarem, alloquitur hisce verbis

XV 8, 10 quia igitur vestrum quoque favorem adesse, fre-

---

1) Schanz Gesch. d. röm. Litt. IV pag. 94 tantummodo affert XIV 6, 12; sed cf. etiam XIV 6, 21; XXVIII 4, 10; XXVIII 4, 32.

2) Vide Clarkii Praefat. pag. VII.

3) Cf. infra ad XV 12, 6.

Digitized by Google

mitus indicat laetus, aduliscens vigoris tranquilli, cuius temperati mores imitandi sunt potius quam praedicandi, ad honorem *prope speratum* exsurgat: cuius praeclaram indolem bonis artibus institutam, hoc ipso plene videor exposuisse quod elegi. ergo eum praesente nutu dei caelestis amictu principali velabo. Quae locutus imperator continuo Iulianum purpura induit, quocirca vix dubito quin genuina scriptura fuerit: ad honorem *pro se paratum* exsurgat.

XV 9, 8 per haec loca hominibus paulatim excultis, viguere studia laudabilium doctrinarum, inchoata per bardos et euhagis et drysidas. et bardi quidem fortia virorum inlustrium facta, heroicis composita versibus, cum dulcibus lyrae modulis cantitarunt, euhages vero *scrutantes* [*serviani et*] sublimia naturae pandere conabantur.

Manifestam dittographiam delevi, ceterum observandum est librarium bis infra erravisse in exscribendo verbo, quod est *scrutari:* dedit autem XX 2, 3 (manu prima) *stutabantur* et XX 8, 18 *scruta* (pro *scrutari*).

XV 12, 6 nam omnes Gallias (nisi qua paludibus inviae fuere, ut Sallustio docetur auctore) post decennalis belli mutuas clades sub⟨*iunxit C. Caesar*⟩ *societatis*que nostrae foederibus vinxit aeternis.

Quod addidi, adamussim spatium vacuum 13 litterarum occupat. Iam vero astipulor Heraeo, qui Clarkio probante requisivit *societatis* [1]... *foederibus*. Hic igitur habemus genetivum quem vocamus inhaerentiae sive synonymum, quem quantopere adamaverit Ammianus hac in re fortasse Graecos potius quam Latinos auctores sequens, apparet ex hisce exemplis, quae reperiuntur in Rebus Gestis

XIV 6, 25 sub velabris umbraculorum.

XIV 11, 19 fatorum sorte (redit XXVIII 4, 22 et XXXI 16, 8); XXVI 3, 1 fatorum sortes. Cf. XV 7, 8 fatidicarum sortium et XXVII 5, 10 fatali sorte [2]).

---

1) Codices exhibent *societati.*

2) Cf. Brakman, Arnob. (1917) pag. 15, ubi eiusmodi exempla ex Apuleio attuli, quibus addas quaeso Verg. Aen. II 554 fatorum... sorte. Lucan. IX 1046 sors durissima fati, Auson. XVI (Professor. Burdig.) 20, 3 sorte potentis fati.

Digitized by Google

XVII 4, 12 templi delubra, cf. Cod. Theodos. XVI 10, 2 aedes templorum.

XVII 13, 32 opum ... magni thesauri, cf. Apoll. Sidon. Epist. IX 9, 7 gazae ... thesauros.

XXVIII 6, 17 curarum ... sollicitudine, cf. Firm. Matern. Mathes. IV prooem. § 3 sollicitudinis cura.

XIX 10, 1 ventorum procellae, cf. Lucret. VI 124 venti procella (redit vs. 293).

XX 8, 5 foederum pacto, quocum conferas velim quod supra legitur: societatis foederibus.

XXI 7, 1 exordia coeptorum, cf. XXIV 5, 4 exordia obsidii coepti.

XXII 12, 3 rerum secundarum prosperitate, cf. XV 5, 20 necessitate urgentium rerum.

XXIV 1, 2 roboris firmamentum.

XXIV 4, 23 ex usu moris, cf. Arnob. VII 24 ex usu consuetudinis.

XXV 3, 13 gloriarum adoreas.

XXV 3, 20 vigore virium.

XXV 6, 11 fines limitum.

XXX 1, 9 undarum fluctus, cf. Hist. Apoll. reg. Tyr. 25 undarum fluctus evadere.

XXX 4, 6 gloriae honoribus.

XXX 5, 16 crinita sidera cometarum.

XXXI 13, 12 caligine tenebrarum (redit XIX 1, 9), cf. Macrob. Sat. I 17, 38 caliginem extenuans tenebrarum, Homer. Iliad. XV 668 *νέφος ἀχλύος*.

Idem genetivus videtur revocandus esse infra XXX 1, 13 viator quidam ad citeriora festinans, cum bivinm armato milite vidisset oppletum, per *posterula⟨e⟩* tramitem medium, squalentem frutectis et sentibus, vitabundus excedens, in Armenios incidit fessos e. q. s.

Sic edendum censeo cum Mommseno, codex autem exhibet *posterulam*.

XVI 2, 8 et paulisper moratus (sc. Iulianus), dum fatigato consulit militi, civitatem Remos nihil prolatandum existimans, petit, ubi in unum congregatum exercitum, vehentem ⟨*commeatus abunde*⟩ iusserat operiri praesentiam suam: cui prae-

Digitized by Google

sidebat Ursicini successor Marcellus, et ipse Ursicinus, ad usque expeditionis finem agere praeceptus isdem in locis.

Supplementum meum in congruo fere spatio desumpsi ex XXIII 3, 9 in qua (sc. classe) mille erant onerariae naves, ex diversa trabe confectae, *commeatus abunde* ferentes, et tela, et obsidionales machinas. Hic *abunde* cum genetivo construitur, at aliter rem se habere apud Sall. Cat. 58, 9 *si vincimus, omnia nobis tuta erunt, commeatus abunde* [1]), *municipia atque coloniae patebunt*, nos docent interpretes.

XVI 5, 7 sed tamen cum haec effecte pleneque colligeret (sc. Iulianus), nec humiliora despexit, poeticam mediocriter et rhetoricam ⟨*colens*⟩ (ut ostendit orationum epistularumque eius cum gravitate comitas incorrupta) et nostrarum externarumque rerum historiam multiformem.

Inserui *colens*, quia videtur opus esse verbo, cui opponatur *despexit*. Hoc participium insuper commendatur loco Ammianeo, ubi agitur de Eutherio viro ipsi Iuliano non dissimili, nempe XVI 7, 6 denique digressus ad otium, adscitusque postea in palatium, semper sobrius et in primis consistens, ita fidem continentiamque virtutes *coluit* amplas, ut nec prodidisse aliquando arcanum, nisi tuendae causa alienae salutis, nec exarsisse cupidine plus habendi, arcesseretur, ut ceteri.

Quae facta sunt post insignem ex Alamannis victoriam ad Argentoratum reportatam a Iuliano, Ammianus sic refert:

XVI 12, 64 tunc Iulianus, ut erat fortuna sui spectatior, meritisque magis quam imperio potens, Augustus adclamatione concordi totius exercitus appellatus, ut agentes petulantius milites increpabat, id se nec sperare nec adipisci velle iurando confirmans. 65 et ut augeret eventus secundi laetitiam, concilio .... eum spectare, Chnodomarium [3]) sibi iussit offerri, qui primo curvatus, deinde humi suppliciter fusus, gentilique prece veniam poscens, bono animo esse est iussus.

---

1) Cf. Kühner-Stegmann I § 84 A. 12 (pag. 434). Patet igitur Sallustii Bellum Catilinae ab Ammiano lectum esse, id quod infitiari voluit Hertz.

2) Cf. Cic. de finib V 19, 50 *coli* studia cet.

3) Chnodomarius Alamannorum rex in proelio captus erat.

Digitized by Google

Plura auctoris verba exscripsi, ut intellegeretur ipso contextu prope flagitari in lacuna novem litterarum *gestiente*, quod identidem invenitur in hoc opere e. g. XVII 11, 1 audire haec taliaque *gestienti* (sc. principi), XXIII 1, 2 imperiique sui memoriam magnitudine operum *gestiens* propagare, XXX 5, 4 eamque (sc. praefecturam) in longum proferre gestiens cet.

Cum ⟨*gestiente*⟩ spectare, quod conieci, cf. Horat. Carm. III 3, 54

visere *gestiens*,
qua parte debacchentur ignes.

De litteris Aegyptiis sive hieroglyphicis non nisi pauca tradens Ammianus haec scribit

XVII 4, 11 cuius rei scientiam his interim duobus exemplis ...: per vulturem naturae vocabulum pandunt, quia mares nullos posse inter has alites inveniri, rationes memorant fysicae, perque speciem apis mella conficientis, indicant regem, moderatori cum iucunditate aculeos quoque innasci debere his signis ostendentes, et similia plurima.

Clark lacunam indicat post *exemplis*, equidem ediderim: cuius rei scientiam his interim duobus ⟨*docebo*⟩ exemplis e. q. s. Cf. XV 12, 6 docetur, XIX 8, 1 docuimus, XIX 8, 8 docente cet.

Attendamus etiam verborum ordinem a me electum, sicut XVII 10, 10 disperso per stationes milite consuetas, XVII 12, 7 petendae specie pacis, XVII 13, 1 his secundo finitis eventu cet.

Initium litterarum a Constantio Augusto missarum ad Saporem Persarum regem continet vocabulum misere depravatum.

XVII 5, 11 Mesopotamiam poscis ut tuam, perindeque Armeniam, et suades integro corpori adimere membra quaedam, ut salus eius deinceps locetur in solido, quod *infundendum* est potius quam ulla consensione firmandum.

Haud scio an librarius confusione non insolita duo verba *infandum dicendum* in unam vocem *infundendum* contraxerit.

Iulianus Constantium per litteras docet se invitum a militibus Augustum declaratum esse et periculum fuisse, ne interficeretur, nisi legionibus morem gessisset. Quamobrem orat atque

Digitized by Google

obsecrat Constantium, ut quod factum est boni consulat. Tum Ammianus sic pergit

XX 8, 12 ignosce enim .... quae cum ratione poscuntur, non tam fieri cupio, quam a te utilia probari et recta, avide tua praecepta deinde quoque suscepturus.

Valde verisimile est particulam *enim* tantum relictam esse ex genuina scriptura: ignosce, ⟨*nempe*⟩ *enim* quae cum ratione poscuntur e. q. s. Legentes relego ad Tacit. Dial. 35 ipsae vero exercitationes magna ex parte contrariae. *Nempe enim* duo genera materiarum apud rhetores tractantur, suasoriae et controversiae; Quintilian. II 13, 8 nam recti quidem corporis vel minima gratia est; *nempe enim* adversa sit facies et demissa bracchia et iuncti pedes et a summis ad ima rigens opus; ibid. VIII prooem. 6 [1]).

Iulianus Antiochiae degens laudatur, quod rei iudiciariae imprimis consulit, hisce verbis

XXII 10, 3 iudicium enim hoc est optandum et rectum, ubi per varia negotiorum examina iustum *id* est et iniustum; a quo ille ne aberraret, tamquam scopulos cavebat abruptos.

Post vocabulum *iustum* erravisse librarium in promptu est; fuit autem primaria lectio nisi omnia me fallunt: iustum ⟨*statutum*⟩ est et iniustum. Ergo haplographia quaedam fuit origo vitii.

Pharitae Rhodiis vectigales erant. Cleopatra autem (secundum Ammianum) mole ingenti constructa insulam cum continenti iunxit, quo facto regina affirmavit incolas tanquam non iam insulanos tributo liberatos esse. Quae luculente sic enarrantur

XXII 16, 11 quod (sc. vectigal) cum inde quidam nimium quantum petituri venissent, femina callida semper in fraudes, sollemnium specie feriarum, isdem publicanis secum ad suburbana perductis, opus iusserat inrequietis laboribus consummari, et septem diebus totidem stadia molibus iactis in mari solo propinquante terrae sunt vindicata; equoque cum vehiculo ingressa ⟨*argu*⟩erat Rhodios insularum non continentis portorium flagitantes.

---

1) Cf. Kühner-Stegmann I § 146, pag. 809.

Digitized by Google

Quattuor illae litterae a me additae vocabuli praecedentis similitudine aut omissae aut absorptae videntur. Ultima verba huius loci sic verto: en door met paard en wagen naar Pharos te rijden, overtuigde zij de Rhodiërs van ongelijk, die slechts op eilanden niet op 't vasteland 't recht hadden havengeld te heffen.

XXIII 4, 8 qua crebritate (sc. arietis ictuum) velut reciproci fulminis impetu aedificiis scissis in rimas, concidunt structurae laxatae *murorum*. 9 hoc genere operis, si fuerit exerto vigore discussum, nudatis defensoribus ⟨*turribus*⟩ ideoque solutis obsidiis civitates munitissimae recludumtur.

Facile apparet librarium per haplographiam peccavisse. *Muris* certe quominus cum Novakio inseram, impedit praecedens *murorum*; meum supplementum praestare videtur.

Iulianus milites suos cohortatur sic

XXIII 5, 18 et illos (sc. Traianum, Verum cet.) quidem voluntas, ad altiora propensiores, subire inpulit facinora memoranda, nos vero miseranda ⟨*ruina*⟩ recens captarum urbium et inultae caesorum exercituum umbrae, et damnorum magnitudines castrorumque amissiones, ad haec quae proposuimus, hortantur, votis omnium sociis ut medeamur praeteritis, et roborata huius lateris securitate republica, quae de nobis magnifice loquatur posteritas relinquamus.

Ut *ruinam* adderem in lacuna a Clarkio indicata, movit me praeter allitterationem et similitudinem vocis antecedentis hoc exemplum XIX 7, 1 omnes oppetere gloriose iam properabant, aut *ruina* urbis animis litasse caesorum.

Idem vocabulum antea desiderabatur XVII 7, 7 alii subita magnitudine ⟨*ruinae*⟩ oppressi e. q. s.

Duobus vitiis foedatur finis descriptionis Mediae, quae sanare conabimur.

XXIII 6, 30 *dent* apud eos prata virentia fetus equorum nobilium, quibus (ut scriptores antiqui docent, nosque vidimus,) ineuntes proelia viri summates vehi exultantius solent, quos Nesaeos appellant. 31 abundat itaque civitatibus *quibus* Media, et vicis in modum oppidorum exstructis, et multitudine incolarum.

Digitized by Google

Dent suspicor natum esse ex *habent* vel potius *abent* (dbent, dent).

Iam vero non aliena erit ab Ammiani genere dicendi lectio: abundat itaque civitatibus *frequentibus* Media. Saepissime hic auctor usurpat adiectivum, quod est *creber*, *frequens* autem invenitur XIV 2, 8 documentis *frequentibus* XV 2, 3 amici... *frequentes*. Idem adiectivum vulgo Ammiano redditur XXIX 4, 5 *fre⟨quenti⟩* equitatu cum Theodosio rectore praeire disposito.

Imperator Iulianus letaliter vulneratus longiore oratione amicos allocutus est. Quae deinde acciderunt, rerum scriptor referre incipit hisce verbis

XXV 3, 21 Post haec placide dicta familiares opes iunctioribus velut supremo distribuens stilo, Anatolium quaesivit, officiorum magistrum, quem cum beatum fuisse, Salutius respondisset praefectus, intellexit occisum, acriterque amici casum ingemuit, qui *eletantem* contempserat suum.

Desideramus talia verba, quibus opponi possint *amici casum*. Quia *suum* iam legitur, dubium vix est quin *letum* adiciendum sit; quae reliqua sunt, facile continent *ante*. Quocirca reponamus: qui *letum ante* contempserat suum [1]).

Post Iuliani mortem praecipue imminens Persarum impetus Romanos duces et principes impulit, ut statim convenirent novi imperatoris creandi causa. Sed mox magna dissensio orta est inter factionem aulae Constantii et proceres Gallorum utrisque candidato suo faventibus. Qua de re legimus.

XXV, 5, 3 quae dum ambiguntur, nulla variante sententia, itum est voluntate omnium in Salutium, eoque causante morbos et senectutem, *honoratior aliquis miles* advertens destinatius reluctantem, „et quid ageretis", ait, „si id bellum vobis curandum, commisisset absens (ut saepe factum est) imperator? nonne posthabitis ceteris, militem instantibus aerumnis eriperetis? id nunc agite et si Mesopotamiam videre licuerit, utriusque exercitus consociata suffragia legitimum principem declarabunt".

1) Lucretius e contra inducit senem de morte sua appropinquante graviter querentem III 952—954.

Digitized by Google

Quis tandem est ille „*honoratior aliquis miles*"? Qui attente totam Ammiani narrationem usque ad hunc locum legit et novit promptum ingenium huius protectoris domestici [1]) saepius in re trepida, probatum non potest non cogitare de ipso Ammiano. Nisi fallor comparare possumus Xenoph. Anab. II 4, 16 ubi nuntius quidam haec refert Ἔπεμψέ με Ἀριαῖος καὶ Ἀρτάοζος, πιστοὶ ὄντες Κύρῳ καὶ ὑμῖν εὖνοι, καὶ κελεύουσι φυλάττεσθαι, μὴ ὑμὶν ἐπιθῶνται τῆς νυκτὸς οἱ βάρβαροι· ἔστι δὲ στράτευμα πολὺ ἐν τῷ πλησίον παραδείσῳ. καὶ παρὰ τὴν γέφυραν τοῦ Τίγρητος ποταμοῦ πέμψαι κελεύουσι φυλακήν, ὡς διανοεῖται αὐτὴν λῦσαι Τισσαφέρνης τῆς νυκτός, ἐὰν δύνηται, ὡς μὴ διαβῆτε, ἀλλ' ἐν μέσῳ ἀπολῃφθῆτε τοῦ ποταμσῦ καὶ τῆς διώρυχος. ἀκούσαντες ταῦτα ἄγουσιν αὐτὸν παρὰ τὸν Κλέαρχον καὶ Φράζουσιν ἃ λέγει. ὁ δὲ Κλέαρχος ἀκούσας ἐταράχθη σφόδρα καὶ ἐφοβεῖτο. νεανίσκος δέ τις τῶν παρόντων ἐννοήσας εἶπεν, ὡς οὐκ ἀκόλουθα εἴη τὸ ἐπιθήσεσθαι καὶ λύσειν τὴν γέφυραν (Vollbr.).

Facile ex „adulescentis cuiusdam" verbis: „iste sibi non constat" agnovimus Socratis discipulum i. e. ipsum Xenophontem, qui ratiocinationem nuntii arguit falsam.

Ceterum non semel scriptor noster loquitur in universum se ipsum respiciens (cf. supra ad XIV 6, 13).

Sapor Persarum rex cognita Iuliani morte Romanos magnis copiis adoriri constituit. Haec autem sunt ipsius auctoris verba XXV 5, 9 hoc ille (sc. Sapor) audito, quod semper trepidis votis .... et inopina prosperitate elatus, multitudine ex regio equitatu adiuncta his qui dimicavere nobiscum, celeri disposuit gradu, agminis nostri invadi terga postremi.

Editores solent lacunam significare post *votis*, sed vide ne verius sit: quod semper ⟨*sperarat*⟩ trepidis votis e. q. s.

XXV 6, 4 hisque sepultis ut rerum angustiae permiserunt, prope confinia noctis, cum ad castellum Sumere nomine, citis passibus tenderemus, iacens Anatolii corpus est agnitum, quod tumultuaria opera terrae mandatum est. hic et milites sexaginta cum palatinis recepimus, quos in munimentum *vaccatum* confugisse rettulimus.

---

1) Hic est gradus dignitatis Ammiani (= officier van de garde).

Digitized by Google

Mihi videtur historicus verba facere de spelunca quadam maiore natura et manu munita, quamobrem scribo: munimentum *cavatum*.

Ammianus refert cladem non mediocrem a Theodosio Pictis Scottisque illatam haec scribens

XXVII 8, 7 tendensque ad Lundinium, vetus oppidum quod Augustam posteritas appellavit, divisis plurifariam globis, adortus est vagantes hostium vastatorias manus, graves onere sarcinarum, et propere fusis, qui vinctos homines agebant et pecora, praedam excussit, quam tributarii perdidere miserrimi. 8 isdemque restituta omni praeter partem exiguam, inpensam militibus fessis, mersam difficultatibus *suis* antehac civitatem, sed subito, quam salus sperari potuit recreatam, ovantis specie laetissimus introiit.

Voci *suis* substitue *adsiduis*, quod adiectivum frequenter adhibetur in his libris e. g. XXIX 6, 17 dum haec tot ac talia per turbines agitantur *adsiduos*, XVIII 5, 7 post bellorum *adsiduos* casus cet.

De eodem Theodosio in Africam transgresso ut Firmum Maurum coerceret, legimus

XXIX 5, 7 recepto itaque tardius milite, quem amplitudo maris ⟨*praepediebat*⟩ Sitifim properans, Romanum cum domesticis custodiendum, protectoribus committi mandavit, agensque in oppido sollicitudine diducebatur ancipiti, multa cum animo versans, qua via quibusve conmentis, per exustas caloribus terras, pruinis adsuetum duceret militem, vel hostem caperet discursatorem et repentinum, insidiisque potius clandestinis, quam proeliorum stabilitate confisum.

Verbum inserui, quod aeque Sallustius Tacitus Ammianus adamaverunt. Cum nostro loco tamen conferas velim Plin. Paneg. 68, 3 ac si forte aliquos (sc. nuntios) flumina nives venti *praepedissent*, statim hoc illud esse credebant quod merebantur e. q. s.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

AD SENECAE AGAMEMNONEM.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Clytaemnestra infidelitati Agamemnonis splendida verba praetendit.

262 *permisit aliquid victor in captam sibi:*
nec coniugem hoc respicere nec dominam decet.
lex alia solio est, alia privato in toro.

Lectionem unice veram esse moneo *privato toro* omissa praepositione *in*, quae sine dubio dudum restituta esset, nisi exhibuisset eam codex nescio quis interpolatus.

In eadem altercatione ubi Clytaemnestra de Helena affirmavit:

iuncta Menelao redit
quae Europam et Asiam paribus afflixit malis,

Aegisthus respondet:

275 *Sed nulla Atriden Venere furtiva abstulit*
nec cepit animum coniugi obstrictum suae.

Emendandum est: *Hunc nulla Atriden.* Ubi de duobus Atridis sermo est, Aegisthus non uno nomine *Atriden* alterutrum designare potuit. Accedit quod Atrides alter, Agamemnon sc., in versu sequenti pronomine *ille* denotatur:

iam crimen ille quaerit et causas parat.

Alium locum indico, ubi codicem A, quamvis deterioris notae, meliorem lectionem nobis servasse opinor. Clytaemnestra Eurybaten rogat:

Digitized by Google

414 *Effare casus quis rates hausit meas*
aut quae maris fortuna dispulerit duces.

Ita editores, scripturam codicis Etrusci secuti, fere recensent. Noli tamen dubitare lectionem codicis A recipere:

quis fare nostras hauserit casus rates

id quod non tantum incongruentia modorum flagitare mihi videtur, quae nunc inter *hausit* et *dispulerit* exstat, quam Bothe coniectura sua *dispulerat* tollere voluit, sed etiam pronomen *meas*, quod a mulierum Graecarum ratione voluntateque longissime abhorret.

Eurybates narrat tempestatem a Pallade classi Agamemnonis immissam, in qua narratione haec sunt:

460 *iam lassa Titan colla relevabat iugo,*
in astra iam lux prona, iam praeceps dies.

Corrigendum puto: *in alta iam lux prona.*

Inferius paulo haec leguntur:

479 *Strymonius altas Aquilo contorquet nives*
Libycusque harenas Auster ac Syrtes agit;
nec manet in Austro: fit gravis nimbis Notus
imbre auget undas, Eurus orientem movet e. q. s.

Richter versum 481 uncinis inclusit, Leo pro *fit* scripsit: *flat.* Praestare censeo: *sed gravis nimbis N.*

Mox haec sequuntur:

506 *sed trunca toto puppis Ionio natat.*

Ad hunc locum Leo (II 382) observavit: „quamvis incuriosus sit Seneca locorum situs, credi non potest hominem Italum ignorasse nomen maris litora Italiae adluentis, praesertim cum v. 565 inter Ionium et Phrixeum mare doctum discrimen fiat et Phoen. 610 Ionii maris nomen sine dubio corruptum sit." Libenter concedo, sed concedere non possum coniecturam Wilamowitzii, quam editores Germani receperunt, *Icario* veram esse, verum emendandum esse existimo: *Iliaco.* Cf. vs. 41:

cuius secutae mille vexillum rates
Iliaca velis maria texerunt suis.

Inest etiam acerbitas quaedam in nomine: Ilium, ab Agamemnone vastatum, vel undis suis poenas etiamtunc ab eo expetivit.

Digitized by Google

Porro Aiax fulmine iam ardens Pallada compellat et deos minime se timere et aliis verbis praedicat et hisce:

547 *non me fugavit bellici terror dei*
et Hectorem una solus et Martem tuli,
Phoebea nec me tela pepulerunt gradu.

Versum 548 inter Senecae versus locum iniuria tenere Leo mihi quidem argumentis, quae I p. 209 attulit, non persuasit: versum poetae vindicandum esse arbitror, sed ita emendatum: *sed Hectorem* e. q. s.

Idem Aiax ad extremum exclamat:

551 *aliena inerti tela mittis dextera.*
quid si ipse mittat?

Ultima verba qualia nunc leguntur sanam interpretationem non admittunt. Corrigendum est: *quin ipse mittat!* h. e. quin age ipse Iuppiter ea mittat! Ne eum quidem me horrentem videbis.

Deinde ubi strages navibus illata describitur, haec sunt:

573 *pars vehitur huius prima, pars scopulo sedet;*

Moneo virgulam, quae nunc ab editoribus quantum scio omnibus post *prima* collocata est, traiciendam esse post voc. *huius*, id quod tam caesura quam sana ratio exigit; pars enim, quae etiamtunc vehitur h. e. libera natat, est puppis, prima vero pars navis sive prora prima nimirum scopulum tetigit sedetque.

Tota relatione audita Clytaemnestra respondet:

579 *Utrumne doleam laeter an reducem virum?*
remeasse laetor vulnus et regni grave
lugere cogor.

Editores recentiores hanc lectionem *et regni* cod. Etrusci iniuria praetulisse iudico scripturae cōd. A *at regni*, quam vetustiores unice veram esse iam agnoverant.

Cassandra fata Agamemnoni imminentia vaticinatur, in cuius verbis haec sunt:

754 *vos, umbrae, precor,*
iurata superis unda, te pariter precor:
reserate paulum terga nigrantis poli,
levis ut Mycenas turba prospiciat Phrygum.

Digitized by Google

Corruptela tam manifesta hunc locum inquinat ut de mendo typothetae primum cogitarem. Nimirum reponendum est:

reserate paulum regna nigrantis poli.

Cf. vs. 752: *avidique regna Ditis.*
Herc. Fur. 1114: *uno planctu tria regna sonent.*
Herc. Oet. 1705: *nec maesta nigri regna conterrent Iovis.*
Med. 638: *post feri Ditis patefacta regna.*

Ecce ex numerosis exemplis apud Senecam obviis nonnulla, e quibus satis superque lucere opinor, quomodo insipida lectio, quae per multa saecula poetam dedecuit, tandem iam emendanda sit.

Agamemnon redux patriam salutat.

782 *Tandem revertor sospes ad patrios lares;*
o cara salve terra, tibi tot barbarae
dedere gentes spolia, tibi felix diu
potentis Asiae Troia summisit manus.

Verba postrema, si sana sunt, ita nimirum sunt construenda: Troia diu felix tibi summisit manus potentis Asiae. At causa non una est quae mihi quidem obstare videtur ne probabilis sit ista interpretatio. Primum ordo verborum obloquitur: verba enim *potentis Asiae* non sine causa inter *felix diu* (attributum) et *Troia* (nomen) posita esse puto. Deinde Troia etiam Troad. 6 eodem epitheto ornatur:

columen eversum occidit
pollentis Asiae, caelitum egregius labor.

Denique sana ratio vetat ne credam, poetam scripsisse: 'Troia summisit manus Asiae' pro eo quod est: ‚manus suas'. Idem ante me Bentley sensisse videtur, qui coniecerit: *potentis Asiae domina.*

Nescio an Senecae reddendum sit:

tibi phenix diu
potentis Asiae Troia summisit manus.

Cf. eius Epist. 42 i. i.: „ille alter fortasse tamquam phoenix semel anno quingentesimo nascitur. nec est mirum ex intervallo magna generari: mediocria et in turbam nascentia saepe fortuna producit, eximia vero ipsa raritate commendat".

Deinde cum Cassandra convenit et sequitur haec altercatio:

Digitized by Google

791 AGAM. *festus dies est.* CASS. *festus et Troiae fuit.*
AGAM. *veneremur aras.* CASS. *cecidit ante aras pater.*
AGAM. *Iovem precemur pariter.* CASS. *Herceum Iovem?*

Versus ultimus ita corrigendus est ac distinguendus:

AGAM. *Iovem precemur.* CASS. *pater ut Herceum Iovem?*

Nempe ad Hercei Iovis aras Priamus trucidatus erat, cf. Troad. 45 sqq. et Agam. 448:

sparsum cruore regis Herceum Iovem.

Cassandra caedem Agamemnonis enarrat.

887 *mortifera vinctum perfide tradit neci*
induta vestis: exitum manibus negant
caputque laxi et invii claudunt sinus.

Vestimentum, quod Clytaemnestra marito induit, caput eius obvolvisse non credo neque ita factum esse versus, qui mox sequuntur, demonstrant:

habet, peractum est. pendet exigua male
caput amputatum parte e. q. s.

Non est dubitandum quin poeta scripserit:

capulumque laxi et invii claudunt sinus.

Alibi quoque *manus* et *capulus* apud nostrum copulari solent.

Cf. Phoen. 480: *redde iam capulo manum.*
Oed. 935: *haec fatus aptat impiam capulo manum.*

Strophius palmam, quam in ludis Olympicis reportaverat, Electrae dono dat.

935 *cape hoc decorum ludicri certaminis,*
insigne frontis; laeva victricem tenens
frondem virenti protegat ramo caput,
et ista donum palma Pisaei Iovis
velamen eadem praestet atque omen tibi.

Quis credat, Strophium virgini suasisse ut laeva manu palmam semper et ubique sublatam teneret? Immo corrigendum puto: *vitta victricem tenens* e. q. s. Cf. Tibull. I 6, 67, Ov. Ex P. III 3. 49 et infra vs. 951:

patere me vittis tuis,
Cassandra, iungi paria metuentem tibi.

Digitized by Google

EPIGRAMMA EMENDATUM.

SCRIPSIT

CHARITON Ch. f. CHARITONIDES.

A. Arvanitopullus edidit inter alia in claro suo libello, qui Θεσσαλικὰ Μνημεῖα inscribitur, κακόμετρον epigramma in Στρατόνικον τὸν Στράτωνος, quod descripsit legitque sic in pag. 123:

ΨΤΧΗΝΜΕΝΕΝΕΙΔΟΜΕΝΗΠΡΟΕΛΙΝΠΑ
ΝΕΝΟΣΤΕΑΔΕΩΔΕΜΗΤΡΙΤΕΚΑΙΑΔΕΛΦΗΙ
ΑΝΙΗΡΟΝ ΚΗΔΟΣ ΙΚΑΝΕΝ

ψυχὴν μὲν ἐνείδομεν, ἣ προελίνπα-
νεν· ὀστέα δὲ ὧδε μητρί τε καὶ ἀδελφῇ
ἀνιηρὸν κῆδος ἵκανεν.

Miror virum doctum verum non perspexisse. Lege:

ψυχὴν μὲν ΕΝ ΕΙΔΟΜΕΝΗ προελίνπα-
νεν, ὀστέα δὲ κτλ.

i. e. animam ἐν Εἰδομένῃ (πόλει Μακεδονικῇ) reliquit; ossa vero etc.

Nunc nihil obscurum esse credo.

Digitized by Google

DE VOCIBUS ETRUSCIS TUL, ŚPURAL, NAPER, TEN-.

SCRIPSIT

F. MULLER JAC.FIL.

Paulatim spissa diducitur caligo hucusque linguae etruscae originem obvolvens; parva profectus celeritas merito compensatur eventus stabilitate, nam hic, si usquam, cotidiana fere adhortatione opus est: festina lente. Neque tamen supervacuum fuerit, quae nuper viri docti indagaverunt, quam poterit amplissimis munire subsidiis, ut his iam relictis ad novas semper pergamus quaestiones.

Apud Festum (p. 490 Linds.) legis: *tolenno est genus machinae, quo trahitur aqua, alteram partem praegravante pondere, dictus a tollendo*, quocum loco conferas Plinium N. H. 19, § 60: *hortos villae iungendos non est dubium riguosque maxime habendos, si contingat, praefluo amme, si minus, e puteo rota organisve pneumaticis vel tollenonum haustu rigatos.* Codd. F d hic exhibent: *tollennonum*, E *tollendonum*. Adiungendae sunt glossae nonnullae (v. Corp. Gloss. Lat. VII 353), quae saepius *tolleno*, semel *toleno* scribunt. Ex scriptoribus unus Plautus habet in fragmento Astrabae (Linds. fr. III = Fest. 342 Linds.): *quasi tolleno aut pilum graecum reciprocas plana via.* Quid sit *tolenno* ex descriptionibus luculenter apparet: quem in nostrae quoque patriae regionibus ad orientem vergentibus cernas, longus repraesentatur temo, cuius e brachio altero vas aquarium suspensum susque deque fertur putei ligno librato[1]).

1) *Quod alternis attollitur* Gloss. V, 516, 60.

Digitized by Google

Semper fere et ubique haec forma *toll-* vicit; quod codd. Plinii et glossa una *tol-* scribunt, haud aspernandum videtur (de Plinii codd. eorum indole disputavit Mayhoff praef. p. IX 1906). Lectionem difficiliorem per unam *-l-* et hic praeferendam esse non est quod moneamus; quis enim non videt formas *toll-* ex etymologia populari quae dicitur esse natas? Tam glossae quam Festi locus plane hanc opinionem illustrant.

Huc traxerim aliud lemma in Festo obvium (p. 482 Linds.): *tullios alii dixerunt esse silanos, ali rivos, ali vehementes proiectiones sanguinis arcuatim fluentis, quales sunt Tiburi in Aniene;* hanc significationem Enni loco confirmat; inde fluxit Glossa V 487, 38: *tullii* (cod. habet *tulei!*) *rivuli.*

Artissimo vinculo cum his vocabulis [1]) coniunctum est, quae infima fuit pars Carceris, *Tullianum*: mitto scriptores, qui regis Tullii nimirum vestigium ibi indagant (e. g. Fest. p. 490 Linds.); nominis causam perspicies aperiens libellum Huelseni „Forum Romanum" [2] 1905, ex quo pauca mihi afferre libet verba (p. 112): in Wahrheit bedeutet *tullianum* vielleicht nur „Brunnenhaus" und ist abzuleiten von dem veralteten Wörte *tullus*, der Springquell" et (p. 11): „im Boden des Tullianum entspringt ein jetzt ziemlich wasserarmer Quell, der nach der verbreitetsten Annahme ursprünglich das Gewölbe, den Burgbrunnen des Capitols füllte" (v. etiam E. Petersen Vom alten Rom [4] 19).

Quod si tecum reputaveris etiam *putei* nomen in linguam latinam ex Etruria irrepsisse — v. Sigwart Glotta VIII 139 [2]) —, aliud quoque vocabulum, ut puta *tull-*, ad irrigationem spectans inde derivare haud nimis gravaberis; in eandem sententiam iam devenit Sigwart Glotta l.l. 141. Quam coniecturam mihi fulcire videor ita ut non modo probabilis, verum etiam certa habenda sit, voce *tolleno* supra descripta. Namque

---

1) His vocibus adiungere vereor lemma Pauli ex Festo 110 (Linds.): *meditullium dicitur non medium terrae sed procul a mari quasi meditellium, ab eo quod est tellus;* poterat esse quasi regio quaedam media terrae aquosae. An huc spectant glossae: *tullia media vel regia* IV 576, 32; V 612, 19; *tublia media vel regia* IV 293, 34; V, 582, 7?

2) De voce etr. *puteal* Thulin Etr. Disc. I 102. 104, III 24 (= Göteborg Årsskr. 1906, 1909).

Digitized by Google

in lingua etrusca suffixum celeberrimum fuit *-enna*; quod ut probem, lectorem delego ad nomina, quae sequuntur, latina atque disputationes ea tractantes: *homo levenna* apud Laberium (Schulze, Zur Gesch. lat. Eigenn. 283), *sociennus* apud Plautum, qui etiam *tolleno* habet, Aul. 659 (quod nomen propter ipsum suffiscum ex lingua etrusca deducit in Festschrift für E. Kuhn 172 G. Herbig, cf. Bücheler R.M. 39, 421), *dossennus* (Schulze l. l.); *porta Ratumenna: porta Capena* (Körte, Pauly-Wissowa VI 752, Skutsch ib. 774), *Porsenna*, *Vibenna* (cf. Festus 486 s.v. *Tuscum vicum*): etr. *vipinas* Schulze 101, Skutsch l.l. 789; ne multa, Skutsch ita loquitur l. l. 781, 50. 55: „So hat jetzt Schulze auf Namen mit dem Suffix *-enna* hingewiesen ... (und) ist das Suffix *-enna* eine Art Leitfossil für etruskische Bevölkerungsschicht" usw. Huic opinioni vehementer favet nomen proprium *Tullenus*, *Tullonius*, *Tullienus: Tullius* etr. *tule* (Schulze ZGLE 246, qui de horum suffixorum coniunctione fusius egit ib. 65). Vocabula etrusca huc facientia sunt: *tul*, *tule*, *tular* (Rosenberg Glotta IV, 56; Sigwart ib. VIII, 142 sqq.).

Unde fluxit adiectivum latinum *spurius?* Festum sic audis (p. 182, 4 Linds.): *nothum Graeci natum ex uxore non legitima vocant qui apud nos spurio patre natus dicitur, quod Ser. Tullius qui Romae regnavit, natus est ex concubina Spuri Tulli Tiburtis, nisi forte malumus credere, Ocrisia Corniculana captiva eum susceptum matre serviente;* quocum conferatur locus in auctore Inc. de praenomin. 6: *spurii patre incerto geniti quasi σποράδην*, Isid. Orig. IX, 5, 23 (Linds.) et 24 qui Festi locum interpretatus, ut solent posterioris aevi docti nimis scriptores, falso discrimine inter *nothum* et *spurium* distinguit. Quae nomina propria etiam in lingua etrusca inveniuntur: *spurie: spurina* (Schulze 262, 5): lat. *Spurinna*, de quo Val. Max. IV, 5, ext. 1 loquitur his verbis: *excellentis in ea regione* (sc. *Etruriae*) *pulchritudinis adulescens nomine Spurinna;* saepius idem Spurinnam quendam nominat *aruspicem*, natione igitur etruscum (de *haruspicis* nomine etrusco, ex Babylonia veniente Pauly-Wissowa VI 785, 33).

Huius autem adiectivi *spurius* origo adhuc latet. Nam quod

Digitized by Google

Walde Et. Wb.[2] s.v. a graeco σπορά deduci, nihil omnino est. *Spurium* infantem primo dictum puto *publicum* ex matre publica, ex meretrice natum; ita glossae interpretantur: *spurius meretricius* IV 175, 9, *spurii ex matribus meretricantibus nati sine patre* Löwe Prodrom. Glossar. 395. Eodem modo vocabulum *publica* adhibetur, v. in Corp. Gloss. Lat. II 164, 9 *publica culiola* τριβάς et locum in Senecae ep. 88, 37: *in his libris ... quaeritur ..., an Sappho publica fuerit*, alia in libro Wilamowitzi Sappho und Simonides 22. Quodsi postea *spurius* idem valet atque *falsus*, eandem ibi deprehendas sensus mutationem, quam habes in *adulterinus (adulterina signa dicuntur alienis anulis facta* Paul. ex Fest. 25). Nonne tantundem fere valet gr. παρθενίας, παρθένιος Εὐδώρος apud Homerum Il. Π 180 sensu per temporis spatium in deteriorem partem abeunte?

Quae cum ita sint, nihil omnino obstat, quin hoc quoque nomen cum lingua etrusca coniungamus: nam *śpural* ibi designat „publicus" (nuper Sigwart Glotta VIII, 144), in qua voce *-al* nihil aliud est nisi suffixum casus genitivi, v. Skutsch Pauly-Wissowa VI 790, 67; vocabulum ipsum relinquitur *spur-*, cuius derivatio altera fuit *spurio-*, *Spurius*, *Spurinna*.

Festus habet (p. 168 Linds.): *napuras nectito, cum dicit pontifex, funiculi ex stramentis fiunt*, et p. 160, 16: *quin etiam in commentario sacrorum usurpatur hoc modo: „Pontifex minor ex stramentis napuras nectito", id est funiculos facito, quibus sues adnectantur.* Unde hoc *napurae* ortum sit, quaeritur. Ex etr. *naper* originem ducit, ni omnia me fallunt: hoc enim verbum mensuram quandam designat semperque cum numeralibus coniunctum invenitur, v. etiam Skutsch, qui Pauly-Wissowa VI, 784, 21 sqq. [1]) fusius de hac re egit. Non hic modo, saepius Latini mensurae nomina ex vicina lingua mutuati sunt, ut iam ipsum *gromaticorum* nomen manifesto demonstrat: *gruma* ex gr. γνώμων, quod per Etrurian iter fecit ut Roman perveniret, v. W. Schulze Sitz. Ber. Berl. 1905, 709. Neque significatio: funis~mensura moram affert; nam in lingua

1) Cf. Glotta VIII 146.

Digitized by Google

graeca (σχοῖνος, σχοινίον) prorsus idem apparet, e. g. Herod. I (v. 26 ἐξάψαντες ἐκ τοῦ νηοῦ σχοινίον) 66: ὅσοι αὐτῶν ἐζωγρήθησαν ... σχοίνῳ διαμετρησαμενοι τὸ πεδιον ... ἐργάζοντο.

Etr. *ten-u, ten-ine, ten-ϑ-as* radicem ostendunt *ten-*, in *tenϑas* sono *t* aut ϑ auctam, v. Rosenberg Glotta IV, 56; is quoque in libello cui nomen „der Staat der alten Italiker" p. 59 adn. *tenine* „populus" vertit, *tenu- tenϑas* „publicus", alii aliter, nuperrime Sigwart Glotta VIII 163. Quod *tenϑas* magistratus vocabulo **marun* appositum legitur (Rosenberg Staat d. alt. It. 58 sq.), fortasse deus vel dea quaedam designatur, cuius cultui *maro* ille praepositus erat.

Hic affero Festi verba (Paul. 505 Linds.): *tenitae credebantur esse sortium deae, dictae quod tenendi haberent potestatem.* Sortes in religione romana nusquam adhibentur nisi in cultu Fortunae Praenestinae, v. Wissowa Rel. u. Kult. d. Rom.[2] 259, 260. Ut Tusculi, ita Praenesti permulta exstant vestigia populi Etrusci; sed Wissowa quoque l. l. haec addit: „Sie war also die erstgeborene Tochter des Iuppiter in einer der italischen Religion... durchaus fremden Auffassung, welche sich gewisz nicht zufällig nur in dem von auswärtigen Einflüszen stark durchsetzten Praeneste nachweisen läszt" et (p. 260): „die Fremdartigkeit des ganzen Gottesdiensten und insbesondere der Orakelerteilung trugen offenbar die Schuld daran, dasz die Römer sich lange gegen diesen Kult ablehnend verhielten".

Ex his observationibus si pauca tantum recte se habent neque procul a scopo aberraverunt, denuo quantum Romani et Latini debeant Etruscis novis documentis apparet. Plura exspectemus: non enim quod semel atque iterum eiusmodi res in lucem prodeunt mirum est, sed quod tam tarde tamque exigue usque ad hunc diem (v. Mnemosynae vol. 43, 337).

Digitized by Google

MAGNI DELATOR AMICI.

(Ad Iuv. I 34).

SCRIPSIT

IACOBUS VAN WAGENINGEN.

Nondum inter Iuvenalis interpretes constat, quis ille *magni delator amici* fuerit, qui hoc loco iuxta alios delatores, quorum nomina non silentur, a poeta traducitur. Verum inter omnes homines, quos commentatores et scholiasta significatos esse posse credunt, unum esse puto, quem maiore iure quam ceteros contendamus Iuvenali ob oculos versatum esse.

Delator autem ille *magni amici* Domitiani temporibus vixit, ut e versu 35 apparet, quibus etiam Baebius Massa, Mettius Carus, Latinus archimimus fuerunt. Recte Friedlaenderus animadvertit sermonem esse non posse de M. Aquilio Regulo [1]), quem vulgo editores designatum esse a poeta existimant, quia is, qui *ipse* in nobilium numero sit, non *magni* h. e. nobilis amici dicatur delator. Scholiasta vero dubitat haeretque inter *Heliodorum*, L. Iunii Silani discipuli sui delatorem, Stoicum philosophum, et *P. Egnatium Celerem*, a quo Barea Soranus falso testimonio circumventus est, quorum uterque Neronis aetate pollebat, et *Demetrium causidicum*, qui non alibi commemoratur [2]). Huius autem Demetrii rationem haberi non necesse est, quia sine dubio Iuvenalis verbis, quae sequuntur, *et cito rapturus de nobilitate comesa, quod superest*, non obscurum

1) Plin. Ep. I 5, 15: „nec me praeterit esse Regulum δυσκαθαίρετον; est enim locuples, factiosus, curatur a multis, timetur a pluribus, quod plerumque fortius amore est." Mart. I, 12, 8.

2) Pauly-Wissowa R. E. 4, 2803, nº 57.

Digitized by Google

aliquem rhetorem, sed hominem omnibus notum indicavit. Deinde Egnatius Celer imperante Domitiano iam non a ceteris delatoribus timebatur, quippe qui sub Vespasiano damnatus esset [1]). Ergo restat ut Heliodorum, cuius nomen Tacitus in morte Silani tradenda [2]) omisit, a poeta per ambages indicatum putemus. Cui sententiae hoc obstat, quod ille Neronis aetate vixisse dicitur, sed nihil impedit, quominus eum sub Domitiano etiamtunc fuisse statuamus, praesertim cum idem scholiasta Baebium Massam et Mettium Carum „Heliodoro deferente" occisos esse narrat. Quamquam quod ad Massam attinet, fallitur. Is enim accusantibus Plinio et Herennio Senecione, patronis Baeticae provinciae, a° 93 damnatus est [3]), sed fieri potest ut Carus, postquam Herennium Senecionem innocentem pessumdedit [4]), atque Plinium apud Domitianum reum facere frustra conatus est [5]), mox ipse nequitiae suae poenas dedit per Heliodorum.

Veri simillimum igitur est hunc fuisse illum *delatorem magni amici.*

---

1) Tac. Hist. IV 10; 40: „repeti inde cognitionem inter Musonium Rufum et Publium Celerem placuit, damnatusque Publius et Sorani manibus satisfactum".
2) Tac. ann. XV 52; XVI 7—9.
3) Plin. ep. VII 33, 4; Tac. Agr. 45.
4) Plin. ep. I 5, 1—4.
5) Plin. ep. VII 27, 14.

Digitized by Google

DE MENTE ANAXAGOREA.

SCRIPSIT

K. KUIPER.

Utrum Anaxagoras Mentem, rerum omnium quotquot sunt fueruntque dominatricem, quae divina sua vi infinitam materiem primum adduxit in ordinem, incorporali natura praeditam cogitaverit, an subtilitate tantummodo ceteris elementis praestantem, ne nunc quidem inter viros philosophiae Graecae peritos constare apertum est. „Der anaxagoreïsche Νοῦς — ita Bonhöffer in libro de philosophia Graeca (Handb. d. kl. Alt. V. I. 1.[3] p. 65) war von jeher und ist heute noch eine crux interpretum"; quibus dictis raptim recenset varias de Mente Anaxagorea opiniones quas in Germania viri docti protulerunt. Et profecto Gallorum Brittannorumque libros si referre voluisset, haud minorem quam in Germania discordiam poterat indicare.

Equidem cum lego quae ipse Bonhöffer ceterique qui ab eius partibus stant, de hac quaestione solent disputare, mirari soleo, parum plausum tulisse, quin etiam neglecta esse ea quae copiose ac dilucide docuit multis abhinc annis Heinzius („Ueber den Νοῦς des Anaxagoras" Leipziger Berichten der k. Ges. d. Wissenschaften 1890. Phil.-hist. Classe p. 1—45). Certis enim argumentis Heinzius demonstrasse mihi videtur, Anaxagoran Mentem ab omni corporali notione secretam cogitasse. Pergunt autem dubitare de hac ipsa re viri docti, qui Mentis Anaxagoreae naturam atque indolem adumbrare sibi proposuerunt, quapropter fortasse haud inutile est rem quamvis tritissimam iterum accuratius considerare.

Digitized by Google

Primum videamus necesse est, quatenus verum sit, id quod multi contendunt, antiquos iam scriptores, eos volo qui ipsum Anaxagorae librum manibus triverint, dubitasse de vera Mentis natura. Facilem adimus laborem, nam quidquid ad hanc rem usui esse poterit congestum et ordine dispositum habemus in Dielsii libro de philosophis antiquioribus (die Fragmente der Vorsokratiker). Quem librum adhibeo, numquam neglectis Staubachii Schorniique libellis, sed potiora tantum deligam; Euripidem enim, qui Anaxagorae placita non nisi ad suam opinionem mutata refert, prorsus omitto, ad Platonis autem Phaedonem infra demum recurro.

Celeberrima sunt verba Aristotelis (Metaphys. A. 3. 984^{b}. 15) et numquam non recitata ab eis qui Mentis naturam incorporalem defendunt: *νοῦν δή τις εἰπὼν ἐνεῖναι καθάπερ ἐν τοῖς ζώοις καὶ ἐν τῇ Φύσει, τὸν αἴτιον τοῦ κόσμου καὶ τῆς τάξεως πάσης, οἷον νήφων ἐφάνη παρ' εἰκῇ λέγοντας τοὺς πρότερον*, sed fatendum est hoc solo iudicio, si nusquam plura de Mente edixerit Aristoteles, rem minime derimi. Poterat enim *νοῦς* ille etiamtum res antea confusas in ordinem adducere, si a corporea natura non prorsus esset seiunctus. Nec tamen, ni fallor, ita credebat Aristoteles. Dilucide enim exposuit rem in libro de Anima A 2. 405^{a} 15 *ἀρχήν γε τὸν νοῦν τίθεται μάλιστα πάντων· μόνον γοῦν φησιν αὐτὸν τῶν ὄντων ἁπλοῦν εἶναι καὶ ἀμιγῆ τε καὶ καθαρόν. ἀποδίδωσι δ' ἄμφω τῇ αὐτῇ ἀρχῇ τό τε γινώσκειν καὶ τὸ κινεῖν, λέγων νοῦν κινῆσαι τὸ πᾶν*, et Phys. Θ 5. 256^{b} 24 *διὸ καὶ Ἀναξαγόρας ὀρθῶς λέγει τὸν νοῦν ἀπαθῆ φάσκων καὶ ἀμιγῆ εἶναι, ἐπειδήπερ κινήσεως ἀρχὴν αὐτὸν ποιεῖ εἶναι. οὕτω γὰρ ἂν μόνως κινοίη ἀκίνητος ὢν καὶ κρατοίη ἀμιγὴς ὤν.*

Vides Aristotelem, ipsius Anaxagorae verbis, quae infra tractabimus, adhibitis, operam dedisse, ut ab omni notione corporea, a motione praesertim, Mentis naturam separaret. Tenendum autem hoc est legentibus Cratylum Platonis. Nam cum in eo dialogo (Crat. 413. C) Socrates ita de eo quod est iustum disserit: *ὃ δὲ τούτων μὲν πάντων καταγελᾶν φησίν, εἶναι δὲ τὸ δίκαιον ὃ λέγει Ἀναξαγόρας νοῦν εἶναι τοῦτο, αὐτοκράτορα γὰρ αὐτὸν ὄντα καὶ οὐδενὶ μεμειγμένον πάντα φησὶν αὐτὸν κοσμεῖν τὰ πράγματα διὰ πάντων ἰόντα*, extremis verbis ludit in

Digitized by Google

derivando adiectivo δίκαιον, nec vero ipsa quae edixerat Anaxagoras ad verbum referre putandus est. Ipse enim Plato a materia Mentem Anaxagoream accuratius secrevit in Phaedro, cum — p. 270 — Socratem de Pericle haec narrantem faceret: προσπεσὼν γὰρ οἶμαι τοιούτῳ ὄντι Ἀναξαγόρᾳ, μετεωρολογίᾳ ἐμπλησθεὶς καὶ ἐπὶ φύσιν νοῦ τε καὶ ἀνοίας ἀφικόμενος, ὧν δὴ πέρι τὸν πολὺν λόγον ἐποιήσατο Ἀνξαγόρας, ἐντεῦθεν εἵλκυσεν ἐπὶ τὴν τῶν λόγων τέχνην τὸ πρόσφορον αὐτῇ. Haec verba respicere doctrinam Anaxagorae de Mente (νοῦς) ac de materia quae mente caret (ἄνοια), et per se apertum est et comprobatur a Plutarcho qui, ulterius quam Plato de philosophi cum Pericle amicitia locutus, addit Anaxagoran cognomine Νοῦς salutari solitum fuisse (Plut. Per. 4) sive quod ingenium eius eo nomine celebrare vellent aequales, εἴτ' ὅτι τοῖς ὅλοις πρῶτος οὐ τύχην οὐδ' ἀνάγκην διακοσμήσεως ἀρχήν, ἀλλὰ νοῦν ἐπέστησε καθαρὸν καὶ ἄκρατον ἐν μεμιγμένοις πᾶσι τοῖς ἄλλοις ἀποκρίνοντα τὰς ὁμοιομερείας.

Solemne fere in recentioribus hoc ἐπιστῆσαι verbum, quo haud obscure Mens materiae praeponitur atque opponitur. Sed vix sufficere videretur Plutarchi testimonium, nisi strenuum ei offerretur auxilium a Simplicio, qui Theophrasti auctoritatem refert (cf, Diels l. l. p. 383. 41). Etenim non solum Simplicius, quem Anaxagorea placita penitus cognita habuisse constat, Clazomenium laudat (phys. 27. 2) quod πρῶτος μετέστησε τὰς περὶ τῶν ἀρχῶν δόξας καὶ τὴν ἐλλείπουσαν αἰτίαν ἐνεπλήρωσε, τὰς μὲν σωματικὰς ἀπείρους ποιήσας e. 95, sed ad verbum Theophrastum referens addit: καὶ οὕτω μέν, φησί, λαμβανόντων δόξειεν ἂν ὁ Ἀναξαγόρας τὰς μὲν ὑλικὰς ἀρχὰς ἀπείρους ποιεῖν, τὴν δὲ τῆς κινήσεως καὶ τῆς γενέσεως αἰτίαν μίαν τὸν νοῦν.

Hoc igitur fuit quod Aristoteles adduxit ut Anaxagoran laudaret νήφοντα ἐν εἰκῇ λέγουσι τοῖς ἄλλοις: is primus αἰτίαν ἐπέστησε τοῖς γιγνομένοις. Videte enim quantum hac re Clazomenius a prioribus distet. Thaletem Anaximenemque praetermitto; sed Anaximander quoque, licet eius ἄπειρον a cognita materia aliquantum distet, ὑλικόν, non νοερόν, illud infinitum cogitavit. Fateor Anaximandri doctrinam, cum „infinitatem

Digitized by Google

naturae dixit esse ex qua omnia gignerentur" viam quodammodo struxisse philosophiae Anaxagoreae, ac dualismi quem dicunt fundamenta iecisse cum praesertim adderet „ἐξ ὧν ἡ γένεσίς ἐστι τοῖς οὖσι καὶ τὴν φθορὰν εἰς ταῦτα γίγνεσθαι κατὰ τὸ χρεών". Sed ipsi isti placito Anaxagoras, corrigens Anaximandri verba, cuius doctrinam in διακρίσει sua integram fere recepit, opponit illud μηδὲν τῶν γινομένων γίνεσθαι καθ' εἱμαρμένην, ἀλλὰ κενὸν εἶναι τοῦτο τὸ ὄνομα. Etenim, Mens ubi regit fato locus non est.

Heracliti quoque altae sapientiae aliquid debet Clazomenius. Nam prope accedit Λόγος, quem nunc Ζῆνα, modo κεραυνὸν dicere anabat vates Ephesius, ad vim Mentis Anaxagoreae; nec tamen quisquam fuit, quin concederet pertinere πῦρ illud ἀειζῷον ad ipsa elementa quae penetret. Idem vero valet de Eleatis. Xenophanem enim iure dicas in philosophando inde esse profectum quod deorum vulgarium multitudini unum solum numen opposuit ἕν τε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισι μέγιστον. Nec memorare Xenophanem necesse haberem, nisi Eleatarum princeps una cum Parmenide Anaxagoram eo duxisse mihi visus esset ut Mentem nomine τοῦ Νοῦ praesertim indicaret. Deum enim suum unum illum et summum, qui οὖλος ὁρᾷ, οὖλος δὲ νοεῖ, οὖλος δέ τ' ἀκούει, qui ἀπάνευθε πόνοιο νόου φρενὶ πάντα κραδαίνει, Xenophanes ab ipsa rerum natura non seiunxerat: Unum illud, τὸ ἕν, idem cum deo esse voluit. Altius in abscondita unitatis arcana progressus Parmenides, cum eo venit ut τὸ ὂν unice infinitum, inmotum, exordio fineque atque interitu destitutum praedicaret, hoc quoque docuit, a cogitatione illud quod cogitetur non posse differri: ταὐτόν ἐστι νοεῖν τε καὶ οὕνεκέν ἐστι νόημα. Nonne perspicuum est, hanc ipsam Parmenidis sententiam causam fuisse Anaxagorae ut tam diserte iteraret illud „ἀμιγῆ" et „καθαρὸν", indicans secretum a ceteris omnibus esse τὸν νοῦν? Nam licet Clazomenius in doctrina περὶ τοῦ γενέσθαι καὶ ἀπόλλυσθαι sequatur Parmenidem, omnino tamen Eleatae non concedit illud

ὡς ἀγένητον ἐὸν καὶ ἀνώλεθρόν ἐστι
οὖλον, μουνογενές τε καὶ ἀτρεμὲς ἠδ' ἀτέλεστον.

Quin immo, Parmenidi praedicanti

Digitized by Google

οὐδέ ποτ' ἦν οὐδ' ἔσται, ἐπεὶ νῦν ἔστιν ὁμοῦ πᾶν
ἓν συνεχὲς,

aperte Anaxagoras in ipso libri περὶ Φύσεως exordio opponit: „ὁμοῦ ἦν πάντα χρήματα", scilicet in prima origine rerum.

Empedoclem verbo memorare satis est. Philosophus enim Agrigentinus ea fortasse laude dignus fuisset quą nunc Anaxagoran ornat Aristoteles, si cogitando in eam necessitotem adductus ut a materia vim illam secerneret qua natura moveri posset, ad mytbologiae auxilium non refugisset. Sed vide tamen quam proxime ad Anaxagoran accesserit. Cum Eleatis negat fieri posse ut quidquam aut nascatur proprio sensu aut intereat. Mutari res posse negat, licet mutari videantur. Ergo oriuntur omnia ex elementis inmutabilibus, idque motione, διακρίσει et συγκρίσει. Quaenam autem vis materiae molem movet? Duo sunt: Φιλότης atque Νεῖκος. Num ab ipsa materiae mole discretae? Parum lucide respondet poeta Agrigentinus. At Anaxagoras τὴν ἐλλείπουσαν αἰτίαν ἀναπληροῖ; antiquiorum sapientiam non respuit, non alto reicit supercilio, sed corrigit, Mentis cogitantis vim divinam naturae rerum praeponens.

Itanc? Revera exordio rerum Mentem praeposuisse Anaxagoras videtur? Hoc quoque diiudicandum est, antequam ad interpretanda notissima philosophi verba de Mente accedamus. Sunt enim qui putent Mentem inertem ut ita dicam, cum nondum ad vitalem vim expergefacta esset, insciam latuisse, quandoquidem antequam Mens opus suum divinum incohasset, περιχωρήσεως initium factum esse ipse Anaxagoras docuerit. Quid enim? Refert Simplicius (Diels l. l. p. 399 fr. 1 et 2) „καὶ πάντων ὁμοῦ ὄντων οὐδὲν ἔνδηλον ἦν ὑπὸ σμικρότητος· πάντα γὰρ ἀήρ τε καὶ αἰθὴρ κατεῖχεν, ἀμφότερα ἄπειρα ἐόντα· ταῦτα γὰρ μέγιστα ἔνεστι ἐν τοῖς σύμπασι καὶ πλήθει καὶ μεγεθει". καὶ μετ' ὀλίγον: „καὶ γὰρ ἀήρ τε καὶ αἰθὴρ ἀποκρίνονται ἀπὸ τοῦ πολλοῦ τοῦ περιέχοντος". Verba per se non obscura, quae tamen multis viris doctis molestias pararunt. Testis sit Staubachius, cuius librum de Anaxagora ne hodie quidem quisquam neglegit, quem tamen in hac re aperte errantem immerito hucusque nonnulli sequuntur. Difficultatem in hoc fragmento sibi obortam hunc in modum Staubachius exponit (p. 72):

Digitized by Google

„Quaeritur, num haec verba antecedentibus non repugnent, in quibus omnia esse in omnibus dixerat, cum hoc loco aërem et aethera, ut res a reliqua rudi indigestaque mole secretas afferat. Equidem rem ita expediendam esse censeo. Quamquam mentis vi ac voluntate ista primum secernebatur, tamen iam antea aer et aether proprio suo pondere super graviora sursum ferebantur, ut tamen nihilominus in reliquis rebus haud exigua pars eorum remaneret". — Actum erit opinor de divina potestate τοῦ Νοῦ, si putandum est Mentem eatenus tantum fuisse κινήσεως ἀρχήν, ut tamen iam antequam Mens vi sua universum mundum formare coepisset, quaedam, scilicet aer et aether (id est ignis), ex ceteris essent secreta. Verum videtur Staubachius, licet accuratissime versari soleat in commentando Anaxagora, nunc quidem in errorem inductum esse iis verbis quae secundum Simplicium Anaxagoras non statim sed μετ' ὀλίγον primo enuntiato subiunxit: καὶ γὰρ ὁ ἀὴρ καὶ ὁ αἰθὴρ ἀποκρίνεται ἀπὸ τοῦ περιέχοντος τοῦ πολλοῦ. Neglexit enim in his interpretandis formam praesentis, ex qua apparet Anaxagoram hoc loco iam non de prima origine rerum loqui, cum ἠρεμούντων τὸν πρὸ τοῦ χρόνον τῶν ὄντων κίνησις ἐνεγένετο ὑπὸ τοῦ Νοῦ — ut cum Simplicio (Diels p. 390. n. 64) loquar — sed de continuata rerum motione qua noster mundus oriri et perire pergit.

Huic errori debetur quod Staubachius, in primo fragmento verbum illud κατεῖχεν (πάντα γὰρ ἀήρ τε καὶ αἰθὴρ κατεῖχεν) explicat: „omnia inter se hac ratione confusa et mixta aër et aether *amplexu suo continebant*". Longe aliud mihi videtur voluisse Anaxagoras. „Confusa erant omnia et inter se mixta, nam πάντα ἐν παντὶ ἦν; ea enim ipsa erat condicio τῆς ὁμοιομερείας" „ut omnibus omnes res inmixtae rebus latitarent". Verum iam tum valuit de aëre atque aethere quod postea factum esse Lucretius describit notissimis versibus:

illud
apparere unum, cuius sunt plurima mixta
et magis in promptu primaque in fronte locata,

aër enim et aether μέγιστα ἔνεστι ἐν τοῖς σύμπασι et nunc et olim; idcirco πάντα κατεῖχεν, *in omnibus dominabantur*, i. e. maior eorum quam ceterorum erat species.

Digitized by Google

Sed mirari poterit quispiam, quae causa adduxerit philosophum ut in describenda mole prima aëris et aetheris mentionem faceret, qua tamen rem ipsam facile conturbari in promptu esset. Veri simile mihi videtur, Anaxagoram sic fere disputare voluisse: „non recte iudicant qui putent aut aërem rerum initium fuisse aut aethera, id est vim quandam igneam; errant ergo et Thales et Heraclitus. Sed mirum non est eos errasse. Nam id sane verum est tam aeris quam aetheris materiam longe longeque cetera omnia superare magnitudine et copia. Quin si molem illam primam ἄπειρον oculis conspicere possemus, nil nisi aërem nebulosum et aetheris vim micantem observare nobis videremur, ille enim in omnibus dominabantur καὶ πλήθει καὶ μεγέθει". Ceterum optime haec explicat id quod legimus apud Aristotelem *de caelo* III. 3. 302ª 28 Ἀναξαγόρας δ' Ἐμπεδοκλεῖ ἐναντίως λέγει περὶ τῶν στοιχείων. ὃ μὲν γὰρ πῦρ καὶ τὰ σύστοιχα τούτοις στοιχεῖά φησιν εἶναι τῶν σωμάτων καὶ συγκεῖσθαι πάντα ἐκ τούτων, Ἀναξαγόρας δὲ τοὐναντίον· τὰ γὰρ ὁμοιομερῆ στοιχεῖα, λέγω δὲ οἷον σάρκα καὶ ὀστοῦν καὶ τῶν τοιούτων ἕκαστον· ἀέρα δὲ καὶ πῦρ μείγματα τούτων καὶ τῶν ἄλλων σπερμάτων πάντων· εἶναι γὰρ ἑκάτερον τούτων ἐξ ἀοράτων ὁμοιομερῶν πάντων ἠθροισμένον. διὸ καὶ γίγνεσθαι πάντ' ἐκ τούτων· τὸ γὰρ πῦρ καὶ τὸν αἰθέρα προσαγορεύει τὸ αὐτό. Spectant enim haec primam illam τῆς περιχωρήσεως originem, cum secernerentur inter se caliginosa ex quibus terra mareque oritura erant et ignea (τὸ ἀραιὸν καὶ τὸ θερμὸν καὶ τὸ ξηρὸν) quae in summum aethera recesserunt. Sed eam motionem non sine Mentis numine factam esse idem Aristoteles monet. *Phys.* IX. 5. 256ᵇ διὸ καὶ ὀρθῶς Ἀναξαγόρας λέγει τὸν νοῦν ἀπαθῆ φάσκων καὶ ἀμιγῆ εἶναι, ἐπειδήπερ κινήσεως ἀρχὴν αὐτὸν ποιεῖ εἶναι.

II.

Consideratis iis quae praemitti necesse videbatur, non obscura, quamvis brevia esse arbitror verba fragmenti cuivis notissimi, quibus Mentis naturam ac indolem exponit philosophus. In quibus verbis tractandis sat scio a me iteratum iri quae saepius a multis prolata, nec tamen omnibus probata sunt. Ignoscent mihi qui mente tenent opiniones diversas, cum

Digitized by Google

simul cogitaverint vix melius inveniri posse philosophi consilium quam si ipsa eius verba accurate perpendamus.

Fragmentorum ordinem a Dielsio observatum si sequimur, primum in conspectum venit fr. 11 „ἐν παντὶ παντὸς μοῖρα ἔνεστι πλὴν νοῦ, ἔστι δὲ οἷς καὶ νοῦς ἔνι". Quoniam autem ex hoc fragmento ipso summae inter commentatores lites ortae sunt, praestat in praesens ambigua ea verba praetermittere et primo loco commentari celeberrimum fragmentum 12. Legentibus commodum erit eam fragmenti partem quae Mentis naturam exponit ante oculos habere; haec sunt verba philosophi:

τὰ μὲν ἄλλα παντὸς μοῖραν μετέχει, νοῦς δέ ἐστιν ἄπειρον καὶ αὐτοκρατὲς καὶ μέμεικται οὐδενὶ χρήματι, ἀλλὰ μόνος αὐτὸς ἐπ' ἐωυτοῦ ἐστιν. εἰ μὴ γὰρ ἐφ' ἑαυτοῦ ἦν, ἀλλά τεῳ ἐμέμεικτο ἄλλῳ, μετεῖχεν ἂν ἀπάντων, εἰ ἐμέμεικτό τεῳ· ἐν παντὶ γὰρ παντὸς μοῖρα ἔνεστιν, ὥσπερ ἐν τοῖς πρόσθεν μοι λέλεκται, καὶ ἂν ἐκώλυεν αὐτὸν τὰ συμμεμειγμένα ὥστε μηδενὸς χρήματος κρατεῖν ὁμοίως ὡς καὶ μόνον ἐόντα ἐφ' ἑαυτοῦ. ἔστι γὰρ λεπτότατόν τε πάντων χρημάτων καὶ καθαρώτατον, καὶ γνώμην γε περὶ παντὸς πᾶσαν ἴσχει καὶ ἰσχύει μέγιστον, καὶ ὅσα γε ψυχὴν ἔχει καὶ μείζω καὶ ἐλάσσω, πάντων νοῦς κρατεῖ.

Omnino tenendum est Anaxagoran in hoc fragmento non agere de prisca illa rerum origine cum ὁμοῦ πάντα ἦν, sed de mundi condicione qualis nunc est. Etenim opponit inter se materiam atque Mentem. Materiae ea est natura ut in singulis rebus omnium rerum semina insint. Quod si non ita esset, variae res ex variis nasci non poterant. Hoc quidem certo certius constat Anaxagorae: commixta illa in formatis rebus semina dissungi ac separari nequeunt: οὐ κεχώρισται ἀλλήλων τὰ ἐν τῷ ἑνὶ κόσμῳ οὐδὲ ἀποκέκοπται πελέκει οὔτε τὸ θερμὸν ἀπὸ τοῦ ψυχροῦ οὔτε τὸ ψυχρὸν ἀπὸ τοῦ θερμοῦ. Itaque numquam eo processit περιχώρησις illa, ut in frigidis nihil sit calidi, ut in calidis nihil maneat frigidi. Luculentius quam in fragmentis Anaxagoreis expositam hanc argumentationem habemus in Aristotelis Physicis I. 4 (quem locum adduxit Zeller I.[4] 882. n. 2): εἰ γὰρ πᾶν μὲν τὸ γιγνόμενον ἀνάγκη γενέσθαι ἢ ἐξ ὄντων ἢ ἐκ μὴ ὄντων, τούτων δὲ τὸ μὲν ἐκ μὴ ὄντων ἀδύνατον... τὸ λοιπὸν ἤδη συμβαίνειν ἐξ ἀνάγκης ἐνόμισαν ἐξ ὄντων μὲν καὶ ἐνυπαρχόντων γίγνεσθαι, διὰ μικρότητα δὲ τῶν ὄγκων ἐξ ἀναισθήτων

Digitized by Google

ἡμῖν. διό φασι πᾶν ἐν παντὶ μεμῖχθαι διότι πᾶν ἐκ παντὸς ἐώρων γιγνόμενον.

Nunc vero vide, quantam Anaxagoras curam adhibeat, ut ab omni ea rerum universitate corporea Mentem secernat, non terminis quibusdam usus philosophicis quales hodiernae doctrinae praesto sunt, aptis perito sed imperito lectori nonnumquam molestis. Quam facile fuerat Mentem „absolutam" dicere et τὰ νοερὰ τοῖς ὑλικοῖς opponere. Sed erat Anaxagorae aetate eiusmodi egestas sermonis Graeci ut περὶ τῶν ἀσωμάτων disserere vix possent philosophi nisi verbis usi quae ad corporalem rerum naturam pertinebant. Ne Platonis quidem ars dicendi praeclara tantum valebat. Humana et terrestria negando summi pulchri ac boni essentiam incorpoream in Convivio Diotima adumbrat. Nec magis, in multo provectiore dictionis philosophicae aetate, ab imaginibus terminisque humanis abstinet Johannes Evangelista, Logi sui naturam potestatemque divinam depingens. Si ergo Anaxagoreae Mentis indolem perscrutari volumus, non quid assecutus sit philosophus, sed quid voluerit, quaerere oportet.

Priores philosophos ab Anaxagora continuo respici iam vidimus supra. Νοῦν igitur Mentem dixit, Parmenidis haud immemor. Cum vero Νοῦν illum primo loco ἄπειρον dicit adiectivum adhibet Anaximandro familiare; sed videte quanto discrimine. Etenim fr. 1: edixerat Anaxagoras olim πάντα χρήματα ὁμοῦ fuisse, ἄπειρα καὶ πλῆθος καὶ σμικρότητα, καὶ γὰρ τὸ σμικρὸν ἄπειρον ἦν. καὶ πάντων ὁμοῦ ἐόντων οὐδὲν ἔνδηλον ἦν ὑπὸ σμικρότητος· πάντα γὰρ ἀὴρ τε καὶ αἰθὴρ κατεῖχεν ἀμφότερα ἄπειρα ἐόντα· ταῦτα γὰρ μέγιστα ἔνεστιν ἐν τοῖς σύμπασι καὶ πλήθει καὶ μεγέθει.

Varia notione iam hic adhibetur ab Anaxagora idem adiectivum, quo Anaximander *infinitam materiem* significaverat. Nam cum aër atque aether (caligo et vis ignea) quae ab initio dominabantur in rerum primordiis, ἄπειρα dicuntur, a solita notione adiectivi non recedit Anaxagoras: ingentia ac plane infinita sunt καὶ πλήθει καὶ μεγέθει semina aëris caliginosi; hodie quoque ἀήρ τε καὶ αἰθὴρ ἀμοκρίνονται ἀπὸ τοῦ πολλοῦ τοῦ περιέχοντος, καὶ τό γε περιέχον ἄπειρόν ἐστι τὸ πλῆθος. Sed cum in hisce plane cum Anaximandri materie prima sua primordia

Digitized by Google

rerum comparat, in prioribus infinitatem rerum naturae vindicans immutat ipsius infiniti notionem. Quidquid enim ἄπειρον τὴν σμικρότητα dicitur, id ad σμικρότητος πέρας non venit, semper et identidem eo σμικρότερόν τι cogitari potest, ἄτομον non est. At diversissima significatione — nec inconsulto — tandem adiectivo Anaximandreo Mentem exornat, ut rerum seminibus eam opponat. Σπέρματα enim illa, licet ἄπειρα τὸ πλῆθος sint, *ipsa per se* infinita dici non possunt, quandoquidem omnia cum omnibus sunt commixta et πάντα παντὸς μοῖραν μετέχει: eo ipso igitur singula quaeque, τὸ ὀστοῦν, ἡ θρίξ, ἡ σάρξ, „πέρας ἔχουσι", neque unquam nix ubique nix est, neque ossa unice ossa sunt. Mens contra nihil nisi mens est; nusquam τὸ νοερὸν illud permixtis aliis elementis coarcetur. Minus recte igitur mihi videtur Zellerus (I⁴ 887) verba Anaxagorae interpretatus esse, ita scribens: „Auch die Unendlichkeit welche ihm (i. e. Menti) beigelegt wird scheint sich vorzugsweise auf die Macht des Geistes zu beziehen". Propius accessit, Schaubachius p. 104: „Quaelibet ceterarum rerum angustioribus finibus circumscripta cum aliis coniuncta erat, ideoque ἄπειρος dici non poterat".

Antequam ea quae statim post hoc ἄπειρον ad Mentis naturam delineandam addidit Anaxagoras consideremus, necesse est spectare extrema huius fragmenti verba, quibus ad eandem vim mentis recurrit philosophus: παντάπασιν· δὲ οὐδὲν ἀποκρίνεται οὐδὲ διακρίνεται ἕτερον ἀπὸ τοῦ ἑτέρου πλὴν νοῦ. νοῦς δὲ πᾶς ὁμοῖός ἐστι, καὶ ὁ μείζων καὶ ὁ ἐλάσσων. ἕτερον δὲ οὐδέν ἐστιν ὁμοῖον οὐδενί, ἀλλ' ὅτων πλεῖστα ἔνι, ταῦτα ἐνδηλότατα ἓν ἕκαστόν ἐστι.

Iterum hic de mente talia edixisse Anaxagoras nonnullis videtur quae adversa pugnent fronte cum notione rei incorporeae. Ego vero non video, qua ratione disertius naturam mentis omnibus quae ad materiem pertinent opponere potuerit. Cum cetera omnia numquam prorsus a ceteris discerni aut separari possunt, — nam, ut est in fragmento 6, etiamnunc οὐδὲ χωρὶς ἔστιν εἶναι — eximitur ὁ Νοῦς. „Mens enim omnis similis est, tam maior quam minor, cum ex ceteris non simile est alii quidquam".

Poteris rogare, qui fieri possit, ut νοῦς ille, quippe qui incor-

Digitized by Google

porea sit natura, dividatur minuaturve, ita ut Mens quaedam fingatur maior minorve. Et revera propter haec ipsa verba ad res corporeas Mentem revocandam esse multi viri docti censuerunt. Qui addere solent, opinioni suae favere tum fr. 11: ἔστιν οἷσι δὲ καὶ νοῦς ἔνι, tum id ipsum quod fr. 12 legitur: ἔστι γαρ λεπτότατον πάντων χρημάτων καὶ καθαρώτατον; nempe philosophum qui dicat Mentem omnium χρημάτων tenuissimum purissimumque necessario ἐν τοῖς χρήμασι eam Mentem numerare. Sic fere, cum aliis multis, Bonhöffer, qui l.l. p. 64 haec scribit: „da Anaxagoras (wie es in allem naiven Vorstellen geschieht) sich das Wirkliche nur als materiellen Stoff denken kann, so sucht er in einem unter den zahllosen χρήματα die gemeinsame Ursache der Bewegung für alle übrigen."

Sequuntur quaedam de mentis corporeae illiis subtilitate quae referre nihil attinet. Sufficiunt ea quae exscripsi, ut appareat secundum Bonhöfferium Anaxagoran „quoniam ad eam incorpoream vim animo sibi fingendam nondum ista aetas valeret", τοῖς χρήμασι Mentem adnumerasse. Quamquam ipse Bonhöffer disertis verbis id amplius explicare supersedeat, sumamus necesse est eum quoque verba quae laudavi λεπτότατον πάντων χρημάτων ita accipere, quasi dixisset Anaxagoras Mentem unum sed tenuissimum *ex elementis corporeis* esse. Frustra tale quid ex ipsis fragmentis efficias. Nam primum χρήματα non σπέρματα sunt, sed omnes res id vocabulum potest significare, sic ut Plato in Ione (p. 534 b) poetam κοῦφον χρῆμα, καὶ πτηνὸν καὶ ἱερόν dicit, et notissima sententia Protagorae hominem pronuntiavit πάντων χρημάτων μέτρον, τῶν μὲν ὄντων ὡς ἔστι, τῶν δὲ οὐκ ὄντων ὡς οὐκ ἔστι.

Alterum est quod multis videtur Menti naturam incorpoream denegari eo quod fr. 11 de Mente dixit Anaxagoras: ἐν παντὶ παντὸς μοῖρα ἔνεστι πλὴν νοῦ, ἔστιν οἷσι δὲ καὶ νοῦς ἔνι. Apertum enim esse iudicant, philosophum qui concedat τὸν νοῦν immisceri posse corporibus, corpoream sive ὑλικὴν ei naturam tribuere. Et profecto, primo obtutu illud ita se habere forsitan concedas. Nonne enim eodem spectat mirum illud ὁ μείζων καὶ ὁ ἐλάσσων?

Non facile id concesserim, cum video quantam Anaxagoras

Digitized by Google

dederit operam ut diserte exposita vi Mentis primum moneret, τὸν Νοῦν esse αὐτοκρατὲς, nulli rei admixtum et μόνον αὐτὸν ἐπ' ἑωυτῷ quoniam sic modo κρατεῖν posset, nec, cum una re commixtus, omnibus simul esse admixtus; deinde Mentem γνώμην περὶ παντὸς ἴσχειν et non solum universae rerum circumvolutioni dedisse impetum, sed consilio suo haec omnia cognita habere et ordinasse; tandem omnia quae futura erant, et quae fuerunt nec iam sunt, atque ea quae hodie sunt a Mente esse ordinata.

Sed tamen νοῦν dixit ἐλάσσω καὶ μείζω. Non negabo, sed respondebo verbis Aristotelis, in libro de Anima primo de animae natura varias philosophorum doctrinas referentis. Longior paullo est locus, sed praestat integra verba afferre. c. 2. 4: ἐπὶ ταὐτὸ δὲ φέρονται καὶ ὅσοι λέγουσι τὴν ψυχὴν τὸ αὐτὸ κινοῦν· ἐοίκασι γὰρ οὗτοι πάντες ὑπειληφέναι τὴν κίνησιν οἰκειότατον εἶναι τῇ ψυχῇ καὶ τὰ μὲν ἄλλα κινεῖσθαι διὰ τὴν ψυχήν, ταύτην δ' ὑφ' ἑαυτῆς, διὰ τὸ μηδὲν ὁρᾶν κινοῦν ὃ μὴ καὶ αὐτὸ κινεῖται. Ὁμοίως δὲ καὶ Ἀναξαγόρας — quem tamen minime Aristoteles iis adnumerat nec adnumerare potuit, qui animam κινοῦσαν ἑαυτὴν putent — ψυχὴν λέγει τὴν κινοῦσαν, καὶ εἴτις ἄλλος εἴρηκεν ὡς τὸ πᾶν ἐκίνησε νοῦς, οὐ μὴν παντελῶς γ' ὥσπερ Δημόκριτος. ἐκεῖνος γὰρ ἁπλῶς ταὐτὸν ψυχὴν καὶ νοῦν· το γὰρ ἀληθὲς εἶναι τὸ φαινόμενον (id enim quod sensibus appareret, id verum esse iudicabat Democritus) διὸ καλῶς ποιῆσαι Ὅμηρον ὡς Ἕκτωρ κεῖτ' ἀλλοφρονέων. Οὐ δὴ χρῆται τῷ νῷ ὡς δυνάμει τινὶ περὶ τὴν ἀλήθειαν, ἀλλὰ ταὐτὸ λέγει ψυχὴν καὶ νοῦν (corpoream nempe vim, nam eodem capite 2, 403b. 29 indicat Aristoteles Democritum animam πῦρ τι καὶ θερμὸν dixisse, ἀπείρων γὰρ ὄντων σχημάτων καὶ ἀτόμων τὰ σφαιροειδῆ πῦρ καὶ ψυχὴν λέγει). Opponitur autem Democrito Anaxagoras, licet non diserte hoc quidem loco Aristoteles sententiam Anaxagorae de Mentis vi incorporali indicet: Ἀναξαγόρας δ' ἧττον διασαφεῖ περὶ αὐτῶν· πολλαχοῦ μὲν γὰρ το αἴτιον τοῦ καλῶς καὶ ὀρθῶς τὸν νοῦν λέγει, ἑτέρωθι δὲ τοῦτον εἶναι τὴν ψυχήν· ἐν ἅπασι γὰρ ὑπάρχειν αὐτὸν τοῖς ζῴοις καὶ μεγάλοις καὶ μικροῖς, καὶ τιμίοις καὶ ἀτιμοτέροις.

Omnino tenendum est hoc loco Anaxagorae tantum sententiam de intellectu spectari ab Aristotele, non mentis divinae

Digitized by Google

indolem ac naturam. Coniungi itaque oportet cum his Aristotelis verbis eiusdem capitis § 13 ubi denuo Clazomenius opponitur Democrito: Ἀναξαγόρας δ' ἔοικε μὲν ἕτερον λέγειν ψυχήν τε καὶ νοῦν — id quod apertum est, nam fr. 12 legimus: καὶ ὅσα γε ψυχὴν ἔχει, πάντων νοῦς κρατεῖ — χρῆται δ' ἀμφοῖν ὡς μιᾷ Φύσει, πλὴν ἀρχήν γε τὸν νοῦν τίθεται μάλιστα πάντων· μόνον γοῦν Φησὶν αὐτὸν τῶν ὄντων ἁπλοῦν εἶναι καὶ ἀμιγῆ καὶ καθαρόν.

Mqnet ergo Aristoteles, secundum Anaxagoran animam humanam eiusdem esse naturae atque Mentem rerum dominatricem. Quod revera censuisse Clazomenium omnia quotquot sunt fragmenta declarant. ὁ ἐλάσσων enim νοῦς ea vis est animae qua praedita sunt ὅσα ψυχὴν ἔχει. Et in hac quidem re eadem cogitatio Anaxagoram duxisse videtur, quae priores quoque philosophos duxerat. Sed magnum est inter eos discrimen. Empedocles vim cogitationis quae in homine habitat arcto vinculo cum corpore coniunxerat (fr. 105):

αἵματος ἐν πελάγεσσι τεθραμμένη ἀναθορόντος
τῇ τε νόημα μάλιστα κικλήσκεται ἀνθρώποισιν·
αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικάρδιόν ἐστι νόημα.

Huic doctrinae adversatur Anaxagoras cum menti, tam universae quam humanae, naturam vindicat ἁπλοῦν καὶ ἀμιγῆ.

Parmenidis autem placita de unitate (8. 34):

οὐ γὰρ ἄνευ τοῦ ἐόντος, ἐν ᾧ πεφατισμένον ἐστίν
εὑρήσεις τὸ νοεῖν

respicit et memoria tenet, sed oppugnat. „Est" enim ubique Mens dominatrix, sed difficile philosopho qui ab omni notione corporea quantum potest removere Mentis naturam studet, verbis indicare quale sit hoc „esse". Cum humani sermonis inopia pugnantem philosophum videmus, ita scribentem (fr. 14) ὁ δὲ νοῦς, ὃς ἀεί ἐστι, τὸ κάρτα καὶ νῦν ἐστιν ἵνα καὶ τὰ ἄλλα πάντα, ἐν τῷ πολλῷ περιέχοντι καὶ ἐν τοῖς προσκριθεῖσι καὶ ἐν τοις ἀποκεκριμένοις. Est igitur Spiritus *ibi ubi* cetera sunt, non vere *in* iis πεφατισμένος ἐστιν.

Nondum pervenit Anaxagoras ad eam dictionis artem eximiam quae Platoni dux fuit cum depingere conabatur quaenam intercederet ratio inter summum bonum pulchrumque atque mortalia omnia (conv. 211. B) τὰ δὲ ἄλλα πάντα καλὰ ἐκείνου

Digitized by Google

μετέχοντα τρόπον τινὰ τοιοῦτον, οἷον γιγνομένων τε τῶν ἄλλων καὶ ἀπολλυμένων μηδὲν ἐκεῖνο μήτε τι πλέον μήτε ἔλαττον γίγνεσθαι μηδὲ πάσχειν μηδέν. Sed eam tamen viam ingressus erat, qua pergebat ire praeclara Platonis philosophia. Socrates autem platonicus, cum in celeberrima ea parte Phaedonis, quam omnes memoria tenemus (97 B) Anaxagorae succenset, quod primum docuerit ὡς ἄρα νοῦς ἐστιν ὁ διακοσμῶν τε καὶ πάντων αἴτιος, deinde tamen τῷ μὲν νῷ οὐδὲν χρώμενος videatur, omnino non negavit praeclare a philosopho inventum fuisse Mentis numen, sed id modo carpsit quod praeclare invento philosophus digne uti neglexisset, ita ut nondum eo procederet ut τὴν αἰτίαν secerneret ἀπὸ τῶν ξυναιτίων οἷς θεὸς ὑπηρετοῦσι χρῆται τὴν τοῦ ἀρίστου κατὰ τὸ δυνατὸν ἰδέαν ἀποτελῶν (Tim. 46 D).

Et sane ex paucis quae supersunt fragmentis non suppetit nobis quo Platonici Socratis vituperatio illa redarguatur. Attamen cum Simplicio (in phys. Arist. p. 38. A) respondere licebit: καὶ ὅπερ δὲ ὁ ἐν Φαίδωνι Σωκράτης ἐγκαλεῖ τῷ Ἀναξαγόρᾳ, τὸ ἐν ταῖς τῶν κατὰ μέρος αἰτιολογίαις μὴ τῷ νῷ κεχρῆσθαι ἀλλὰ ταῖς ὑλικαῖς ἀποδόσεσιν, οἰκεῖον τῇ Φυσιολογίᾳ.

Digitized by Google

AD SENECAE OEDIPUM.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Exordium huius fabulae ita nunc editur:

1 *Iam nocte Titan dubius expulsa redit*
et nube maestus squalida exoritur iubar.

Lectio *maestus* Gronovio debetur pro ea, quae in libris mss. omnibus est *maestum*, quam ut vindicaret Bentleius proposuit: *maestum s. extollit* et nuper Garrod: *maestum s. exerit.* At fugisse eum credo id quod Gronovius ad Phoen. 456 monuit, ubi Gruteri coniecturam *si placet scelus* refutat hisce verbis: „Nam in ea regione (h. e. in pede quinto senarii) semper cavit iambum ponere Seneca et hoc verbum est ex iis, in quibus praeteritum placet interdum pro praesenti".

In eodem Oedipodis sermone locum alterum significare liceat, quem iniuria suspectum nonnulli habuerunt. Est autem:

62 *quin luctu in ipso luctus exoritur novus*
suaeque circa funus exequiae cadunt.

Versus eos esse censeo qui omnibus numeris teretes ac rotundi, nedum manu emendatrici egentes cuipiam videri debeant. At tamen M. Mueller lectionem traditam *suaeque* corruptam esse editoribus Teubnerianae alterius hora infelici persuasit ita ut eius commentum *novaeque* etiam in textum reciperent. Quos credo lectionem optimam pulcherrimamque *suaeque* propterea immutasse quod notionem vocabuli *exequiae* prave intellexerunt, quamquam Farnabius melius eos docere potuit quippe qui annotaverit: „Qui funus curabant sequebanturque, in ipso officio efferendi moriuntur". Nonne verbis *suaeque ... exequiae* egregie designatur ipsa pompa, quae in funere curando ver-

Digitized by Google

satur quaeque eius quasi propria est? Cf. Val. Fl. V 487: *suus ut magnum rex spargit ab Argis | Alciden*, ubi Langen recte annotavit: *suus-rex* i. e. eius ipsius 'sein eigener', ut VII 53; vel apud Ciceronem huius notionis non desunt exempla.

Versuum qui continuo sequuntur ordinem turbatum nunc esse puto:

64 *tum propria flammis corpora alienis cremant;*
diripitur ignis: nullus est miseris pudor.
non ossa tumuli sancta discreti tegunt:
arsisse satis est — pars quota in cineres abit?
dest terra tumulis, iam rogos silvae negant.

Quicumque hos versus attento animo perlegerit atque uniuscuiusque sententiam diligenter ponderaverit, abundantiam nimiam iis inesse et figuram, quae ὕστερον πρότερον vocatur, semel atque iterum importune huc illatam esse agnoscet. Nihil tamen erit quod offendat, si iustum ordinem restitueris, quem talem esse existimo:

66 *non ossa tumuli sancta discreti tegunt:*
68 *dest terra tumulis, iam rogos silvae negant.*
64 *tum propria flammis corpora alienis cremant:*
65 *diripitur ignis: nullus est miseris pudor:*
67 *arsisse satis est — pars quota in cineres abit?*

Chorus Thebanorum luem urbis deplorat et prodigia oblata commemorat, in qua enumeratione haec sunt:

171 *quin Taenarii vincula ferri*
rupisse canem fama et nostris
errare locis, mugisse solum,
vaga per lucos simulacra virum
maiora viris, e. q. s.

Leo de suo recensuit *simulacra ferunt*, Richter post vs. 174 lacunae signum posuit et annotavit, monometrum excidisse sibi videri quale est *visa esse* vel *errasse ferunt*. Neutrius sententia probabilis est, quandoquidem post *fama* (est) in vs. 172 verbum *ferunt* minime desideratur neque post *errare locis* (vs. 173) iterum iam poetam *errasse* scripsisse credibile est. Non sane obloquor, attributum *virum* ad *simulacra* moleste abundare, cf. Thyest. 671:

Digitized by Google

errat antiquis vetus
emissa bustis turba et insultant loco
maiora notis monstra.

deinde ibid. 676: *saepe simulacris domus*
attonita magnis.

sed non emendandum id esse credo, verum suspicor olim scriptum fuisse: *simulacra queri*, hoc autem verbum postea detrusum esse glossa *virum*, quam nescio quis ad voc. *simulacra* illustrandum supra addiderat.

Delphis reversus Creon oraculi responsum cum Oedipode communicat:

228 *imminens Phoebea laurus tremuit et movit domum*
ac repente sancta fontis lympha Castalii stetit.
incipit Letoa vates spargere horrentes comas e. q. s.

Male Leo huic loco consuluit, cum pro *domum* correxit, ut ipse contendit, *comam*, in qua re Richterum habuit sequentem. At tria sunt quae lectionem in codicibus omnibus traditam tuentur. Primum ad verbum *imminens* utique cogitatione intellegendum est *domui* e vocabulo *domum* quod versum claudit, deinde vox *comas* in vs. 230 fine posita vetat ne poetam in vs. 228 quoque idem vocabulum scripsisse credam, denique Herc. Oet. 1473 sqq.:

quercus hanc sortem mihi
fatidica quondam dederat et Parnassio
Cirrhaea quatiens templa mugitu specus,

ubi N. Heinsius nullo non assentiente *specus* correxit pro corrupta membranarum lectione *nemus*.

Manto tristia extispicii prodigia Tiresiae nuntiat.

360 *en capita paribus bina consurgunt toris,*
sed utrumque caesum tenuis abscondit caput
membrana.

Pro *caesum* emendandum est: *caecum*.

Similis prolepsis supra cernitur vs. 356:

cor marcet aegrum penitus ac mersum latet.

Digitized by Google

Canit chorus dithyrambum de Bacchi rebus gestis et inventis, quem:

424 *vidit aurato residere curru,*
veste cum longa regeres leones,
omnis Eoae plaga vasta terrae.

Versum corruptum editores ita restituere conati sunt ut pro *regeres* emendationem in codice aliquo interpolato traditam reciperent: *tegeres*, id quod sana ratio vetare mihi quidem videtur. Immo, verbum sincerum solidumque iniuria sollicitarunt et vocabulum vere vitiatum in eodem versu intactum reliquerunt. Nimirum reponendum est:

reste cum longa regeres leones,

id quod etiam alliteratio haud parum commendat. Ceterum moneo, chorum de Bacchi facie ac vestitu supra iam fuse egisse vs. 413—423.

In eodem cantico de piratis in delphines versis haec sunt:

463 *parvula dependet lateri manus*
et dorso fluctum curvo subit,
lunata scindit cauda mare:
et sequitur curvus fugientia
carbasa delphin.

Quotienscumque idem epitheton intra tam paucos versus repetitum video (*curvo* vs. 464 — *curvus* vs. 466), facere non possum quin illud e glossa, quae archetypam lectionem *pando* detruserit, profectum esse credam, cum praesertim poeta scripserit Ag. 449 sqq.:

tunc qui iacente reciprocus ludit salo
tumidumque pando transilit dorso mare
Tyrrhenus omni piscis exultat freto.

Creon ubi necyomanteam quam instituit Oedipodi refert, locum primum describit: fuit autem lucus, cuius arbores multas enumerat.

535 *huius abrupit latus*
edax vetustas; illa, iam spissa cadens
radice, fulta pendet aliena trabe.

Haec in cod. Etrusco leguntur: fragm. rescripta Ambrosiana

Digitized by Google

et libri interpolati exhibent *(silva) iam fessa:* Bothe coni. *i. i. scissa,* quem Leo secutus est, Peiper *fissa.*
Corrigendum puto: *illa, iam quassa cadens / radice.*
cf. Thyest. 568: *hic situ quassas stabilire turres.*
Herc. Fur. 229: *Arcadia quatere nemora Maenalium suem.*
Phaedr. 996: *proloquere, quae sors aggravet quassam domum.*

Inferius paulo haec sequuntur:

551 *ipse funesto integit*
vates amictu corpus et frondem quatit.
lugubris imos palla perfundit pedes,
squalente cultu maestus ingreditur senex,
mortifera canam taxus adstringit comam.

Versus 553 et 554 locum inter se mutent! Nempe versus 554 continuo sequatur necesse est versum 552, itaque fiet ut versus 553 et 555 ad cultum squalentem singillatim designandum versui 554 apte adiecti sint.

Vs. 552 verba *frondem quatit* nonnullis suspicionem moverunt, veluti iam olim ex interpolatis libris ediderunt *frontem* cl. vs. 555 et 913, nuper vero Koetschau *frondem rapit* scribi iussit translato post hunc versum vs. 555, sed nescio an tradita lectio sincera sit cl. Agam. 313 et 588, Med. 804 sq., Val. Fl. I 209.

Itinere ad superos manibus iam recluso

574 *subsidit omnis silva et erexit comas.*

Malim: *subsiluit omnis silva,* cl. Thyest. 989:

et ipsa trepido mensa subsiluit solo.

Terram tunc penitus gemuisse Creon affirmat, cuius rei causas hasce offert

577 *sive temptari abditum*
Acheron profundum mente non aequa tulit,
sive ipsa tellus, ut daret functis viam,
compage rupta sonuit; aut ira furens
triceps catenas Cerberus movit graves.

Immo *atque ira furens.* Furor Cerberi non tamquam tertia causa affertur, sed ad alteram pertinet: irascitur enim, quod telluris compages rumpitur et lumen solis infunditur in Tartarum.

In altercatione, qua Creon deinde Oedipodi dicit, deponere

Digitized by Google

regnum tutius iam esse quam nimis tarde recedentem ab eo opprimi, haec sunt:

675 *liceat hoc tuto tibi*
exuere pondus nec recedentem opprimat:
iam te minore tutior pones loco.

Iam Bentleium illud *tuto* offendit et *hoc tantum* legendum censuit, Bothe pro *liceat* maluit *libeat.* Mihi potius emendandum videtur: *liceat hoc ultro tibi | exuere pondus,* id quod responsum Oedipodis commendat atque adeo flagitat:

hortaris etiam, sponte deponam ut mea
tam gravia regna?

Oedipus ubi facinorum suorum conscius tandem factus est, diras sibi imprecatur itaque semet ipse compellat:

878 *redde nunc animos † acres,*
nunc aliquid aude sceleribus dignum tuis.

Talem editores recentiores hunc locum recensuerunt; vetustiores lectionem codicis A recipere solebant *parens,* interpretantes: per indignationem sibi se ex matre parentem exprobrat (Farnabius), a qua scriptura profecti N. Heinsius et Bentley *pares,* Peiper *furens* coniecerunt; alii libri Etrusci lectione *acres* tamquam fundamento usi ita loco mederi conati sunt ut Buecheler *feros* vel *truces,* Richter *anime has vices* vel *tandem vices,* Koetschau *animos, sacer* legendum esse suspicati sint.

Mihi vero lectio codicis optimi persuadet ut emendandum credam:

redde nunc animos, ades,
nunc aliquid aude sceleribus dignum tuis.

Cf. Herc. Oet. 1989: *sed tu, domitor magne ferarum*
orbisque simul pacator, ades.

Fieri etiam posse non nego ut Seneca scripserit: *redde nunc animos, age,* cl. Troad. 963, 1000, Med. 562, 977, Thyest. 192, 284.

In cantico quod sequitur haec sunt

899 *callidus medium senex*
Daedalus librans iter
nube sub media stetit,
alitem expectans suam.

Digitized by Google

Pro *alitem .. suam*, quod absurde dictum esse alii ante me viderunt, cum Bentley *alitem .. suum* — Peiper *alitem .. novam* protulerint, corrigere ne dubita: *alitem expectans satum*, quam emendationem etiam comparatio quae sequitur commendat atque flagitat

qualis accipitris minas
fugit et sparsos metu
conligit fetus avis.

De isto quidem versu restituendo satis mihi constat, non ita vero de alio quodam, qui in eodem cantico nunc legitur: dico vs. 908, quem e Buecheleri correctione editores hodierni ita restituendum pro certo iam habent

906 *donec in ponto manus*
movit implicitas puer
compede audacis viae.

Verba bonam interpretationem iam admittere non obloquor, sed in codice Etrusco haec exarata esse moneo:

audacis viae comes audax

atque in codice A haec legi:

comes audacis viae.

Sane res palaeographica Buecheleri lectionem minime suadet neque confirmat. Praeterea L. Mueller loco mederi studuit, cuius propositum *compos* quid sibi velit equidem me non intellegere confiteor, quandoquidem Icarus viae suae minime, hercle, compos fuit, atque Peiper, qui ratione non addita versum delevit.

Versum inducendum esse mihi quoque certum est, sed ne sic quidem locum omni numero emendatum iam esse opinor.

Ubi in cantico nostro de Icaro prius mentio fit, legitur:

892 *Gnosium regem timens*
astra dum demens petit
artibus fisus novis,
895 *certat et veras aves*
vincere ac falsis nimis
imperat pinnis puer,
nomen eripuit freto.

Hic versus *nomen eripuit freto*, in libris interpolatis omissus,

Digitized by Google

quin post vs. 907 reponendus sit vix ac ne vix quidem dubito, ita ut ordinem fuisse arbitrer:

906 *donec in ponto manus*
907 *movit implicitas puer,*
898 *nomen eripuit freto.*

Suspicor enim, cum scriba, simili clausula versuum 897 *imperat pinnis puer* et 907 *movit implicitas puer* deceptus, versum 898 post prius vocabulum *puer* perperam exarasset, librarios sequentes lacunam, quae inde post vs. 907 exstitisset, de suo varie supplere conatos esse, cuius rei documenta in lectione varia cod. E *audacis viae comes audax* et cod. A *comes audacis viae* agnoscuntur, quae verba non emendando, sed in marginem releganda esse censeo.

Ne quem offendat voc. *implicitas* absolute iam positum, quamvis e verborum contextu satis perspicuum atque explicatum, conferat Ag. 896: *et hostem quaerit implicitus suum.*

Ceterum cum loco nostro cf. Herc. Oet. 683—691.

Ut igitur sententiam meam paucis complectar, vs. 908 ut spurius eliminandus est atque vs. 898 locum eius obtineat.

Chorus Iocastam cum Agave comparat

1005 *qualis attonita et furens*
Cadmea mater abstulit gnato caput
sensitque raptum.

Corrigendum: *gessitque raptum.* In cod. Etruscó est *censitque!*

Cf. Phoen. 363 sq.:

Felix Agave: facinus horrendum manu,
qua fecerat, gestavit et spolium tulit e. q. s.

et Val. Fl. II 211: *et singultantia gestans ora manu.*

Digitized by Google

OBSERVATIONES AD AEGYPTI PERTINENTES ADMINISTRATIONEM QUALIS AETATE LAGIDARUM FUIT.

SCRIPSIT

M. ENGERS.

II.

De Nomarcha [1]).

Alexander Magnus cum Aegyptum expugnavisset, eadem administrationis instituendae ratione utebatur qua postea in Asia saepe usus est: iuxta enim strategum Graecum, qui rebus militaribus praeerat, indigenam rebus civilibus praeficiebat. Aegyptus autem antiquitus erat divisa in νομούς praeeratque singulis nomis magistratus, quem Graeci νομάρχην appellabant [2]). Ei subiecti erant τοπάρχαι, qui τόποις et κωμάρχαι, qui κώμαις praeerant. Nomus Arsinoita divisus erat in tres μερίδας et singulis μερίσιν praefectus erat μεριδάρχης [3]).

---

1) Opera, in quibus de nomarcha agitur laudantur a Preisigke, *Fachwörter des öffentlichen Verwaltungsdienstes Aegyptens* s. v. νομάρχης; ad quae addantur: Bouché-Leclercq, *Histoire des Lagides* III p. 138 sq.; Grenfell, *Revenue-Laws of Ptolemy Philadelphus* p. 133; *Pap. Tebtunis* I annot. ad 61 (b), 46.

2) Diod. Sic. I, 73; Arrianus, *Anabasis* III, 5, 4. Cf. Herod. II, 177; Ps. Aristot. *Oeconom.* II, 25.

Ne hos nomarchas confundas cum illis duobus magistratibus, quos Arrianus dicit Alexandrum toti Aegypto praefecisse (δύο μὲν νομάρχας Αἰγύπτου κατέστησεν Αἰγυπτίους — *Anab.* III, 5, 2) iam Wilckenius admonet (*Grundzüge* p. 10[5]).

3) Iam ex omnibus his titulis apparet νομάρχην esse principem νομοῦ; Grenfellio et Huntio putantibus (*Rev. Laws* p. 133; *Pap. Tebt.* I p. 213) nomarcham esse magistratum, qui praeest νομῇ (sc. frumenti distributioni, cf. infra p. 152) assentiri non possum.

Digitized by Google

Ptolemaei priores consilia Alexandri in republica administranda non sequebantur; immo indigenas Macedonibus Graecisque postponere studebant; itaque magistratus maiores 3° saeculo a. Chr. fere semper a Graecis geri videmus. Quin etiam inter nomarcharum nomina, quae 3i saeculi papyri nobis tradunt, complura sunt Graeca, id quod satis certo demonstrat Aegyptios illa aetate ex hoc quoque magistratu deici. Ad Graecorum porro potestatem augendam nonnulla munera civilia paulatim stratego delegabantur ita ut nomarcharum potestas et magistratuum ei subiectorum, toparcharum comarcharumque, qui indigenarum res tuebantur, minueretur, *βασιλικῶν* contra *γραμματέων* auctoritas et *τοπογραμματέων* et *κωμογραμματέων*, magistratuum regiorum, qui initio illorum imperio oboedientes fuisse videntur, cresceret. Quomodo quidem haec res processerit, accurate perspicere non possumus, sed iam antea [1]) demonstravi 3° a. Chr. saeculo comarcham adiuvante comogrammateo vico Aegyptio praefuisse, 2° vero saeculo hunc illi quaque ratione praepositum fuisse. Eundem autem rerum cursum fuisse in magistratibus superioris ordinis (sc. nomarcha et toparcha hinc, hinc stratego atque regio scriba et topogrammateo) iam suspicari licet et manifestum fit, si nonnullarum papyrorum praescripta, scriptarum 3° et 2° a. Chr. saeculis, contemplamur.

scriptae 3° ante Chr. saeculo.

Rev. Pap. Col. 37:

Βασιλεὺς Πτολεμαῖος [*τοῖς στρ*]*ατηγοῖς καὶ τοῖ*[*ς ἱππάρ χοις*] *καὶ τοῖς ἡγεμόσι καὶ τοῖς νομάρχαις καὶ τοῖς τοπάρχαις καὶ τοῖς οἰκονόμοις καὶ τοῖς ἀντιγραφεῦσι καὶ τοῖς βασιλικοῖς γραμματεῦσι καὶ τοῖς Λιβυάρχαις καὶ τοῖς ἀρχιφυλακίταις πᾶσι χαίρειν.*

Petrie Pap. II, 42 (a):

Κλέ]*ανδρος οἰκο*[*νό*]*μοις νο-*

scriptae 2° ante Chr. saeculo.

Pap. Tebt. 6, 12 sqq.

[Βασιλεὺς Πτολεμαῖος — [*τοῖς στρατη*]*γοῖς καὶ τοῖς Φρουράρχοις καὶ τοῖς* [*ἐπιστάταις τῶν Φυλακιτῶν κ*]*αὶ ἀρχιφυλακίταις καὶ ἐπιμελητα*ῖ*ς* [*καὶ οἰκονόμοις καὶ βασιλικοῖς γ*]*ραμματεῦσι — χαίρειν.*

Pap. Grenfell II, 37.

Ἑρμίας *τῶι ἐπιστάτηι Παθύρεως καὶ ἀρχιφυλακί*[*τ*]*ηι καὶ Φυλακίτηι καὶ βασιλικῶι γραμ-*

1) *De Aegyptiarum κωμῶν administratione* (Diss. Gron.) p. 16 sqq. et 71.

Digitized by Google

μάρ[χαις] βασιλικοῖς γραμματεῦσι Φυλακί[ται]ς μυριαρούροις κωμάρχα[ις] κωμογραμματεῦσι χαίρειν.

Pap. Lille I, 3, 70 sqq.:

Ἐντολὴ τοῖς παρὰ Μητροδώρου τοῦ οἰκ[ονόμου καὶ τοῖς κωμάρχαις] [1]) καὶ τοῖς κωμογραμματεῦσι καὶ ἀρχιΦυλακίταις καὶ Φυλακ[ίταις. ματεῖ καὶ τοπογραμματεῖ καὶ κωμογραμματεῖ καὶ σιτολόγωι καὶ τραπεζίτηι καὶ το[ῖ]ς πρεσβυτέροις τῶν γεωργῶν — χαίρειν.

Pap. Leid. G.

[Β]ασιλεὺ[ς Π]τολεμαῖος — τῶι στρατη[γ]ῶι τοῦ Μεμφίτου κ[αὶ] τῶι Φρουράρχωι [καὶ] τῶι ἐπισ[τάτηι τ]ῶν Φυλ[ακιτ]ῶν καὶ ἀρ[χι]Φυλακίτηι καὶ τῶι ἐπὶ [τ]ῶν προσόδ[ω]ν καὶ βασιλ[ικ]ῶι [γρ]αμματεῖ — χαίρειν.

Videmus in 3i saeculi papyris nomarcham vel magistratus ei subiectos semper nominari atque ordinem habere ante *βασιλικὸν γραμματέα* ceterosque scribas, contra in 2i saeculi instrumentis illorum nullam esse mentionem. Obliviscendum tamen non est etiam 3° saeculo multa iam mutata fuisse et illam aetatem quasi transitum esse ex Alexandri institutis ad statum qualis 2° saeculo fuit. Itaque non est mirandum in aliquot papyris hac in disputatiuncula laudandis duo genera magistratuum simul munera gerere, quae, ut exemplum afferam, ad terrae administrationem pertinent; quae munera olim a nomarcha, toparcha, comarcha, postea a regio scriba, topogrammateo, comogrammateo gesta sunt. Secundo saeculo nomarchae et toparchae raro adhuc in papyris mentio fit, paulo saepius comarchae, sed tantum abest ut vico praesit, ut ne sub suis quidem auspiciis negotia faciat. Ut antea [2]) etiam nunc puto comarcham èt res indigenarum, imprimis *βασιλικῶν γεωργῶν*, defendere adversus magistratus regios, èt vectigalia *βασιλικῆς γῆς* et fortasse aliorum praediorum ei esse praestanda [3]). Quod

1) Editor Jouguet legit *καὶ τοῖς τοπογρ(αμματεῦσι)*, sed cf. diss. meam p. 28², ubi editorem minus bene supplevisse demonstravi.

2) Diss. p. 59 sqq.

3) Aliter H. Maspero, *Les Finances sous les Lagides*. De utraque opinione cf. Jouguet, *La vie municipale dans l'Egypte romaine* p. 62 sqq.

Nuper Fr. Oertel (*Die Liturgie, Studien zur ptolemäischen und kaiserlichen Verwaltung Aegyptens* p. 48 sq.) meae opinioni repugnans comarcham regium esse

Digitized by Google

ad nomarcham, dubitandum est annon 2° saeculo in nomo administrando magnas partes habuerit. Quae munera ante gessit tum transierunt ad *βασιλικὸν γραμματέα* et *τὸν ἐπὶ τῶν προσόδων*, novum magistratum. Preisigke quidem *τὸν ἐπὶ τῶν προσόδων* esse alium titulum pro nomarcha suspicatur [1]), sed mihi non persuasit. Nam si *ὁ ἐπὶ τῶν προσόδων* re vera idem esset atque nomarcha, fieri non posset, quin toparcha et comarcha illi essent subiecti et iam dixi eos magistratus inferiores 2° saeculo nullo modo habere potestatem, quae esset eorum, qui mandatu *τοῦ ἐπὶ τῶν προσόδων* munera in topis vicisque gererent. Preisigkio roganti quisnam antea *τοῦ ἐπὶ τῶν προσόδων* negotia fecerit, respondendum est: 3° saeculo nomarcha cum *βασιλικῷ γραμματεῖ*, initio 2i saeculi *βασιλικὸς γραμματεὺς* solus. Ego potius crediderim nomarchae negotia paulatim diminuta postremo ad nihilum redacta esse, titulum

---

magistratum affirmavit, sed mihi non persuasit. Eius argumenta breviter redarguere conabor:

1°. Si comarcha esset magistratus regius, intellegere non possemus, quare ei alius magistratus regius, *κωμογραμματεύς*, adiunctus sit; quod clarissimum fit, si existimamus comarcham indigenarum res tueri. Rem hoc modo cogito: *κωμογραμματεύς*, custodiendi causa comarchae scriba adiunctus, primo ei erat inferior, sed mox administratione multiplici difficilique auctus et adiutus a rege, cuius res tuebatur, eum superavit.

2°. Oertel dicens: „Dafür spricht mir einmal die Tatsache, dass im 8. Jahrh. v. Chr. der Komarch — nicht bloss mit dem Domanialland, sondern auch mit der *γῆ ἐν ἀφέσει* zu thun hat" oblivisci mihi videtur 3° saeculo multo minus esse distinguendum inter *βασιλικὴν γῆν* et *γῆν ἐν ἀφέσει* quam postea (cf. Wilcken, *Grds.* I p. 280 sq.)

3°. Oertelio dicenti: „Der Titel *τὸν κωμαρχήσαντα τὴν προειρημένην κώμην* (vgl. *σιτολογῶν τὴν κώμην, φυλακιτεύων τὴν τοπαρχίαν* u. s. w.) wie auch die Klage *περί τινων ἀδικημάτω[ν] καὶ παραλογειῶν σίτου τε καὶ χαλκοῦ* (*Amh.* 33) macht durchaus den Eindruck, dass es sich um ein königliches Amt handelt" respondeo hoc: Titulus *τὸν κωμαρχήσαντα τὴν — κώμην* idcirco adhibitus esse videtur, quod scriptores *Amh.* 33 dicere volebant: „is qui tunc munus comarchae gerebat"; *ὁ κωμαρχῶν τὴν κώμην* vel huiusce modi genus dicendi non invenitur. Ceterum tales tituli, qui sunt facti similiter atque alii, nihil demonstrare mihi videntur.

Comarcham, qui vice nomarchae a *βασιλικῶν γεωργῶν* vectigalia exigebat, quae erant tradenda regiis magistratibus (vide infra), saepius fraudem fecisse mirandum non est.

Fortasse Oertelio est concedendum comarcham non esse unum ex *πρεσβυτέρων γεωργῶν*, sed hoc non attinet ad locum quem in vico habet.

1) *Prinz Ioachim Ostraka* p. 47 sqq.

Digitized by Google

tamen perantiquum indigenarum causa non sublatum esse, sed saepe adiunctum esse magistratui, qui toti nomo praeerat, stratego. Utut res se habet, quoties in papyris 2^{i} et 1^{i} saeculi nomarcha invenitur, titulus stratego est adiunctus [1]); et quae officia ab illo magistratu gesta esse dicuntur, a stratego, non a nomarcha geruntur.

In nomarchae muneribus contemplandis dignitatis mutatae maxime ratio est habenda; hoc neglecto rerum expositio minus clara atque perturbata fit. Antequam autem quae nomarchae 3° saeculo munera fuerint exponam, monere necesse est distinguendum esse inter nomarchas superiores et inferiores, quorum illi toti nomo praesunt, hi nomi parti, quae nomarchia appellatur. In nomo saltem Arsinoita septem aut octo nomarchias papyris cognovimus [2]), quarum singulis praeest nomarcha, ut in Ptolemaeorum regno mos est ut magistratuum subiectis, qui parti tantum provinciae praesunt, tituli eidem dentur atque ei, qui toti provinciae praefectus est [3]). Fieri potest ut etiam Heracleopolita nomus divisus esset in nomarchias; si enim editores *Pap. Hibeh* I, 74, 6 bene suppleverunt [4]), una ex illius nomi, media in Aegypto siti, nomarchiis erat Ζωίλου *νομαρχία*. Utrum iuxta illam nomi divisionem nomus etiam divisus sit in toparchias an nomarchiae eaedem sint atque toparchiae, diiudicari nondum potest. Ob hanc autem causam impellor ut nomarchias et toparchias aequare velim: in *Pap. Hibeh* I nonnullas epistulas habemus datas ad Harimuthem quendam,

---

1) *Pap. Taur.* 1, I, 12 et 15 (= *Grdz.* II, 2, 31) Ἑρμίαι *τῶι συγγενεῖ καὶ στρατηγῶι καὶ νομάρχηι* (cf. *Pap. Paris.* 15, I, 20 sq.).

Phanias, quem *Pap. Tebt.* I, 72, 205 sqq. audimus anno 54 (i. e. a. Chr. 137/6) nomarcham fuisse, eodem anno testimonio *P. Tebt.* I, 61b, 45 sqq. *στρατηγὸς καὶ ἐπὶ τῶν προσόδων* fuit (cf. annot. ad locos laudatos et Preisigke, *Pr. Ioachim Ostr.* p. 49).

Preisigke, *Pr. Ioachim Ostraka* 2: *ἐπὶ Πελαίου συγγενοῦ καὶ στρατηγὸν νομάρχη τοῦ* Ὀμβίτου (lege: *ἐπὶ Πελαίου συγγενοῦς καὶ στρατηγοῦ καὶ νομάρχου τοῦ* Ὀμβίτου), cf. *Pr. Ioach. Ostr.* 5, 3 sqq.

2) Nominantur apud Preisigke, *Pr. Ioachim Ostr.* p. 41[a]; fortasse addenda est *ἡ* Ἀβατ[ ] *νομαρχία* (cf. *P. Petrie* I, 16, (2), corr. III Introd. p. 14).

3) Huius rei exempla reperiri possunt apud Preisigke, *Pr. Ioach. Ostr.*: *τοῦ ἐπὶ τῶν προσόδων* p. 43 sqq; *τοῦ βασιλικοῦ γραμματέως* p. 50 sqq; *τοῦ οἰκονόμου* p. 52 sqq; cf. quod dixi de archiphylacita *Mnem.* 45, 3 p. 257 et 269.

4) *τῆς* Ζω[*ίλο*]*υ* [*νομ*]*αρχίας*, cf. editorum ad hunc locum adnot.

Digitized by Google

qui in 85, scripta a. Chr. 261/0 appellatur *νομάρχης ἐκ τῆς κάτω τοπαρχί[ας]*, 44 vero, scripta a. Chr. 253/2, data est *τοπάρχηι Ἀριμούθηι τῆς κάτω* (sc. *τοπαρχίας*). Videmus magistratum, qui modo nomarcha modo toparcha nominatur, praeesse toparchiae i. e. topo. De dignitatis accessione cogitare non possumus, quod 85 ante 44 scripta est.

De nomarchae muneribus.

Arrianus describens Aegypti administrationem, quam Alexander instituit [1]), narrat regem Arabiae *πρὸς Ἡρώων πόλει* Cleomenem praefecisse; *καὶ τοῦτωι παρηγγέλλετο*, ita pergit, *τοὺς μὲν νομάρχας ἐᾶν ἄρχειν τῶν νομῶν τῶν κατὰ σφᾶς αὐτὸν δ' ἐκλέγειν παρ' αὐτῶν τοὺς Φόρους· οἱ δ' ἀποφέρειν αὐτῶι ἐτάχθησαν.* Et Ps. Aristoteles [2]) narrat Cleomenem propter famem frumentum exportari vetuisse, *τῶν δὲ νομαρχῶν Φασκόντων οὐ δυνήσεσθαι τοὺς Φόρους ἀποδοῦναι τῶι μὴ ἐξάγεσθαι τὸν σῖτον κ.τ.λ.*

Apparet temporibus Alexandri impositum fuisse nomarchis ut vectigalia ab indigenis exigerent, quae iis solvenda erant regis magistratibus. Longe autem vectigalium maximum erat merces *βασιλικῆς γῆς* et agri privati sive messis vectigal [3]). Aliorumne quoque vectigalium Ptolemaeis prioribus regnantibus curam nomarcha habuerit, ex papyris effici non potest, sed ei utique *βασιλικῆς γῆς* administrationem mercedemque (*ἐκΦόριον*) exigendam iniunctas fuisse constat. Quas res ut bene faciat, conspectum eum habere necesse est, quinam sint singulorum agrorum conductores vel possessores et quo frumenti genere agri culti sint. Accipit autem haec indicia a toparchis, quibus comarchae tradunt professiones ab agricolis ipsis receptas. Habemus enim duas papyros, quae hanc rem bene illustrant. Quarum altera [4]) sic legitur: *παρ' Ἀμμων[ίου] νομάρχου τοῦ Ἀρσινοίτου τοῦ τῆς κατεσπαρμένης γῆς εἰς τὸ ιγ ἔτο[ς] ἕως Ἄθυρ λ καθότι ἐπέδωκαν οἱ τ[ο]πάρ[χοι. ἐν τῶι Ἀρ-*

1) Arr. *Anab.* III, 5, 4.
2) *Oecon.* II, 33.
3) Cf. Wilcken, *Grundzüge* p. 170 sqq.
4) *Pap. Petrie* III, 75 (235/4 a. Chr.)

Digitized by Google

σινοίτηι. Sequitur quanta nomi Arsinoitae pars singulis frumenti generibus culta sit. Hanc rationem dioecetae, qui Alexandriae regis fisco praeest, destinatam fuisse verisimillimum est. Quo autem modo nomarcha per toparchas singulorum vicorum indicia accipiat, clare demonstrat *Pap. Petrie* III, 94, de qua antea locutus sum [1]).

Ex 2i saeculi papyris cognovimus, munus esse magistratus, qui terram et terrae vectigalia administrat, ante tempus serendi semen distribuere conductoribus. Fisci enim interest agricolas suos agros quam optime colere neque semine deficiente agros partim cultu vacare. Tertio igitur saeculo illud munus impositum fuit nomarchae et magistratibus ei subiectis. Itaque sacerdos quidam, qui partem βασιλικῆς γῆς conduxerat, semen proximam post messem fisco restituendum accipit παρὰ Πάριτος Σισυβαίου τοῦ παρ[ὰ] Ἀριμούθ[ο]υ τοῦ νομάρχου ἐκ τῆς κάτω τοπαρχί[ας] [2]). In vicis et hac in re comarcha nomarchae vices agit [3]).

Eius rei, quam supra commemoravi, iam 3° saeculo nomarcham subiectosque ei magistratus paulatim cedere βασιλικῶι γραμματεῖ et scribis minoribus, documentum habemus *Pap. Hibeh* I, 75 [4]), ubi Theodorus quidam vici Talaes phylacitis scribit: γέγραφεν ἡμῖν Πετοσῖρις ὁ τοπάρχης καὶ Πετε[ι]μούθης ὁ τοπογρ(αμματεὺς) πεπρακέναι (i. e. locavisse) Φιλάμμονι ἐκ τοῦ Φιλοξένου κλ(ήρου) [5]) περὶ Ταλάην χορταράκης (ἀρούρας) γ β'. Παραλάβοντες οὖν τὸν κωμογρ(αμματέα) περιμετρήσατε αὐτῶι κ. τ. λ. Adhuc toparcha primo loco nominatur, sed iam una cum topogrammateo de agri locatione scribit et phylacitis non comarcha est adhibendus in agro metiendo sed comogrammateus. Contra in alia papyro, 3° saec. scripta, comarcha partes agere videtur in cleruchi mortui agro denuo attribuendo [6]). Neque minus res nostra illustratur illo Ptolemaei Philadelphi

1) *De Aeg. κωμῶν administratione* p. 68 sq.

2) *Pap. Hibeh* I, 85.

3) Cf. *P. Petrie* III, 100 et *De Aeg. κωμῶν adm.* p. 67 sqq. Infra agetur de olei seminis distributione.

4) scripta a. Chr. 232/1.

5) Philoxeni κλῆρος nescio qua causa redacta erat ad βασιλικὴν γῆν, cf. *Pap. Hibeh* I, 85.

6) Preisigke, *Sammelbuch griechischer Urkunden aus Aegypten* 4303.

Digitized by Google

edicto, cuius initium supra exscripsi [1]). Rex enim decreverat ut sexta pars vinearum pomariorumque fructuum (ἀπόμοιρα), quae antea contigerat templis Aegyptiis, in posterum sororis suae mortuae, Arsinoes Philadelphi, cultui procederet. Huius rei causa βασιλικοὺς γραμματέας hinc, hinc possessores rationes dare necesse est hortorum superficiei et fructuum (Col. 36). Verbis autem supra exscriptis rex adit nomorum magistratus, qui curam habeant ut fiat sicut est decretum. Primo loco nominati sunt magistratus militares (στρατηγοί, ἵππαρχοι, ἡγεμόνες), deinde magistratibus civilibus praesunt nomarchae, quibus adiunguntur toparchae, post nominati sunt βασιλικοὶ γραμματεῖς.

Magnam Aegyptiae terrae partem olei seminibus cultam fuisse nemo ignorat. Olei autem rex monopolium [2]) habebat, quod ille in singulis nomis conductori locabat. Alexandriae quotannis constituebatur quot singulorum nomorum arurae quoque genere olei colendae essent. In frugibus, quibus oleum fit, comparandis nomarcha officia praestat. Is enim et toparcha et oeconomus cum antigrapheo in se recipere debent, ut re vera numerus arurarum constitutus frugibus oleariis cultus sit. Si in messe inspicienda apparet minus agri consitum esse, cuique quattuor magistratuum aerario duorum talentorum poena solvenda est, conductori autem damnum est praestandum [3]). Ut βασιλικοῖς γεωργοῖς, ut terram suam bene colant, regis nomine ante tempus sementivum semen distribui solet (cf. supra), sic etiam agricolae, quibus ager frugibus oleariis colendus erat, semen accipiunt. Quod ut adipiscantur, etiam oeconomus et nomarcha operam dant. Quorum ille pecuniam dat nomarchae [4]), hic semen hac pecunia emptum agricolis distribuit [5]) per

---

1) *Rev. Laws* Col. 37 (= *Grdz.* I, 2, 249), cf. supra p. 147.

2) De hac re cf. Wilcken, *Grundzüge* p. 239 sqq.

3) *Rev. Laws* 41.

4) *Rev. Laws* 41: δότω (sc. oeconomus) τῶι προεστηκότι τοῦ νομοῦ νομάρχηι ἢ τοπάρχηι ἐὰμ βούληται εἰ[ς] τὸν σπ[ό]ρον τοῦ μὲν σησάμου [τῆς ἀρού]ρα[ς] (δραχ.) δ, τοῦ δὲ κρότ[ω]νο[ς] τῆς ἀρούρας (δραχ.)] β. Verbum νομός hic valet „distributio", cf. annot. proximam.

5) *Rev. Laws* 48: δότω δὲ ὁ νομάρχης ἢ ὁ προεστηκὼς τοῦ νομοῦ τῶν ἀρο[υ]ρῶν τὸν σπόρον κατὰ γεωργόν. Iure Grenfell editor transfert: the nomarch or official in charge of the distribution of crops (hoc verbum minus recte) shall give out etc.

Digitized by Google

comarchas, qui in singulis nomi vicis distributionem peragunt [1]). Cum autem tempus metendi advenit, agricolas hac de re certiores facere oportet nomarcham et toparcham (his absentibus oeconomum), qui conductore accito in agro ipso messem aestimare debent. Postremo tabulae, quibus agricola profitetur, quantum agri quoque olei genere coluerit et quanta in aestimatione messis fuerit, obsignandae sunt nomarchae vel toparchae vicario [2]). Omnibus hisce rebus perfectis nomarchae munus in oleo comparando finitum esse videtur et aliis magistratibus (inprimis oeconomo et antigrapheo) cetera opera sunt facienda *Rev. Papyro* teste; sic eis est curandum ut fruges olearias officinis tradantur et ut satis operariorum sit [3]). Sed fieri potest ut et haec cura antea nomarchae fuerit. Scribit enim Callicles quidam, magistratus superior, Harimuthi nomarchae anno a. Chr. 261/0: *σύνταξον μετρῆσ[αι] τὸ σήσαμον τὸ ἐμ Πέλαι Πρωτομάχωι καὶ τῶι σιτολόγ[ωι], οὐ γὰρ ἔστιν ἐν τῆι πόλ.ει* (i. e. Oxyrynchi) *σήσαμον. ἵνα οὖν μηθέν ὑστερῆι τὰ ἐ[λ]αιουργῖα φρόντισον, ἵνα μὴ αἰτίας ἔχηις καὶ τοὺ[ς] ἐ[λ]αιουργοὺς ἀπόστειλόν μοι* [4]). Fortasse et hac in re Ptolemaeus Philadelphus nomarchae munera diminuit.

Nemo est quin sciat totam Aegyptum inundationi moderandi causa intercisam fuisse fossis aggeribusque, ad quos conservandos magna cura adhibenda est. Opera autem quae pertinent ad fossas et aggeres in duo distinguenda sunt genera, quorum alterum est opus, quod certis temporibus efficitur, ad quod perficiendum omnes indigenae *λειτουργίας* modo suam operam dant, alterum est ad terram fertilem augendam; eius modi

---

et Preisigke, *Fachwörterbuch* s. v. *νομός*: es soll derjenige Beamte, welchem die Verteilung der Aruren obliegt, das Saatkorn für jeden Bauern austeilen. Nam verba *τῶν ἀρουρῶν* sine dubio pertinent ad *τοῦ νομοῦ*, non ad *τὸν σπόρον*. Ex his verbis apparere mihi videtur nomarchae vel toparchae iniunctum fuisse ut constitueret, quot in suo nomo arurae cuique agricolae essent conserendae.

1) Cf. *Pap. Petrie* II, 39 (a) (corr. III, 88) = *Rev. Pap.* p. 188 et *De Aeg. κωμῶν adm.* p. 67 sqq.

2) *Rev. Laws* 42.

3) Ib. 44, 5 et 8 sqq.

4) *Pap. Hibeh* I, 43.

Digitized by Google

opera locantur pretio constituto [1]). Non semper tamen diiudicare possumus de utro genere in papyris agatur.

Ut nomarchae nostri munera ad hanc curam spectantia cognoscamus, proficiscamur ex *Pap. Petrie* II, 42, (a) [2]), ubi legitur: Κλέ]ανδρος οἰκο[νό]μοις νομάρχ[αις βασιλικοῖς γραμματεῦσι Φυλακί[τα]ις μυριαρούροις κωμάρχα[ις] κωμογραμματεῦσι χαίρειν. Ἀπολελοίπαμεν Θεόδωρον τὸν ὑπαρχιτέκτονα πρὸς τῇ Φυλακῇ τῶν χωμάτων καὶ ταῖς ἀΦέσεσιν (i. e. cataractis).

Videmus nomarcham et comarcham esse inter magistratus, quibus aggerum et cataractarum cura est mandata, id quod ceteris papyris affirmatur. Habemus enim tabulas locationis eiusmodi operum [3]) et praesunt locationi architectus [4]), oeconomus, βασιλικὸς γραμματεύς vel eius vicarius, nomarcha. Hic quidem deest in locationibus 43, (2), sed fortasse hoc casu tantum accidit. Contemplantes enim illam papyrum accuratius, eam continere relationes sex locationum videmus, quarum in

1ª locatione (Col. I) conductor est privatus, sed magistratus, qui praesunt locationi in papyro desunt.

2ª loc. (Col. II—III, 10) conductorum nomina partim tantum supersunt, sed inter magistratus nomarcha non est.

3ª loc. (Col. III, 11—IV, 45 = *Grdz.* I, 2, 387) conductor est nomarcha ipse, qui deest in magistratibus.

4ª loc. (Col. V) conductoris nomen deest, nomarcha inter magistratus non nominatur.

5ª loc. (verso Col. II—III, 14) conductor est privatus, nomarcham hic inter magistratus fuisse verisimile est [5]).

6ª loc. (verso Col. III, 15—V) conductor est nomarcha, qui deest in magistratibus.

In 42, F, (a) autem conductor in papyro deest, nomarcha est inter magistratus.

---

1) Cf. Wilcken, *Grundzüge* p. 330 sqq; Oertel, *Die Liturgie* p. 8 sqq.

2) corr. III, 43, (1) p. 117.

3) *Pap. Petrie* III, 43, (2) et 42, F, (a) p. 107.

4) Hic deest in locatione, quae continetur *Papyro Petrie* III, 43, (2) verso Col. II—III, 14.

5) Opus est locatum διὰ Ἑρμαφίλου τοῦ οἰκονόμου παρόντος [Πετοσί]ριος τ[ο]ῦ βασιλικ[οῦ] γραμμ[α]τέως καὶ Παῦήμιος [.....]; τοῦ νομάρχου supplendum esse verisimile est (cf. 42, F, (a)), architectus enim, qui semper his operibus praecst, Theodorus appellatur.

Digitized by Google

Consentaneum est nomarcham non esse inter magistratus, qui locationi praesunt, cum ipse est conductor operis (cf. 3am et 6am loc.); quae est fortasse etiam causa (nomina enim conductorum aut partim aut omnino desunt), cur ille in magistratibus 2ae et 4ae locationis non nominetur.

Ut nomarcha partes agit in his operibus, quae sunt secundi generis quod supra nominavimus, sic inprimis operis, quod certis temporibus indigenis gratis est praestandum, cura nomarchae mandata esse videtur. Neque mirum est. Nam ex bono fossarum aggerumque statu pendet fertilitas Aegypti et eorum custodiam habere eum, qui agricolarum vectigalia regi praestare debet, nemo est quin intellegat. Papyri certiores nos faciunt nomarchae fuisse iumenta ministrare, quae sunt ad aggerem advehendum aut amovendum [1]). Et quamquam testimonia desunt, tamen ratione habita qui nomarchae fuerit locus inter indigenas et quae 2° adhuc saeculo comarchae, magistratus ei subiecti, munera fuerint ad aggerum et fossarum curam pertinentia [2]), pro vero sumere possumus nomarcham, quid cuique operis esset praestandum in aggeribus fossisque sustentandis, moderatum esse.

Nomarchae inprimis iniunctum fuisse ut vectigalia ab incolis recipienda curaret, iam supra diximus. Itaque non est mirandum ei etiam arbitria permissa esse, quae ad illam curam pertinent. Legimus enim in papyro, initio quidem hiulca, sed nihilominus perclara, quae *πρόσταγμα* regium continere videtur: ... *το]ὺς τοπάρχ[ους] κρίματα καθήκει εἰς τοὺς φόρους ἢ τὰ* [.]*ενα*[...] *ἀλλὰ τὸν νομάρχην μετὰ τοῦ στρατηγοῦ; ἐὰν δέ τις παρὰ ταῦτα κρίνῃι ἢ κριθῆι ἄκυρα ἔστω* [3]).

In disputatiuncula nostra qui nomarchae fuerit locus et quae

1) *P. Petrie* II, 9, (1) (corr. III, 43, (8) p. 131): *Θεόδωρος* (i. e. architectus) *Διοτίμωι χαίρειν. καλῶς ποιήσεις εὐτονώτερον γράψας Ἀνδροσθένει καὶ τοῖς νομάρχαις ἀποστέλλειν τὸ ἐναρχι.ν* (?) *ἁπάντων τῶν ὑποζυγίων καθάπερ καὶ πάρος ἐποίησαν. τοῦ γὰρ ποταμοῦ πρὸς πάντα τὰ χώματα προσβαίνοντ[ος τὰ π]άντα ὀχυρῶσαι δεῖ, ἀποστέλλειν δὲ καὶ τὰ* .... cetera desunt. Cf. *P. P.* II, 37 (corr. III, 44, (2)).

2) De hac re cf. *De Aeg. κωμῶν adm.* p. 65 sqq. et p. 61[1].

3) *Pap. Petrie* III, 26 (= II, 22).

Digitized by Google

munera ei imposita fuerint 3° a. Chr. saec. exposuimus. Eum iuxta strategum initio res civiles egisse et 3° adhuc saeculo terram Aegyptiam et vectigalia administravisse, postea vero eius potestatem valde deminutam esse satis apparuit. Idem autem fuit rerum cursus in magistratibus inferioris ordinis, toparchis et comarchis. Sed haec est res valde memorabilis et Lagidarum, illorum vectigalium artificum, propria: cum hi magistratus (toparchas et comarchas dico, nam nomarcharum in papyris 2i saeculi fere nullam esse mentionem iam memoravi) omnem potestatem perdant et inferiores fiant topogrammateis comogrammateisque, vectigalia βασιλικῆς γῆς, quod videamus, semper iis sunt praestanda [1]).

1) Cf. inprimis *Pap. Tebt.* I, 48 (= *Grdz.* I, 2, 409) et 41; tum ib. 159, 183, 24.

Digitized by Google

AD PLATONIS APOL. pg. 39 B.

SCRIPSIT

I. BERLAGE.

Ἐγὼ μὲν ἅτε βραδὺς ὢν καὶ πρεσβύτης ὑπὸ τοῦ βραδυτέρου ἑάλων, οἱ δὲ ἐμοὶ κατήγοροι ἅτε δεινοὶ καὶ ὀξεῖς ὄντες ὑπὸ τοῦ θάττονος.

Locus notissimus meo judicio levi laborat vitio, quod miror hucusque quantum sciam a nullo observatum esse. Amplius decem annis abhinc nobilissimi philologi Batavi Naber et v. Herwerden Platonem denuo perlustraverunt, variasque observationes criticas dederunt in Mnemosynes voluminibus tricesimo quarto (1906) et tricesimo quinto (1907); quin etiam Naber hunc ipsum locum attigit, utrumque tamen vitium fugisse videtur. Quod quamvis magnam mihi dubitationem movere debeat, tamen opinionem non reticebo.

Et vox illa πρεσβύτης nullam habet quae sibi in altera parte sententiae respondeat et voces δεινοί et ὀξεῖς idem fere valent, ita ut altera abundet. Quod sane per se apud Platonem insolitum non est siquidem paullo post verba μοχθηρίαν et ἀδικίαν junguntur, sed in festivo illo certamine Socratis et accusatorum cum morte et ignominia habito vehementer requiritur verbum quod verbo πρεσβύτης opponatur. Ergo ex vocibus δεινοί et ὀξεῖς altera mutanda est. Ultro autem pro δεινοί se offert „νέοι". Primum Socrates ipse significat accusatores suos esse adulescentes vel juvenes. Euthyphr. pg. 2. B: de Meleto νέος γάρ τίς μοι φαίνεται καὶ ἀγνώς. E. loco Menonis pg. 90 A. ubi Socrates dicit Anytum popularium judicio a patre bene educatum esse, quippe cui summos honores deferant, satis apparet Anytum quoque juvenem esse. De Lycone parum mihi liquet.

Digitized by Google

Sed Socrates, quoties accusatorum mentionem facit, fere unius Meleti rationem habet, cf. Euthyphronis initium, totaque Apologia, ergo accusatores suos, qui certe eius aequales non erant, conjuctim *νέους* vocare potest. Restituta autem voce *νέοι* pro *δεινοί*, *ὀξεῖς* apte opponitur *τῷ βραδύς*. Ὀξύς enim saepissime significat „velox". cf. Theaetet. pg. 190 A. *εἴτε βραδύτερον, εἴτε ὀξύτερον ἐπαΐξασα*; Rep. 526 B.: *εἰς πάντα τὰ μαθήματα ὀξεῖς φαίνονται, οἵ τε βραδεῖς*. Ὀξύς autem et *νεός* alias quoque conjunguntur: Gorg. pg. 463. E. *νέος ἐστὶ καὶ ὀξύς*.

Cum vel sic, et ob similitudinem literarum *δεινοί* nec *ὀξεῖς* in *νέοι* mutandum videatur, tum etiam loco nostro restituitur chiasmus suus, toti Graecitati et praesertim Platoni solitus ita ut nunc locum integrum habere videamur: *Ἐγὼ μὲν γὰρ ἅτε βραδὺς ὢν καὶ πρεσβύτης ὑπὸ τοῦ βραδυτέρου ἐάλων, οἱ δ' ἐμοὶ κατήγοροι ἅτε νέοι καὶ ὀξεῖς ὄντες ὑπὸ τοῦ θάττονος.*

Polenarianum ad Hor. C. I, 32, 15.

Barbiton sic appellat poeta:

O laborum
dulce lenimen mihi *cunque* salve
rite vocanti.

Locum varie tentatum sic corrige: *ubique*. „Posci" se in initio dixit poeta, nunc libenter se obtemperare declarat.

I. I. H.

Digitized by Google

NOVAE INSCRIPTIONES ARGIVAE.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.

(Continuantur ex vol. XLIV p. 238).

V.

Fragmentum tabulae lapidis calcarii albicantis ab omni parte fractum, quod die XXIX° mensis Maii anni 1912 e muris byzantinis, quae in area templi in foro siti [1]) aedificata erant, protractum est. Alt. 0m 28, lat. 0m 16, crass. 0m 225; alt. litterarum 0m 014. Inscriptio στοιχηδόν incisa est litteris saeculi Vi.

δ ι
. ι δ ε π α ρ . υ
. ε ρ ε ι τ α ν δ
. μ Φ ο τ ε ρ ε ι
. ο ν τ ο τ α ν σ
γ ε ι ο ι τ ο ι σ
ι δ ε π ι δ α υ .
ο ι τ α ν σ δ ε .
. ν τ ο τ ο ι σ .

δι
ι δ' ἐπ' ἀρ[τ]υ[όντον]
[ἀμΦοτ]ερεῖ, τὰν δ[ὲ]
[ἀ]μΦοτερεῖ
όντο τὰνς

1) V. B.C.H. 1907, p. 177.

Digitized by Google

[τοὶ Ἀρ]γεῖοι τοῖς
[το]ὶ δ' Ἐπιδαύ[ριοι]
οι, τὰνς δὲ
[ό]ντο τοῖς

Manifestum est hoc esse fragmentum pactionis inter Argivos et Epidaurios.

Adverbium ἀμφοτερεῖ, quod sciam, hic primum legitur.

VI.

Fragmentum lapidis calcarii cani undique fractum, quod repertum est die X° mensis Iulii anni 1906 in Larissa, et quidem in angulo aulae interioris castelli Venetici, qui septentrionem et orientem solem spectat. Alt. 0m 26, lat. 0m 20, crass. 0m 325; alt. litterarum, 0m 01. Inscriptio incisa est στοιχηδόν litteris saeculi V^{i}.

ι . . . . . .
σ ε υ . . . . .
ξ ε ν ο . . .
σ β ο υ τ α . .
φ ι λ λ ο . .
θ ι ο κ ρ ι .
θ ε ρ σ α γ ο
δ ε ρ . ε τ .
σ ο σ τ ρ α .
εσ σ . . . . . .
οσ

Ἰ
ς Εὐ
Ξενο
ς Βούτα[ς]
Φίλλο[ς]
Θιόκρι[τος]
Θερσαγό[ρας]
Δερ[κ]έτ[ας]
ες Σόστρα[τος]
ος Σ

Digitized by Google

In parte sinistra comparent hic illic terminationes consimilis catalogi civium vel militum.

VII.

Lapis quadrangulus calcarius leucophaeus infra fractus, qui nunc vice gradus scalae fungitur prope puteum ad angulum, qui septentrionem et orientem spectat, ecclesiae, quae iuxta fontem Acoam sita est. Dixit mihi ἐπίτροπος ecclesiae lapidem haud procul ab illo loco in planitie repertum esse. Alt. 0m. 34; lat. 0m. 315; crass. 0m. 22; alt. litterarum, 0m. 035. Litterae arguunt saeculum Vum a. C.

ορος : hε
λλοτιο

i. e. ὅρος Ἑλλωτίου.

Antiqua dea Cretensis Ἑλλωτίς colebatur Gortynae. Inde cultus eius pervenerat Marathonem et Corinthum et Argos, ut nunc ex hoc titulo cognovimus. Gortynae et Corinthi celebrabantur τὰ Ἑλλώτια; τὸ Ἑλλώτιον, quod fuit Marathone, in inscriptione ibi inventa memoratur [1]). Argis etiam alia numina Creta oriunda colebantur [2]).

Olim monui iuxta viam, quae Mantineam ducit, et quidem prope trivium, unde via, quae ad Acoam ducit, orditur, vestigia veteris fani hodie extare [3]). Martis et Veneris templum, de quo loquitur Pausanias, ibi fuisse suspicatus sum. Nunc eodem fere loco τὸ Ἑλλώτιον fuisse sumere licet. Etiam antea haud procul ab illo trivio terminus repertus est, in quo tamen praeter unum vocabulum ὅρ[ος] nihil legitur [4]).

VIII.

a

Marmor cyaneum, pars baseos oblongae. Alt. 0m. 26, lat. 1m. 19, crass. 1m. 025; alt. litterarum vs. 1 0m. 025, vs. 2 et 3

1) Prott, Fasti sacri, 26, vs. 25: Ἥρωι παρὰ τὸ Ἑλλώτιον οἷς.
2) Cf. B. C. H. 1913, p. 305.
3) V. B. C. H. 1907, p. 180 sq.
4) V. B C. H. 1903, p. 263, 7.

Digitized by Google

0m. 015. Litterae sunt circiter anni 200 a. C. n. Et hoc marmore et illo, de quo deinceps agam, aetate Romana usi sunt, ut aedificarent partem occidentalem longi stylobatae [1]) in foro.

Εὐαίνετος Εὐφάνεος.
Καλλικράτης
Ἀργεῖος.

b

Marmor cyaneum, quod eiusdem baseos pars fuit. Alt. 0m. 26, lat. 0m. 86, crass. 1m. 025; alt. litterarum vs. 1 0m. 025, vs. 2 et 3 0m. 015. Litterae saeculum IIIum a. C. ad finem vergens arguere videntur.

Εὐκράτη[ς] Εὐφά[νεος].
Ἀριστεὺς
ἐποίησε.

Filii Euphanis Evaenetus et Eucrates et sculptores Callicrates et Aristeus nobis ignoti sunt. Aristeum ex Ionia oriundum fuisse suspicor, nam Ἀριστεύς more Ionieo pro Ἀριστεύς scriptum esse videtur, siquidem Ἀρίστεος non est nomen graecum.

IX.

Fragmentum lapidis calcarii cani, qui magnae baseos tripodis, puto, pars fuit. Repertum est die XVII° mensis Iulii anni 1906 in muro aetatis byzantinae prope magnam aram Apollinis Pythii in Aspide. Superficies paululum concava, in qua inscriptio incisa est, ab omni parte mutila est. Alta est 0m. 54, lata 0m. 41. Litterae sunt 0m. 015 altitudine; spatium, quo versus inter se distant, est 0m. 01. Supra tres, infra sex versus deesse possunt. Litterae IIum vel Ium saeculum a. C. arguunt. Lineola litterae A fracta est. Nota spatia, quibus hic illic singula vocabula dividuntur [2]).

1) Cf. B. C. H. 1907, p. 173, fig. 7; Museum, Oct. 1912, p. 33.
2) Cf. Larfeld, Handb. der griech. Epigr. I, p. 429.

Digitized by Google

ΟΛΙ
ΝΔΕ ΛΤΔΙΑΤΟΤΑΡΙΣ
ΑΡΧΙΤΕΛΕΟΣΔ
ΛΟΤΑΡΑΧΝΑΔΑ Ν ΣΤΟ
ΛΕΟΣΗΡΑΕΟΣ ΛΤΣΙΑΤΟΤΑΝΤΙΣΘΕ
ΙΣΤΙΩΝΟΣΔΩΡΙΑΔΑ ΣΤΙΛΠΩΝΟΣ ΤΟ
ΣΔΕ . ΙΑ . . ΤΣΩΣΙΩΝΟΣ . . . ΩΣΟ . .
ΟΣΤΟΤΕΠΙΚΡΑΤΕΟΣ Α
ΕΠΙΠΡΟΜΑΝΤΙΩΝΤΩΝΕΠ
ΛΟΤΤΟΤΔΑΜΟΦΙΛΟΤΟΛΙΣΣΕ
ΚΡΑΤΕΟΣ ΣΩΙΚΡΑΤΕΟΣΤΟΤΑΙ
ΟΔΑΜΟΤΑΝΑΙΤΙΔΑΙ *vacat*
ΣΩΙΚΡΑΤΕΟΣΑ
ΑΡΑΧΝΑΔΑ *vacat*

ΝΟΣΤΑΔΑ *vacat*
ΛΔΑ *vacat*
vacat

[Ὀλι[σσείδα]
ν δὲ Λυδία τοῦ Ἀρισ[τ]
Ἀρχιτέλεος Δ
ου Ἀραχνάδα, Ν . . . . στο
εος Ἡραέος, Λυσία τοῦ Ἀντισθέ[νεος]
[τοῦ Ἡφα]ιστίωνος Δωριάδα, Στίλπωνος τ[οῦ]
ς, Δε[ξ]ία [το]ῦ Σωσίωνος . . . . ωσο
ος τοῦ Ἐπικράτεος Α
ἐπὶ προμαντίων τῶν ἐπ[ὶ]
λου τοῦ Δαμοφίλου Ὀλισσε[ίδα],
κράτεος, Σωϊκράτεος τοῦ Α
οδάμου Ἀναιτίδαι
Σωϊκράτεος Α
Ἀραχνάδα

νος Τάδα
άδα

De nominibus phratriarum cf. Mnem. 1916, p. 56. Ad vs. 9. Cf. B. C. H. 1909, p. 172, 1.

Digitized by Google

X.

Duo lapides eidem stylobatae inaedificati, quorum alter alt. 0m. 95, lat. 1m. 33, alter alt. 0m. 95, lat. 1m. 10. Alt. litterarum est inter 0m. 03 et 0m. 035. Litterae sunt IIi vel Ii saeculi a. C. n.

Σοϊκράτης Μενάνδρου ἀγορανομῶν καὶ
γραμματεύων καὶ ταμιεύων τὸ δεύτερον
τὸ βῆμα τοῖς ἀγορανόμοις.

Lapis dexter iam anno 1903 repertus et publici iuris factus est B. C. H. 1904, p. 427, nº 9.

Ad nomen quod est Σοϊκράτης cf. nomina Σοΐδας, Σοΐλος, Σπευσικράτης, Σπουδοκράτης.

XI.

Fragmentum stelae lapidis calcarii leucophaei, quod repperi die XX° mensis Maii anni 1912 in templo, quod in foro effossum est. Alt. 0m. 25, lat. 0m. 12; crassitudo nunc est 0m. 20, sed stela crassior fuisse videtur. Alt. litterarum 0m. 018, spatium inter versus 0m. 007. Margo dexter servatus est inde a vs. 4. Lineola litterae A fracta est.

Α
ΤΑ
ΟΤΝΙ
ΣΤΟΤ
ΝΕΙ
ΠΟΛΙΝ
ΑΠΑΣ
ΜΑΡΤΤ
ΠΑΝΤΑ

Hoc fragmentum tribuendum esse suspicor decreto in honorem P. Antei Antiochi [1]), quod prius eodem fere loco repertum est.

XII.

Basis statuae rotunda ex lapide calcario cano, reperta die

1) B. C. H. 1904, p. 421, 6. Cf. B. C. H. 1905, p. 318.

Digitized by Google

XXIV° mensis Maii anni 1912 eodem loco quo titulus I. Alt. 0m. 35; diametros 0m. 85. Alt. litterarum est inter 0m. 03 et 0m. 035. Lineola litterae A fracta est.

Δαναὸν
Τι(βέριος) Κλαύδιος
Ἀντίγονος.

XIII.

Fragmentum tabulae marmoris candidi undique mutilum, quod repertum est die IV° mensis Iulii anni 1906 in clivo orientali Larissae, haud procul a theatro. Alt. 0m. 266; lat. 0m. 349; crass. 0m. 025. Alt. litterarum 0m. 027.

Πό(πλιος) Πάκκιος Ἴλα-
ρος
Εἴσιδι καὶ Σα-
ράπιδι.

Cf. Rusch, De Serapide et Iside in Graecia cultis, diss. Berol. a. 1906, p. 34: „Argis nummus Hadriani (Cat. of Gr. coins, Pelop. 148, 151; pl. XXVIII, 13) ostendit deam in solio sedentem, quae puerum tenet. Quam fortasse recte Isim Horum tenentem interpretamur... Isim autem Argis cultam esse posteriores nummi demonstrant Antonini Pii, Commodi, Septimi Severi, I. Moesiae, Mamaeae, qui Isim stantem fingunt dextera sistrum, sinistra situlam aut florem (nempe loti) aut hastam tenentem".

XIV.

Lapis quadrangulus calcarius leucophaeus, in tribus lateribus ornatus columellis caelatis supra spissioribus quam infra. Repertus est die V° mensis Iulii anni 1906 eodem loco quo titulus XIII. Alt. 0m. 21, lat. 0m. 44, crass. 0m. 30. Alt. litterarum, 0m. 012. Litterae saeculo III° a. C. n. tribuendae mihi videntur.

Ἀγαθοκλῆς, Θαηὶς
ἀνεθέταν.

Θαηίς est ὑποκοριστικόν a nomine incipiente a Θαησι- ductum.

Digitized by Google

XV.

Fragmentum lapidis calcarii cani inaedificatum muro exteriori domi, in qua habitat Γεώργιος Φαρμάκης. Mutilum est infra et a dextra et a sinistra parte. Sub inscriptione figurae caelatae fuisse videntur. Alt. 0m. 155, lat. 0m. 42; alt. litterarum, 0m. 015. Litterae sunt saeculi IIIi a. C.

εια ἐν Χαλκίδι Ἀντιγονεία [ἀ]γεθέ[ταν].

Chalcidem saeculo III° Ἀντιγόνειαν cognominatam esse nusquam alibi me legere memini.

XVI.

Pars superior stelae aëtomate ornatae ex lapide calcario cano, reperta die XXVI° mensis Iunii anni 1906 in nymphaeo Romano. Sub inscriptione comparent os et pectus hominis dextrorsum versi. Alt. 0m. 335, lat. 0m. 26, crass. 0m. 10. Alt. litterarum, 0m. 02. Litterae saeculi Ii a. C. n. vel serioris aetatis.

Ἀσκλαπιάδα, χαῖρε.
Μεγιστώ, χαῖρε.

XVII.

Pars inferior stelae ex lapide calcario cano in duo fragmenta fracta. Reperta est die V° mensis Iulii anni 1906 in clivo orientali Larissae prope a theatro. Supra inscriptionem conspicitur iuvenis caelatus dextrorsum versus longiore veste velatus. Alt. 1m.04; lat. 0m.485; crass. 0m.11. Alt. litterarum, 0m.016.

ὧδε Τίτος δύστανος ἐνὶ στάλα τετύπωται,
. . . .
ὀκτωκαιδεχέτης (δύσμορος!) ἁλικίας.

Epigramma aetatis Romanae, sed antiquae simplicitatis.
Ὧδε, *hic*. Cf. Kaibel, Epigr. ex lap. conl. 735, 3; Ev. Matth. XII, 6.

XVIII.

In domo, quam possidet Γεώργιος Κουτσίμπας, exstat pars

Digitized by Google

superior stelae aëtomate ornatae ex lapide calcario albo. In aëtomate conspicitur orbis caelatus, sub inscriptione caput demissum hominis sinistrorsum versi. Alt. 0m.43, lat. 0m.39, crass. 0m.65. Alt. litterarum, 0m.026. Litterae saeculi IIi a. C. vel serioris aetatis. Lineola litterae A fracta est.

Ἀριστέα, χαῖρε.

Prius aliud nomen insculptum fuisse videtur.

XIX.

Stela ex lapide calcario albo, in qua duae mulieres caelatae sunt. Reperta est die XVII° mensis Maii a. 1912 prope a pariete meridionali templi, quod in foro effossum est, iuxta viam, quae Argis Mylos ducit. Alt. 0m.47, lat. 0m.24, crass. 0m.07. Alt. litterarum, 0m.012. Litterae saeculum IIIum a. C. arguunt.

Παρθενίς.

XX.

Fragmentum partis superioris stelae ex lapide calcario cano, repertum die XIX° mensis Iunii anni 1912 in abside aedificii Romani, quod prope theatrum hodie extat. Alt. 0m.25, lat. 0m.15, crass. 0m.11. Alt. litterarum, 0m.035. Litterae aetatem Romanam arguunt.

ων
μ

XXI.

Parvum fragmentum partis superioris stelae aëtomate exornatae ex lapide calcario albo, mutilum a dextra et a sinistra parte. Repertum est die XX° mensis Iunii anni 1912 in iisdem muris atque titulus V. Alt. 0m.53, lat. 0m.50, crass. 0m.26. Alt. litterarum vs. 1 0m.023, vs. 2 0m.011.

ΘΕΟ
ΙΤΙ

Digitized by Google

XXII.

Marmor candidum mutilum a sinistra et a superiore parte, repertum die XXVI° mensis Iunii anni 1912 eodem loco quo titulus V. Alt. 0m.57, lat. 0m.50, crass. 0m.28. Alt. litterarum, 0m.025.

[χ]ιλίαρχον

XXIII.

In domo, quam possidet Κωνσταντῖνος Βισβίκης prope κριτήριον antiquum, exstat fragmentum columellae ex lapide calcario cano, infra et supra mutilum. Alt. 0m.28, diametros 0m.18. Alt. litterarum 0m.025. Litterae infabre insculptae aetatem Romanam seriorem redolent.

αἰποίησεν
ἑαυτῶ καὶ
τῆ γυνεκὶ αὐτοῦ
καὶ τοῖς εἰδίοις
πεδείοις.

I. e. ἐποίησεν ἑαυτῷ καὶ τῇ γυναικὶ αὐτοῦ καὶ τοῖς ἰδίοις παιδίοις. Quis ille, dicere neglexit.

XXIV.

Argis in museo exstat fragmentum tabulae ex lapide calcario albo, integrum a sinistra parte. Alt. 0m.305, lat. 0m.255, crass. 0m.11. Alt. litterarum, 0m.011. Litteras II° a. C. saeculo tribuerim.

.ΟΤ
ΤΩΝΦΑΗ
ΚΑΛΟΣΚΑΓΑΘΟ
ΠΑΝΤΩΣΤΑΝΣΤΝΟ
ΔΙΑΝΤΟΙΣΧΡΕΙΑΝΕΧΟΤΣ
ΦΑΝΕΡΑΝΠΟΙΩΝΤΑΝΕΞΑΤ
ΚΑΙΜΕΓΑΛΟΨΤΧΙΑΝΚΑΙΚΑΛΟΚ
ΣΤΝΟΔΟΝΠΡΟΤΙΘΗΤΙΔΕΚΑΙΕΛΑ
ΚΑΤΕΝΙΑΤΤΟΝΕΜΠΑΣΑΙΣΤΑΙΣΘ

Digitized by Google

ΓΩΝΤΙΟΙΦΑΗΝΙΣΤΑΙΟΜΟΙΩΣΔΕΙ
ΣΙΤΟΙΣΠΑΡΑΓΙΝΟΜΕΝΟΙΣΠΕΠ . ΙΗ
ΛΑΝΘΡΩΠΑΚΑΙΠΛΕ . ΩΙΚΡΙΝΩΝΤΑ
. ΙΙΔΕΙΝΚΑΘΤΣΤΕΡΕΙΝΤΩΝΑΛΛΩΝ
ΗΤΑΙΔΕΚΑΙΑΓΤΝΑΑΤΤΟΤΚΑΛΛΕ
ΧΡΕΙΑΝΤΤΓΧΑΝΕΙΑΣΤΝΟΔΟΣΚ
ΔΙΑΝΤΟΙΣΕΝΤΤΓΧΑΝΟΤΣΙΝ
ΚΑΛΟΚΑΓΑΘΙΑΣΟΤΘΕΝΕΝΛΕΙ
. . ΑΙΑΤΤΟΙΣΤΙΜΑΣΑΞΙΑΣΤΩ
^ΝΑΤΤΟΤΣΕΠΙΤΑΓΕΡ
ΤΙ

. ου [ἔδοξε τᾷ συνόδῳ]
[τ]ῶν Φαη[νιστᾶν· ἐπειδὴ ὁ δεῖνα τοῦ δεῖνος ἀνὴρ]
καλὸς κἀγαθὸ[ς γεγενημένος καὶ κατὰ κοινὸν]
πάντως τὰν σύνο[δον εὐεργετεῖ καὶ πᾶσαν κὰτ ἰ-]
δίαν τοῖς χρείαν ἔχουσ[ι σπουδὰν πεποίηται]
Φανερὰν ποιῶν τὰν ἐξ αὐ[τοῦ ἀεὶ Φιλοτιμίαν τε]
καὶ μεγαλοψυχίαν καὶ κκλοκ[ἀγαθίαν ποῖ τὰν]
σύνοδον, προτίθητι δὲ καὶ ἐλα[τᾶρας πολλάκις]
κὰτ ἐνιαυτὸν ἐμ πάσαις ταῖς θ[υσίαις, ὅσας κα ἄ-]
γωντι οἱ Φαηνισταί, ὁμοίως δὲ [καὶ ὁ υὸς αὐτοῦ πᾶ-]
σι τοῖς παραγινομένοις π.π[ο]ίη[ται πάντα τὰ Φι-]
λάνθρωπα καὶ πλε[ί]ῳ κρίνων τὰ[ν σύνοδον ἀμῶν]
[μὴ] δεῖν καθυστερεῖν τῶν ἄλλων [συνόδων, πεποί-]
ηται δὲ κκὶ ἁ γυνὰ αὐτοῦ Κάλλε[ιον ὅσων ἔχουσα]
χρείαν τυγχάνει ἁ σύνοδος κ[αὶ χρησίμαν κὰτ ἰ-]
δίαν τοῖς ἐντυγχάνουσιν [αὐτὰν παρεσκεύακε]
καλοκἀγαθίας οὐθὲν ἐνλεί[πουσα, ἵνα καὶ Φαίν-]
[ητ]αι αὐτοῖς τιμὰς ἀξίας τῶ[ν χρειῶν ἀπονέμον]
[τὸ κοιν]όν, αὐτοὺς ἐπὶ τὰ γέρ[α καλεῖν]
τι

Ad vs. 1 sq. Cf. inscriptio argiva B. C. H. 1903, p. 260, 1: τὸ κοινὸν τῶν Φαηνιστᾶν Φαηνὸν Ἀριστοκράτεος θεοῖς.

Ad vs. 10. Supplementum probabile, sed vix certum.

(Continuabuntur).

Digitized by Google

QUA AETATE PLATO THEAETETUM DIALOGUM SCRIPSERIT.

SCRIPSIT

H. D. VERDAM.

Antehac Theaetetus Platonicus in mediae aetatis dialogorum numero vulgo habebatur, sed hodie post Rempublicam scriptum eum esse complures viri docti opinantur, in his Raederus, qui post egregium librum suum, qui inscribitur „Platons philosophische Entwickelung" [1905] inter viros Platonicos principem tenet locum. Attamen vir praeclarus hac in re minus recte iudicavisse mihi videtur et satis levibus argumentis causam suam confirmasse. Sed antequam de ipsa re videamus, prius ex argumento dialogi nostri pauca enarremus, quae usui esse poterunt ad quaestionem explanandam.

Rogatus a Socrate, quid sit doctrina, Protagorae inventis innixus Theaetetus respondet sensuum observationem (αἴσθησιν). Contenderat enim Protagoras hominem omnium rerum esse normam et sua cuique observata vera esse. At Socrates docet omnem hominum societatem huic fundamento esse innixam, quod in alia re aliorum doctrina emineat, quemodmodum gubernatoris artem in mari, in morbis medici, neque hoc certe quemquam infitiaturum esse, etiamsi de praesentibus rebus omnium iudicium idem valeat, eos tamen qui alicuius rei periti sunt melius praevidere posse quid futurum sit. Accedere quod fugitiva sint quae sensibus observamus et proximo temporis momento iam evanescant. Quocirca discernendum esse inter ea quae sensibus animadvertamus et quae ipsa mente percipiamus: in illis non esse doctrinam, sed in hisce.

Digitized by Google

Iterum rogatus Theaetetus respondet doctrinam idem valere quod rectam opinionem. At Socrati abundare videtur v. *recta*, quoniam opinionem falsam esse ullam negaverat Protagoras. Qua de re tota fere altera dialogi parte disputatur. Sub finem huius partis paucis demonstratur aliud esse doctrinam, aliud rectam opinionem, id quod testentur iudicia, in quibus omnia id spectent, ut iudicibus afferatur opinio, sed minime doctrina.

Tertium Theaetetus rogatus respondet doctrinam idem esse quod rectam opinionem, cum ratione (λόγῳ) coniunctam. Quid autem sibi velit ratio illa quaeritur. Post alias opiniones prolatas, quae mox reiciuntur denuo, hoc tentatur, id esse rationem, si quis perspiciat quid sit alicuius rei propria indoles. Quid autem? Rectamne opinionem de indole illa habere aliquem oportere an doctrinam? Doctrinam vero. Quod si verum sit, corruere definitionem, nam talem eam evadere: doctrinam alicuius rei esse rectam opinionem, coniunctam cum ratione, i. e. cum doctrina propriae indolis rei illius. In definitione enim vocem definiendam legi non oportere.

Estne igitur, ut ipse ait Plato, omnis disputatio irrita? Non opinor. Nam primo inventum est aliud esse doctrinam, aliud sensuum observationem; deinde aliud esse doctrinam, aliud rectam opinionem. Hoc unum parum apparuit, quidnam intersit inter doctrinam et rectam opinionem.

Iam ad Raederum redeuntes hoc praecipue argumento niti videbimus opinionem eius postremos dialogos Platonicos — Parmenidem Sophistamque dico — Theaeteto proxime praecedi, quod eae quaestiones, quae in Theaeteto propositae necdum solutae erant, in Parmenide solvantur. Quod argumentum per se iam minus rectum est. Nam quid est cur post quaestionem aliquam frustra propositam in proximo dialogo solutam eam esse sumamus? Credibile est, quandoque ipsum Platonem multo post quam primo quaestionem aliquam proposuerat expedivisse demum. Quemadmodum quaestiones aliquas in Euthydemo prolatas, qui in primorum dialogorum numero est, expedivit demum in Sophista, postremae aetatis dialogo. Sed fac rectam esse Raederi disputationem: tum vero multo ante Parmenidem Theaetetum scriptum esse necesse est statuere, nam quaestiones in eo propositas non in Parmenide, sed in Menone mediae

Digitized by Google

aetatis dialogo solutas esse videbimus. Quod rectum esse posse ideo sunt qui negent, quod Menonem in primae aetatis dialogis ducunt: de virtute enim esse Menonem, virtutem autem esse proprium argumentum primae aetatis dialogorum. Quod qui opinantur inscriptione Menonis dialogi a recta via aberrasse mihi videntur, nam de virtute agere videtur Meno, agit revera de doctrina et recta opinione. Quid enim? Virtutem doctrinam esse in Menone quoque demonstratur, sed paucis et ita ut ex Euthydemo ea iterentur et hoc uno consilio, ut deinde probetur, sine doctrina quoque eam virtutem esse posse, quae recta opinione innitatur et exinde ostendatur, quid intersit inter virtutem et opinione et doctrina innixam omninoque quid intersit inter opinionem et doctrinam. Sed quoniam in omni ordine disputationis permulta sunt, quae Theaeteto communia sunt cum Menone, singula videamus.

1. Theaetetus rogatus quid sit doctrina respondet (146 CD) *Δοκεῖ τοίνυν μοι καὶ ἃ παρὰ Θεοδώρου ἄν τις μάθοι ἐπιστῆμαι εἶναι, γεωμετρία τε καὶ ἃς νυνδὴ σὺ διῆλθες, καὶ αὖ σκυτοτομική τε καὶ αἱ τῶν ἄλλων δημιουργῶν τέχναι, πᾶσαί τε καὶ ἑκάστη τούτων, οὐκ ἄλλο τι ἢ ἐπιστήμη εἶναι.*

Meno rogatus quid sit virtus respondet (71 E): *εἰ βούλει ἀνδρὸς ἀρετὴν, ῥᾴδιον, ὅτι αὕτη ἐστὶν ἀνδρὸς ἀρετή, ἱκανὸν εἶναι τὰ τῆς πόλεως πράττειν, εἰ δὲ βούλει γυναικὸς ἀρετήν .... τὴν οἰκίαν εὖ οἰκεῖν .... καὶ ἄλλαι πάμπολλαι ἀρεταί εἰσιν ...., καθ' ἑκάστην γὰρ τῶν πράξεων καὶ τῶν ἡλικιῶν πρὸς ἕκαστον ἔργον ἑκάστῳ ἡμῶν ἡ ἀρετή ἐστιν.*

Commune utrique dialogo est, quod pro definitione aliquot exempla promuntur, sed hoc interest, quod in Theaeteto enumerantur singulae doctrinae neque tribuuntur singulis hominum generibus, in Menone alii hominum generi alia virtus tribuitur.

Inspiciamus responsa quoque, quae inter se simillima sunt. Respondet enim Socrates in Theaeteto (146 D): *Γενναίως γε καὶ Φιλοδώρως ὦ Φίλε ἐν αἰτηθεὶς πολλὰ δίδως καὶ ποικίλα ἀντὶ ἁπλοῦ*, in Menone (72 A): *πολλῇ γε τινι εὐτυχίᾳ ἔοικα κεχρῆσθαι, ὦ Μένων, εἰ μίαν ζητῶν ἀρετὴν σμῆνός τι ἀνηύρηκα ἀρετῶν παρὰ σοὶ κείμενον.*

2. Conatur deinde Socrates Theaetetum erudire monendo si quis v. *πηλός* definire velit, improbandum esse si respondeat:

Digitized by Google

πηλὸς χυτρέων καὶ πηλὸς ὁ τῶν ἰπνοπλαθῶν καὶ πηλὸς πλινθούργων, quoniam ipsa v. πηλός nondum sit explanata.

Monet Menonem, si quis v. μέλιττα definire vellet, non acquiescendum esse si quis diceret multas eas esse et multifarias et inter se differre, nam pares eas esse τῷ μελίττας εἶναι; quamobrem id esse investigandum, quanam in re sibi pares sint.

Itaque in Theaeteto aliud exemplum sumitur, ut Theaetetus sentiat quid laboret dèfinitio eius quam vocat; in Menone multo accuratius agitur. Nam hic non solum quod Meno commisit vitium ostenditur, sed etiam quomodo id sit emendandum, itaque *ratio definiendi* inde ab initio Menonis dialogi indicatur.

3. In utroque dialogo res ad geometriam deducitur. Theaetetus ut probet se intellegere quid Socrates sibi velit, v. δύναμις definiendo explicat, in Menone Socrates v. σχῆμα interpretatur. Haec tamen in Menone multo magis elaborata sunt. Nam Theaetetus vix aliud quam definitionem aliunde acceptam enarrat, in Menone dialogo ratione disputatur primoque exponitur, cur vitiosum sit dicere e. g. σχῆμα = στρογγυλότης, quia notio v. σχῆμα formas contineat, quae inter se oppositae sint, quemadmodum quadratas et rotundas; quaerendum autem esse quid sit τὸ ἐπὶ πᾶσιν τούτοις ταὐτόν. Deinde ita v. σχῆμα explicat, ut sit ὃ μόνον τῶν ὄντων τυγχάνει χρώματι ἀεὶ ἑπόμενον. Tum quod Meno dicit se nescire quid sit v. χρῶμα, alteram hanc praeclaram definitionem profert, σχῆμα esse στερεοῦ πέρας, quo facto postremo coloris notionem definit.

4. Illa coloris quoque in Menone prolata definitio innititur eis quae in Theaeteto fuse exponuntur. Nam legimus ibi (156 D): ἐπειδὰν οὖν ὄμμα καὶ ἄλλο τι τῶν τούτῳ συμμέτρων πλησιάσαν γεννήσῃ τὴν λευκότητά τε καὶ αἴσθησιν αὐτῇ ξύμφυτον..., τότε δὴ μεταξὺ Φερομένων τῆς μὲν ὄψεως πρὸς τῶν ὀφθάλμων, τῆς δὲ λευκότητος πρὸς τοῦ συναποτίκτοντος τὸ χρῶμα, ὁ μὲν ὀφθαλμὸς ἄρα ὄψεως ἔμπλεως ἐγένετο.. Quae breviter ita comprehenduntur in Menone (76 D): ἔστιν γὰρ χρόα ἀπορροὴ σχημάτων ὄψει σύμμετρος καὶ αἰσθητός.

5. Non modo uterque dialogus plenus est rerum ad geometriam pertinentium, magis fere quam quivis dialogus Plato-

Digitized by Google

nicus, si Timaeum excipias (vid. Theait. 147 D—148 B, 154 C—155 C, 195 E—196 B, 198 A—C, Meno 74 B—76 A, 82 B—85 B, 86 E), sed agitur etiam de geometria tamquam de praestantissima doctrina, quippe quae sensuum observatione orba sit (Theait. 195 E) et unice apta, quae idearum memoriam revocet (Meno 82 B—85 B).

6. Haec quoque Theaeteti et Menonis similitudo indicanda esse videtur, quod in fine Theaeteti ostenditur, in definitione aliqua vocem definiendam legi non oportere (210 A *οὐκοῦν ἐρωτηθείς.., τί ἐστιν ἐπιστήμη, ἀποκρινεῖται ὅτι δόξα ὀρθὴ μετὰ ἐπιστήμης διαφορότητος*), in Menone eiusdemmodi aliquid legitur: nam postquam Meno v. *ἀρετὴν* sic interpretatus est: *τἀγαθὰ πορίζεσθαι μετὰ δικαιοσύνης* (i. e. *μετὰ μορίου ἀρετῆς*), Socrates hic quoque improbat, vocem definiendam in definitione inveniri: (Meno 79 B) *οὐκοῦν συμβαίνει ἐξ ὧν σὺ ὁμολογεῖς, τὸ μετὰ μορίου ἀρετῆς πράττειν, ὅ τι ἂν πράττῃ, τοῦτο ἀρετὴν εἶναι*, eo tamen discrimine, quod in Theaeteto ipsa vox definienda in definitione legitur, in Menone ea (*δικαιοσύνη*), cui ratio quaedam intercedat cum voce definienda (*ἀρετή*). Quamobrem hoc quoque loco uti videtur Plato in Menone iis quae in Theaeteto reppererat.

Nunc ad alteram Menonis partem transeuntibus nobis, in qua servus in scenam inducitur, apparebit docendi rationem, qua in utroque dialogo Socrates utitur, eandem fere esse. Discipulum enim doctrinam suam non a Socrate accipere, sed ex se proferre legimus Theaet. 150 C—151 D, vid. prae ceteris 150 D *καὶ τοῦτο ἐναργὲς ὅτι παρ' ἐμοῦ οὐδὲν πώποτε μαθόντες, ἀλλ' αὐτοὶ παρ' αὑτῶν πολλὰ καὶ καλὰ εὑρόντες τε καὶ τεκόντες*, cf. 161 AB, Meno 85 D *ἀνακλαβὼν αὐτὸς ἐξ αὑτοῦ τὴν ἐπιστήμην*. A Socrate tamen discipuli doctrinam rogando promoveri apparet Theaet. 150 C *τὸ δὲ αἴτιον τούτου τόδε· μαιεύεσθαί με ὁ θεὸς ἀναγκάζει, γεννᾶν δὲ ἀπεκώλυσεν*, Meno 82 E *οὐδὲν διδάσκω ἀλλ' ἐρωτῶ πάντα*, cf. 84 D. Antequam discipuli doctrinam promoveat, prius eum animo perturbare solere Socratem, qui ne ipse quidem doctrinae particeps sit, legimus Theaet. 157 C *ἀλλ' εἰμὶ αὐτῶν ἄγονος, σὲ δὲ μαιεύομαι καὶ τούτου ἕνεκα ἐπᾴδω*, (cf. Meno 80 A *γοητεύεις με καὶ ἀτεχνῶς κατεπᾴδεις*), Theaet. 149 A *ποιῶ τοὺς ἀνθρώπους ἀπορεῖν*, Meno 80 B *αὐτός τε ἀπορεῖς*

Digitized by Google

καὶ τοὺς ἄλλους ποιεῖς ἀπορεῖν. Complures haec Socrati vitio vertere apparet ex iis quae leguntur Theaet. 151 A πολλοὶ γὰρ ἤδη, ὦ θαυμάσιε, πρός με οὕτω διετέθησαν, ὥστε ἀτεχνῶς δάκνειν ἕτοιμοι εἶναι, ἐπειδάν τινα λῆρον αὐτῶν ἀφαιρῶμαι Meno 80 B καί μοι δοκεῖς εὖ βουλεύεσθαι οὐκ ἐκπλέων ἐνθένδε οὐδ' ἀποδημῶν· εἰ γὰρ ξένος ἐν ἄλλῃ πόλει τοιαῦτα ποιοῖς, τάχ' ἂν ὡς γόης ἀπαχθείης.

Haetenus quae in utroque inveniuntur dialogo magna ex parte consentiunt. Nunc videamus quo in Menone omnis disputatio evadat, id quod Theaeteto alienum est: 85 D τὸ δὲ ἀναλαμβάνειν αὐτὸν ἐν αὑτῷ ἐπιστήμην οὐκ ἀναμιμνήσκεσθαι ἐστίν; 82 E Θεῷ δὴ αὐτὸν ἀναμιμνησκόμενον ἐφεξῆς, ὡς δεῖ ἀναμιμνήσκεσθαι.

Iam si utrumque dialogum comparabimus, omnia videbimus in Menone multo esse subtiliora. Nam haec, quae de arte docendi leguntur, in Theaeteto cum ipso dialogi argumento non cohaerent, sed in Menone artissime. Quid enim? Conquestus erat Meno se in definitione virtutis quaerenda a Socrate animo perturbari neque iam quicquam scire Socratis torpore labefactatum, quo facto Socrates se paratum esse dicit — non Menonem docere, sed — una cum eo quaerere (συζητεῖν). At rogat Meno qui id fieri possit ut quaerat quis quod ignorat; nam etiamsi ei quod quaereret occurreret, tamen incertum esse hanc illam esse rem quae erat invenienda, quippe quae quaerenti ignota sit. Ad quod demonstrandum Socrates anamneseos doctrina exposita ostendit servum quendam qui neque de arte geometrica compertum quicquam habet neque a Socrate docetur tamen anamneseos auxilio res geometricas perspicere posse.

Videtur igitur Plato in Menone locum Theaeteti retractavisse. In Theaeteto comparatione obstetricis paulo facetiore usus nullo argumento adhibito discipulos ex se suam proferre doctrinam contendebat, qua ratione id fieret explicare supersedebat neque poterat explicare, quoniam anamneseos doctrinam nondum invenerat. In Menone anamneseos doctrina inventa omnia multo subtilius exponere et explanare potuit. Quomodo vero quis hisce locis comparatis probare possit Theaetetum esse posteriorem equidem non intellego. Nam omnia in Theaeteto leguntur quae in Menone, excepta anamneseos doctrina. Quid

Digitized by Google

autem adducere posset Platonem, ut mox doctrinam illam praetermitteret? Mentionemne eius facere oblitus est? Hoc nemo suspicabitur, ut opinor. An consulto alto silentio eam texit ut indicaret se non iam doctrinae illius esse sectatorem? Quod si facere in animo habuisset, disertis verbis indicare debuit, se doctrinam illam repudiare, quemadmodum postea clare indicavit se idearum doctrinam omittere [1]). Ergo quoniam neutrum credibile est, Meno posterior est; quod si sumemus, omnia erunt et perspicua et probabilia.

Hac tamen in re ea in Menone emendantur, de quibus se in Theaeteto parum elaborate agere vix sentiebat; gravius est, quod ipsum illud, quod quamvis magna virium contentione quaerenti reperire in Theaeteto non contigit, quid intersit inter doctrinam et rectam opinionem, in Menone reperitur. Vid. Meno 97 E 98 A *καὶ γὰρ αἱ δόξαι αἱ ἀληθεῖς, ὅσον μὲν ἂν χρόνον παραμένωσιν, καλὸν τὸ χρῆμα καὶ πάντα τἀγαθὰ ἐργάζονται· πολὺν δὲ χρόνον οὐκ ἐθέλουσι παραμένειν, ἀλλὰ δραπετεύουσιν ἐκ τῆς ψυχῆς τοῦ ἀνθρώπου, ὥστε οὐ πολλοῦ ἄξιαί εἰσιν, ἕως ἄν τις αὐτὰς δήσῃ αἰτίας λογισμῷ. τοῦτο δ' ἐστίν, ὦ Μένων ἑταῖρε, ἀνάμνησις.* Roganti autem, qui fiat ut in Menone facile inveniatur quod frustra quaerebatur in Theaeteto, hisce quae laudavi ipse Plato respondet anamnesin.

Unum restat ut indicemus, quod cum proxime praecedenti cohaeret. Quam acerbe iniusteque in Gorgia iudicaverit Plato de viris rempublicam gerentibus vix quisquam ignorat. Quod iudicium retinuit in Theaeteto; nam illic quoque philosophos a viris rempublicam gerentibus toto coelo distare ait (Theaet. 172 CD), alteros in alterorum finibus hospites esse (173 C sqq. 175 C sqq.) atque etiam viros rempublicam gerentes sceleratos esse et in Tartarum descensuros (176 D 177 A, cf. Gorg. 525 D). Lenius iudicium de viris illis in Menone primo legimus, vid. 93 C *Θεμιστοκλέα οὐκ ἀγαθὸν ἂν φαίης ἄνδρα γεγονέναι; Ἔγωγε, πάντων μάλιστα*, cf. 93 A 94 A. Cohaeret autem lenius hoc iudicium cum iis quae in Menone de doctrina et recta opinione Plato repperit. Nam eos doctrina virtutis carere et antea et qua aetate Menonem scribebat Plato persuasum

1) v. pag. 178 sq.

Digitized by Google

habebat, vid. Meno 98 AE 94 BE cf. 87 C. Sed antea putaverat eos qui virtutis doctrinam non habeant, virtute prorsus carere, utpote quae nulla re nisi doctrina acquiri posset; in Menone cognovit recta quoque opinione virtutem posse parari, itaque homines rempublicam gerentes non necessario sceleratos esse, sed fieri posse ut boni sint. Quocirca prae ceteris haec post Menonem scripta esse non possunt, quae leguntur in Theaeteto (176 C): ἡ μὲν γὰρ τούτου γνῶσις σοφία καὶ ἀρετὴ ἀληθινή, ἡ δὲ ἄγνοια ἀμαθία καὶ κακία ἐναργής, quippe in quibus neglegantur quae in Menone inveniuntur de iis qui rectae opiniones adminiculo virtute praediti sunt.

Ergo tria, quae maximi momenti nova in Menone cognoscimus, cum anamneseos doctrina cohaerent: primo quod μαιευτικὴν τεχνὴν illam altius intellexit, deinde quod iam perspexit, quid intersit inter doctrinam et rectam opinionem, tertio quod lenius facit iudicium de viris rempublicam gerentibus. Quocirca hand mirum est ipsum Platonem sensisse, quam egregii momenti illa doctrina sibi esset, testibus hisce paulo sollemnioribus verbis, quibus exponere eam instituit: (Meno 81 A) ἀκήκοα γὰρ ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν σοφῶν περὶ τὰ θεῖα πράγματα κτέ. Sed Menonem Theaeteto esse posteriorem et quaestionem Theaeteti dialogi in Menone solvi iam patet, ut opinor.

At ait Raederus ideo post Rempublicam Theaetetum non esse non posse, quod „mit ihm (i. e. mit dem Theaitetos) eine Kritik beginnt, die von der Ideeenlehre abführt" [1]). Quae maximam mihi movent admirationem. Nam habemus dialogos, in quibus revera idearum doctrinam repudiare instituit, Parmenidem Sophistamque dico, nequaquam tamen tacite, sed apertis verbis. Statuerat enim in Republica (X 596 B), non solum rerum sublimium quemadmodum sunt pulchritudo et iustitia, ideas esse, sed etiam rerum velut mensarum tororum. Quid igitur? rogat in Parmenide dialogo (130 C) Parmenides; etiamne rerum, quales sunt capilli, sordes, lutum, ideae sunt? Id vero affirmare Socrates non audet. Inspiciamus Sophistam quoque. Negaverat in Phaedone ideas esse eas, quae aliis rebus aut moveri

1) l. l. p. 280.

Digitized by Google

aut affici possint; id quod revocat in Sophista (248 A), in quo apertis verbis indicat, a se impugnari idearum amicos (*τῶν εἰδῶν φίλους*), i. e. se ipsum, qualis fuerat qua aetate Phaedonem dialogum scribebat, suasque opiniones in Phaedone Phaedro Republica prolatas, in quibus prae ceteris idearum doctrinam exponit.

Quid autem in Theaeteto? In eo non solum nullum verbum legitur, quo idearum doctrina impugnatur, sed ne ipsae ideae quidem ullo verbo vocantur. Ex quo patet neque qua aetate exponebat neque qua impugnabat idearum doctrinam Theaetetum scriptum esse posse, itaque aut Sophista esse posteriorem (id quod nemo suspicatur) aut Phaedone priorem.

Ceterum in Convivio iam idearum doctrinam nascentem videmus, quamquam ibi ea exponitur ratione, quae aliquantum differat a Phaedone Phaedro Republica. In hisce enim non solum mundus idearum a mundo rerum sensibilium prorsus separatus esse, sed etiam plane diverso modo uterque cognosci dicitur, ita ut tum demum idearum mundus cognosci possit, si alter ille mundus rerum, quae verum non contineant, neglegitur et omittitur neque in ideis cognoscendis eo perturbamur. Quae doctrina innixa est reincarnationis quae dicitur doctrina, quae in Menone primo exponitur; nam ea efficitur, ut fingere possimus hominem iam ante hanc vitam, qua res sensibiles cognovit, ideas cognovisse, quas anamneseos auxilio in memoriam resuscitare possit.

At in Convivio necdum anamneseos doctrina reperitur neque uterque mundus separatim describitur, sed ita, ut mundus rerum sensibilium auxilio nobis sit ad idearum mundum cognescendum et illo innixi ad hunc adscendamus. Cf. Conv. 210 C—211 D, quae sub finem huius loci sic comprehenduntur (211 C): ... *ἀεὶ ἐπανιέναι, ὥσπερ ἐπαναβαθμοῖς χρώμενον, ἀπὸ ἑνὸς ἐπὶ δύο καὶ ἀπὸ δυοῖν ἐπὶ πάντα τὰ καλὰ σώματα, καὶ ἀπὸ τῶν καλῶν σωμάτων .... ἐπὶ τὰ καλὰ μαθήματα, ὡς ἀπὸ τῶν μαθημάτων ἐπ' ἐκεῖνο τὸ μάθημα τελευτήσῃ, ὅ ἐστιν οὐκ ἄλλου ἢ αὐτοῦ ἐκείνου τοῦ κάλου μάθημα, καὶ γνῷ αὐτὸ τελευτῶν ὃ ἔστι καλόν* (i. e. ideam pulchri).

Quibuscum arte cohaerent quae leguntur in Theaeteto; in quo sane de ipsarum idearum mundo sermo nondum est, sed

Digitized by Google

duplex tamen discernitur cognoscendi ratio, altera per unum corpus, altera per animum, corporis auxilio usum. De hac ratione haec reperiuntur:

186 A καὶ τούτων μοι δοκεῖ (ἡ ψυχὴ) ἐν τοῖς μάλιστα πρὸς ἄλληλα σκοπεῖσθαι τὴν οὐσίαν, ἀναλογιζομένη ἐν ἑαυτῇ τὰ γεγονότα καὶ τὰ παρόντα πρὸς τὰ μέλλοντα (cf. B συμβάλλουσα πρὸς ἄλληλα)

186 D ἐν μὲν ἄρα τοῖς παθήμασιν οὐκ ἔνι ἐπιστήμη, ἐν δὲ τῷ περὶ ἐκείνων συλλογισμῷ.

Ergo hic quoque, quemadmodum in Convivio, idearum cognitio non per se petenda esse dicitur, rebus sensibilibus (τῶν παθημάτων) neglectis, sed his comprehensis et una conspectis cognitio verarum rerum oriri. Hoc rerum sensibilium adiumentum inde a Menone reincarnationis anamneseosque doctrinis assumptis omittitur, quamobrem vix dubium videri potest, quin Convivium quoque Menone prius sit. Theaeteto tamen posterius esse Convivium opinor et quod vocabulum illud αὐτό, quo inde a Convivio ideae indicantur (Conv. 211 C, Phaedo 74 C, Phaedr. 247 D, Rep. VI 506 D) nondum in Theaeteto reperitur, et propter ea quae Conv. 202 A leguntur. Cognoverat enim in Theaeteto λόγον interesse inter doctrinam et rectam opinionem. Quibus uti videtur in Convivio (l.l.), ubi haec scribit: τὸ ὀρθὰ δοξάζειν ἄνευ τοῦ ἔχειν λόγον δοῦναι οὐκ οἶσθ', ἔφη, ὅτι οὔτε ἐπίστασθαί ἐστιν· ἄλογον γὰρ πρᾶγμα πῶς ἂν εἴη ἐπιστήμη; οὔτε ἀμαθία· .... ἔστιν δὲ δή που τοιοῦτον ἡ ὀρθὴ δόξα, μέταξυ Φρονήσεως καὶ ἀμαθίας.

Postquam Theaeteto Menonem posteriorem esse probavi, sponte sequitur, ut et Phaedo et Respublica posteriores sint; nam nemo dubitat, quin utrumque Meno praecedat. Attamen quoniam Raederus prae ceteris Reipublicae locos quosdam comparavit ad demonstrandum Theaetetum in ultimae aetatis esse dialogis, eos Phaedonis et Reipublicae locos inspicere libet, quibus aliquid commune est cum Theaeteto.

Primo hi loci indicandi esse videntur, qui et Theaeteto et Menone inniti videntur; sunt Phaed. 76 B ἀνὴρ ἐπιστάμενος περὶ ὧν ἐπίσταται ἔχοι ἂν δοῦναι λόγον ἢ οὔ; Πολλὴ ἀνάγκη. et Phaed. 84 A (ἡ ψυχὴ) ἑπομένη τῷ λογισμῷ καὶ ἀεὶ ἐν τούτῳ οὖσα, τὸ ἀληθὲς καὶ τὸ θεῖον καὶ τὸ ἀδόξαστον θεωμένη; in qui-

Digitized by Google

bus verum et ἀδόξαστον coniunguntur, vel verum ab opinione secernitur, quemadmodum in Theaeteto et Menone. Sed dixerit fortasse quispiam haec uno Menone niti, itaque Menonem praecedere non infitiari, Theaetetum quoque praecedere negare. Quocirca alium locum inspiciamus.

Phaed. 75 C τὸ γὰρ εἰδέναι τοῦτ' ἐστίν, λαβόντα του ἐπιστήμην ἔχειν. Nonne haec hisce inniti videntur, quae reperiuntur in Theaeteto (197 A B):

Ἐπιστήμης που ξύν φασὶν αὐτὸ (sc. τὸ ἐπίστασθαι) εἶναι. Ἀληθῆ. Ἡμεῖς τοίνυν σμικρὸν μεταθώμεθα καὶ εἴπωμεν ἐπιστήμης κτῆσιν....

Οὐ τοίνυν μοι ταὐτὸν φαίνεται τῷ κεκτῆσθαι τὸ ἔχειν... Ὅρα δὴ καὶ ἐπιστήμην εἰ δυνατὸν οὕτω κεκτήμενον μὴ ἔχειν,

et mox (198 D) διττὴ ἦν ἡ θήρα, ἡ μὲν πρὶν ἐκτῆσθαι τοῦ κεκτῆσθαι ἕνεκα· ἡ δὲ κεκτημένῳ τοῦ λαβεῖν καὶ σχεῖν ἐν τοῖς χερσὶν ἃ πάλαι ἐκέκτητο.

His locis v. ἔχειν commune est, λαβόντα autem illud in Phaedone monere videtur κεκτῆσθαι illius in Theaeteto.

Maioris tamen momenti sunt haec:

Probat in Theaeteto non ipsis sensibus observationem effici, sed animo sensibus adiuto; de animo illo tamen, quasi nunc primum hac ratione de eo agatur, initio dubitanter loquitur et postea demum maiore cum fiducia eum nominat. Vid. Theait 184 D δεινὸν γάρ που, εἰ πολλαί τινες ἐν ἡμῖν, ὥσπερ ἐν δουρείοις ἵπποις, αἰσθήσεις ἐγκάθηνται, ἀλλὰ μὴ εἰς μίαν τινὰ ἰδέαν, εἴτε ψυχὴν εἴτε ὅ τι δεῖ καλεῖν, πάντα ταῦτα ξυντείνει. At in Phaedone inde ab initio v. ψυχή sine dubitatione adhibetur (vid. Phaed. 65 B).

Quaeritur in Theaeteto, praestetne dicere videre nos δι' ὀφθαλμῶν ἢ ὀφθαλμοῖς (184 C) illudque deinde anteponitur; at in Phaedone sine dubitatione illud adhibetur (79 C): ἡ ψυχή, ὅταν μὲν τῷ σώματι προσχρῆται εἰς τὸ σκοπεῖν τι ἢ διὰ τοῦ ὁρᾶν ἢ διὰ τοῦ ἀκούειν ἢ δι' ἄλλης τινὸς αἰσθήσεως..., τότε μὲν ταράττεται.

Auxilium illud sensuum in doctrina paranda, de quo supra egimus, cum Convivium et Theaetetum conferebamus [1]), in Phaedone reicit. Vid. 65 BC: Πότε οὖν. ἦ δ' ὅς, ἡ ψυχὴ τῆς

1) pag. 179.

Digitized by Google

ἀληθείας ἅπτεται; ὅταν μὲν γὰρ μετὰ τοῦ σώματος ἐπιχειρῇ τι σκοπεῖν, δῆλον ὅτι ἐξαπατᾶται ὑπ' αὐτοῦ. Ἀληθῆ λέγεις.

In Theaeteto de uno hominis animo et corpore sermo est neque de alia re agit nisi de *hominis* observatione doctrinaque. At in Phaedone hominem cum universo (τοῖς οὖσιν) coniungit, hominis corpus cum corpore mundi (τὸ ὁρατόν), hominis animum cum animo mundi (τὸ ἀειδές), cf. 79 AB: Θῶμεν οὖν, ἔφη, δύο εἴδη τῶν ὄντων, τὸ μὲν ὁρατόν, τὸ δὲ ἀειδές; Θῶμεν, ἔφη... Ποτέρῳ οὖν ὁμοιότερον τῷ εἴδει φαῖμεν ἂν εἶναι καὶ ξυγγενέστερον τὸ σῶμα; Παντί, ἔφη, τοῦτό γε δῆλον, ὅτι τῷ ὁρατῷ... Τί δὲ περὶ ψυχῆς λέγομεν; ὁρατὸν ἢ ἀόρατον εἶναι; Οὐχ ὁρατόν. Ἀειδὲς ἄρα. Ναί. Ὁμοιότερον ἄρα ψυχὴ σώματος ἐστιν τῷ ἀειδεῖ, τὸ δὲ τῷ ὁρατῷ. Itaque corpus et animus non iam per se spectantur, sed cum rebus coniunguntur, quae extra hominem sunt, quemadmodum in Phaedro quoque et Republica; in iis autem dialogis, qui Republica posteriores sunt, Parmenidem Sophistamque dico, res humanae prorsus fere negleguntur et ad unum universum animus attenditur. Quae res per se iam veri dissimillimum reddit Theaetetum dialogum, qui humana tantum spectat, inter Rempublicam et Parmenidem esse compositum.

Restat, ut Theait. 154 B—155 C comparemus cum Phaed. 100 E—102 E. In Theaeteto Plato hanc difficultatem ponit: id, cui neque addatur neque adimatur quicquam neque augeri neque minui posse sumit et semper suam retinere magnitudinem, sed ei suspicioni hoc repugnare dicit et quod sex comparati cum quattuor maiores sunt, comparati cum duodecim minores, ita ut maiores et minores fiant neque aucti neque deminuti, et quod puero Theaeteto Socrates maior est, adulescente minor, ita ut Socrates modo maior modo minor fiat neque auctus neque diminutus. Haec quaestio in Theaeteto ponitur neque solvitur. At solvitur in Phaedone, in quo reicit Plato aliqua ex parte, quae in Theaeteto erat suspicatus. Dixerat enim in Theaeteto nil augeri neque minui cui nil addatur aut adimatur, i. e. hoc unum augeri minuique, cui additur aut adimitur aliquid. At in Phaedone illas additiones et ademptiones valere iubet, non enim maius quid fieri quia ei addatur aliquid, sed quia ideae magni particeps fiat neque minus fieri aliquid, quia adimitur ei aliquid, sed quia ideae

Digitized by Google

parvi particeps fiat. Vid. Phaed. 101 BC Τί δέ; ἐνὶ ἑνὸς προστεθέντος τὴν προσθέσιν αἰτίαν εἶναι τοῦ δύο γενέσθαι ἢ διασχισθέντος τὴν σχίσιν οὐκ εὐλαβοῖο ἂν λέγειν; καὶ μέγα ἂν βοῴης ὅτι οὐκ οἶσθα ἄλλως πως ἕκαστον γιγνόμενον ἢ μετασχὸν τῆς ἰδίας οὐσίας ἑκάστου οὗ ἂν μετασχῇ, καὶ ἐν τούτοις οὐκ ἔχεις ἄλλην τινὰ αἰτίαν τοῦ δύο γενέσθαι ἢ τὴν τῆς δύαδος μετάσχεσιν, ...τὰς δὲ σχίσεις ταύτας καὶ προσθέσεις καὶ τὰς ἄλλας τὰς τοιαύτας κομψείας ἐῴης ἂν χαίρειν παρεὶς ἀποκρίνασθαι τοῖς ἑαυτοῦ σοφωτέροις, cf. 102 B—D. Hic igitur solvitur quaestio illa, quae in Theaeteto in medio relinquebatur. Nam ne illic quidem placebant Platoni προσθέσεις illae neque minus displicebat ei sententia illa nil maius fieri cui non addatur aliquid minusque rectam eam esse demonstrare conabatur talis illis et Socrate Theaeteto modo maiore modo minore. In Phaedone solutionem invenit. Si quis vero Phaedone Theaetetum posteriorem esse censet, ei hi loci molestissimi esse mihi videntur, nam quomodo quis probare valeat fieri posse ut prius quaestio solvatur, deinde tamquam integra ponatur, equidem non intellego.

Agenti mihi de Republica primo quaedam Raederi argumenta refellenda sunt.

1. In Theaeteto (158 C) demonstratur inde apparere verum sensus continere non posse, quoniam in somno quoque multa videamus, quae tum haud minus vera nobis videantur quam ea quae vigiles videamus: probari autem non posse cur illis haec veriora sint. Itaque qui unis sensibus utitur mente neglecta, non minus somnium quoddam somniare dicitur quam qui reipsa dormit. Quibuscum plane congruunt quae legimus Rep. V 476 C τὸ ὀνειρώττειν ἆρα οὐ τόδε ἐστίν, ἐάν τε ἐν ὕπνῳ τις ἐάν τ' ἐγρηγορὼς τὸ ὅμοιον (i. e. res pulchrae) τῷ (i. e. ideae pulchri) μὴ ὅμοιον ἀλλ' αὐτὸ ἡγῆται εἶναι ᾧ ἔοικεν; neque omnino intellego, quid Raederum adduxerit, ut argumentis nullis additis contenderet Platonem haec in Republica scribentem nondum perspexisse quae probe intellegeret qua aetate Theaetetum componebat.

2. Theaet. 181 C D sermo est de duobus movendi (κινεῖσθαι) generibus, altero si quid locum mutat (κινεῖσθαι artiore sensu adhibitum) altero si quid movetur loco non mutato (ἀλλοιοῦ-

Digitized by Google

σθαι). Itaque v. κινεῖσθαι sensu latiore adhibitum in duas partes dividitur, alteram κινεῖσθαι artiore sensu loci mutandi, alteram ἀλλοιοῦσθαι. Quocum congruit Rep. II 380 E, ubi de deorum mutationibus (ἀλλοιώσεων) agens utitur vv. ἀλλοιοῦται τε καὶ κινεῖται (latiore sensu). Quamobrem quae Raederus scribit (p. 285): „Im Staate wurden dort, wo von den Verwandlungen der Götter geredet wird, die Worte „verändern" und „bewegen", wie es scheint, in ganz derselben Bedeutung gebraucht", recta esse pernego et iis quae addit „jedenfalls wird gar nicht angedeutet, wie das Verhältnis zwischen den beiden Begriffen aufzufassen ist", respondeo: haud mirum, quia legentes inde a Theaeteto relationem illam compertam habebant.

3. In Theaeteto demonstraverat dici non oportere ὀφθαλμοῖς ὁρᾶν, sed δι' ὀφθαλμῶν (183 C), cf. supra p. 181. Ergo quum in Rep. I 352 E legitur ἔσθ' ὅτῳ ἂν ἄλλῳ ἴδοις ἢ ὀφθαλμοῖς, suspicatur Raederus Rempublicam Theaeteto esse priorem, quoniam tum nondum discrimen illud observaret Plato, quod in Theaeteto indicat. Iniuria, nam nimia fuisset subtilitas in Republica, ubi discrimen illud nullius momenti est, scribere: ἔστι δι' ὅτου ἂν ἄλλου ἴδοις ἢ δι' ὀφθαλμῶν; accedit, quod in Phaedone, ubi accurate v. διὰ adhibetur (65 E διὰ τοῦ σώματος, 79 C διὰ τοῦ ὁρᾶν ἢ διὰ τοῦ ἀκούειν ἢ δι' ἄλλης τινος αἰσθήσεως, τοῦτο γάρ ἐστιν τὸ διὰ τοῦ σώματος, τὸ διὰ τῶν αἰσθήσεων σκοπεῖν τι κτέ — haud mirum, quia accurata loquendi ratio illic magni erat momenti, vid supra p. 181 — tamen etiam legitur: Ἤδη οὖν πώποτε τι τῶν τοιούτων τοῖς ὀφθαλμοῖς εἶδες; Quocira illo ex loco nil certi effici potest.

4. Arguit Plato in Republica (V 476 E—478 D) homines τὸ ὄν non animo fingere (δοξάζειν) posse, sed tantummodo cogitare. Quocum pugnare putat Raederus quod Theait. 188 D—189 A probatur fieri posse ut τὸ ὄν quis animo fingat, his verbis:

ὁ ἄρα ἓν γέ τι ὁρῶν ὄν τι ὁρᾷ. Φαίνεται.
καὶ ὁ ἄρα τι ἀκούων ἕν τε τι ἀκούει καὶ ὂν ἀκούει..
καὶ ὁ ἁπτόμενος δή του ἑνος τέ του ἅπτεται καὶ ὄντος, εἴπερ [ἑνός; Καὶ τοῦτο.
ὁ δὲ δὴ δοξάζων οὐχ ἕν τι δοξάζει; Ἀνάγκη.
ὁ δὲ ἕν τι δοξάζων οὐκ ὄν τι; Συγχωρῶ.
...οὐκ ἄρα οἷόν τε τὸ μὴ ὂν δοξάζειν... haec scribens: „Hier

Digitized by Google

wird dagegen dieselbe Betrachtung, die im Staate auf die Erkenntnis angewandt wurde, auf die Vorstellung übertragen, wodurch auch der Gegenstand der Vorstellung als seiend erwiesen wird" (l. l. p. 288).

Non tamen animadvertit vir doctissimus, vv. τὸ ὄν in Theaeteto alio sensu adhiberi atque in Republica. In Republica adhibentur sensu accurato τοῦ ὄντως ὄντος (Germ. = was ist), in Theaeteto alicuius quod est (Germ. = was da ist). Quod statim perspiciemus, si animadvertemus Platonem vv. τὸ ὄν etiam uti in hisce quae modo laudavimus ὄν τι ὁρᾷ, ὄν τι ἀκούει, ὄντος ἅπτεται Nam τὸ ὄντως ὄν videri audiri sentiri neque in Theaeteto neque in ullo dialogo componendo opinatus est Plato. Quo vocabulo igitur id quod revera est indicat in Theaeteto? rogas. Non vv. τὸ ὄν, sed οὐσίαν, vid. 185 C οὐσίαν καὶ τὸ μὴ εἶναι, cf. 186 A (bis) B C. Videmus igitur Platonem vv. τὸ ὄν in Theaeteto adhuc parum accurate uti; quod pergit facere in Phaedone (79 A δύο εἴδη τῶν ὄντων, τὸ μὲν ὁρατόν, τὸ δὲ ἀειδές) ubi iterum ὄν vocat id quod sensibus observari potest. Apertis verbis reicit hunc morem dicendi in Phaedro (247 D E), ubi haec legimus καθορᾷ δὲ ἐπιστήμην, οὐχ ἥ γένεσις πρόσεστιν, οὐδ' ἥ ἐστίν που ἑτέρᾳ ἐν ἑτέρῳ οὖσα ὧν ἡμεῖς νῦν ὄντων καλοῦμεν. Inde ab hoc tempore, cum respuit morem v. ὄν utendi ad res mortales indicandas, expectare possumus eum vv. τὸ ὄν nonnisi sensu accurato uti idque praestitit in Republica.

Quomodo igitur locus Reipublicae [1]) explicandus est, si cum Theaeteto eum comparamus? Sic, ut opinor, ut in Republica Theaetetus corrigatur. Nam in hoc probatum fuerat, absurdum esse dicere τὸ μὴ ὂν sive μηδὲν δοξάζειν, itaque opus esse τὸ ὄν δοξάζειν. Quam conclusionem corrigit Reip. libro V, ubi legimus, si μὴ ὂν δοξάζειν absurde dictum est, tamen non sequi ut τὸ ὂν quis opinetur, sed aliquid quod interest inter τὸ ὄν et τὸ μὴ ὄν.

---

1) Haec sunt verba (Rep. V 478 B): Ἆρ' οὖν τὸ μὴ ὂν δοξάζεί; ἢ ἀδύνατον καὶ δοξάσαι τὸ μὴ ὄν; ἐννόει δέ. οὐχ ὁ δοξάζων ἐπὶ τί φέρει τὴν δόξαν; ἢ οἷόν τε αὖ δοξάζειν μέν, δοξάζειν δὲ μηδέν; Ἀδύνατον. Ἀλλ' ἴν γέ τι δοξάζει ὁ δοξάζων; Ναί. Ἀλλὰ μὴν μὴ ὄν γε οὐχ ἕν τι ἀλλὰ μηδὲν ὀρθόταt' ἂν προσαγορεύοιτο. Πάνυ γε. Μὴ ὄντι μὲν ἄγνοιαν ἐξ ἀνάγκης ἀπέδομεν, ὄντι δὲ γνῶσιν. Ὀρθῶς, ἔφη. Οὐκ ἄρα ὂν οὐδὲ μὴ ὂν δοξάζει.

Digitized by Google

5. Ait etiam Raederus (l. l. p. 286) „Die scharfe Sonderung zwischen sinnlicher Wahrnehmung (αἰσθήσεις) und Vorstellung (δόξα), die im Theaitetos hervortritt, ist (in der Republik) noch nicht von Platon durchgeführt". At ego magis in Theaeteto utramque esse secretam quam in Republica pertinaciter nego. Vid. Theait. 161 E φαντασίας τε καὶ δόξας, 179 C περὶ δὲ τὸ παρὸν ἑκάστῳ πάθος, ἐξ ὧν αἱ αἰσθήσεις καὶ αἱ κατὰ ταύτας δόξαι γίγνονται..., quibuscum plane congruunt quae leguntur Rep. VII 534 A.

Postremo indicare libet alio modo in Theaeteto Menoneque de geometrica disputari, alio in Republica. In Theaeteto et Menone geometricam doctrinam praestantissimam putari vidimus [1]). At in Republica veram doctrinam eam esse negatur, cf. VII 533 B: αἱ δὲ λοιπαί, ἃς τοῦ ὄντος τι ἔφαμεν ἐπιλαμβάνεσθαι, γεωμετρίας τε καὶ τὰς ταύτῃ ἑπομένας, ὁρῶμεν ὡς ὀνειρώττουσι περὶ τὸ ὄν.... 533 D ἃς ἐπιστήμας μὲν πόλλάκις προσείπομεν διὰ τὸ ἔθος, δέονται δὲ ὀνόματος ἄλλου, ἐναργεστέρου μὲν ἢ δόξης ἀμυδροτέρου δὲ ἢ ἐπιστήμης· deinde nomen iis dat διάνοιαν, sed v. ἐπιστήμη dialecticae reservat.

Ergo et Menone Phaedoneque Theaetetum esse priorem multis argumentis probavimus neque causam esse, cur cum Raedero statuamus Rempublicam eo esse posteriorem.

---

1) Supra p. 175.

Digitized by Google

VOCE ΘΩΡΗΞ QUID APUD HOMERUM SIGNIFICETUR.

SCRIPSIT

MATTHAEUS VALETON.

Reichelium, quo nemo plus contulit ad tollendos errores de armis Homericis diu pervulgatos, mors immatura abripuit antequam mente comprehendisset certam et perfectam opinionem de significatione vocis Homericae θώρηξ [1]). Post quem de ea re scripserunt multi, neque tamen adhuc communis extitit doctorum opinio. Qua propter accurate ponderatis quaecunque ultro citroque disputata sunt, quid efficere liceat ad eam ita statuendam ut satisfaciat probabili interpretationi omnium Iliadis et Odysseae locorum huc pertinentium denuo tentare libet [2]).

E nostratibus Leeuwenio cui omnes poëseos Homericae studiosi fatentur se debere plurimum doctrinae, hac in re assentiri non possum quod e locis quadraginta duobus quibus θώρηξ apud Homerum commemoratur, novem „postmodo inventos" censet; Achilli Diomedi Agamemnoni Patroclo Megeti Menesthio Asteropaeo Polydoro Agastropho Oenomao Phorcyni Othryoneo Antipho Asii aurigae eum in libris mss. nostris tributum tuetur, Ulixi Alexandro Lycaoni abiudicat; Menelao a Pandaro vulnerato abnegat, ab Heleno petito tribuit; Hectorem putat eo caruisse antequam Patroclum interficeret, tum sibi induisse illi ab Achille commodatum. Quod si quis opinatur diversitate auctorum explicari posse, monendum est viro cla-

1) Hom. Waffen² p. 93 sq.

2) Quae viginti fere annos abhinc in hac bibliotheca scripsi de thorace Homerico ita emendanda putavi ut prorsus nova extiterint.

Digitized by Google

rissimo persuasum esse omnes Iliadis partes si ab interpolationibus discedas, uni eidemque deberi poetae, itemque Odysseae.

Iam vero de singulis quantum opus erit, suo quoque loco videbimus.

Caput prius.

Pertractantur omnes Iliadis et Odysseae loci qui lucis aliquid afferant de indumento bellico quod apud Homerum θώρηξ audit.

§ 1. Fieri non posse ut voce θώρηξ apud Homerum semper significetur thorax aëneus.

Inveniuntur apud Homerum complures loci ubi vetamur credere voce θώρηξ significari thoracem aëneum. Multis heroïbus θώρηξ ubi tribuatur, hunc denegandum esse deinceps demonstrabimus.

§ 2. Diomedis a Pandaro vulnerati θώρηξ quae res fuerit.

Legimus E 98 sqq. Diomedem vulnerari sagitta Pandari. Ibi ne cogitemus de thorace facto ex aere solido quod èt pectus èt tergum tegat, causa obstat triplex. Nam Pandari sagitta simul cum humero θώρηξ tam a tergo quam a fronte perforatur, etenim Sthenelus sagittae cuspidem vulnerato a tergo protrahit (E 112); ea autem ictus vis qua praeter humerum aes duplex perfringatur prorsus incredibilis est. Tum sagitta protracta sanguis emicasse dicitur διὰ στρεπτοῖο χιτῶνος (E 113), quod cerni non poterat si tunica thorace tegeretur. Postremo Diomedes a Minerva offenditur (E 796 sqq.) scuti fascia allevata cruorem abstergens, quod recte Reichel [2]) et Robert [3]) vv. dd. negant eum facere potuisse aere solido indutum. Thoracem vero si deposuisset, non retinuisset scuti fasciam.

Evanescunt tamen hae difficultates si cum Aristarcho Diomedis thoracem ita aëneum fingis ut consertus fuerit ex anulis aëneis, qualis dicitur lorica serta; sic enim neque brachium

---

1) In libro cui titulus: „Commentationes Homericae" (1911) non novem verum quatuordecim huius generis locos damnavit vir clarissimus, quorum in editione Iliadis (1912/13) quinque Homero reddidit. Neque igitur desperandum est in editione sequenti etiam ceteros in dignitatem restitutum iri.

2) l. l. p. 72 sqq.

3) Studiën zur Ilias p. 87.

Digitized by Google

tollere prohibebatur heros, neque aes perfringendum erat sagittae et per anulos cernere licebat sanguinem emicantem.

Sed de lorica serta cogitare prohibemur quia legimus (E 99) vulnus inflictum esse per θώρηκος γύαλον. Nam Idomeneus Oenomai, Aiax Phorcynis narratur ῥῆξαι θώρηκος γύαλον (N 507, P 314); Menelai θώρηκος γύαλον legitur Heleni reppulisse sagittam (N 586 sq.), Megetis θώρηξ γυάλοισιν ἀρηρώς Dolopis arcuisse hastam (O 529 sq.), quarum rerum omnium nihil pertinere ad loricam sertam manifestum est. Cumque ceteroquin nullus locus apud Homerum inveniatur qui ullam omnino ansam det cogitandi de eiusmodi loricis, posthac voce lorica thoraces e lino vel corio factos significabimus.

Iam vero nostro loco nihil restat, nisi ut sumamus eandem rem quae vss. 98, 189, 282 voce θώρηξ significetur, vs. 113 χιτῶνα στρεπτόν sive tunicam linteam e filis tortis textam a poëta appellari, γυάλοισι munitam, id quod egregie indicari potuit voce ἀρηρώς (O 480).

§ 3. De laminis aëneis quae γύαλα apud Homerum audiunt.

Γύαλα haec fuisse laminas aëneas docent loci supra laudati N 586 sq. O 529 sq., ubi hostilia tela eis repercuti videmus [1]). At perfringi tamen potuisse, fuisse igitur tenuiores, ostenditur èt loco nostro èt locis supra laudatis N 507 P 314.

Non contextas fuisse eas laminas sed intervallis disiunctas, ostendere videtur imago militis depicti in vase antiquissimo Tyrinthio [2]). Hoc etiam ex Homero constat eas non solum pectus texisse; nam Diomedi transfigitur simul lamina et humerus dexter (E 98 sq.) Oenomao et Phorcyni simul lamina et venter (N 507 sq. P 314). At ut θώρηξ tantum a fronte eas affixas habuerit èt ipsa res fert èt inde sequitur quod Pandari sagitta e Diomedis humero a tergo eminuit. Hoc enim, si lamina adversa perforata praeter humerum aversa quoque perforanda fuit, rursus videtur nimis magnum.

---

1) De his laminis ita Reichel l. l. p. 94: Die merkwürdigen goldenen Brustplatten, mit denen einige der Königsleichen ausgestattet waren dürften etwa direct hieher gezogen werden .... Denken wir uns diese Platten, die natürlich Grabgold sind, zum Todtenapparat gehören, in Bronce hergestellt und auf den Chiton genäht, so haben wir damit eine Art vor-Ionischen Panzers vor Augen.

2) Schliemann, Tyrins p. 17.

Digitized by Google

§ 4. De tunicarum bellicarum duplici genere. Utri tribuendus sit Agamemnonis θώρηξ ab Iphidamante petiti, utri Menelai a Pandaro vulnerati, utri Oenomai et Phorcynis. Cur hi non sint thoraces aënei.

Diomedis tunicam bellicam voce θώρηξ apellari non mirum est si fuit lorica lintea. Nam Homeri aetate homines non tunicis laneis sed linteis usos esse compertum est; itaque lorica lintea a tunica vulgari non discrepabat nisi forma et fortasse textura densiore; neque enim ex Homero apparet *omnes* loricas linteas, neque *nullas* tunicas vulgares textas esse filis tortis. Quid, eius aetate etiam loricas e corio factas θώρηκας audisse credibile est; quamquam huius rei documenta desunt, nullus enim θώρηξ exceptis èt Diomedis èt Aiacis Oilei ac Amphii Percosii quorum uterque λινοθώρηξ vocatur (B 529 B 830), qua e materie factus sit nominatim declaratur.

Praeterea fieri potest ut Diomodis θώρηξ ne lorica quidem fuerit. Θώρηξ enim apud Homerum non prorsus idem valet ac latine thorax. Nam nomine loricarum, quod thoracum genus est, vix quisquam eiusmodi tunicas bellicas appellaverit, quae satis longae sint ut quemadmodum tunicae domesticae ventrem ilia femora tegant [1]). Ex Homero ipso autem ostendere licet tam huius generis tunicas bellicas quam loricas voce θώρηξ significatas esse. Itaque, id quod obiter monemus, etiam tunicae longiores e corio factae si Homeri aetate extiterunt, forsitan ab eo eodem modo nuncupatae sint. Utro autem tunicarum lintearum genere Diomedes usus sit non apparet.

Agamemnonis θώρηξ cuius mentio fit Λ 234 sq. perbrevis fuerit necesse est, ne pertinens quidem ad corpus medium. Nam κατὰ ζώνην i. e. corpore medio Iphidamas eum hasta tetigisse narratur θώρηκος ἔνερθε. Convenit vis antiquissima vocis θώρηξ quae primitus significavit pectus, hinc pectoris tegimentum [2]). Sed poëtam cogitasse thoracem aëneum propterea vetamur credere quod thoraces aënei, quamquam ne hi quidem apud Graecos ventrem et femora tegebant, tam breves atque

1) Tamen tunicam domesticam etiam multo longiorem fuisse quam id genus tunicam bellicam, per se intellegitur.

2) Apte vLeeuwen (Commentation. Hom. p. 164 ann. 9): „cf. Latina *armus* et *armari*, Servius ad Verg.: propria arma sunt quae armos tegunt, hoc est scutum. Similis est vocis ζώνη et vocum hodiernarum *taille*, *lijf* usus duplex".

Digitized by Google

Menelai θώρηξ nunquam reperti sunt aut eorum mentio est facta. Agamemnonis igitur θώρηξ pro lorica habendus est; constrictum eum fuisse balteo apparet, Iphidamas enim infra loricam medio corpore Agamemnonem percutiens οὐκ ἔτορε ζωστῆρα πανχίολον (vs. 236).

Ab altera parte id quod supra vidimus, Oenomai itemque Phorcynis θώρηξ ventrem texit, alterius enim Idomeneus, alterius Aiax Telamonius 'βάλε γαστέρα μέσην, 'ῥῆξε δὲ θώρηκος γύαλον διὰ δ' ἔντερα χαλκὸν ἧφυσε (N 506b sqq. P 313b sqq.) Habemus igitur hic genus longius. Nam et propter ipsam longiorem formam et propter γύαλα, de thoracibus aëneis cogitari nequit.

Etiam θώρηξ Menelai ubi a Pandaro vulneratur videtur fuisse huius generis. Nam cum ut fratris sic eius tangatur balteus (Δ 134), non θώρηκος ἔνερθε sed διὰ θώρηκος pergit telum hositile (vs. 136) atque perfodit mitram (vs. 137) cum subligaculo huic affixo (vs. 187); θώρηξ igitur ventrem tegebat. Ob quam eandem causam rursus hic de thorace aëneo sermo esse non potest. Quo accedunt alia de quibus mox agemus.

Ceteris locis ubi apud Homerum θώρηξ redit, de forma nihil certi apparet; quapropter eum in posterum nihil curantes discrimen quod loricis intercedat cum ceteris tunicis bellicis, nomine generali appellabimus ubicunque patebit nolle poetam thoracem aëneum.

§ 5. Varias esse causas, cur θώρηξ Menelai a Pandaro vulnerati habendus non sit pro thorace aëneo.

Menelaum Pandari sagitta ictum poëta maxime mitram servasse ait (Δ 137 sq.) et ipse rex vulneratus servasse se inquit (vs. 186 sq.) balteum subligaculum mitram, θώρηξ vero èt ibi siletur èt rursus ubi Machaon ad vulnus inspiciendum solvit ζωστῆρα πανάιολον ἠδ' ὑπένερθε ζῶμά τε καὶ μίτρην τὴν χαλκῆες 'κάμον ἄνδρες (vs. 215 sq.). Cingulum aëneum, mitram volo, ad corpus defendendum plus valere quam laminas tunicae bellicae, nihil mirum, plus quam thoracem aëneum permirum; solvere vero thoracem aëneum cuius duae partes loris conexae essent, eiusmodi res erat quam is qui narraret balteum subligaculum mitram solvi non erat omissurus; sed nihil expeditius quam allevare tunicam, idque poëtam ne longior esset omisisse, ut saepissime

Digitized by Google

apud Homerum omittuntur quae per se perspicua sunt, non est quod moremur.

Praeterea Menelai θώρηξ a fronte conexus esse videtur ita ut altera eius ora alteram tegeret, quemadmodum fit in multis vestimentis hodiernis. Legimus enim Minervam eo telum direxisse ὅθι ζωστῆρες ὀχῆες χρύσειοι σύνεχον καὶ δίπλοος ἦντετο θώρηξ (Δ 132 sq.) et sanguine respersa esse vulnerati femora tibias talos (vs. 146b sq.), quod fieri non potuit nisi vulnus adversum hic haberemus. Patet autem alienissimam esse hanc rationem ad thoraces aëneos, quippe qui commissi sint e parte antica et altera postica ab utroque latere consertis. Porro tunicam quae a fronte conexa esset, quoquo modo hoc se habebat, id enim nescimus, si minus sufficeret allevare, quem ad modum modo sumsimus, solvere facillimum erat ita ut ne ea quidem res digna esset memoratu [1]).

Postremo quod Menelaus accinctus erat mitra i. e. cingulo aëneo pedem fere in fronte lato [2]), eo ipso absonum erat insuper eum gerere thoracem aëneum [3]).

Itaque etiamsi omittis quod Menelai θώρηξ longior erat quam pro thorace aëneo, id quod supra demonstravimus, nihil dubii de eius armatura relinquitur.

---

1) vLeeuwen eiciens vss. 132 et 136 (καὶ διὰ θώρηκος πολυδαιδάλου ἠρήρειστο), in comm. crit. haec addit: „— δίπλοος ἦντετο θώρηξ] duplex thorax i. e. laminae duae altera alteri superimpositae, retinebat sagittam (cf. Λ 237). Sed aut spuria haec aut corrupta. Nam thorax infra (vs. 186 sq. et 213—216) non commemoratur; quo indutus si fingitur Menelaus, quae de eius vulnere narrantur intellegi nequeunt. Fortasse pro θώρηξ legendum est χαλκός (item vs. par.) et aes cinguli est intellegendum". De solo thorace aëneo cogitat vir clarissimus. Inde difficultates, quae evanescunt simulac tunica bellica indutum Menelaum fingis. Ab altera parte, qui fuerit usus baltei nisi tunicam constringeret intellegi nequit, nam ad subligaculum retinendum sufficisse mitram perspicuum est. An tacuit poëta sub thorace tunica indutum esse Menelaum? Omitto, id quod in exordio huius scriptionis monui, quod tamen alio loco (N 586 sq.) quem vLeeuwen non oppugnat, Menelai θώρηξ commemoratur. Quod equidem argumentari nolim, cum mihi minime constet utrumque loci auctorem eundem esse.

2) „Quae in sepulcris vetustis repertae sunt mitrae pedem fere in fronte latae sunt, ita decrescentes ut in tergo nonnisi quartam huius mensurae partem aequent". vLeeuwen in Comment. Hom. p. 164 in ann. 5.

3) cf. Reichel l. l. p. 93: „niemals werde ich glauben, dass man jemals Mitre und Plattenharnisch über einander getragen hat".

Digitized by Google

§ 6. Polydori θώρηξ quo modo intellegendus sit.

Quibus verbis describitur locus ubi Menelai θώρηξ sagitta Pandari percutitur, eisdem ubi Polydori Achillis hasta, his volo (Υ 414 sq.) ὅθι ζωστῆρος ὀχῆες χρύσειοι σύνεχον καὶ δίπλοος ἦντετο θώρηξ. Verum tamen Achilles Polydorum παρακῖσσοντα a tergo vulnerat. Ergone et baltei et tunicae etiam a tergo conserebantur? [1]) An Polydorus festinans praepostere tunicam et balteum sibi induerat? Satius erit credere poëtam cui hoc ἐπεισόδιον debemus, versus Υ 414 sq. inconsulte deprompsisse e loco consono [2]). Noli igitur rogare de Polydori armatura quid sibi proposuerit!

§ 7. Cur θώρηξ Ulixis pro tunica bellica habenda sit.

Secundum Diomedem a Pandaro vulneratum, ceterosque heroes quorum θώρηξ munitus γυάλοισι dicitur [3]) — ut etiam commemorantur θώρηκες κρατιγύαλοι i. e. tunicae firmis laminis instructae (Υ 361) — neque non Menelaum ab eodem Pandaro sagitta ictum, fratremque hasta petitum ab Iphidamante, Ulixes quoque inter eos est quorum θώρηξ pro tunica bellica habendus esse videatur. Nam a Soco Troiano διὰ θώρηκος vulneratus (Λ 435 sqq.), ubi hastam hostilem e vulnere removet θώρηξ siletur; sic enim res describitur: ὣς Ϝειπὼν Σώκοιο δαΐφρονος ὄβριμον ἔγχος ἔξω τε χροὸς εἷλκε καὶ ἀσπίδος ὀμφαλοέσσης, αἷμα δέ οἱ σπασθείσης ἀνέσσυτο (vs. 457 sq.). Propter eandem causam ac statuimus cum de Menelao ageremus, sileri non potuit thorax aëneus, tunica potuit [4]).

§ 8. Paridi cum Menelao, Hectori cum Aiace certamine singulari pugnantibus, non esse cur θώρηξ denegetur; at cogitandas esse tunicas bellicas.

Nunc considerandi sunt loci Γ 356 sqq. Η 248b sqq. quo altero Menelaus Alexandro, altero Aiax Telamonius Hectori in certamine singulari scutum hasta percutere narratur, atque sic poëta pergit: διὰ μὲν ἀσπίδος ἦλθε Φαεινῆς ὄβριμον ἔγχος καὶ διὰ θώρηκος πολυδαιδάλου ἠρήρειστο, ἀντικρὺ δὲ παραὶ λα-

1) Ita A. Lang, Hom. and his age p. 370, quem sequitur Finsler, Hom. I² p. 186.

2) vLeeuwen de vs. 914 sq. lectorem conferre iubet comm. ad Δ 133; neque tamen eos versus delet.

3) cf. supra § 2.

4) vLeeuwen Λ 436 eicit, in comm. crit. haec habet: „Delevit Reichel, postmodo additum apparet coll. 457 cf. Γ 332 sq." Rursus haec nullam vim habent in eum qui Ulixem sibi proponit indutum tunica bellica.

Digitized by Google

πάρην διάμησε χιτῶνα ἔγχος, ὃ δ' ἐκλίνθη καὶ ἀλεύατο κῆρα μέλαιναν.

Iniuria Reichel (l.l. p. 66 sq.) quique eum secuti sunt, arbitrantur poëtam cum dicat: ὃ δ' ἐκλίνθη καὶ ἀλεύατο κῆρα μέλαιναν, voluisse eo quod se inclinarent evasisse mortem Alexandrum et Hectorem. Hoc simulac ac θώρηξ perfossus sit, sive sit thorax aëneus sive sit tunica bellica, fieri iam non posse negabit nemo. Verum omnia alia poëta significat. Quandoquidem enim hasta παρὰ λαπάρην διάμησε χιτῶνα, *praetervolavit* corpus hostis petiti sive hic se inclinavit sive minus, quamvis eum se ultro etiam nolentem inclinavisse quisque intellegat. Itaque verba καὶ ἀλεύατο κῆρα μέλαιναν reddenda sunt: nimirum (non *ideoque*) evasit mortem [1]).

Sed prorsus incredibile est hastam post scutum etiam thoracem aëneum perrumpere. Neque quidquam prohibet versus Γ 359 H 253 ita accipere ut iis illustrentur versus proxime superiores idemque significetur vocibus θώρηξ et χιτών, quemadmodum E 99 sq. et 113.

§ 9. Thoracem aëneum telis vulgo non perrumpi.

Ceterum etiamsi nullum scutum moretur telum hostile, tamen perraro fore ut perfringat thoracem aeneum, iure suspicaberis. Itaque etiam ubi legimus (B 544) milites pugnantes contendere θώρηκάς ῥῆξαι δηίων ἀμφὶ στήθεσσι potius cogitandum erit de tunicis bellicis.

§ 10. Quid sit θώρηξ, χάλκεος.

De locis autem ubi vox θώρηξ apud Homerum ita accipienda sit, restant duo paralleli. Nam ubi Othryoneo, itemque ubi Asiae aurigae anonymo venter vulneratur, addit poëta: οὐδ' ἤρκεσε θώρηξ χάλκεος ὃν Φόρεεσκε (N 371[b] sq., 397[b] sq.). Quod cum ad thoracem aëneum parum conveniat, nihil sane obstat quominus vertamus „χάλκεος θώρηξ": „tunica aere conspicua" i. e. „munita laminis aëneis", quemadmodum χρύσεα ἥνια non sunt habenae ex auro factae sed auro ornatae, itemque ἀργύρεος τελάμων (Λ 38 Σ 480) ἀορτῆρες χρύσεοι (Λ 31), alia eiusmodi.

1) Ad utrumque versum Γ 358 H 252 a se damnatum vLeeuwen in comm. crit. haec: „Del. Reich.; cf. Γ 332." De versu hoc vide infra § 11.

2) Supra § 2, § 4.

Digitized by Google

§ 11. Compluribus locis θώρηξ utrum sit thorax aëneus an tunica bellica non apparere.

Ceteris locis ubi θώρηξ redit, neque cogimur neque vetamur eum pro thorace aëneo habere.

§ 12. Θώρηξ nude commemoratus.

Sine pluribus commemoratur θώρηξ Lycaonis (Γ 332 sq.) [1]), sed hunc quia idem est quem gerit Alexander in certamine singulari cum Menelao pugnans, excipere oportet. At nude praeterea commemoratur Alexandri (Z 232) [2]), Agastrophi (Λ 373); θωρηκταί vocantur Lycii (M 317) Troiani (O 689 729 Φ 277) Argivi (Φ 429); laudantur θώρηκες γανάοντες (N 265) νεόσμηκτοι (N 342); appellantur milites αἰολοθώρηκες (Δ 489 Π 173), χαλκεοθώρηκες (Δ 448 Θ 62) [3]), quos e superioribus sequitur ut nullo modo thoracibus aëneis accinctos fuisse necesse sit.

§ 13. Achillis θώρηξ itemque Diomedis a Vulcano confectus.

At Achillis arma quae Patroclo commodavit (Π 130 sq.) inter quae erat θώρηξ, deorum dona dicuntur (P 194 sqq. Σ 82 sqq.), quae igitur deus aerarius fabricatus erat; et ab eodem

1) vLeeuwen hos versus eiciens in comm. crit. scribit: „332 sq. et 358. His resectis inter se respondent, ut assolet, πρῶτα μέν .... αὐτὰρ ἔπειτα". At eis retentis non minus apte inter se respondent πρῶτα μέν .... δεύτερον αὖ. „Lori cas plerisque heroïbus poëta non tribuit". Unde id collegerit vir clarissimus, nescio. „Quod autem notatu dignum est, in textu auctiore vs. 339 Menelai commemorantur arma cetera, de thorace tacetur". Pro versu 339 qualis nunc editur, in pap. Hib. 19 haec sunt: [Μεν] ἑλαος ἄρήια [τεύχε' ἔδυνεν] ἀσπίδα κα[ὶ πήληκ]α φαεινὴ[ν καὶ δύο δοῦρε] καὶ καλὰ[σ κνη]μῖδας ἐπισφυρίαισ ἀραρυίας. At haec spuria sunt, neque igitur ullius momenti ad intellegendam mentem poëtae. Stoliditas autem interpolatoris luculenter prodit cum Menelaum ocreas sibi induentem facit, quasi rex aut sine his in aciem venisset (B 544), aut eas posuisset cum indutiae fierent et praepararetur ipsius et Alexandri certamen singulare (Γ 111 sqq.). Non minus praepostere poëta egisset si Menelaum tunicam sibi induentem finxisset; de qua re facete Reichel (l.l. p. 66 in ann.) „Den schweren Schild und die grosze Lanze vielleicht auch den Helm liesz man sich in dem Kampfpausen auf dem Schlachtfelde abnehmen, aber auch einen Panzer jedesmal an- und ausziehen, hiesze doch die Gemütlichkeit zu weit treiben". Denique quod negat vLeeuwen loco parallelo (Λ 436) eundem versum propter versum vicinum 457 ferri posse, cf. de ea re supra § 7 in ann. 3.

2) Delet rursus vLeeuwen, adscribit autem in comm. crit.: „Imitatorem prodit molesta iunctura clipei et arcus". At hic de proelio non agitur, sed de armis tergendis.

3) vLeeuwen in comm. crit. ad hos locos: „448 sq. spurii, item Θ 62 sq.; nam ἥνοι = ἀσπίδες (cf. Π 626). Adi., χαλκεοθώρηξ nonnisi his locis legitur; pro ἔπληντο exspectabatur ἐπλήατο." Iustam causam damnandi in his non video.

Digitized by Google

narratur confectus esse θώρηξ Achilli a matre promissus (Σ 460, 610 T 371) itemque θώρηξ Diomedis (Θ 195) [1]). Tamen hi dummodo aere muniti fingantur, potuerunt esse tunicae bellicae. Nam èt Vulcanus ipse scuti fasciam quoque Achilli confecit (Σ 480) èt ab altera parte Tychius coriarius Aiacis scutum aere constratum (H 222 sq.).

§ 14. Θώρηξ Agamemnonis qui describitur Λ 24—29, θώρηξ Asteropaei.

Neque Agamemnonis θώρηξ qui describitur Λ 24—29, pro laminis aëneis ornatus striis vitri caerulei auri stanni, neque Asteropaei qui χάλκεος dicitur et stanno marginatus — ᾧ περὶ χεῦμα Φαεινοῦ κασσιτέροιο ἀμφιδεδίνηται (Ψ 561) — ullo iure utique thorax aëneus fuisse contenditur [2]).

§ 15. Hectoris θώρηξ ab Idomeneo percussus, Diomedis ab Aiace Telamonio.

Etiam ubi Hector ab Idomeneo feritur κατὰ στῆθος παρὰ μᾶζον (P 605 sq.) arcet vero vim θώρηξ contra quem hasta frangitur, tum ubi Diomedem ἔνδοθι — i. e. scuto hasta Aiacis transfixo — θώρηξ servasse narratur (Ψ 819) tam laminas aëneas tunicae bellicae quam thoracem aëneum cogitare licet [3]). Etenim alio loco (N 586 sq.). Idomenei θώρηκος γύαλον Heleni sagittam repellere vidimus.

§ 16. Θώρηξ Patrocli ab Hectore interfecti.

Unus locus restat, de quo paulo fusius agendum est. Legimus Π 791 Patroclo Apollinis palma tergum humerosque percussa esse ita ut vertigine corriperetur. Deinde sequitur (vs. 809) λῦσε δέ Ϝοι θώρηκα Ϝάναξ Διὸς υἱὸς Ἀπόλλων. Hic Reichel (l.l. p. 78 sq.): „Mitten im Siegessturm wird Patroklos aufgehalten, indem Apollon ungesehen hinter ihn tritt und ihn mit der Hand in den Nacken schlägt. Sein Helm fliegt zur Erde, die mächtige Lanze birst ihm in der Hand, der Schild stürzt nieder .... das alles ist die Wirkung des einen göttlichen Schlages. Aber die Be-

---

1) Θώρηξ Dromedis a Pandaro vulnerati pro tunica bellica nobis habendus erat (cf. supra § 2). Sed non constat locos E 98 sqq. Θ 195 eidem auctori tribuendos esse (cf. supra § 5 ann. 1 s. f.)

2) Potissimum hic cogitaverim de loricis e corio factis.

3) Thorace aëneo non indutum esse Agamemnonem ubi ab Iphidamante feriatur (Λ 234), vidimus supra § 4. At vide rursus § 5 ann. 1 s. f.

Digitized by Google

schreibung dieser groszen Wirkung endet mit einer Pedanterie.... der Panzer zerspringt.... nicht etwa auch, sondern Apollo löst ihn, er öffnet die Schnallen und Schlieszen, und alles was ihn zusammenhält bis die beiden Platten abfallen, noch dazu ehe das Wehrgehänge fort ist, das über sie hinläuft. So verdirbt dieser matte, auch nach seinen Füllworten kümmerliche, Schluszvers das gewaltig aufgebaute Bild."

At cur vir doctus τὸ „ἔλυσε" aliter explicat atque τὸ „ἔβάλλε" vs. 793? Verba ἀπὸ μὲν κυνέην ἔβαλλε Φοῖβος Ἀπόλλων ita vertit „sein Helm *fliegt* zur Erde" optimo iure opinatus ipso dei colapho galeam deici. Sed aequo iure censeas eodem colapho fieri ut θώρηξ solvatur, i. e. dirumpatur ita ut patefiat atque aut humi cadat — id quod aliter non potuit si aëneus erat — aut si tunica, lacerata corpori adhaereat inutilis.

§ 17. De locis ubi θώρηξ ita siletur ut cogitari possit de tunica bellica non de thorace aëneo.

Porro non desunt apud Homerum loci, ubi θώρηξ ita siletur ut ferri possit si tunicam bellicam, non vero si thoracem aëneum sileri putes.

Ut Ξ 428 sqq. ubi Hectorem cui pectoris os ἄγχι δείρης Telamonius Aiax lapide percusserat (vs. 412) anhelantem et semianimen e pugna comites auferunt aqua conspergunt, θώρηξ ante omnia solveretur necesse erat, quod de thorace aëneo commemorandum fuisse supra ostendimus, de tunica bellica memoratu vix dignum [1]).

Tum quibus locis vulnerari narrantur tergum [2]) latus [3]) pectus [4]), quae thorax aëneus tegit, laminae tunicae bellicae aut non aut non satis defendunt, ille negligi non poterat, quippe quem credo perraro accidat ut hasta quis perrumpat.

Etiam ubi dicitur Sarpedon ictus esse ἔνθ' ἄρα τε Φρένες εἴρχαται ἀμφ' ἄδινον κῆρ (Π 481) vel Schedius Phocensis ὑπὸ κληῖδα μέσην (Ρ 309), id nobis proponitur quod satis mirum erat eos pati qui armati essent thorace aëneo.

---

1) cf. supra § 5.
2) Ε 40, 56 Θ 258 Λ 447 Ν 546 sqq. Ο 541 sq. Υ 402, 488 sq.
3) Ξ 447, 517 Π 318.
4) Δ 480, 528 Θ 121, 313 Λ 144, 321 Ο 420, 523, 577, 650, Χ 82.

Digitized by Google

§ 18. De aliis locis ubi propter res narratas non credibile sit, poëtam sibi milites de quibus agat accinctos proposuisse thoracibus vëneis, fieri possit ut sibi proposuerit tunica bellica indutos.

Praeterea vero alii loci complures sunt, ubi res narratae obstent quominus credamus poëtam bellatores de quibus agat thoracibus aëneis defensos fingere, non vetent sumere poëtam cogitare eos instructos tunicis bellicis aere munitis.

Sed referendos esse huc omnes milites armatos scuto magno totum corpus abinde mento usque ad tibias tegenti [1]), quo quemquam usum esse negant Leaf [2]) Reichel [3]) Robert [4]) alii indutum thorace aëneo, nolim pro certo constituere, nam cum nemo nesciat ita iudicandum esse de temporibus recentioribus, veri simile quidem est neque tamen necessario sequitur ut eodem modo se habuerit vetustior aetas. Ubi vero militis latus aut tergum inconsulto aliquo motu iuxta scutum comparens vulneri obnoxium fieri narratur [5]), talem militem, id quod sequitur ex eis quae modo demonstravimus, vix licet fingere illo indutum, at licet tunica bellica.

Idem autem statuendum est de deo belli, ubi a Diomede vulneratur *νείατον εἰς κενεῶνα ὅθ' ἐζωννύσκετο μίτρῃ* (E 857). Neque enim simul thoracem aëneum et mitram geri supra monuimus ubi de Menelao egimus vulnerato sagitta Pandari [6]), tunicam bellicam vero una cum mitra geri eodem vidimus loco; quodque non commemoratur balteus quo constringi tunicam

---

1) *σάκος ἠύτε πύργος* (H 219 Λ 485 P 128) *ἀσπὶς ποδηνέκης* (O 645 sq.) *ἀμφιβρότη* (B 389 Λ 32 M 402 T 281) *τερμιόεσσα* (Π 803), quale scutum pendet e fascia collo circumdata et regitur pertica intus affixa; quo tectus *ὑπασπίδια* procedit bellator (N 158, 807 Π 609), cui *ἐγχρίμπτεται* (H 272 N 146); quod milites pugnantes *δηίουσι ἀλλήλων ἀμφὶ στήθεσσι* (E 452 M 425); quod *ἀμφ' ὤμοισι* habent (Λ 527), quo tegunt humeros (Π 360) et se involvunt (P 492, Ξ 479); quo qui utitur ambas manus ad hastam praegravem (*ἔγχος ἐνδεκάπηχυ*) adhibere potest (Z 319 Θ 494). Eiusmodi *σάκος* vel *ἀσπίς* non modo figuram signi numeralis 8 vel cylindri dimidiati retulisse videtur sed nonnumquam clipei („of, say four feet and a half in diameter" Lang l. l. p. 111), qualem exhibet èt pars altera vasis cuiusdam Mycenaei quod appellari solet „vas bellatorum" èt „vas Aristhonoti" quod dicitur (cf. Reichel l.l. p. 46 sq. Lang l.l. p. 124 sqq. p. 133). Achillis *σάκος μέγα τε στιβαρόν τε* haud dubie fuit huius generis clipeus (cf. Σ 478 sqq.). Clipeos qualibus utebatur recentior aetas instructos manubriis et loris ad brachium laevum inserendum veri simile est Homerum non cognovisse. (Lang l.l. p. 109 sqq.)

2) Classical Review IX p. 55. 3) l.l. p. 63 sqq. 4) p. 27 sqq.

5) Δ 468 sq. M 428. Π 808. 6) cf. supra § 5.

Digitized by Google

bellicam èt ibi apparebat èt ubi Iphidamas Agamemnonem hasta ferit θώρηκος ἔνερθε, οὐδ' ἔτορε ζώστῆρα παναίολον [1]), inde non sequitur ut poëta noluerit Martem tunica bellica indutum fingi. Nam mitra in fronte ea erat latitudine [2]), ut haud dubie *infra* balteum per eam ilia attingi possent.

§ 19. Voce χιτών apud Homerum nusquam significari videri thoracem aëneum.

Tum quamvis milites cum χαλκοχίτωνες appellentur, quo nomine universi et Graeci significantur et Troiani [3]), rem si per se spectes tam fingi possint instructi thoracibus aëneis quam tunicis aere munitis [4]), tamen ubi singulis proeliantibus tribuatur χιτών, id quod undecim apud Homerum fit locis, nusquam de thorace aëneo cogitandum esse demonstrabimus. Ex his locis supra iam eos pertractavimus, ubi Alexandri χιτών [5]) ubi Hectoris [6]) ubi Diomedis [7]) commemorabatur; de ceteris nunc agemus.

Alcithoi χάλκεος χιτών ubi transfodi narratur Idomenei hasta (N 439 sq.), nihil obstare quin habeatur pro tunica aere munita [8]), sed thoracem aëneum vix credibile esse hasta perfringi vidimus [9]).

Tum ubi Nestorem et Machaonem poëta narrat venti aflatu ἵδρῶ' ἀποψύχεσθαι χιτώνων (Λ 621), non significat scilicet his verbis eos refrigerare thoraces aëneos, hos vero si voluisset habere praeter tunicas, poni vel solvi non omisisset [10]).

Porro quod Agamemnon dicitur cupere Ἕκτόρεον χιτῶνα περὶ στήθεσφι δαΐξαι (B 416), Hector ipse Patroclo interfecto insultans clamare narratur eum iussisse Achillem sibi αἱματόεντα χιτῶνα περὶ στήθεσφι δαΐξαι (Π 841), ad thoracem aëneum rursus vix convenit; quem si tamen significare poëta voluit voce χιτών, Hectorem fecit gerentem in corpore nudo, quod absurdum est. Neque aliter res se habet ubi legimus Agamem-

1) Λ 234 sqq. cf. supra § 4. 2) cf. supra § 5.

3) Troiani nonnisi E 180, P 485, Graeci in Iliade undevicies in Odyssea bis. Hanc differentiam inde ortam esse suspicor, quod in priscis carminibus quae Iliadi et Odysseae pro fontibus essent, Graeci soli χαλκοχίτωνες audirent.

4) Vocem χαλκοχίτων etiam recte „aere munitus" reddi luculenter apparet comparatis: ἀμιτροχίτων φοινικοπάρῃος ψαλιδόστομος τετράτῳπος ἱπποκέλευθος ἱππόμαχος. Praeterea cf. supra § 9.

5) Γ 359. 6) H 253. 7) E 113. 8) cf. supra § 9.

9) cf. supra § 9, § 16. 10 cf. supra § 5.

Digitized by Google

nonem interfectos reliquisse Bienorem et Oileum *στήθεσι παμφαίνοντας ἐπεὶ περίδυσε χιτῶνας* (Λ 100).

Ubi autem Achilles in pugna apud Scamandrum commissa iuvenibus Troianis quos Patrocli manibus immolaturus erat, manus ligat (Φ 30 sq.) *ἓὺ τρητοῖσιν ἱμᾶσι τοὺς αὐτοὶ Φόρεον ἐπὶ στρεπτοῖσι χιτῶσιν*, ipsa voce *στρεπτός* indicatur de thoracibus aëneis sermonem non esse.

Restant duo loci, ubi ne de loricis quidem cogitare liceat.

Nam ubi Minerva narratur (E 733 sqq.) posita veste solita, ideoque nuda, sumsisse *χιτῶνα Διὸς νεφεληγερέταο*, non minus absurdum est voce *χιτών* significari loricam quam thoracem aëneam quoniam neque illa neque hic ventrem et femora tegit. Thorace aëneo praeterea absurdum erat nudum corpus indui.

Atque ubi Ulixes mendici partes agens Eumaeo narrat se frigida hieme cum aliis in insidiis collocatum esse (ξ 468 sqq.) atque ita pergit (vs. 478 sqq.) *ἔνθ' ἄλλοι πάντες χλαίνας ἔχον ἦδε χιτῶνας ηὖδον δ' εὐκηλοι σάκεσιν τετλυμένοι ὤμους, αὐτὰρ ἐγώ .... ἐπόμην σάκος οἷον ἔχων καὶ ζῶμα φαεινόν .... καὶ τότ' ἐγὼν Ὀδυσῆα προσηύδων ἔγγυς ἐόντα .... παρὰ μ' ἧπαφε δαίμων οἰοχίτων' ἐμέναι*, minime obscurum est poëtam idem vestimentum quod primo (vs. 482) appellasset *ζῶμα φαεινόν*, deinde (vs. 479) indicasse voce *χιτών* [1]). Itaque hic rursus neque de thorace aëneo neque de lorica cogitandum est, cum *ζῶμα* i. e. subligaculum eam ipsam corporis partem tegat quam thorax aëneus et lorica non attingunt.

§ 20. De locis ubi poëta milites finxit ne tunica quidem bellica indutos.

Quatuor locis milites de quibus agit poëta, ne tunica quidem bellica induti pugnantes proponuntur.

Nam ubi Ulixes et Diomedes e lectulis excitati, alter cum solo scuto (K 149) alter nonnisi pelle leonis tectus (K 177), ad principum consilium venerunt, mox castra

1) Rem satis miram sic expediendam puto: poetam cum in prisco carmine quod pro fonte ei esset, de tunica mentio non fieret, suis vero temporibus homines non subligaculis sed tunicis uterentur ergo que *οἰοχίτωνα* dicerent si quis pallio careret, minus accurate ut ipsum hoc significaret eam adhibuisse vocem. Ceterum quod subligaculum dicitur *φαεινόν*, ita explicandum videtur ut voce *ζῶμα* hic significetur subligaculum *una cum mitra*, haec enim aënea erat „ἣν χαλκῆες' *κάμον ἀνδρες*" (Δ 187, 216).

Digitized by Google

hostium speculaturi alia arma nulla secum portant nisi ensem scutum galeam arcum (K 254 sqq.).

Ubi Teucer fratris hortatu arcum omisit, sumit scutum galeam hastam (O 478 sqq.), nec tamen censebis credo eum tunica bellica nedum thorace iam indutum fuisse quamdiu capite nudo sagittas mitteret.

Cumque Hector Aiaci ibi pectus ferire narratur ubi gladii et scuti fasciae conveniebant (Ξ 403 sqq.), non addidisset poëta τώ τοι ἐρύσάσθην τέρενα χρόα (vs. 406) si subesse voluisset tunicam nedum thoracem.

Postremo ubi Agamemnon hortatus milites ut arma currum equos ad pugnam quisque expediret, haec addit (B 388 sqq.) Ϝιδρώσει μέν τευ τελαμὼν ἀμφὶ στήθεσφι ἀσπίδος ἀμφιβρότης περὶ δ' ἔγχεϊ χεῖρα καμεῖται, Ϝιδρώσει δέ τε ἵππος ἐϋξοον ἅρμα τιταίνων, omittit tunicas, quae tamen si gererentur priusquam scuta sudore manarent necesse erat, cum ab altera parte iis qui gererent thoraces aëneos fasciae omnino non sudarent.

§ 21. Non huius generis esse omnes locos ubi militum graviter armatorum sola recenseantur scuta galeae hastae.

Ceterum de nonnullis locis a Reichelio censenti graviter armatorum militum scuta galeas hastas ita poetam commemorare ut significet haec sola eorum arma esse [1]), dissentiendum videtur.

Nam ubi propter Nestoris cubile eius ἕντεα ποικίλα iacuisse dicuntur (K 75), nulla vero nisi illa recensentur, ensis tamen aut cogitandus est alio loco depositus aut a poëta neglectus. At si ensis cur non thorax aëneus vel tunica bellica?

Atque ubi Locrenses negantur habuisse scuta galeas hastas (N 714), quid prohibet credere e mente poëtae milites qui haec habeant thorace aëneo vel tunica bellica indutos esse?

Tum ubi Minerva cum Telemacho collocuta: „utinam" inquit (α 256) „Ulixes procis domi suae occurreret galea scuto duabus hastis armatus!" unde apparet poëtam noluisse eum armatum fingi thorace aëneo vel tunica bellica? Quod eodem modo se habet ubi Ulixes dicit (σ 376): „si bellum oreretur et scutum

1) cf. Reichel l.l. p. 68 sqq., p. 78, p. 80 sqq.

Digitized by Google

haberem ac galeam et duas hastas, videres me inter primos pugnantem".

Neque aliter de Marte iudicandum est (O 125 sqq.), ubi Minerva fratri in pugnam profecturo galeam scutum hastam ademisse narratur.

Ab altera parte Lycaon et Hector, alter ab Achille petitus, alter eius impetum expectans, uterque γυμνός dicitur, alter cum deiecisset galeam scutum hastam (Φ 49 sqq.) alter si ea deposuisset (X 111 sqq. 124 sq.) [1]), uterque optimo iure, sive thorace aëneo vel tunica bellica indutus erat sive minus.

Quod vero Neptunus Achivos in acie versantes monet (Ξ 371 sqq.) ut optima scuta galeas hastas sibi sumant, eiusque monita secuti reges vulnerati οἰχόμενοι ἐπὶ πάντας ἀρήια τεύχε' ἄμειβον (vs. 379 sqq.), veri similiter ita explicat vLeeuwen [2]) ut Neptuni hortatu ministri quam celerrime e tabernaculis expromserint alia arma et tela, quippe cum diu eo die milites ictus hostium excepissent. Mutandi igitur thoraces aëneos vel tunicas bellicas hic nulla causa erat, potius mirum videtur enses omitti.

§ 22. Idem statuendum esse de aliis quibusdam locis non valde discrepantibus.

Porro vide rationem locorum τ 31 sqq. χ 110 sq. Priore loco Ulixes cum filio, quem monuerat (τ 4 sqq.) omnia arma de parietibus atrii demenda esse, scuta galeas hastas tollit. Aliquanto post (χ 110) Telemachus ex alia parte domus quatuor scuta et galeas affert; postremo omnia scrutatus θαλάμοιο μύχον κάτα galeam et scutum vetustate affectum reperit. Inde minus recte Reichel collegit [3]) nullos Ulixis domi thoraces fuisse. Non fuisse in atrio apparet, sed in illo conclavi unde Telemachus galeas et scuta petivit, etiamsi essent thoraces aënei vel tunicae bellicae, iis uti non poterat, neque enim patri aut famulis qui cum eo stabant, eis se armare licebat procis interim impetum facientibus.

Ubi autem Aeneas Achillis clipeum hasta fortiter percutit atque is trepidat (Υ 259 sqq.) „non trepidasset" inquit Reichel

1) Cum hoc loco Hector dicat: κτενέει δέ με (Ἀχιλλεύς) γυμνὸν ἐόντα αὖτως ὥστε γυναῖκα, Reichel hinc quoque apparere censet non thoracatum fuisse Hectorem „so lange Weiber keine Panzer tragen." Sed verba ὥστε γυναῖκα manifesto iungenda sunt cum verbis κτενέει με.

2) In commentario ad Iliadem. 3) l.l. p. 68.

Digitized by Google

„si thoracatus fuisset" [1]). Immo trepidavit enim propter impetus vim inopinatam.

§ 23. Permultos apud Homerum locos inveniri ubi non appareat velitne poëta fingi milites thorace aëneo vel tunica bellica indutos necne.

Omnino permulti sunt apud Homerum loci ubi proelia et proeliantes ita depingantur ut efficere non liceat, utrum poëta hos omnino thorace aëneo vel tunica bellica indutos proponat necne.

Et primo quidem minime apparet aetate Homerica quemadmodum recentioribus temporibus thoracibus aëneis instructos fuisse quicunque texerint caput casside aënea, vel tibias ocreïs, vel usi sint clipeis aëneis; neque id ipsum veri simile est ullo apud Homerum loco eiusmodi clipeum a poëta cogitari [2]).

Itaque de thorace aëneo nihil statuere licet, ubi nulla eius mentione facta vulnerari dicitur aliqua corporis pars quae eo non tegitur, caput cervix collum brachia manus venter ilia iecur crura pedes. Partes autem quae vulnerarentur tunica bellica tectas esse, sileri potuit [3]).

Tum ubi *χαλκός* vel *τεύχεα ποικίλα χαλκῷ* micare [4]) vel crepare [5]) dicuntur *ἀμφὶ* vel *περὶ* vel *ἐπὶ στήθεσσι* vel *περί τινα*, hoc ad scutum aere constratum non minus pertinere quam ad thoracem aëneum vel tunicam aere munitam docent loci E 452 M 425 ubi legimus *δήιοον ἀλλήλων περὶ στήθεσσι βοείας*.

Neque aliter res se habet ubi bellator *κεκάλυπται* [6]) vel *τέτυκται* [7]) *αἴθοπι χαλκῷ*, nam scuto Idomeneus *ἐκρύφθη* petitus a Deiphobo [8]) scuto *τετυμένοι* dormiunt milites in insidiis collocati [9]), vel ubi milites *περὶ χροῒ ἐνδύονται* vel *τένυνται* vel *ζώννυνται ἔντεα* vel *τεύχεα παμφαίνοντα* vel *ποικίλα χαλκῷ* vel *νώροπα χαλκόν* [10], vel eo *κορύσσονται* [11]) vel *θώρηξσονται τεύχεσι* vel *σὺν τεύχεσι* [12]), nam ubi Achivi et Troiani conspecturi Alexandrum et Menelaum certamen singulare ineuntes, *τεύχεα ἐξεδύοντο τὰ μὲν κατέθεντ' ἐπὶ γαίῃ* [13]), profecto eos

1) l.l. p. 78. 2) cf. supra § 18 ann. 5. 3) cf. supra § 17.
4) N 245, X 32. 5) Δ 420. M 151, 396. N 181, 497. Ξ 420.
6) N 191 sq. 7) Σ 522. 8) N 405. 9) ξ 479.
10) B 578. Z 504. H 207. A 16. Ξ 383. O 120. Ψ 129 sq.
11) Δ 495. H 206. N 305. P 199. T 117. φ 434.
12) E 737. Θ 376, 388, 530. Λ 49, 725. M 77. Π 40, 155 sq. Σ 277, 308. χ 139.
13) Γ 114.

Digitized by Google

thoraces aëneos vel tunicas bellicas non deposuisse perspicuum est; alio autem loco milites ἀσπίδας ῥέσσασθαι dicuntur [1]); voces denique ζώννυσθαι κορύσσεσθαι θωρήσσεσθαι latiore sensu nihil aliud valere nisi „parare pugnam" nemo nescit [2]).

Postremo ubi milites dicuntur fulgere τεύχεσι [3]) vel χαλκῷ περὶ χροΐ [4]) vel τείρεσθαι νήλεϊ χαλκῷ [5]), vel ubi legimus ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ [6]), vel σὺν τεύχεσιν ἄλτο χάμαζε [7]) nec cogi nos nec prohiberi de thoracibus aëneis vel tunicis bellicis cogitare iam per se manifestum est.

§ 24. Ab altera parte paucos aliquos locos esse ubi cogamur thorace aëneo vel tunica bellica indutos cogitare.

Contra ubi legimus de Aiace: πάντα περὶ χροΐ ῥέσσατο τεύχη (H 207), de Hectore: „ἤρμοσε τεύχε' ἐπὶ χροΐ" (P 120) et τοῦ ... ἔχε χρόα χάλκεα τεύχη (X 322), cogitare opportet de thoracibus aëneis vel tunicis bellicis, parum apte enim hic voce τεύχεα significari putentur sola scutum galea hasta.

Caput alterum.

Statuitur quid sciri possit de indumento bellico quod apud Homerum θώρηξ audit.

§ 25. Veri simile esse ut Homerica aetate thoraces aënei ignoti fuerint.

Ex iis quae in superioribus demonstravimus sequitur ut compluribus locis apud Homerum milites de quibus agitur, nullis thoracibus aëneis proponantur, ab altera parte nullus inveniatur locus ubi constet ullos milites proponi iis indutos.

Itaque quamquam permulti sunt loci ubi utrumque cogitare licet, veri similius tamen est Homerica aetate incognitum fuisse thoracem aëneum. Nisi fides habenda est Reichelio contendenti [8]) Doloneae auctorem Diomedem et Ulixem finxisse partes agentes hippobotae et hippostrophi, quales depinguntur in vasis

1) Ξ 371.
2) Α 226. Κ 37, 78. Λ 15, 717 sq. Π 256. Τ 36. Ψ 685, 710. μ 121.
3) Ζ 513. 4) Λ 65 sq. Μ 463 sq, 5) Ρ 375.
6) Δ 504. Ε 42, 58, 294, 540.
7) Ε 494. Ζ 103. Λ 211. Μ 81. Ν 749. Π 426. 8) l. l. p. 40 sq.

Digitized by Google

Corinthiis saeculi sexti ineuntis vel septimi exeuntis, quorum ille cruppellarii instar armatus est, hic amborum equos loris colligatos regit. Propterea vir doctus ita arbitratur, quod etiam Ulixes narratur (K 498 sqq.) Rhesi equum alterum alteri alligatum conscendisse, sic utrumque rexisse, dum Diomedes altero vehitur. Verum quid magis in promptu erat quam ut Ulixes equos, quos ipse solus rapuisset Diomede interim hostes iugulante, quo facilius utrumque teneret per tenebras noctis, colligaret deinde ipse regeret? Huic rationi nonnisi fortuitam esse similitudinem cum hippostropho, quid vetat credere? Nihil igitur est cur existimemus huius et hippobatae poetam nostrum fuisse gnarum.

§ 26. Belli gestamen solitum fuisse tunicam bellicam; locos ubi milites proponantur ne iis quidem indutos, deberi priscis fontibus.

Ab altera parte complures quoque locos offendimus ubi dubium esset, utrum poëta omnino thoracibus aëneis vel tunicis bellicis instructos proponeret milites necne, etiam nonnullos ubi haud dubie proponeret non instructos. Non solitum id fuisse èt inde apparet quod principum singulorum tantum non omnium tunicas bellicas commemorari ante hac vidimus èt quod in universum milites *θωρηκτάί* [1]) *χαλκεοθώρηκες* [2]) *χαλκοχίτωνες* [3]) appellantur.

Neque tamen, si rem per se spectas ullo modo mirum est, fuisse homines e plebe qui neque thoracibus aëneis neque tunicis bellicis in proelia irent. Sed in illorum locorum numero unus est, qui speciem movet quasi hoc unice omnibus militibus solitum fuerit, locum B 388 sqq. ubi vidimus, in universum scutorum fascias dici sudaturas esse nullis commemoratis neque thoracibus aëneis neque tunicis bellicis, quae tamen si gererentur ante sudatura erant quam fasciae. Neve censeas hic solum vulgus spectari, tenendum est commemorari etiam currus et equos — „*ριδρώσει δέ τε ἵππος ἐϋξοον ἅρμα τιταίνων*" — quibus qui vehuntur inter principes sane habendi sunt.

Praeterea Aiacem qui in acie contra Hectorem pugnare videtur nudo pectore (Ξ 403 sqq.) [4]), alio loco, cum certamen

1) M 317, O 689, 739, Φ 277, 429.
2) Δ 448, Θ 62.
3) passim in Iliade, bis in Odyssea.
4) cf. supra § 20.

Digitized by Google

singulare cum eo iniret, tunica accinctum vidimus (H 207) [1]).

Atque Menelaum a Pandaro vulneratum èt tunica quae ventrem ilia femora tegeret èt subligaculo instructum vidimus (Δ 136 sq.) [2]), cum tamen prorsus supervacuum ideoque parum probabile sit, qui illam gerat hoc quoque uti, neque id apud Homerum usquam redeat.

Has difficultates nullo negotio expedire licet, si reputamus poëmatis Homericis pro fontibus fuisse carmina antiquissima tam quae bellum Troianum quam quae alia tractarent argumenta, longeque superarent aetatem illorum poëmatum [3]).

Nam cum Langio dandum sit, Iliadis et Odysseae auctores, aetatis *suae* non vero *vetustioris sua*, mores cultum arma depingere [4]), tum neque huic neque illi poëmati ut perficeretur, saeculorum aliquot spatio opus fuisse, sed utrique unum suffecisse hominum saeculum, negandum non est fieri non potuisse, quin nonnulla irreperent e priscis illis carminibus depromta

---

1) cf. supra § 24.

2) cf. supra § 5.

3) Discrepantia locorum H 207, Ξ 403 sqq. eo quoque intellegi potest quod parum constat eos eidem debere poëtae. Neque tamen hoc afferam ubi aliae rationes sufficiunt.

4) Tamen Lange ita exorsus: „The aim of this book" (Homer and his age) „is to prove that the Homeric epics as a whole and apart from some passages gravely suspected in Antiquity, present a perfectly harmonious picture of the entire life and civilisation of one age" melius puto propositum suum attigisset, si pro verbis „the Homeric epics" scripsisset „each of the Homeric epics" et in eam sententiam disputasset; nam haud dubie Odyssea non prorsus eiusdem refert humani civilisque cultus imaginem atque Ilias sed paulo recentioris, quod demonstrare non est huius propositi. Sed egregie vir doctissimus (p. 3): „Poets of an uncritical age do not archaise" et alio loco (p. 199) reddens verba Helbergii v. d. (Sur la question Mycénienne p. 50) „the epic poems were chanted as a rule in the houses of more or less warlike chiefs. It is then a priori probable that the later poets took into account the contemporary state of things. Their audiences would have been much perturbated (bien choqués) if they had heard the poet mention nothing but arms and forms of attack and defense to which they were unaccustomed." Neque minus recte monet v. d. (p. 21) „the whole theory which regards to Iliad as the work of four or five centuries rest on the postulate that poets throughout these centuries did what such poets never do, kept true to the détails of a life remote from their own and also did not." Haud dubie Ilias qualem eam nunc habemus si discedis a paucis aliquibus locis interpolatis, intra spatium fere quinquaginta annorum condita est. Sed aliud est hoc statuere aliud uni auctori omnes Iliadis partes, uni omnes Odysseae tribuere, nedum uni auctori omnes partes utriusque carminis.

Digitized by Google

quae ad sua tempora non ab omni parte convenire et fugeret auctores et auditores.

Quamquam enim in superioribus nostro iure contendimus [1]), neque propterea quod et Nestoris ἕντεα ποικίλα propter eius cubile iacuisse poëta dicat et ea recensens nonnisi scutum galeam hastas commemoret (K 75), neque quod fingat Minervam cupientem Ulixem procis obviam ire scuto galea duabus hastis armatum (α 256), vel Ulixem ipsum gloriantem (σ 376) se si scutum galeam duas hastas haberet, bello orto inter primos pugnaturum, Nestori vel Ulixi abnegasse thoracem aëneum vel tunicam bellicam, neque quod Locrenses neget (N 714) scuta galeas hastas habere, propterea non eos qui haec habeant thorace aëneo vel tunica bellica indutos sibi proponere, neque quod in procorum caede scuta galeas hastas nullos vero thoraces aëneos neque tunicas bellicas commemoret (τ 31 sqq. χ 110 sq.), propterea nolle Ulixis domi adfuisse, fatendum tamen est vix casu fieri potuisse ut omnibus his locis non nisi de scutis galeis hastis mentio fieret. Atque similis est ratio locorum O 120, ubi Minerva fratrem prohibitura in bellum proficisci, ei scutum galeam hastam ademisse dicitur et O 478, ubi Teucer arcu omisso cominus pugnaturus, scutum galeam hastam sumere narratur. Perquam est veri simile ut aliter haec poëta enuntiaturus fuerit, nisi depromta essent e carminibus quorum auctores neque enses — nam hi quoque desiderantur — neque thoraces aëneos vel tunicas bellicas cognovissent [2]). Quod igitur Martem videmus [3]) a Diomede vulneratum ὃθ' ἐζωννύσκετο μίτρῃ ne baltei quidem mentione facta, id quoque suspicari licet antiquis deberi carminibus, quae eum nudo pectore facerent in proelia euntem. Quid, quod Ulixes Soci hasta vulneratus διὰ θώρηκος (Λ 436) mox ὄβριμον ἔγχος ἔξω τε χροὸς εἶλκε καὶ ἀσπίδος ὀμφαλοέσσης (πs. 456b sq.)? Quod θώρηξ hic omittitur, ferri sane potest [4]); sed nescio an poëtam ipsum res fugerit, quod

1) cf. supra § 21.

2) De locis τ 31 sqq., χ 110 sqq. res confirmatur eo quod paulo ante (π 295 sq.), id quod postea negligitur, ensium quoque mentio facta erat. Suus videlicet illo loco poëta fuit. Desiderari enses etiam Ξ 371 sqq. animadvertimus supra § 21.

3) E 857 cf. supra § 16.

4) supra § 7.

Digitized by Google

pro fonte haberet priscum carmen quo Ulixes pugnans fingeretur nudo pectore.

Itaque quod loci B 388 sqq. Δ 136 sq. Ξ 403 sq. imaginem referunt leviter discrepantem a veritate qualis erat Homeri temporibus, eo factum esse videtur quod e vetustis fontibus derivati sint.

§ 27. Tunicas bellicas plerumque laminis aëneis munitas fuisse.

Tunicam bellicam vulgo laminis aëneis munitam fuisse facile est demonstratu. Nam cum manifesto ei qui λινοθώρηκες vocentur, alio modo accincti sint atque qui χαλκεοθώρηκες vel αἰολοθώρηκες, hos autem non credibile sit instructos fuisse thoracibus aëneis, verum gesserint tunicas laminis aëneis insignes [1]), sequitur ut probabiliter λινοθώρηκες censeantur audisse qui gesserint tunicas aere carentes. Iam vero cum apud Homerum soli Aiax Oilei filius et Amphius Percosius λινοθώρηκες dicantur (B 529, 830) ceteroquin de illius modi tunicis, quamquam multi sunt loci quibus per se spectatis nihil prohibet milites qui ibi describuntur illis indutos tibi fingere, nihil appareat, ab altera parte complures sint loci ubi mentio fiat de laminis aëneis affixis tunicis [2]), neque desint loci ubi in universum milites dicantur χαλκεοθώρηκες [3]) et χαλκοχίτωνες [4]) et laudentur θώρηκες πολυδαίδαλοι, λαμπρὸν γανάοντες (N 265), νεόσμηκτοι (N 342), κραταιγύαλοι (T 361), non dubium est utrum genus solitum fuerit.

§ 28. Tunicam bellicam Homeri aetate aut semper aut plerumque in nudo corpore gestam esse.

Tunicam bellicam, si minus semper, saepius tamen in nudo corpore gestam esse probant complures loci quos in superioribus pertractavimus.

Neque enim aliter sibi rem fingere poëtam ubi Agamemnonem dicat Bienoris et Oilei reliquisse corpora στήθεσι παμφαίνοντα ἐπεὶ περίδυσε χιτῶνας [5]) vel Graecos contendere Ἕκτόρεον χιτῶνα περὶ στήθεσσι δαΐξαι [6]), neque ubi depingat Minervam solita veste posita sibi induentem χιτῶνα

1) supra § 25. 2) cf. § 2, § 7. 3) Δ 448, Θ 62, supra § 26.

4) cf. supra § 19. Etiam ubi Agamemnon dicitur interfectos reliquisse Bienorem et Oileum ἐπεὶ περίδυσε χιτῶνας (Λ 100), non operae pretium fuit mortuos tunicis spoliare nisi aere instructae essent.

5) Λ 100. 6) B 416, Π 841.

Digitized by Google

Διὸς νεφεληγερέταο (Ε 733 sq.) suo loco animadvertimus [1]). Etiam ubi legimus Diomedis vulnerati sanguinem prorumpere διὰ στρεπτοῖο χιτῶνος (Ε 113), Alexandri et Hectoris tunicas παραὶ λαπάρην discindi hastis hostilibus (Γ 359 Η 253), singulis tunicis indutos fuisse Diomedem Alexandrum Hectorem non obscurum est. At vero cum èt deae Minervae èt principibus suffecerit singulas gerere tunicas, militum vulgus haud dubie idem satis habebat.

§ 29. De subligaculo, de mitra; θώρηξ Homericus quid evaserit.

Ubi vero tunica in nudo corpore gesta, ea erat brevitate ut non porro pertineret quam ad medium corpus, qualem Agamemnonis fuisse loricam ostendimus [2]), res fert ut deesse non potuerit ζῶμα sivè subligaculum, quamquam id ibi non commemoratur neque alio loco tam brevis tunicae mentio fit. Ab altera parte subligaculum prorsus inutile esse longiorem tunicam gerentibus, itaque Menelaum a Pandaro vulneratum cuius tunica ventrem ilia femora tegens fingeretur, subligaculum quod simul poeta ei tribueret, debere prisco carmini quod eum haberet pugnantem nudo pectore, in superioribus monuimus [3]).

Subligaculum enim iam in usu fuisse quo tempore homines vulgo aliis vestimentis nondum uterentur sine verbis intellegitur [4]). Neque mirum est iam tunc a Graecis in proeliis simul gestam esse μίτραν sive cingulum aëneum. Idque confirmatur non tantum eo quod Menelaus et Mars, quem item nudo corpore pugnantem in antiquis carminibus propositum vidimus [5]), ea accincti finguntur [6]), sed etiam quod Oresbius ab Hectore interfectus αἰολομίτρης vocatur (Ε 707); neque enim huius cingulum fulgere potuit si quo vestimento tegeretur. Cingulo autem quin subligaculum ita fuerit affixum ut eo constringeretur et retineretur, non est quod dubitemus.

Nec vero postquam alia vestimenta geri coepta sunt, mitra continuo obsolevit. Nam cum Lycii vocentur ἀμιτροχίτωνες [7]), apparet Homeri aetate ceteros homines consuevisse mitras simul et tunicas gerere. Sed posteriore aevo mitram excrevisse in

1) cf. supra § 19. 2) supra § 4. 3) supra § 26.
4) cf. supra § 19 ann. 1. 5) cf. supra § 26. 6) Δ 137, 187, 216, Ε 857.
7) Π 419.

Digitized by Google

thoracem aëneum optimo iure statuit vLeeuwen [1]). Quem non gestum esse in corpore nudo sed subiecta tunica longiore aere non instructa, per se patet.

Iamvero e tunica bellica quae apud Homerum θώρηξ usurpatur, extitisse puto loricam squamatam, λεπίδωτος quae dicitur, a fronte conexam quemadmodum Menelai, vix longiorem quam Agamemnonis fuisse vidimus, sed eo maxime discrepantem quod instructa erat et humeralibus et virgulis ab ima parte dependentibus quae πτέρυγες vocabantur; eiusmodi loricas complures depictas esse in vasis saeculorum sexti et quinti notissimum est [2]). Ceterum ne thoraces linteos quidem defuisse post aetatem Homericam complures docent loci scriptorum antiquorum [3]).

Index locorum.

Λ	226	§ 23	Δ	528	§ 17	Z	322	§ 12
B	338 sqq.	„ 20, 26	É	40	„ 17		504	„ 23
	389	„ 18		42	„ 23		513	„ 23
	416	„ 19, 28		56	„ 17	H	206	„ 23
	529	„ 4, 27		58	„ 23		207	„ 24, 26
	544	„ 9		98 sqq.	„ 2, 3, 13		219	„ 18
	578 sq.	„ 23		99 sq.	„ 8		222 sq.	„ 13
	830	„ 4, 27		112 sq.	„ 2		248b sqq.	„ 8
Γ	114	„ 23		113	„ 8, 28		253	„ 8, 28
	332 sq.	„ 12		180	„ 19		272	„ 18
	356 sqq.	„ 8		189	„ 2	Θ	62	„ 12, 26, 27
	359	„ 8, 19, 28		282	„ 2		121	„ 17
Δ	132 sqq.	„ 5		294	„ 23		195	„ 13
	134	„ 4		452	„ 18, 23		258	„ 17
	136 sq.	„ 26, 29		494	„ 23		313	„ 17
	186 sq.	„ 5		540	„ 23		376	„ 23
	420	„ 23		707	„ 29		388	„ 23
	448	„ 12, 26, 27		733 sqq.	„ 19, 28		494	„ 18
	468	„ 18		737	„ 23		530	„ 23
	480	„ 17		796 sqq.	„ 2	K	37	„ 23
	489	„ 12, 27		857	„ 18, 26		75	„ 21, 26
	495	„ 23	Z	103	„ 23		78	„ 23
	504	„ 23		319	„ 18		254 sqq.	„ 20

1) Comment. Hom. p. 164.

2) cf. etiam Herod. IX 22 ubi legimus Masistium Persarum equitatus praefectum gesisse θώρηκα χρύσεον λεπίδωτον.

3) Anthol. pal. XIV. 4 Alcaeus (Bergk. fr. 15) Herod. III. 47 Nepos Vita Iphicr. § 4.

Digitized by Google

K	498 sqq.	§ 25
Λ	15	„ 23
	16	„ 23
	24-29	„ 14
	31 sqq.	„ 10
	32	„ 18
	38	„ 10
	49	„ 23
	65 sq.	„ 23
	100	„ 19, 28
	144	„ 17
	211	„ 23
	234 sqq.	„ 4
	321	„ 17
	373	„ 11
	435 sqq.	„ 7
	447	„ 17
	456 sq.	„ 26
	485	„ 18
	527	„ 18
	621	„ 19
	717b sq.	„ 23
	725	„ 23
M	77	„ 23
	81	„ 23
	151	„ 23
	317	„ 12, 26
	396	„ 23
	402	„ 18
	425	„ 18
	428	„ 18
	463 sq.	„ 23
N	146	„ 18
	158	„ 18
	181	„ 23
	191	„ 23
	245	„ 23
	265	„ 12, 27
	305	„ 23
	342	„ 12, 27
	371b sq.	„ 10
	397b sq.	„ 10
	405	„ 23
	439 sq.	„ 19
	507	„ 2, 3
N	546 sqq.	§ 17
	586 sq.	„ 2, 3, 15
	714	„ 21, 26
	749	„ 23
	807	„ 18
Ξ	371 sqq.	„ 21
	378	„ 21
	383	„ 23
	403 sqq.	„ 20, 26
	412 sqq.	„ 17
	420	„ 23
	447	„ 17
	517	„ 17
O	120	„ 23, 26
	125 sqq.	„ 21
	420	„ 17
	478	„ 20, 26
	523	„ 17
	529 sq.	„ 2, 3
	577	„ 17
	645 sq.	„ 18
	650	„ 17
	689	„ 12, 26
	739	„ 12, 26
Π	40	„ 23
	130 sq.	„ 13
	155 sq.	„ 23
	173	„ 12
	256	„ 23
	308	„ 18
	318	„ 17
	360	„ 18
	419	„ 28
	426	„ 23
	481	„ 17
	609	„ 18
	791	„ 16
	803	„ 18
	804	„ 16
	841	„ 19, 28
P	128	„ 18
	194 sqq.	„ 13
	199	„ 23
	309	„ 17
	314	„ 2, 3
P	375	§ 23
	492	„ 18
	605 sq.	„ 15
Σ	82 sqq.	„ 13
	277	„ 23
	303	„ 23
	460	„ 13
	478 sqq.	„ 18
	480	„ 10, 13
	610	„ 13
T	36	„ 23
	361	„ 7, 27
	371	„ 13
T	117	„ 23
	259	„ 22
	281	„ 18
	402	„ 17
	414 sq.	„ 6
	487 sqq.	„ 17
Φ	30 sq.	„ 19
	49 sqq.	„ 21
	277	„ 12, 26
	429	„ 12, 26
X	32	„ 23
	111 sqq.	„ 21
	124 sq.	„ 21
	322	„ 24
Ψ	129 sq.	„ 23
	561	„ 14
	685	„ 23
	710	„ 23
	819	„ 15
α	256	„ 21, 26
μ	121	„ 23
ξ	468 sqq.	„ 19
	479	„ 19, 23
	482	„ 19
π	295 sq.	„ 26
σ	376	„ 21, 26
τ	4 sqq.	„ 22
	31 sq.	„ 22, 26
φ	344	„ 23
χ	82	„ 17
	110 sq.	„ 22, 26

Digitized by Google

LUCIANEA.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

(Continuantur ex Vol. XLIV pag. 212) [1]).

Luciani Opera rec. Jacobitz
Lipsiae MDCCCLXXIV. Vol. I.

PROMETHEUS ES IN VERBIS. C. 3: καὶ τὸ μὲν ὅλον ἀρχιτέκτων αὐτὸς ἦν, συνειργάζετο δέ τι καὶ ἡ Ἀθηνᾶ ἐμπνέουσα τὸν πηλὸν καὶ ἔμψυχα ποιοῦσα εἶναι τὰ πλάσματα.

Corrigendum puto: καὶ ἔμψυχα ποιοῦσα αὐτοῦ τὰ πλάσματα.

---

ibid. 5: δέδοικα δὲ μὴ καὶ τοὐμὸν κάμηλος ἐν Αἰγυπτίοις ᾖ, οἱ δὲ ἄνθρωποι τὸν χαλινὸν ἔτι αὐτῆς θαυμάζωσι καὶ τὴν ἀλουργίδα.

Emendandum est: τὸν χαλινὸν ἐπ' αὐτῆς θ.

IUDICIUM VOCALIUM. C. 3: οὐχ ὁρῶ τίνα τρόπον αἱ συντάξεις τὰ νόμιμα, ἐφ' οἷς ἐτάχθη τὰ κατ' ἀρχάς, ἔξουσιν.

Legendum est: ἐφ' οἷς ἐτάχθησαν κατ' ἀρχάς.

---

ibid. 5: οὐ τῇ τάξει μόνον, καθ' ἣν αἱ προεδρίαι βεβαιοῦνται, διώρισαν, ... ἀλλὰ καὶ ποιότητας, ἃς ἕκαστον ἡμῶν ἔχει, καὶ δυνάμεις συνεῖδον.

Verbum συνεῖδον importunum est. Scribendum esse suspicor: συνεῖλον.

---

ibid. 6: ὃ (sc. τὸ ταῦ) μὰ τοὺς θεούς, εἰ μὴ ἐξ ὑμῶν δύο

---

1) Vid. Vol. XX p. 147—151 et Vol. XLI p. 164—176.

Digitized by Google

συνῆλθον ἀγαθοὶ καὶ καθήκοντες ὁραθῆναι, τό τε ἄλφα καὶ τὸ ὖ, οὐκ ἂν ἠκούσθη μόνον, κ. τ. λ.

Reponendum est: ἀγαθοὶ καὶ καθ' ἓν ὄντες ὁραθῆναι. Cf. DIAL. DEOR. 20, 13 i. i., 21. 1.

---

ibid. 7: Βοιώτιος μέν, ὡς ἐφαίνετο, τὸ γένος ἀνέκαθεν, ἀπὸ μέσης δὲ ἀξιῶν λέγεσθαι τῆς Ἀττικῆς.

Nonne potius: ἀπὸ μέσης δὲ ἀξιῶν γενέσθαι τῆς Ἀττικῆς?

---

ibid. 10: τοῦ θῆτα κρούοντος καὶ τῆς κεφαλῆς τὰς τρίχας τίλλοντος ἐπὶ τῷ καὶ τῆς κολοκύνθης ἐστερῆσθαι.

Pro κρούοντος scribendum censeo: κλάοντος.

---

ibid. 11: τὸ δὲ (sc. τὸ ταῦ) ἄρα οὐ τὸ ὁμόφυλον [τῶν στοιχείων] μόνον ἀδικεῖ γένος, ἀλλ' ἤδη καὶ πρὸς τὸ ἀνθρώπειον μεταβέβηκε τουτονὶ τὸν τρόπον.

Putidum emblema τῶν στοιχείων resecandum est.

---

ibid. infra: καὶ ὁ μέν τι καλὸν ἰδὼν καλὸν εἰπεῖν αὐτὸ βούλεται, τὸ δὲ παρεισπεσὸν ταλὸν εἰπεῖν αὐτοὺς ἀναγκάζει.

Sententia postulat: εἰπεῖν αὐτὸν ἀναγκάζει.

---

ibid. 12 i. f.: ἐγὼ μὲν γὰρ οἶμαι δικαίως τοῦτο μόνον ἐς τὴν τοῦ ταῦ τιμωρίαν ὑπολείπεσθαι, τὸ τῷ σχήματι τῷ αὐτοῦ τὴν δίκην ὑποσχεῖν, ὃ δὴ σταυρὸς εἶναι ὑπὸ τούτου μὲν ἐδημιουργήθη, ὑπὸ δὲ ἀνθρώπων ὀνομάζεται.

Locum a multis varie temptatum sic mecum restituas: ὑπὸ τοῦ θείου μὲν ἐδημιουργήθη, ὑπὸ δὲ ἀνθρώπων ὀνομάζεται.

Cf. DE SACRIF. i. i.: οὕτω ταπεινὸν καὶ ἀγεννὲς τὸ θεῖον ὑπειλήφασιν.

PROMETHEUS S. CAUCASUS. C. 8 i. f. Iovem non adeo iratum fore putabam, Prometheus ait, εἰ διανέμων τις κρέα παιδιάν τινα ἔπαιζε πειρώμενος, εἰ διαγνώσεται τὸ βέλτιον ὁ αἱρούμενος.

Reponendum est: τὸ βέλτιον ὑφαιρούμενος.

---

ibid. 12. Genere humano nondum creato terra erat ἄγριόν τι χρῆμα καὶ ἄμορφον, ὕλαις ἅπασα καὶ ταύταις ἀνημέροις λά-

Digitized by Google

σιος, οὔτε δὲ βωμοὶ θεῶν ἢ ναοί, — πόθεν δέ; — ἢ ἀγάλματα κ.τ.λ.

Pro πόθεν δέ; corrige sodes: πόθεν δή;

---

ibid. 16. Fortasse quis dicat (sic idem pergit) necesse esse nos maximis oneribus premi quod genus humanum adeo nobis cordi sit: quod si verum esset, etiam pastor grege suo gravaretur quod curas suas exigeret. καίτοι τό γε ἐργῶδες τοῦτο καὶ ἡδύ· ἄλλως καὶ ἡ Φροντὶς οὐκ ἀτερπὴς ἔχουσά τινα διατριβήν.

Nondum sanatus hic locus erit, si Hemsterhusio obsecuti ἀτερπῆ scripserimus. Vix dubito quin sit emendandum:

ἄλλως καὶ ἡ Φροντὶς οὐκ ἀτερπὴς ⟨τερπνὴν⟩ ἔχουσά τινα διατριβήν.

Continuo haec sequuntur: ἢ τί γὰρ ἂν ἐπράττομεν οὐκ ἔχοντες ὧν προνοοῖμεν τούτων; ἠργοῦμεν ἂν καὶ τὸ νέκταρ ἐπίνομεν καὶ τῆς ἀμβροσίας ἐνεφορούμεθα οὐδὲν ποθοῦντες.

Interrogandi signum post προνοοῖμεν collocandum esse censeo atque pro τούτων, quod a codd. nonnullis abest, emendandum aut ἐν τούτοις (cf. CATAPLUS 1: εἶτα ὁ Πλούτων εὖ οἶδα ὅτι ἐμὲ ῥᾳθυμεῖν ἐν τούτοις ὑπολήψεται) aut πάντως.

DIALOGI DEORUM VI C. 5. Iuno Iovi obiicit: Ἀλλὰ ἡ νεφέλη ἐγὼ εἶναι δόξω, καὶ τὸ αἰσχρὸν ἐπ' ἐμὲ ποιήσει διὰ τὴν ὁμοιότητα.

Ut nunc verba leguntur, Ixion scilicet subiectum verbi ποιήσει putandum est, sed ita Iunonem aliquid dicentem facimus quod satis absurdum sit.

Equidem Lucianum scripsisse suspicor: τὸ αἰσχρὸν ἐπ' ἐμὲ πάρεισι διὰ τὴν ὁμοιότητα.

---

ibid. Iuppiter ubi eam metu liberare studuit, refert: Ἀλλὰ οἱ πάντες ἄνθρωποι ἀπειρόκαλοί εἰσιν· αὐχήσει κατελθὼν ἴσως κ.τ.λ.

Non credo Madvigium loco bene consuluisse cum pro οἱ scribi iuberet οἷοι, verum Iunonem rogasse potius opinor: Ἀλλ' οὐ πάντες ἄνθρωποι ἀπειρόκαλοι εἰσιν;

---

ibid. XXII C. 1. Hermae roganti Panem πῶς οὖν υἱὸς ἐμὸς εἶ; hic respondet: μοιχίδιός εἰμι, ἐξαίρετός σοι γενόμενος.

Adiectivum ἐξαίρετος ab hoc loco alienissimum est. Quod

Digitized by Google

etiam in codd. invenitur ἐξ ἔρωτος quamquam Cobeto probabatur, praestare videtur: ἐξ ἀρκάδος, cl. huius capitis fine, ubi Pan: οὐκ αἴγα ἐμοίχευσας, ἀλλ' ἀνάμνησον σεαυτόν, εἴ ποτε ἐν Ἀρκαδίᾳ παῖδα ἐλευθέραν ἐβιάσω.

Dialogi Marini III C. 1. Alpheus Neptuno quaerenti utrum mortalem feminam an nympham an ex Nereidibus unam deperiret, Immo, respondet, ἀλλὰ πηγῆς, ὦ Πόσειδον. Qua re cognita rursus Neptunus sciscitatur: Ἡ δὲ ποῦ σοι γῆς αὕτη ῥεῖ; Pro αὕτη e Luciani dicendi ratione restituendum esse arbitror: καὶ αὐτή.

---

ibid. IX C. 1. Neptuni verba sunt: μετ' ὀλίγον τὰ αὐτὰ καὶ ἡ Ἰνὼ πείσεται καὶ ἐμπεσεῖται ὑπὸ τοῦ Ἀθάμαντος διωκομένη ἐς τὸ πέλαγος ἀπ' ἄκρου τοῦ Κιθαιρῶνος [καθ' ὅπερ καθήκει ἐς τὴν θάλατταν] ἔχουσα καὶ τὸν υἱὸν ἐπὶ τῆς ἀγκάλης.

Verba uncinis inclusa, scioli nescio cuius puerile additamentum, resecanda esse puto.

---

ibid. 2: ἡ δὲ (Helle sc.) ὑπ' ἀηθείας ἐπιβᾶσα ὀχήματος παραδόξου καὶ ἀπιδοῦσα ἐς βάθος ἀχανές, ἐκπλαγεῖσα καὶ τῷ θάλπει ἅμα συσχεθεῖσα καὶ ἰλιγγιάσασα πρὸς τὸ σφοδρὸν τῆς πτήσεως ἀκρατὴς ἐγένετο τῶν κεράτων τοῦ κριοῦ κ. τ. λ.

Verba ὑπ' ἀηθείας de loco suo migrasse atque in versu sequenti ante voc. ἐκπλαγεῖσα, quod attributo suo caret, reponenda esse censeo. De verbis τῷ θάλπει ἅμα συσχεθεῖσα, quae varie iam tentata sunt, minus mihi constat: dubito an sit legendum: τῷ ὑ' ἅλματι συσχεθεῖσα.

---

ibid. XIV C. 2: ἡ Ἀθηνᾶ δὴ ἐπὶ τῆς ἀσπίδος ἀποστιλβούσης ὥσπερ ἐπὶ [τοῦ] κατόπτρου παρέσχεν αὐτῷ ἰδεῖν τὴν εἰκόνα τῆς Μεδούσης.

Deleatur particula inclusa.

Dialogi Mortuorum V C. 1. Pluto loquitur: Ἐκεῖνον μέν, ὦ Ἑρμῆ, ζῆν ἔασον ἐπὶ τοῖς ἐνενήκοντα ἔτεσιν, ἃ βεβίωκεν, ἐπιμετρήσας ἄλλα τοσαῦτα, εἰ δὲ οἷόν τε ἦν, καὶ ἔτι πλείω.

Corrigas: εἰ δὲ οἷόν τε, ἔτη καὶ ἔτι πλείω.

Digitized by Google

ibid. VI C. 3: *καινὴν γάρ τινα ταύτην τέχνην ἐπινενοήκατε γραῶν καὶ γερόντων ἐρῶντες, καὶ μάλιστα εἰ ἄτεκνοι εἶεν, οἱ δὲ ἔντεκνοι ὑμῖν ἀνέραστοι. καίτοι πολλοὶ ἤδη τῶν ἐρωμένων ... ἦν καὶ τύχωσι παῖδας ἔχοντες, μισεῖν αὐτοὺς πλάττονται, ὡς καὶ αὐτοὶ ἐραστὰς ἔχωσιν.*

In hisce illud *τῶν ἐρωμένων* manifesto mendosum est: nempe qui amantur, ergo amatores iam habent, iis opus non est dolis ac fraudibus uti, ut ipsi quoque amatores sibi parent. Qua de causa verba *τῶν ἐρωμένων* inducenda esse mihi constat.

---

ibid. XII C. 6. Alexander Magnus cum Hannibale de principatu certans et alia argumentatur et haec: *ἐγὼ δὲ εἰ μὴ μικρὰ τὰ ἑσπέρια δόξας ἐπὶ τὴν ἕω μᾶλλον ὥρμησα, τί ἂν μέγα ἔπραξα Ἰταλίαν ἀναιμωτὶ λαβὼν καὶ Λιβύην καὶ τὰ μέχρι Γαδείρων ὑπαγόμενος;*

Nisi omnia me fallunt, sententia postulat: *ἐγὼ δὲ εἰ* [*μὴ*] *μικρὰ* aut: *ἐγὼ δὲ εἰ μοι μικρὰ*. Sequuntur continuo: *ἀλλ' οὐκ ἀξιόμαχα ἔδοξέ μοι ἐκεῖνα ὑποπτήσσοντα ἤδη καὶ δεσπότην ὁμολογοῦντα.*

---

ibid. XXVII C. 5: *ὁ δέ γε Ὀροίτης καὶ πάνυ ἀπαλὸς ἦν τὼ πόδε καὶ οὐδ' ἐστάναι χαμαί, οὐχ ὅπως βαδίζειν ἐδύνατο· πάσχουσι δ' αὐτὸ ἀτεχνῶς Μῆδοι πάντες, ἐπὰν ἀποβῶτι τῶν ἵππων, ὥσπερ ἐπὶ τῶν ἀκανθῶν βαίνοντες ἀκροποδητὶ μόλις βαδίζουσιν.*

Immo, omnino legendum est: *ἀκροποδητὶ μόλις βαδίζοντες* virgula scilicet post *βαίνοντες* posita.

Menippus s. Necyomantia. C. 3 i. f.: *οὔτε γὰρ ἄν ποτε τοὺς θεοὺς μισιχεῦσαι καὶ στασιάσαι πρὸς ἀλλήλους ἡγούμην, εἰ μὴ ὡς περὶ καλῶν τούτων ἐγίγνωσκον, οὔτ' ἂν κ. τ. λ.*

Nonne emendandum est: *εἰ μὴ ὡς περικαλλῶν τ. ἐ.*? Constructio verbi *γιγνώσκειν* cum genitivo nemini non nota est atque adiectivum *περικαλλής* et alibi apud nostrum occurrit et De Sacrificiis C. 8 i. f.: *ταῦτα πάντα περικαλλῆ τοῦ Ἡφαίστου κατασκευάσαντος.*

---

ibid. 6 i. i.: *σφαλεὶς οὖν καὶ τῆσδε τῆς ἐλπίδος ἔτι μᾶλλον ἐδυσχέρανον ἠρέμα παραμυθούμενος ἐμαυτόν, ὅτι μετὰ πολλῶν*

Digitized by Google

καὶ σοφῶν καὶ σφόδρα ἐπὶ συνέσει διαβεβοημένων ἀνόητός τέ εἰμι καὶ τὸ ἀληθὲς ἔτι ἀγνοῶν περιέρχομαι.

Voc. παραμυθούμενος corruptum esse persuasum mihi est praecipue propter verbum quod antecedit ἐδυσχέραινον. Menippum dixisse puto, se aegre tulisse quod, cum paulatim semetipsum metiretur, etiamtunc stultus circumambularet. Ideo pro παραμυθούμενος, quod h. l. nihili est, reponere velim: παραμετρούμενος.

---

ibid. 8. Philonidae cum admiratione roganti, qua de causa Menippus, a mago tam mire ornatus incederet, hic respondit: καὶ μὴν πρόδηλον τοῦτό γε καὶ οὐ παντελῶς ἀπόρρητον.

Sana ratio flagitare mihi videtur: „at tamen id in promptu est neque omnino spernendum" i. e. ἀπόβλητον.

---

ibid. 13: τὸν γάρ τοι Σικελιώτην Διονύσιον... Ἀρίστιππος ὁ Κυρηναῖος... μικροῦ δεῖν τῇ Χιμαίρᾳ προσδεθέντα παρέλυσε τῆς καταδίκης λέγων κ. τ. λ.

Pro προσδεθέντα corrigere ne dubita: παραδοθέντα, cl. ἡ Χίμαιρα ἐσπάραττε in capite sequenti nec non Catapl. 28: παραδοτέος τῷ Κερβέρῳ et Mort. Dial. XXX. 1: ὁ δὲ ἱερόσυλος ὑπὸ τῆς Χιμαίρας διασπασθήτω.

---

ibid. 15 i. f. Tot corporibus exsiccatis circumiacentibus, Menippus ait, nesciebam ὅτινι διακρίναιμι τὸν Θερσίτην ἀπὸ τοῦ [καλοῦ] Νιρέως.

Vocabulum a me inclusum exstirpandum est.

De Sacrificiis. C. 1: τὰ γοῦν Αἰτωλικὰ πάθη καὶ τὰς τῶν Καλυδωνίων συμφορὰς καὶ τοὺς τοσούτους φόνους καὶ τὴν Μελεάγρου διάλυσιν, πάντα ταῦτα ἔργα φασὶν εἶναι τῆς Ἀρτέμιδος.

Immo potius: τοὺς τοσούτων φόνους.

---

ibid. 3. Lucianus verba Chrysae sacerdotis ex Iliados initio refert: ὦ βέλτιστε Ἄπολλον, ἐγὼ μέν σου τὸν νεὼν τέως ἀστεφάνωτον ὄντα πολλάκις ἐστέφανωσα καὶ τοσαῦτά σοι μηρία ταύρων τε καὶ αἰγῶν ἔκαυσα [ἐπὶ τῶν βωμῶν].

Verba a me inclusa interpretatori reddenda sunt.

Digitized by Google

ibid. 5: ἢ γὰρ οὐ ταῦτα σεμνολογοῦσιν οἱ ποιηταὶ περὶ τῶν θεῶν καὶ πολὺ τούτων ἱερώτερα περί τε Ἡφαίστου καὶ Προμηθέως κ. τ. λ.

Pro ἱερώτερα Madvig μιαρώτερα scribendum esse coniecit. Quamquam veram lectionem esse: ἀνιερώτερα olim mihi visum est, nunc credo vocabulum ironice intellegendum esse atque Lehmannum traditam scripturam olim iure vindicasse.

---

ibid. haec sequuntur: καὶ ταῦτα παρακαλέσαντες τὰς Μούσας συνῳδοὺς [ἐν ἀρχῇ τῶν ἐπῶν], ὑφ' ὧν δὴ ἔνθεοι γενόμενοι ὡς τὸ εἰκὸς ᾄδουσιν, ὡς ὁ μὲν Κρόνος κ. τ. λ.

Verba uncis a me cincta deleantur, ut editor recte delevit in capitis secundi initio verba ἐν ἀρχῇ τῆς Ὁμήρου ποιήσεως.

---

ibid. 9: κἂν μὲν θύῃ τις, εὐωχοῦνται πάντες ἐπικεχηνότες τῷ καπνῷ καὶ τὸ αἷμα πίνοντες τοῖς βωμοῖς περιχεόμενον ὥσπερ αἱ μυῖαι.

Repone: περιχεόμενοι.

---

ibid. 10: μετὰ δὲ νειμάμενοι κατὰ ἔθνη σέβουσι καὶ πολίτας αὐτῶν ἀποφαίνουσιν, ὁ μὲν Δελφὸς τὸν Ἀπόλλω καὶ ὁ Δήλιος, ὁ δὲ Ἀθηναῖος τὴν Ἀθηνᾶν κ. τ. λ.

Pro αὐτῶν lege: αὐτούς.

---

ibid. 12: τὸ ζῷον ... προσάγουσι τῷ βωμῷ καὶ φονεύουσιν ἐν ὀφθαλμοῖς τοῦ θεοῦ γοερόν τι μυκώμενον καὶ ὡς τὸ εἰκὸς εὐφημοῦν καὶ ἡμίφωνον ἤδη τῇ θυσίᾳ ἐπαυλοῦν.

Conicio: ἡμίφωνον ἠχὴν τ. θ. ἐπ.

---

ibid. 14. In Aegyptum si veneris, videbis πολλὰ τὰ σεμνὰ ... τὸν Πᾶνα ὅλον τράγον καὶ Ἴβίν τινα καὶ κροκόδειλον ἕτερον καὶ πίθηκον.

Pro ἕτερον emenda: ἱερόν.

Vitarum Auctio. C. 18 Socrates emptori roganti quod sapientiae summum sit respondet: αἱ ἰδέαι καὶ τὰ τῶν ὄντων παραδείγματα· ὁπόσα γὰρ δὴ ὁρᾷς, τὴν γῆν, τὰ ἐπὶ γῆς, τὸν

Digitized by Google

ὑρανόν, τὴν θάλατταν, ἁπάντων τούτων εἰκόνες ἀφανεῖς ἐστᾶσιν ἔξω τῶν ὅλων.

Nonne potius: ἔξω τῶν ὄντων? Cf. HERMOT. 36: ἢ οὐ δοκοῦσί σοι τοῦτο ποιεῖν, ὁπόταν... ὁ Πλάτων (δὲ) νομίζῃ καὶ ἀσώματόν τι ἐν τοῖς οὖσιν εἶναι;

CATAPLUS. C. 1 i. f. Charon et alias causas quae Hermen apud superos detinere potuerint enumerat et hanc: ἢ τάχα που καὶ κλωπεύει ὁ γεννάδας παρελθών· μία γὰρ αὐτοῦ καὶ αὕτη τῶν τεχνῶν.

Cobet περιελθών maluit, sed id si Lucianus voluisset, περιερχόμενος scripsisset. Equidem post παρελθών excidisse suspicor: με, id quod propter sequens μία facile omitti potuit.

---

ibid. 9: καὶ τοὺς δύο κρατῆρας βούλει προσθήσω... ἕλκοντας ἑκάτερον χρυσοῦ ἀπέφθου τάλαντα ἑκατόν;

Verba quae sunt χρυσοῦ ἀπέφθου ante voc. ἕλκοντας transponenda mihi videntur.

DE MERCEDE CONDUCTIS. C. 5: πενία γὰρ εἰσαεὶ καὶ τὸ λαμβάνειν ἀναγκαῖον καὶ ἀπόθετον οὐδὲν οὐδὲ περιττὸν ἐς φυλακήν, ἀλλὰ τὸ δοθὲν, κἂν δοθῇ, κἂν ἀθρόως ληφθῇ, πᾶν ἀκριβῶς καὶ τῆς χρείας ἐνδεῶς καταναλίσκεται.

Pro κἂν δοθῇ Madvig κἂν καθ' ἓν scribere voluit. Suspicio mihi incidit, fortasse exaratum fuisse: κἂν διχῇ.

---

ibid. καὶ ὑπέρ γε τοῦ τοιούτου καὶ ἐς βαθυκήτεα πόντον ἴσως ῥιπτεῖν ἔδει, ὦ Θέογνι, καὶ πετρῶν, ὡς φής, κατ' ἠλιβάτων.

Obiectum quoniam ad ῥιπτεῖν desideratur, nescio an pro ἴσως substituendum sit: ἑαυτούς, cl. APOLOGIA C. 10: τὸ μὲν γὰρ τοῦ Θεόγνιδος.... καὶ ἐς βαθυκήτεα πόντον σφᾶς αὐτοὺς ῥιπτεῖν καὶ κατὰ κρημνῶν γε ἠλιβάτων.

---

ibid. 8. Licet turpe sit propter voluptatem semetipsum venditare atque multo praestet voluptas e libertate quaesita, ὅμως δ' οὖν ἐχέτω τινὰ συγγνώμην αὐτοῖς, εἰ ἐπιτυγχάνοιτο· τὸ δὲ δι' ἡδονῆς κ. τ. λ.

Digitized by Google

Quandoquidem in iis quae antecedunt numerus singularis ubique adhibitus est (*εἴ τις .. χαίρει, θεραπεύει, μεθέξει, ἑαυτόν*), locum corruptum sic corrigere non dubito ut pro *αὐτοῖς, εἰ ἐπιτυγχάνοιτο* reponam: *αὐτῆς εἰ ἐπιτυγχάνοι*[*το*], quo facto verborum *ἐχέτω* et *ἐπιτυγχάνοι* subiectum idem intellegendum esse moneo.

---

ibid. 23 i. f. Saepe te vexabit libertatis amissae memoria, nisi forte satis tibi sit *τὸ μὴ Πυρρίου μηδὲ Ζωπυρίωνος υἱὸν εἶναι, μηδὲ ὥσπερ τις Βιθυνὸς ὑπὸ μεγαλοφώνῳ τῷ κήρυκι ἀπημπολῆσθαι.*

Immo credo: *ὑπὸ μεγαλοφώνῳ τῳ κήρυκι.*

---

ibid. 27: *τοιγαρσῦν ἐν μυχῷ τοῦ συμποσίου* [*καὶ*] *ὑπ' αἰδοῦς καταδεδυκὼς στένεις.*

Tollenda est vocula a me damnata.

---

ibid. 28 i. f.: *ἔοικας γὰρ τότε στήλῃ ἑώλου τινὸς νεκροῦ ἄγοντος ἐναγίσματα.*

An forte: *ἀγόντων τινῶν ἐναγίσματα*? Sequuntur enim: *καὶ γὰρ ἐκείνου καταχέαντες μύρον καὶ τὸν στέφανον ἐπιθέντες αὐτοὶ πίνουσι καὶ εὐωχοῦνται τὰ παρεσκευασμένα.*

---

ibid. 30: *συνίημι δὲ ὡς καὶ ἐνοχλῶ πολλάκις βλεπόμενος, καὶ μάλισθ' ὅταν ἡδίων αὐτὸς αὐτοῦ εἶναι θέλῃ.*

Lege: *θέλω*. In talibus locutionibus *αὐτὸς αὐτοῦ* et *αὐτοὶ ἑαυτῶν* tam ad primam et secundam quam ad tertiam personam designandam usurpari nota res est atque verba quae continuo sequuntur (*σκυθρωπὸς γὰρ αὐτῷ δοκῶ* cet.) scriptorem primam personam posuisse luculenter demonstrant.

---

ibid. 33. Thesmopolis, philosophus venerabilis, narrat, se in cohorte mulieris nobilissimae iter facientem coactum esse in curru sedere iuxta cinaedum, Chelidonium nomine, quem Lucianus dicit *οὐ χελιδόνα μὰ Δί', ἀλλὰ γῦπά τινα περιτετιλμένον* [*τοῦ πώγωνος*] *τὰ πτερά.*

Digitized by Google

Interpretamentum frigidissimum quod inclusi quam primum deleatur, ut Halbertsma recte monuit.

---

ibid. 39. Denique iam senex factus, Lucianus ait, exulabis *ἃ μὲν τέως ᾔδεις ἀπομαθὼν ἐν τοσούτῳ χρόνῳ, θυλάκου δὲ μείζω τὴν γαστέρα ἐργασάμενος, ἀπλήρωτόν τι καὶ ἀπαραίτητον κακόν· καὶ γὰρ ὁ λαιμὸς ἀπαιτεῖ ἐκ τοῦ ἔθους καὶ ἀπομανθάνων αὐτὰ ἀγανακτεῖ.*

Emenda: *ἀπομανθάνων αὐτίκα ἀγανακτεῖ*. Verba nimirum ad superiora illa respiciunt: tu quaecumque noveras, dedidicisti tam longo temporis intervallo — gula vero esuriens illico dediscere gravatur.

---

ibid. 40: *πολλοὶ γὰρ ... μαγείας καὶ Φαρμακείας ὑπέσχοντο καὶ χάριτας ἐπὶ τοῖς ἐρωτικοῖς καὶ ἐπαγωγὰς τοῖς ἐχθροῖς, καὶ ταῦτα πεπαιδεῦσθαι λέγοντες καὶ τρῖβωνας ἀμπεχόμενοι καὶ πώγωνας οὐκ εὐκαταφρονήτους καθειμένοι.*

Pro *λέγοντες* scribendum est: *λέγουσι*.

Apologia. C. 8. Facere non possum quin locum describam unde ratio, quam nostra aetate permulti iurisconsulti in causis criminalibus sequi solent, egregie noscitur.

ἆρά μοι κράτιστον ... ἐπὶ τὴν κοινὴν ἐκείνην ἀπολογίαν καταφυγεῖν — λέγω δὲ τὴν Τύχην καὶ Μοῖραν καὶ Εἱμαρμένην — καὶ παραιτεῖσθαι συγγνώμην ἔχειν μοι τοὺς ἐπιτιμῶντας εἰδότας ὡς οὐδενὸς ἡμεῖς κύριοι, ἀλλ' ὑπό τινος κρείττονος, μᾶλλον δὲ μιᾶς τῶν προειρημένων ἀγόμεθα οὐχ ἑκόντες, ἀλλ' ἀναίτιοι παντάπασιν ὄντες ὧν λέγομεν ἢ ποιοῦμεν;

---

ibid. 13 i. f.: *ἦν ἐθέλῃς ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς τοῦ σωροῦ κορυφῆς ἐφ' ἕκαστον τούτων, ἀφ' ὧν σύγκειται, καταβαίνειν, ὄψει ὅτι μεγέθει καὶ σμικρότητι διαλλάττομεν [τῶν ἀκροτάτων], τὰ δ' ἄλλα μισθοφόροι ὁμοίως ἅπαντες.*

A summis tantum parvitate differunt, differunt magnitudine et parvitate inter se omnes, qua de causa verba *τῶν ἀκροτάτων* insiticia habenda sunt.

Pro lapsu inter salutandum. C. 11. Pyrrhus Epirota *ἀεὶ*

Digitized by Google

θεοῖς εὐχόμενος καὶ θύων καὶ ἀνατιθεὶς οὐδεπώποτε ἢ νίκην ἢ βασιλείας ἀξίωμα μεῖζον ἢ εὔκλειαν ἢ πλούτου ὑπερβολὴν ᾔτησε παρ' αὐτῶν.

Pro οὐδεπώποτε ratio postulat οὐδέποτε.

Hermotimus s. De Sectis. C. 3 i. f. Hermotimus affirmat: ὅσον γοῦν ἐπ' ἐκείνῳ πάλαι ἂν ἐσπάσμην ἄνω καὶ συνῆν αὐτοῖς, τὸ δ' ἐμὸν ἔτι ἐνδεῖ, ad quae nunc Lycinus infert C. 4 in.: ἀλλὰ θαρρεῖν χρὴ καὶ θυμὸν ἔχειν ἀγχθὸν ἐς τὸ τέλος τῆς ὁδοῦ ὁρῶντα καὶ τὴν ἄνω εὐδαιμονίαν, καὶ μάλιστα ἐκείνου ξυμπροθυμουμένου. πλὴν ἀλλὰ τίνα σοι ἐλπίδα ὑποφαίνει ὡς δὴ πότε ἀναβησομένῳ;

Verba ἀλλὰ θαρρεῖν .... ξυμπροθυμουμένῳ Hermotimo reddenda esse mihi quidem constat.

---

ibid. 4. Lycinus autem postquam rogavit, quam spem magister ei ostenderet ut aliquando metam attingeret, addit: ἐς νέωτα εἴκαζεν ἐπὶ τὸ ἄκρον ἔσεσθαί σε, οἷον μετὰ τὰ μυστήρια ἢ τὰ ἄλλα Παναθήναια;

Mendosum puto ἐπὶ τὸ ἄκρον ἔσεσθαι Lucianumque scripsisse conicio non ἔσεσθαι sed ἐλεύσεσθαι.

---

ibid. 5: ὑψηλὰ γὰρ ἤδη Φρονεῖς καὶ ἄνωθεν.

Fere non dubito quin scriptori reddendum sit: καὶ ⟨τὰ⟩ ἄνωθεν.

---

ibid. 11 i. f.: ὥστε ἀναστρέψας ἥμεσέ τε, ὡς ἔφασκον, πολλὰ καὶ μόνον ἀριθμῷ παρκλαβὼν τὰ κρέα, ὁπόσα τῷ παιδὶ κατόπιν ἐστῶτι παρεδεδώκει, καὶ σημηνάμενος ἐπιμελῶς τὸ ἀπ' ἐκείνου καθεύδει.

In hisce quid sibi velint verba μόνον ἀριθμῷ non capio: utrum corrupta sint an de loco suo deturbata (ante voc. σημηνάμενος?) diiudicare non ausim.

---

ibid. 14 i. f. Hermotimo confesso, philosophorum sectas esse multas, Lycinus respondet: τὸ δέ γε ἀληθές, οἶμαι, πάντως που ἓν ἦν αὐτῶν, ἀλλ' οὐ πάντα διάφορά γε ὄντα.

Pro πάντα ipsum contextum requirere apparet: πολλά.

Digitized by Google

Cf. etiam C. 25 med.: *ὁδός γε μὴν οὐ μία καὶ ἡ αὐτὴ φαίνεται, ἀλλὰ πολλαὶ καὶ διάφοροι καὶ οὐδὲν ἀλλήλαις ὅμοιαι.*

---

ibid. 16 i. f.: *περὶ δὲ Στωϊκῶν πολλοὶ ἔφασκον, ὅτι ἀνδρώδεις καὶ πάντα γιγνώσκουσι, καὶ ὅτι ὁ ταύτην ἰὼν [τὴν ὁδὸν] μόνος βασιλεύς, μόνος πλούσιος, μόνος σοφὸς καὶ συνόλως ἅπαντα.*

Vocabula a me inclusa delenda esse persuasit mihi C. 13 extr.: *ὥστε τὴν αὐτὴν ἄγε λαβὼν κἀμέ.*

---

ibid. 18: *καὶ πρὸς τὸ λοιπὸν ἄρα ἔχωμεν τουτονὶ κανόνα καὶ στάθμην ἀκριβῆ τῶν τοιούτων [ὡς Ἑρμότιμός φησι] καὶ χρὴ ἀπὸ σχημάτων καὶ βαδισμάτων καὶ κουρᾶς διαγιγνώσκειν τοὺς ἀρίστους;*

Emblema manifestum tollatur!

---

ibid. 19: *ὅτι, ὦγαθέ, ἀνδριάντων ταύτην ἐξέτασιν λέγεις [τὴν ἀπὸ τῶν σχημάτων].*

Verba, quae uncinis saepsi, tamquam glossema delenda censeo.

---

ibid. infr.: *πλὴν εἰ δοκεῖ, οἱ μὲν ἔξω ἡμῖν φιλοσοφίας μενέτωσαν [οἱ τυφλοί] ἐπείπερ μηδὲ ὁρῶσι — καίτοι ἀναγκαῖον ἦν τοῖς τοιούτοις μάλιστα φιλοσοφεῖν, ὡς μὴ πάνυ ἄχθοιντο ἐπὶ τῇ συμφορᾷ —, οἱ δὲ δὴ βλέποντες κ. τ. λ.*

Voc. *οἱ τυφλοί* tamquam glossema seclusi: moneo, Lycinum haec respondere ad Hermotimi dictum *ἀλλ' ἔμοιγε οὐ πρὸς τυφλοὺς ὁ λόγος, ὦ Λυκῖνε, οὐδέ μοι μέλει τῶν τοιούτων.*

---

ibid. 20: *οὐ γὰρ φιλεῖ τὰ τοιαῦτα οὕτω διαφαίνεσθαι, ἀλλ' ἔστιν ἀπόρρητα καὶ ἐν ἀφανεῖ κείμενα, λόγοις καὶ συνουσίαις ἀναδεικνύμενα καὶ ἔργοις τοῖς ὁμοίοις ὀψὲ μόλις.*

Legendum existimo: *καὶ ἔργοις ⟨καὶ⟩ τοῖς ὁμοίοις.*

---

ibid. 26 in.: *ἐφ' ἣν γὰρ ἂν ἔλθω αὐτῶν, ἀνὴρ κατὰ τὴν ἀρχὴν τῆς ἀτραποῦ ἑκάστης ἐφεστὼς [ἐν τῇ εἰσόδῳ] μάλα τις ἀξιόπιστος ὀρέγει τε τὴν χεῖρα κ. τ. λ.*

Deleatur insipidum interpretamentum.

---

ibid. 28: *δυνατὸν μὲν γὰρ καὶ τοῦτο γενέσθαι, καὶ ἴσως ποτὲ ἐγένετο καὶ ἐν τῷ μακρῷ χρόνῳ.*

Digitized by Google

Immo vero: καὶ ἴσως ποτὲ καὶ ἐγένετο ἐν τ. μ. χ.

---

ibid. med.: ἀλλὰ παρὰ πολὺ ἐκεῖνο εὐλογώτερον, τῶν πολλῶν τρωθήσεσθαι καὶ περιπεσεῖσθαι τῷ τοξεύματι ἐλπίζειν ἢ πάντως ἐκεῖνο τὸ ἓν ἐξ ἁπάντων.

Fritsche ⟨ἓν⟩ τῶν πολλῶν — Guyetus τῶν πολλῶν ⟨τι⟩ proposuit, sed pro τῶν πολλῶν potius credo scriptum fuisse: τὸ ὀποῖον.

---

ibid.: ὁ δὲ κίνδυνος ὅτι οὐ μικρός, εἰ ἀντὶ τῆς ἐπ' εὐθὺ ἀγούσης ἐς τῶν πεπλανημένων μίαν ἀγνοοῦντες ἐμπέσοιμεν, ... εἰκάζειν οἶμαι.

Conicio: εἰκὸς (εἶναι) οἶμαι.

---

ibid. 32: εἰ τοίνυν λέγοι μηδὲν οὕτω καλὸν εἶναι μηδ' ἀληθὲς παρὰ τοῖς πολλοῖς, οἷα τὰ τῆς Στοᾶς ἐστι καὶ ἃ ἐκείνη φησίν, οὐκ ἂν· εὐλόγως; θρασὺς εἶναι δόξειεν ἄν σοι περὶ πάντων ἀποφαινόμενος, καὶ ταῦτα ἓν εἰδώς, οὐδεπώποτε ἐξ Αἰθιοπίας τὸν ἕτερον πόδα προελθών;

Quemvis semel admonitum mihi assensurum esse confido, verba οὐδεπώποτε ... προελθών reponenda esse post φησίν.

Ceterum verba ἐξ Αἰθιοπίας tangenda non esse comprobant verba τὰ δὶς δύο τέτταρα ἡγεῖσθαι in fine capitis 36 et voc. τὴν φιάλην in fine capitis 37.

---

ibid. 33: ἀλλ' οὐ Πέρσαι γε οὕτω ποιοῦσιν οὐδὲ Σκυθῶν ὅσοι τοξάται, ἀλλὰ πρῶτον μὲν αὐτοὶ κινούμενοι ἀΦ' ἵππων [ὡς τὸ πολὺ] τοξεύουσιν, ἔπειτα δὲ κ. τ. λ.

Verba ὡς τὸ πολύ haud dubitanter eliminanda censeo: moneo sermonem h. l. esse de sagittariorum exercitationibus. Verba per errorem huc irrepsisse suspicor ex iis quae mox sequuntur: θηρία γέ τοι ὡς τὸ πολὺ κατατοξεύουσι καὶ ὀρνίθων ἔνιοι τυγχάνουσιν.

---

ibid. 37: θῶμεν γάρ τινας δύο ἐσεληλυθέναι ἐς τὸ Ἀσκληπιεῖον ἢ ἐς τοῦ Διονύσου [τὸ ἱερόν], εἶτα μέντοι φιάλην τινὰ τῶν ἱερῶν ἀπολωλέναι.

Digitized by Google

Vocabula inclusa quin spuria sint vix dubito, cum praesertim τῶν ἱερῶν continuo sequantur.

---

ibid. 44: *Φέρε δὲ τὰ μονοειδῆ καὶ ἁπλᾶ ἐπιγράψωμεν ὡς οἷόν τε εἰκάσαντες ἀνθρώπους ἐπὶ δυοῖν κλήροιν, δύο ἵππους ἐπὶ δυοῖν καὶ ἀλεκτρυόνας δύο καὶ κύνας δύο, τῷ δὲ ἑνάτῳ λέων ἕστω τοὐπίσημον. ἦν τοίνυν τῷ λεοντοφόρῳ τούτῳ κλήτῳ ἐν ἀρχῇ ἐντύχῃς, πόθεν ἔξεις εἰπεῖν ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ τὸν ἔφεδρον ποιῶν, ἢν μὴ παραθεωρήσῃς ἅπαντας ἐπιὼν εἴ τις καὶ ἄλλος λέοντα ἔχει*; Haec postquam Lycinus posuit atque Hermotimus se non habere quod responderet confessus est, ille refert (c. 45): *εἰκότως· οὐδὲ γὰρ εὐπρόσωπον οὐδέν.*

Haec verba a multis varie tentata sunt. Nescio an fuerit: *οὐδὲ γὰρ ἀντιπρόσωπον οὐδέν* h. e. nempe nihil prorsus est quod *τῷ λεοντοφόρῳ κλήρῳ* respondeat.

---

ibid. 51: *ὦ Ἑρμότιμε, ἤτις μὲν ἡ ἀλήθειά ἐστιν ὑμεῖς ἂν ἄμεινον εἴποιτε οἱ σοφοί, [σύ τε καὶ ὁ διδάσκαλος,] ἐγὼ δὲ τό γε τοσοῦτον οἶδα κ. τ. λ.*

Expungantur verba a me inclusa.

---

ibid. 59: *ὡς ὀλισθηρὸς εἶ, ὦ Ἑρμότιμε, καὶ διαδιδράσκεις ἐκ τῶν χειρῶν. πλὴν ἀλλ' ὤνησάς γε· οἰόμενος γὰρ ἐκπεφευγέναι ἐς τὸν αὐτὸν κύρτον ἐμπέπτωκας.*

Nonne Lycinus dixisse putandus est: *ἀλλ' ὤνησάς με*?

---

ibid. i. f.: *ἢ οὐκ ἂν εἴκοσιν ἔτη παρέμενες αὐτῷ .... εἰ τὰ αὐτὰ ἔλεγεν, ἀλλ' ἀπέχρη ἄν σοι καὶ ἅπαξ ἀκούσαντι.*

Immo, opinor, *εἰ ⟨ἀεὶ⟩ τὰ αὐτὰ ἔλεγεν.*

---

ibid. 67: *εἶτα λογιζόμενος ἐτῶν ἀριθμόν, ὁπόσος ἑκάστῃ ἱκανός, ὑπερεξέπιπτες ἀπομηκύνων τὸ πρᾶγμα ἐς γενεὰς ἄλλας, ὡς ὑπερήμερον γίγνεσθαι τἀληθὲς τοῦ ἑκάστου βίου.*

Pro *ἄλλας* Courier *πολλάς* scribere voluit, equidem veram lectionem esse credo *μυρίας*, quod etiam C. 28 med. et Scytha c. 4 i. f. pro magno numero est.

---

ibid. 69 i. f.: *τὸ δὲ πολὺ πορρωτέρω γεγόναμεν ἢ πρότερον ἦμεν*

Digitized by Google

καὶ κατὰ τοὺς παροιμιαζομένους „πολλὰ μοχθήσαντες ὁμοίως ἐσμέν."

Herwerdenus loco mederi studuit scribendo ἔχομεν pro ἐσμέν. Quidni restituimus: ὅμοιοί ἐσμεν, cl. Thucyd. II 89 extr.: ἡσσημένων δ' ἀνδρῶν οὐκ ἐθέλουσιν αἱ γνῶμαι πρὸς τοὺς αὐτοὺς κινδύνους ὁμοῖαι εἶναι.

---

ibid. 73 i. f.: ἠκολούθει τοῖς τῶν προωδευκότων ἴχνεσι, καθάπερ τὰ πρόβατα πρὸς τὸν ἡγούμενον.

Huic loco emendatione nulla opus est, modo virgula ponatur post voc. πρόβατα: ovium ritu vestigia premebat eorum qui praecesserant, ad ducis arbitrium et nutum se accommodans.

---

ibid. 76 in.: λήθη τις ἔστω αὐτῶν ὥσπερ τῶν πρὸ Εὐκλείδου [ἄρχοντος πραχθέντων].

Glossema quod uncis indicavi deleatur cl. CATAPLUS c. 5: τί γάρ με δεῖ πράγματα ἔχειν τὰ πρὸ Εὐκλείδου νῦν ἐξετάζουσαν;

---

ibid. i. f.: ὁ γὰρ καὶ κατὰ μικρότατον ἐνδέων ἀτελής, κἂν πάντα πλείω ἔχῃ — εἰ δὲ τοῦτο οὐχί, οὐδέπω εὐδαίμων.

Locum, quaeso, restituas scribendo: κἂν πάντα πλείω ἔχῃ, ἢν δὲ τοῦτο οὐχί, οὐδέπω εὐδαίμων.

HARMONIDES. C. 3 i. f.: ὥστε ἤν που καὶ νῦν ἐμοὶ ἐς τὸ χεῖρον ῥέπωσιν αἱ ψῆφοι [ἐν τῷ λόγῳ] καὶ ἐλάττους ὦσιν αἱ ἀμείνους, σὺ δὲ τὴν τῆς Ἀθηνᾶς προστιθεὶς ἀναπλήρου τὸ ἐνδέον κ. τ. λ.

Puerile additamentum quod notavi iam tandem tollatur.

SCYTHA s. HOSPES. C. 4 i. f.: σύ με, ὦ Τόξαρι, παραλαβὼν ξενάγησον καὶ δεῖξον τὰ κάλλιστα τῶν Ἀθήνησιν .... καὶ μὴ περιίδῃς ἀθέατον αὐτῶν ἀναστρέψοντα.

Reponendum opinor: μή ⟨με⟩ περιίδῃς.

---

ibid. 5: ὡς δ' ἂν τάχιστα πᾶσαν ἴδοις τὴν πόλιν [τῶν Ἀθηνῶν], μᾶλλον δὲ τὴν Ἑλλάδα ὅλην καὶ τὰ Ἑλλήνων καλά, ἐγὼ ὑποθήσομαί σοι.

Cum de urbe Atheniensium hucusque totus sermo fuerit

Digitized by Google

atque modo Toxaris dixerit: *οὐδ' ἂν ἀφείη σε ῥᾳδίως ἡ πόλις* nomine non addito, verba *τῶν Ἀθηνῶν* a nescio quo ascripta esse videntur.

---

ibid. 8: *μακρὸν ἂν εἴη διηγήσασθαι, ὅπως μὲν ἥσθη ὁ Σόλων τῷ δώρῳ, οἷα δὲ εἶπεν, ὡς δὲ τὸ λοιπὸν συνῆσαν, ὁ μὲν παιδεύων καὶ διδάσκων τὰ κάλλιστα [ὁ Σόλων]... ὁ δὲ τεθηπὼς τὴν σοφίαν αὐτοῦ.*

Inducendum est nomen ut in sequentibus quoque: *ὡς γοῦν ὑπέσχετο αὐτῷ ὁ Τόξαρις, ἐξ ἑνὸς ἀνδρὸς [τοῦ Σόλωνος] ἅπαντα ἔγνω ἐν ἀκαρεῖ καὶ πᾶσιν ἦν γνώριμος καὶ ἐτιμᾶτο δι' ἐκεῖνον.*

---

ibid. 9 in.: *ὥρα γοῦν εἰδέναι οὑτινός μοι εἵνεκα ὁ Ἀνάχαρσις ἐκ Σκυθίας καὶ Τόξαρις τὰ νῦν ἐς Μακεδονίαν ἥκετον ἔτι καὶ Σόλωνα γέροντα ἄνδρα ἐπαγομένω Ἀθήνηθεν.*

Corrigas, quaeso, *ἐπαγομένῳ*: participium videlicet ad *μοι* pertinet.

Digitized by Google

AD CATULLI C. I.

SCRIPSIT

I. S. PHILLIMORE.

Notum quidem illud „pereant qui ante nos nostra dixerunt." Quid autem qui nostra acceperunt rudia, perpolita reliquerunt? Huius modi ferme est quod viro docto J. J. Hartmano a disputatiuncula mea profecto nobilissimum Catulli locum atque eundem corruptissimum emendare contigit. Cui nisi gratias ex animo agam, valde sim inhumanus. Neque enim tota in pugnando et arguendo esse debet ars nostra; multum agitur sociatis operis cum alter ab altero bene incohata ad bonum exitum perducit.

Itaque vehementer probo ea quae doctus ille vester proposuit, cum ille et scrupulum quo laborabam mihi abstulerit, (scil. ne forte illud *mei* glossema verum lectionis varietatem exhiberêt) et totum loci contextum in eam redegerit concinnitatem ut si cuivis perito Catulli carmen sic restitutum ostendatur, certe nihil habitura sit dictio quod ullam suspicionem movere possit. Hoc autem magnum me iudice loci bene emendati signum; cui si modo accesserit palaeographica quae dicitur probabilitas, rem paene pro certa ac demonstrata habeas.

Sed ita probandum censeo illud *tuo*, *patrone*, *verbo* si eius vocis sententia commode explicita fuerit. Qua de re aliquantillum haeret Hartmanus. Quod enim ait vocativum flagitare *τὸ quare*, bene; quod vocativum *patrone* omnibus numeris convenientem ministrat, perbene; ceterum restat, Hartmane doctissime, ut rogem te quid sibi velit illud *tuo verbo*, sive Vahlenianum, seu magis tuum. Mihi quidem videtur istuc non aliter accipi posse quam ut ipsum Nepotem sic scripsisse

Digitized by Google

arbitremur. Nonne enim quod vulgo latius enuntiari solet „ut tuo utar verbo" sic per compendium Catullus dixit? Quid autem blandius, quid hac tam lepida allocutione dignius, quam ipsa Nepotis verba, sive e versiculis amatoriis, seu forte e commentariis historicis sumpta, sic inferre? Mos enim ille satis notus, in honorem alicuius scribenti ipsius versus citare. Ne multus sim, hoc et in Gallo et in aliis Virgilius fecit.

Ergo, si modo haec placent, debemus tibi, doctissime Hartmane, non unius modo scriptoris locum a sordibus nunc demum detersum, sed etiam alterius fragmentum, quod adhuc latuerat, in lucem erutum. O felicem operam quam et Catullo et Nepoti simul imputare potes!

De testatione triginta diebus post clarigationem facta.

Hodie inter omnes, qui antiquitatibus romanis operam dant, convenit testationem a patre patrato factam esse triginta diebus post clarigationem. Veteres autem scriptores de hac re inter se dissentiunt. Legimus enim apud Liv. I 32 : 9 et Serv. Aen. IX 52 eam factam esse triginta tribus diebus post, apud Liv. I 22. 5 et Dion. Hal. II 72. 8 triginta diebus post. Dionysii verba haec sunt: *εἰ δὲ χρόνον εἰς βουλὴν αἰτήσαιντο δέκα διδοὺς ἡμέρας παρεγένετο πάλιν καὶ μέχρι τρίτης αἰτήσεως ἀνεδέχετο.* Itaque testatio ter fiebat, undecimo quoque die. Iam habemus, unde error ortus sit. Fuerunt enim qui hoc ter undecimo quoque die perperam acciperent pro „driemaal, op iederen elfden dag", cuius erroris plura exempla afferri possunt.

M^A. M^A. Assmann.

Digitized by Google

COROLLARIUM.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.

Comiter per litteras ad me datas certiorem me fecit Fridericus Hiller de Gaertringen vetustam inscriptionem, quam huius voluminis p. 66 sqq. primus edidisse mihi viderer, paucis ante annis a se editam esse Inscriptionum Graecarum volumine V°. Alterum fragmentum tunc adhuc maius erat quam nunc est: ante πάντα legebatur TA, supra πάντα servatae erant litterae τια, addito eodem signo peculiari, quod in versu superiore tituli septimum est quodque per $\frac{\pi}{\chi}$ interpretatus sum, idque puncto hic quoque insignitum. De origine tituli Hillerus haec scripsit (I. G. V, 2, 410): „Fragmenta duo tabulae aeneae, Lusis Calabrytam transportata, ubi vidit D. Quinn, qui delineationem accurate factam Wilhelmo misit, cuius humanitate accepimus... Dubito ad Dianae templum referre, quamquam Lusis oriundum esse non negem. Titulus nobile scripturae achaicae documentum". Apparet igitur inscriptionem ex ipsa Achaia oriundam esse, non, ut putabam, ex Magna Graecia. Vere Kirchhoffius, cuius sententiae supra p. 67 mentionem feci, statuisse videtur colonias Magnae Graeciae litteraturam suam ex Achaia accepisse. Nunc etiam rectius interpretari me posse puto illud ΟΛΕΝΗΙΕΡΑΣ. Significat enim, si quid video: Ὠλὴν ἱερὰς (sc. δαρχμάς). Ὠλήν nomen antiquissimi oppidi Achaici est, quod vulgo Ὤλενος vocabatur [1]). Ut enim ἡ ὠλένη nonnunquam ὁ ὠλήν dicebatur (Suid. ὠλὴν δὲ ὠλένος ἀρσενικόν),

1) Herod. I, 145; Polyb. II, 41, 7; Strab. VIII, p. 386, 388; Diod. V, 81; paus. VII, 18, 1; 22, 1. Steph. Byz. s. v.

Digitized by Google

sic oppidum Ὦλενος quoque interdum Ὠλήν (Hesych. Ὠλέναδε, ὡς ἄγραδε). Tenemus igitur, ut mihi quidem videtur, fragmentum catalogi symbolarum, quas oppida Achaica contulerint, fortasse ut Lusis templum Dianae aedificaretur vel exornaretur [1]).

Ceterum tituline interpretatio, quam tentavit Hillerus, verior sit an mea, hoc alii impense oro diiudicent neve nobis, si quid habeant bonae frugis, invidere velint. Praecipua inter nos disceptatio haec est, utrum puncta, quorum nunc in titulo septem numerantur (nam etiam post litteram δ versus alterius punctum conspicitur) notas numerales insigniant, an pro littera, quae est *o* micron, accipienda sint [2]). Quae si cui indagare libet, moneo in aere legi ΤΑΠΑΝΤΑ, non τάλαντα, neque de forma signi, quod V milia significare mihi videtur [3]), ullam dubitationem accidere posse, denique litteram decimam versus superioris mihi *o* esse videri, non φ.

Doleo quod sero animadverti in titulo Amphipolitano Syll.[2] 832 iam Perdrizetum Ῥίχνου correxisse in Ῥιανοῦ [4]) et monumenti filiorum Euphanis in foro Argivo alterum lapidem cum altero ita coniungi oportere, ut legatur:

Καλλικράτης Ἀριστέος
Ἀργεῖος ἐποίησε.

Idem legitur in inscriptionibus in Asclepieo Epidaurio erutis I. G. IV, 1100, 1101, 1478.

1) Cf. Reichel et Wilhelm, Oesterr. Jahresb. 1901, p. 32.

2) Monet me Hillerus in tesseris fictilibus Mantineae effossis plus semel litteram *o* merum punctum esse.

3) Cf. Woisin, De Graecorum notis numeralibus, diss. Lips. 1886, p. 27; syll. 18.

4) Cf. Wilhelm, Neue Beitr. zur griech. Inschriftenkunde, I, p. 42.

Digitized by Google

Ad SOPH. Ant. v. 605.

In cod. L legitur:

τεάν, Ζεῦ, δύνασιν τίς ἀνδρῶν ὑπερβασία κατάσχοι;

Ad quem versum Iebbius haec adnotat: „Epic usage admits the optat. (without ἄν) where an abstract possibility is to be stated .... Attic verse affords some certain examples, — all in negative sentences, or in questions when (as here) a negative answer is expected ....“ Ceterum concedit v. cl. in sermone pedestri nullum exemplum inveniri, de qua re disseruit in Soph. O. C. App. ad v. 170 pag. 273.

Ibi inter exempla, quae apud poetas tragicos occurrunt, in quibus metrum impedit, quominus ἄν inseramus, versum Soph. Ant. 605 quoque enumerat.

In quo versu multum vexato sine ulla fere mutatione ἄν inseritur, si cum cod. P legimus ὑπερβασίᾳ et pro ἀνδρῶν ἂν δρῶν scribimus. Ad δρῶν ὑπερβασίᾳ conferatur Ant. v. 634 παντα χῇ δρῶντες et interpretatio scholiastae ad hunc locum: ὑπερηφανίᾳ κρατῆσαι δύνανται. Itaque legendum mihi videtur;

τεάν, Ζεῦ, δύνασιν τίς ἂν δρῶν ὑπερβασίᾳ κατάχοι;

Ma. Ma. Assmann.

Digitized by Google

PARADOXA TACITEA.

SCRIPSIT

I. I. HARTMAN.

Vulgo metuuntur novae, quas philologi promunt, sententiae, opiniones, coniecturae. Neque, hercle, iniuria. Quam saepe enim iis convelluntur quae solida certaque, obscurantur quae clara et perspicua, perturbantur quae plana et simplicia aut erant antehac aut certe videbantur. Consentaneum ergo est aequis accipi auribus si quis locum aliquem, nobilem praesertim et insignem, sed diu varieque a multis tentatum, ab omni se graviore suspicione vindicaturum profitetur: nihil in eo esse demendum, mutandum, transponendum, utpote quem nobis codices integrum, sanum, purum tradiderint.

Atque ab eiusmodi exordio haecce proficiscetur demonstratio.

De *Germaniae* situ, populis, moribus hoc modo atque hoc ordine a Tacito in „Germania" agitur:

I (c. 1) de terrae situ in universum.

II (c. 2—4) Germanos indigenas fuisse probatur.

III (c. 5) de solo.

Habemus ergo hic tria argumenta generalia, sequitur

IV (c. 6) de incolarum armis et re militari.

Argumentum peculiare unum sic denique tribus generalibus, quae antea continua sunt tractata serie, additur. Atque hunc esse ordinem, quem ipsa rei postulet natura, quis infitiabitur?

Agite nunc quo modo in Agricola de Britannia disputetur videamus. Totum locum excribam quemadmodum in codicibus legitur. Nam in editiones plerasque aliqua est recepta trans-

Digitized by Google

positio, ita ut molesta fiat et ingrata lectio si quis mutata denuo in pristinum ordinem redigere cogitur:

I c. 10. Britanniae situm populosque multis scriptoribus memoratos non in comparationem curae ingeniive referam, sed quia tum primum perdomita est: ita quae priores nondum comperta eloquentia percoluere rerum fide tradentur. Britannia, insularum quas Romana notitia complectitur, maxima, spatio ac caelo in orientem Germaniae, in occidentem Hispaniae obtenditur, Gallis in meridiem etiam aspicitur, septentrionalia eius, nullis contra terris, vasto atque aperto mari pulsantur. Formam totius Britanniae Livius, veterum, Fabius Rusticus, recentium eloquentissimi auctores oblongae scutulae vel bipenni adsimulavere (unde et in universum fama est transgressa); sed immensum et enorme spatium procurrentium extremo iam latere terrarum velut in cuneum tenuatur. Hanc oram novissimi maris tunc primum Romana classis circumvecta insulam esse Britanniam affirmavit, ac simul incognitas ad id tempus insulas, quas Orcadas vocant, invenit domuitque. Dispecta est et Thule, quia hactenus iussum et hiems appetebat. Sed mare pigrum et grave remigantibus perhibent ne ventis quidem perinde attolli, credo quod rariores terrae montesque, causa ac materia tempestatum, et profunda moles continui maris tardius impellitur. Naturam Oceani atque aestus neque quaerere huius operis est, ac multi retulere: unum addiderim, nusquam latius dominari mare, multum fluminum huc illuc ferre nec litore tenus accrescere aut resorberi sed influere penitus atque ambire et iugis etiam ac montibus inseri velut in suo.

(hactenus ergo *de situ terrae.*)

II c. 11. Ceterum Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenae an advecti, ut inter barbaros parum compertum: habitus corporum varii, atque ex eo argumenta. Namque rutilae Caledoniam habitantium comae, magni artus Germanicam originem asseverant: Silurum colorati vultus, torti plerumque crines et posita contra Hispania Iberos veteres traiecisse easque sedes occupasse fidem faciunt; proximi Gallis et similes sunt, seu durante originis vi, seu procurrentibus in diversa terris positio caeli corporibus habitum dedit. In universum

Digitized by Google

tamen aestimanti Gallos vicinam insulam occupasse credibile est. Eorum sacra deprehendas [superstitionum persuasiones]; sermo haud multum diversus, in deposcendis periculis eadem audacia et, ubi advenere, in detractandis eadem formido. Plus tamen ferociae Britanni praeferunt, ut quos nondum longa pax emollierit. Nam Gallos quoque in bellis floruisse accepimus; mox segnitia cum otio intravit, amissa virtute pariter ac libertate. Quod Britannorum olim victis evenit; ceteri manent quales Galli fuerunt.

(Secundo igitur loco de *incolarum* agitur origine estque hactenus idem argumentorum ordo quem in Germania habemus.)

III. In pedite (in *equite* Url.) robur; quaedam nationes et curru proeliantur: honestior auriga; clientes propugnant. Olim regibus parebant, nunc per principes factionibus et studiis distrahuntur. Nec aliud adversus validissimas gentis pro nobis utilius, quam quod in commune non consulunt; rarus duabus tribusque civitatibus ad propulsandum commune periculum consensus: ita singuli pugnant, universi vincuntur.

(Tertia ergo pars agit de re militari et de pugnandi ratione, quae in Germania quarta pars est.)

IV. Caelum crebris imbribus ac nebulis foedum; asperitas frigorum abest. *Aestate* (ins. Baehr.) dierum spatia ultra nostri orbis mensuram; nox clara et extrema Britanniae parte brevis, ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas; quodsi nubes non officiant, aspici per noctem solis fulgorem, nec occidere et exsurgere sed transire affirmant. Scilicet extrema et plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras, infraque caelum et sidera nox cadit. Solum praeter oleam vitemque et cetera calidioribus terris oriri sueta patiens frugum, fecundum: tarde mitescunt, cito proveniunt; eademque utriusque rei causa, multus umor terrarum caelique. Fert Britannia aurum et argentum et alia metalla, pretium victoriae. Gignit et Oceanus margarita, sed subfusca et liventia. Quidam artem legentibus abesse arbitrantur; nam in rubro mari viva ac spirantia saxis avelli, in Britannia, prout expulsa sint, colligi. Ego facilius crediderim naturam margaritis deesse quam nobis avaritiam. Ipsi Britanni dilectum et tributa et iniuncta im-

Digitized by Google

perii munera impigre subeunt, si iniuriae absint: has aegre tolerant, iam domiti ut pareant, nondum ut serviant

[Ergo IV de caelo, solo, fructibus redituque, quae in Germania pars est III.]

Denique in utroque libello idem argumentum in totidem easdemque est divisum partes. Sed hae in Germania multo melius quam in Agricola sunt dispositae. Contra illud *igitur* a quo incipit c. 13 egregie iis adnectitur vocabulis quae in codicibus totam claudunt descriptionem Britanniae:

iam domiti ut pareant, nondum ut serviant.

His enim quodammodo legentium animi praeparantur ad accipiendum qua ratione, quo ordine, quo successu Romani Britannos subigere sint conati, seque ad illam rem tractandam Tacitus accingit. Quo cum pervenit, sic incipit: *igitur*, id est „ut ad propositum veniam" (nos „welnu dan", Germani nostro proposito multo accommodatius etiam „also").

Iam peculiarem quandam, et si non raram, tamen paulo minus usitatam illud *igitur* hic vim habere, vel hoc indicio est quod Baehrensius, qui et ipse transpositionibus hic utitur, delendum illud censuit. Nam fuerit Baehrensius in suis admittendis coniecturis interdum paulo inconsideratior, at erat vir acutus doctusque et sicubi erravit nunquam sine causa a recta deflexit via. Quod hic evenit. Quo consilio vox illa *igitur* posita esset non perspexit, nam si perspexisset, simul hoc intellexisset utique eum esse hic servandum partium ordinem quem praebent Agricolae codices.

Haud absurdum mihi videtur paulisper etiam de illo vocis quae est *igitur* disputare usu. Res enim hic agitur haud parvi momenti quae tota in uno illo versatur vocabulo. Illustrandi ergo causa duos afferam locos disertissimos. Alterum ipsius Taciti:

H. II, 68. Et (*victas* ins. Haase) quidem partes modeste distraxerat (Vitellius): apud victores orta seditio ludicro initio, ni numerus caesorum invidiam Vitellio movisset. Discubuerat Vitellius Ticini adhibito ad epulas Verginio. Legati tribunique e moribus imperatorum severitatem imitantur vel tempestivis conviviis gaudent, proinde miles intentus aut remisse agit: apud Vitellium omnia indisposita, temulenta, pervigiliis et

Digitized by Google

Bacchanalibus quam disciplinae et castris propiora. *Igitur* duobus militibus, altero legionis quintae, altero e Gallis auxiliaribus per lasciviam ad certamen luctandi accensis, postquam legionarius prociderat, insultante Gallo et iis qui ad spectandum venerant in studia diductis, erupere legionarii in perniciem auxiliorum ac duae cohortes interfectae.

Alterum ex auctore diversissimo ... Catullo in epithalamio Pelei et Thetidis vs. 192 estque is locus, si fieri potest, disertior etiam; nam quod ibi non *igitur* verum *quare* legitur, id quidem vix ullius est momenti. Ariadne, postquam multa de tristi sorte sua et de morte sibi expetenda est lamentata, sic alio rem vertit:

> Non tamen ante mihi languescent lumina morte,
> nec prius a fesso secedent corpore sensus,
> quam iustam a divis exposcam prodita multam
> Caelestumque fidem suprema comprecer hora.
> QUARE facta virum multantes vindice poena
> Eumenides, quibus anguino redimita capillo
> frons exspirantes praeportat pectoris iras,
> huc huc adventate (sequitur imprecatio).

Esto, habemus in Germania et in Agricola eandem rem (et est ea magna utriusque libelli pars) in totidem eademque divisam capita, sed ea in Germania secundum ipsam rei naturam disposita, in Agricola leviter quidem sed tamen perturbata, idque certo deliberatoque consilio, quo melius totus ille locus de situ populis moribus Britanniae libri contextui adaptaretur.

Nonne in promptu nunc est coniectura Tacitum in Agricola semet ipsum esse imitatum et quod in Germania dedisset exemplum loci de situ populis moribus tractandi disponendique, eo in Agricola ita esse usum ut propter mutatum libri consilium a suo ipse exemplo leviter deflecteret?

Ergo Agricola post Germaniam scriptus. Scio contrarium in libris de historia literarum latinarum doceri. Sed estne ipsa res incredibilis? Minime, minime vero. Vide hanc computationem ratiocinationemque.

Digitized by Google

Germania scripta est a. 98 p. C. n. (c. 37 „ad alterum imperatoris Traiani annum").

Cimbri profligati Caecilio Metello, Papirio Carbone Consulibus . . . . a. 113 a. C. n.

fiunt . . . . 211 anni (ipse Tacitus, admodum accurate „ducenti ferme et decem anni colliguntur").

Agricola scriptus est post mortem Nervae, quemadmodum apparet e verbis c. 44 *principem Traianum*. Praeter illum *terminum post quem* qui dicitur nihil habemus quo Agricolae libri annum natalem accuratius indicemus. Nam quod olim aiebant viri docti: „e verbis Agr. 45 *nobis ante quadriennium amissus es* efficias Agricolam scriptum esse a. 97 (mortuus enim Agricola est mense Augusto a. 93); at in eodem libro c. 44 legimus *principem Traianum*. Apparet ergo scriptum esse Agricolam post 27 Ian. 98 quo die mortuus est Nerva. Largiamur Tacito, ne grave insit mendacium in isto *ante quadriennium*, quinque menses et paucos dies, ultra procedere nefas, nam si Agricolam post 27 Febr. scriptum statuimus *ante quinquennium* potius quam *ante quadriennium* scribendum ei fuerat. Ergo scriptus est Agricola inter 27 Ian. et 27 Febr. a. 98, sed quam proxime a 27 Ian. simulque quam plurimis diebus ante 27 Febr. ... et quidni ipso 27 Ian. sub vesperum vitam soceri sui scripserit Tacitus?" id quidem nihili est. Sic enim negligitur illud *tam longae absentiae conditione* e quibus verbis luce clarius apparet vocabula *ante quadriennium* sic esse accipienda ut Tacitus dicat: „ego socerum meum iam quatuor annis ante mortem eius amisi", quemadmodum et accipiebantur olim ab interpretibus. (Fusius hanc quaestiunculam tractavi Mnem. a. 1915 p. 252 sqq.)

Ergo sic potius equidem totam mihi informo rem. Usque ad annum 98 uni arti dedit operam oratoriae Tacitus; causas agebat, responsa dabat, eloquentiam docebat, hoc nomine inclaruerat, alio ne innotuerat quidem. At tum

mutandum mihi propositumst et vitae genus

ait seque ad historiam scribendam contulit. Sed primum sui fecit periculum novaeque artis dedit documentum atque argumentum tractavit neque ab arte oratoria alienum et cum

Digitized by Google

historia coniunctissimum. Semper enim quam nos „ethnographiam" vocamus apud omnes fuit in summo honore qui „pulchris" dant operam „literis". E quo genere et Tacitus fuit, qui quo modo sit considerandus et quo aestimandus pretio is demum intelligit qui aliquamdiu cum Plinio minore vixit eiusque aequalibus et amicis. „Literatores" illi fuerunt et „belletristae", ut nunc loquimur: artem, atque adeo omne artium genus, artis exercebant causa, neque quidquam iis potius fuit quam variae et multiplicis laus sapientiae doctrinaeque. Quodsi cui forte suspicio nascitur omnes illos viros qui Plinio praestantissimi sunt visi scriptores poetaeque fortasse ineptissimos fuisse mortalium, „poetastros", atramenti chartaeque pestes et quid non, is eiusdem fuisse familiae Tacitum reputet: simul intelliget eundem illum Tacitum, quem tamquam summum historicum colunt admiranturque, Voconii Romani quam Thucydidis (ne quem e recentioribus, Groteum, Gibbonem, Tocquevillium nominem) fuisse similiorem.

Ineunte ergo anno 98 Tacitus Germaniam scripsit. Iam tum sibi comparavit scribendi illud genus acutum, breve, „velox" quod postea in „Annalibus" ad summum erat evecturus fastigium, simulatque res ita ferret ad antiquam rediturus artem. Nam quid tandem, obsecro, impedit quominus *Dialogum* post Historias aut certe post aliquot Historiarum libros scriptum credamus? Proprium illud fuit illius aetatis atque illorum hominum ab alio ad aliud excurrere genus. Et quamvis Tacito, item ut Ciceroni, historia visa sit „opus oratorium" (i. e. literarium. Conferatur hic Boisserius in Journal des Savants a. 1895) maxime, tamen cum, quacunque tandem de causa, de corrupta suae aetatis eloquentia disputare decrevisset, ea opportunitate usus est ad demonstrandum minime se pristinae suae artis, quae artiore sensu oratoria dicitur, esse immemorem neque plane „rotunditatem" dedidicisse Tullianam, qua tunc opus erat et quam ipse olim, utpote orator, strenue fuerat aemulatus.

Atque Germaniae iam tum addidit libellum de situ, moribus, populis Britanniae, mox et alia ex eodem genere additurus opuscula. Sed alio eum vocavit ipsa vita. Iam enim primis Traiani annis intellexit Tacitus atque adeo expertus

Digitized by Google

est male et se et Agricolam socerum audire et quicunque praeterea salvi evaserant crudelem Domitiani saevitiam. En subito duplex se Tacito offerebat causa cur novum in lucem emitteret librum: simul et scribere aliquid poterat quod magis etiam quam Germania historici esset generis et demonstrare:

„(licere) inter abruptam contumaciam et deforme obsequium pergere iter ambitione et periculis vacuum" (verba haec sunt ex Ann. IV, 20) et:

„posse etiam sub malis principibus magnos viros esse, obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eorum laudes excedere, qui plerique per abrupta sed in nullum reipublicae usum ambitiosa morte inclaruerunt". (Agr. c. 42). En hoc est de eadem fidelia duos dealbare parietes! Nam quamvis varius et multiplex liber ille Taciti sit Agricola, tamen naturam eius et originem satis accurate me iis quae modo enarravi explicuisse arbitror.

Atque in eam Agricolae vitam recepit illam qua tunc opus erat Britanniae descriptionem, scriptam iam antea sed ita immutato capitum ordine ut tota novo consilio quam aptissima fieret. Ne ergo nos immutatum illum ordinem denuo immutemus, sed suum Wexio alliisque reddamus inventum!

Omnino ipsam historiam parum curat Tacitus: *οὐκ ἐν ἔργου ἀλλ' ἐν παρέργου* ei *μέρει* est: tamquam opus vere oratorium eam adhibet in quo quid ipse possit demonstret. Sic in Agricola se de Domitiano, Nerva, Traiano scripturum profitetur (c. 3 memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum) sed septem fere annis post, cum iam satis diu Traianus imperaverat ut aliquid dignum cognitu de eius regno commemorari posset, hunc cum Nerva missum facit Domitianoque praemittit „longum" illum „et unum annum", dein Vespasianum Titumque. Sed cur promisso non stet ut exponat tantum abest ut ne ullam quidem illius faciat mentionem.

Nunc eum deprehendimus sua ipsum opera retractantem et quae antea alio composuerat consilio ornandi causa novo inserentem libello. Addam locum ubi ipse quae antea tradiderat immutavit, non tam veritatis studio ductus quam quod interea cognovit atque adeo fando audivit aliquid quod quominus iis quae scripta iam erant insereret a se impetrare non potuit,

Digitized by Google

sic illa ultro corrumpi aut non videns aut parum curans.

Legitur locus ille A. I, 5. De quo iam in Analectis meis disputavi, sed leviter mutandam meam esse sententiam postea intellexi; nunc quid censeam optime apparebit si totum locum legentium subiiciam oculis:

„Haec atque talia agitantibus gravescere valitudo Augusti; et quidam scelus uxoris suspectabant. Quippe rumor incesserat paucos ante menses Augustum electis consciis et comite uno Fabio Maximo Planasiam vectum ad visendum Agrippam; multas illic utrimque lacrimas et signa caritatis, spemque ex eo, fore, ut iuvenis penatibus avi redderetur. Quod Maximum uxori Marciae aperuisse, illam Liviae. [Gnarum id Caesari] Neque multo post exstincto Maximo [dubium an quaesita morte] auditos in funere eius Marciae gemitus semet incusantis quod causa exitii marito fuisset. Utcunque se ea res habuit, vixdum ingressus Illyricum Tiberius properis matris literis accitur, neque satis compertum est, spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam an exanimem reppererit. Acribus namque custodiis domum et vias saepserat Livia, laetique interdum nuntii vulgabantur, donec, provisis, quae tempus monebat, simul excessisse Augustum et rerum potiri Neronem fama eadem tulit".

Vides quam bene decurrat totum caput et quam sit aptum proposito si eiiciuntur ea quae ego uncinis inclusi. Ratio est reddenda quomodo natus sit rumor veneno exstinctum Augustum quod ei subministrandum curaverit Livia. Et rationem reddidit Tacitus ita ut tota res sit quam maxime verisimilis. Unicus ille testis reconciliationis Augustum inter et Agrippam Postumum, Fabius Maximus non multo post illam reconciliationem *exstinctus* est seque marito causam exitii fuisse ipsa uxor eius Marcia fassa est: se enim illam reconciliationem Liviae aperuisse. Nonne sic palam profitetur Marcia veneno exstinctum maritum quod ei aliquo modo subministrandum curaverit Livia? Conferantur quae dicta sunt Anal. Tac. 212 sq.

Importuna ergo ista „gnarum id Caesari" et „incertum an quaesita morte" quae totum caput perturbant et pro simplici perspicuoque impeditum reddunt et obscurum, unde huc pedem intulerunt? Statim apparebit si Taciteae de Fabio Maximo narrationi Plutarcheam (de Garr. c. XI) opposuero eamque

Digitized by Google

latine versam quo sit facilior comparatio. Nam hoc quidem in dubium vocabit nemo quin Mezeriacus recte statuerit Plutarchum quoque de *Fabio* ibi narrasse non de nescio quo *Fulvio*.

Est ergo haec Plutarchi narratio:

Fabius Augusti familiaris, cum principem iam senem lamentantem audivisset quod deserta domus sua esset: se enim cum tres nepotes e filia haberet, duobus illorum mortuis, tertioque Postumo, qui solus superesset, e calumnia in exsilium pulso cogi successorem imperii asciscere privignum suum, sed se miseritum illius adolescentis de reducendo eo in urbem cogitare — hoc Fabius audito rem ad uxorem tulit, et illa ad Liviam. Livia vero vehementer in maritum est invecta quod, si iamdudum illud consilium iniisset, nepotem non arcesseret sed uxorem suam induceret in inimicitias et odium cum futuro principe. Atque postridie mane cum Fabius de more ad principem venisset eumque, verbo *ave* usus, salutasset, ille „vale Fabi" respondit. Quod quid sibi vellet ille intelligens statim domum rediit, uxorem arcessivit et „Princeps" ait „cognovit me secretum non servasse, ideoque ipse mihi mortem consciscam". „Et merito" illa respondit „quod cum tot annos me uxorem habuisses meam garrulitatem non caveris. Verum me prius mori sine". Sumptoque gladio ante maritum semet percussit.

Vides de morte Fabii Maximi duplicem in ore vulgi fuisse narrationem. Secundum alteram veneno est sublatus de medio, secundum alteram ipse sibi conscivit mortem. Illam de veneno prius secutus est Tacitus, illam de morte voluntaria Plutarchus in lepidissimum recepit librum, quo exempla malorum e garrulitate natorum est complexus. At Tacitus simplici illa quam iam dederat de veneno narratione non contentus, simulatque alteram cognovit intricatiorem et legentium animis commovendis aptiorem de gladio prius a Marcia deinde a Fabio in pectus directo (quae qui factum sit ut prius Chaeroneam ad Plutarchum perveniret quam Romae innotesceret Tacito inutile est quaerere) eam nostro addidit capiti, parum curans quod quae intercederet ratio inter praecedentia verba „et quidam scelus uxoris suspectabant" et ipsam narrationem nunc plane fieret obscurum, cum in pristina narratione luce fuisset clarius.

Sed multo insignius eiusdem rei exemplum illud est quod

Digitized by Google

ad Neronem, Poppaeam, Othonem pertinet, de quo et ipso iam ante plus viginti annos egi (Mnem. 1898 p. 314 sqq.). De qua disputatione breviter hic referre haud inutile videtur, quia illo quoque loco ipse Tacitus postea aliquid a se esse immutatum uno prodit vocabulo, quo antea aptissime adnectebantur nunc ineptissime adglutinantur sequentia praecedentibus.

Legimus l. XIII Annalium in ipso initio capitis 47 haec:

„Hactenus Nero flagitiis et sceleribus velamenta quaesivit".

Hactenus. Quatenus? Ut opinor, donec peracta et ad finem perducta erant ea quae in proxime praecedentibus narrata sunt. Aliam vim illa vox *hactenus* neque habet neque habere potest. Quae ergo illa sunt? Ipsum audiamus Tacitum, cuius ego verba hic sic afferam ut quae mihi in hac quaestione maximi visa sunt momenti ipsa literarum forma a cetero contextu secernenda et distinguenda curem.

c. 45. Non minus *insignis* eo anno *impudicitia* magnorum reipublicae malorum initium fecit. Erat in civitate Sabina Poppaea, T. Ollio patre genita, sed nomen avi materni sumpserat, illustri memoria Poppaei Sabini, consulari et triumphali decore praefulgentis: nam Ollium honoribus nondum functum amicitia Seiani pervertit. Huic mulieri cuncta alia fuere praeter honestum animum. Quippe mater eius aetatis suae feminas pulchritudine supergressa gloriam pariter et formam dederat: opes claritudini generis sufficiebant. Sermo comis nec absurdum ingenium. Modestiam praeferre et lascivia uti. Rarus in publicum egressus, idque velata parte oris, ne satiaret aspectum, vel quia sic decebat. Famae nunquam pepercit, maritos et adulteros non distinguens, neque affectu suo aut alieno obnoxia, *unde utilitas ostenderetur, illuc libidinem transferebat.* Igitur agentem eam in matrimonio Rufri Crispini, equitis Romani, ex quo filium genuerat, Otho pellexit iuventa ac luxu *et quia florentissimus in amicitia Neronis habebatur.*

46. Nec mora quin adulterio matrimonium iungeretur. Otho sive amore incautus laudare formam elegantiamque uxoris apud principem, sive ut accenderet ac, *si eadem femina potirentur, id quoque vinculum potentiam ei adiceret. Saepe auditus est* consurgens convivio Caesaris, se quidem ire ad illam sibi concessam dictitans nobilitatem pulchritudinem, vota omnium

Digitized by Google

et gaudia felicium. His atque talibus irritamentis non longa cunctatio interponitur, sed accepto aditu Poppaea primum per blanditias et artes valescere, imparem cupidini se et forma Neronis captam simulans, mox acri iam principis amore, ad superbiam vertens, si ultra unam alteramque noctem attineretur, nuptam esse se dictitans nec posse matrimonium amittere [1]), devinctam Othoni per genus vitae, quod nemo adaequaret. Illum animo et cultu magnificum: ibi se summa fortuna digna visere: at Neronem, paelice ancilla et adsuetudine Actes devinctum, nihil e contubernio servili nisi abiectum et sordidum traxisse. Deicitur familiaritate sueta, post congressu et comitatu Otho, et ad postremum, ne in urbe aemulatus ageret [2]), provinciae Lusitaniae praeficitur; ubi usque ad civilia arma non ex priore infamia, sed integre sancteque egit, procax otii et potestatis temperantior.

47. Hactenus Nero flagitiis et sceleribus velamenta quaesivit....

At, o bone, *hactenus* nulla quaesivit velamenta Nero. Certe in illo Poppaeae Neronisque adulterio omnia fiunt quam apertissime impudentissimeque. Haec enim apud Tacitum leguntur verba: *Insignis impudicitia; saepe auditus est* alia. Quid quod, secundum hanc certe narrationem, ne ipsum quidem adulterium Nero quaesivit vel appetivit, sed sponte se ipsa Poppaea Neroni obtulit, vel, si hoc mavis, a marito suo ei est oblata.

Age, iam caput 45 inde a verbis *initium fecit* et totum caput 46 dele et in vacuum locum haec ex H. I, 13 transfer:

(Nero) Poppaeam Sabinam, principale scortum (apud Othonem) ut apud conscium libidinum seposuit donec Octaviam uxorem amoliretur. Mox suspectum in eadem Poppaea in provinciam Lusitaniam seposuit

eaque quantum vis orna et amplifica dummodo sensum relinquas intactum. Quam belle nunc sequitur: *hactenus Nero... velamenta quaesivit!*

---

1) *Amittere*: ecquid *omittere?*

2) *Aemulatus ageret.* Mire dictum. Ecquid Tacitus scripsit *aemulum ageret* vel *aemulus ageret*, ut *agendi* verbum absolute sit positum?

Digitized by Google

Quid ergo hic evenisse censeamus? Equidem ne fingi quidem excogitarique quidquam aliud posse opinor praeter hoc: nostro Annalium loco Tacitus prius eadem fere de Nerone Poppaea Othone narraverat quae in Historiis, postea hac deleta in Annales eam retulit quam nunc in Annalibus habemus, sed — „tantamne rem tam negligenter?" dixerit quispiam — intacta reliquit ista: „hactenus Nero flagitiis et sceleribus velamenta quaesivit", atque sic omnibus neglectis velamentis ipse futile istud suum augendi amplificandi exaggerandi studium ultro indicavit.

Quid enim hae narrationes inter se discrepant? In Historiis tres habemus homines vituperandos quidem et magnopere reprehendendos sed „non praeter solitum leves", verum quales innumeros quaevis aula et quaevis urbs habuit semper. Nero ibi est Antiphonum Chaerearumque Terentianorum similis, Poppaea Thais quaedam, Otho vero paene insons dicendus est. Risum vulgo eiusmodi homines et eiusmodi facta movent, non indignationem et ridebant ut opinor Romani hosce audientes repetentesque versiculos:

Cur Otho mentito sit, quaeritis, exsul honore:
uxoris moechus coeperat esse suae.

At illa in Annalibus historia quam est auditu horribilis et abominanda! In qua solus Nero idem est qui in Historiis, certe *non multo* melior (nam paulo meliorem esse concedo): quae ei offertur muliercula eam statim adamare incipit ita ut ne maritum quidem aemulum ferre possit: Otho vero nobis exhibetur non moechus sed leno uxoris suae: a quo pretium exspectat illi eam offert atque adeo obtrudit. Quanto turpior hic maritus quam ille apud satiricum „doctus spectare lacunar"! Et quis unquam audivit de monstro et prodigio qualis hic nobis depingitur Poppaea, nullum amans vere sed identidem omnium virorum adolescentiumque depravans mores atque mentem? Odimus meritoque odimus Othonem, qui suam ipse uxorem venditat, sed illa emptorem ei monstrat; „unde utilitas ostenderetur, illuc libidinem transferebat" vide et alia in eandem sententiam, quae et ipsa inclinatis literis exarari iussi).

Quid autem Tacitus? Quod notissimis versiculis de „plebecula credula" dixit Vondelius noster:

Digitized by Google

„Dirius est quo quidque libentius arripit illud" id in Tacitum quoque convenit. Cum Historias scribebat nihil de Othone Poppaea Nerone ei innotuerat praeter illud quod in ore populi fuisse testatur Suetonius cui distichon illud *cur Otho* e. q. s. debemus. At nondum ei innotuerat narratio illa de Othone uxoris suae lenone et Poppaea lenonis sui magistra quam fortasse tragicus aliquis ex illo coetu Pliniano erat commentus. Hanc vero ubi cognovit Tacitus nihil moratus leniorem atrociori cedere narrationem iussit.

Iam tres habemus locos quos a se retractatos ipse inscius et invitus fatetur Tacitus. Nunc quartum addam multo insigniorem multoque maioris momenti, magnarum inimicitiarum magnique odii causam. De quo ita ego agam ut neque offendam quemquam et libere quid ipse sentiam proloquar.

Acturus enim iam sum

DE LOCO DE CHRISTIANIS (Ann. XV, 44).

Sed prius ipsum audiamus Tacitum narrantem ea quae praecedunt quaeque continuo sequuntur. Sic optime apparebit quae mea sit de ipsa re sententia:

43. Ceterum urbis quae domui (sc. aureae) supererant, non, ut post Gallica incendia nulla distinctione nec passim erecta sed dimensis vicorum ordinibus et latis viarum spatiis cohibitaque aedificiorum altitudine ac patefactis areis additisque porticibus quae frontem insularum protegerent. Eas porticus Nero sua *exstructurum* purgatasque areas dominis *traditurum pollicitus est*. Addidit praemia pro cuiusque ordine et rei familiaris copiis finivitque tempus, intra quod effectis domibus aut insulis apiscerentur. Ruderi accipiendo Ostienses paludes *destinabat*, utique naves, quae frumentum Tiberi subvectassent, onustae rudere decurrerent; aedificiaque ipsa certa sui parte sine trabibus saxo Gabino Albanove solidarentur, quod is lapis ignibus impervius est, nec communione parietum sed propriis quaeque muris ambirentur. Iam aqua privatorum licentia intercepta quo largior et pluribus locis in publicum flueret, custodes; et subsidia reprimendis ignibus in propatulo quisque haberet. Ea ex utilitate accepta decorem quoque novae urbi attulere. Erant

Digitized by Google

tamen, qui crederent veterem illam formam salubritati magis conduxisse, quoniam angustiae itenerum et altitudo tectorum non perinde solis vapore perrumperentur: at nunc patulam latitudinem et nulla umbra defensam graviore aestu ardescere. Et haec quidem humanis consiliis *providebantur*.

44. Mox petita dis piacula aditique Sibyllae libri ex quibus supplicatum Vulcano et Cereri Proserpinaeque ac propitiata Iuno per matronas, primum in Capitolio deinde apud proximum mare, unde hausta aqua templum et simulacrum deae perspersum est; et sellisternia ac pervigilia celebravere feminae quibus mariti erant.

45. *Interea* conferendis pecuniis pervastata Italia.

Quam sunt hic omnia nitide limpide eleganter enarrata. Si unquam, nunc egregium se praestat scriptorem Tacitus, qui quem quaeque sibi postulet colorem oratio tam bene intelligat. Nihil fucati hic habemus nihil inflati; placido simplicique sermone legentes edocet de iis rebus de quibus cum maxime agatur, hoc unum curans ut probe intelligant omnes omnia, praetereaque nihil. Et quam apte deinde sic pergit: „*interea* conferendis pecuniis pervastata Italia". *Interea* nam quaecunque capite 43 et initio capitis 44 sunt exposita pleraque omnia ad *futurum* tempus pertinent, quod quo magis appareret ego vocabula eo spectantia inclinatis exaranda curavi literulis: quo modo nova sit aedificanda urbs, quo modo providendum sit ne posthac tanta exsistere possit clades, denique qua ratione pax deorum sit impetranda statuitur. Sed haec omnia non una hora vel uno die effici et ad finem perduci possunt, maior pars annum pluresve annos sibi postulat; *interea* pecunia quaerenda ubique. Tum scriptor eadem simplicitate eademque brevitate, qua usus est antea, haec quoque exponit. Sed post illa *quibus mariti erant* et ante illud *interea conferendis pecuniis* subito narrator vocem tollit fitque pueri declamantis quam prudentis historici multo similior. Nunc quoque ipsum loquentem inducam sed ita ut identidem eum interpellem, coarguam, confutem.

„Sed nec ope humana nec largitionibus principis aut deum placamentis decedebat opinio quin iussum incendium crederetur".

Libenter credimus, sed nec *ope* illa *humana* nec *deum placamentis* eiusmodi aliquid spectabatur; ut quam celerrime et

Digitized by Google

quam optime nova aedificaretur urbs, haec unica erat cura, illi proposito apta sunt quae hic enumerantur, sed vulgi rumor atque opinio publica non istis aboletur consiliis (ope humana, largitionibus principis, deum placamentis). Utcunque tamen ista ferrem concoqueremque si quidquam in iis quae proxime praecedunt de eiusmodi fuisset dictum rumore, de quo nunc altum est silentium.

„Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis eius Christus Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat; repressaque in praesens *exitiabilis superstitio* rursum erumpebat, non modo per Iudaeam, originem eius mali, sed per urbem etiam quo cuncta undique *atrocia aut pudenda* confluunt celebranturque".

Unde tanta ista ira et indignatio quorsumque illa maledicta et convicia? Quidni antea nos docuisti quid Christiani commiserint et *cuius rei poenas* auctor illius nominis dederit? Boni esse narratoris opinor primum de scelere deinde de supplicio nos reddere certiores.

„Igitur primum correpti qui fatebantur".

Quid, obsecro, fatebantur? Christianosne se esse? Fatebantur ergo nihil aliud quam hoc reos se esse, id quod omnes qui aderant suis videre poterant oculis. An vera esse quaecunque vulgo Christianis vitio dabantur, stupra, adulteria, dira sacrificia? An denique a Christianis incensam esse urbem? Miros, hercle, Christianos qui *faterentur* id quod falsissimum esse norant omnes mortales.

„deinde indicio eorum ...."

Adeone triginta post Magistri mortem annis degeneraverant Christiani ut iam tum, nulla re coacti, fratres sororesque indicarent tamquam conscios, cuius maleficii? Et quae tandem miseros subito arripuit insania ut, cum et omnes mortales et sciret ipse Nero insontes eos esse, tamen nocentes se videri cuperent?

„multitudo ingens"

Ergone iam tum multa milia Christianorum in urbe Roma aderant? An eo confugiamus ut dicamus non esse hic urgenda

Digitized by Google

singula vocabula, quoniam et alibi Tacitus eiusmodi verbis quale est illud *ingens* abutatur, qui et H. I, 6 satis absurde de trucidatis *tot milibus* inermium militum loquatur? At vel sic Tacitus, cum Tiberii tempus tractaret, alicubi — id quod facile erat — Christianorum debuerat facere mentionem.

„Haud perinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt".

Parum ergo confessio illa proderat Neroni. Immo vero vehementer nocebat. Quid enim? Ut incendii infamiam a se averteret, Nero alios subdidit reos, at illi incendii crimine sunt absoluti, id quod diserte illis *haud perinde in crimine incendii* e. q. s. significatur. Maiore ergo vi incendii crimen in ipsum recidebat Neronem.

„et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi aut flammati, atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur".

Mire perturbata narratio quae ne deletis quidem verbis *aut crucibus affixi aut flammati* in integrum restituitur.

„Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat et circense ludicrum edebat, habitu aurigae permixtus plebi vel curriculo insistens".

Quo modo haec sunt intelligenda? *Facum viventium* praebebat spectaculum plebi Nero sed ipse ne quisquam eo converteret oculos strenue dabat operam aliud eodem tempore exhibens spectaculum.

„Unde, quamquam adversus sontes..."

At modo insontes eos fuisse, certe incendii, alta voce ipse clamavit Tacitus

„et novissima exempla meritos..."

Cur, quaeso? Nihil tale meruisse miseros luce clarius ex iis quae praecedunt apparuit

„miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publica, sed in saevitiam unius absumerentur".

Denique res eo redit ut Nero incendii crimen a se avertere cupiens impudentissimi crudelissimique calumniatoris invidiam ultro appetiverit.

Iam satis multa vitia in tota ista notavimus narratione, sed restat unum cunctis illis gravius. Vide enim quam inepte nunc sic pergatur:

Digitized by Google

„*interea* conferendis pecuniis pervastata Italia".

Interea: dum quid fiebat? Dum miseri isti diris cruciatibus absumebantur. Vides quam absurde nunc divellantur quae olim elegantissime cohaerebant.

Denique totum illud de Christianis episodium, quod tot tantisque laborat vitiis e contextu Taciteo ita tolli potest ut — raro id evenit in locis dubitationi alicui obnoxiis — nihil sui relinquat, nihil e praecedentibus sequentibusve secum trahat, eoque sublato egregius rerum renascitur ordo qui antea ineptissimum in modum fuerat interruptus. Ergone locum illum spurium censeamus non e capite Taciti verum e falsarii mente natum? Olim censui neque nunc dissimulo. Sed quodnam esse potuit falsarii consilium et e quo fuit hominum genere ipse? Nihil aliud fingi hic potest quam hoc: hominem Christianum duobus fere saeculis post Tacitum viventem sed Tacitea oratione imbutum, cum ferre non posset apud praeclarum historicum aerae Christianae, natum a. 55, de ipso Christo ne unum quidem inveniri verbum, totam illam „persecutionem Neronianam" de suo id est de nihilo finxisse, eoque inseruisse loco qui piae huic fraudi satis aptus videretur. At illud ipsum quam parum esset verisimile postea intellexi. An quisquam Christianus in animum inducere potuit ut tam inepta et turpia de antiquis Christianis fingeret et in fidem Christianam tam acerba evomeret maledicta? Non falsarius aliquis sed ipse Tacitus additamento isto narrationem suam corrupit perturbavitque. Sic enim, ut nunc opinor, res se habet.

Taciti Annales editi sunt haud multo ante obitum Traiani (a. 117). Iamque multo maior pars magni operis ad finem erat perducta cum in manus Taciti pervenerunt Plinii amici ad Traianum de Christianis epistola (Scripta a. 112) Traianique ad eam responsum. Hic ei in mentem veniebat se et ipsum olim de Christianis illis fando audivisse quaedam eaque dira, horrenda, crudelia, vera fortasse, fortasse falsa et in immensum aucta — nihil hic decerno, totam hanc rem in medio relinquo: de Tacito enim scriptore ago non de ipsis quas ille tradit rebus — sed qualiacunque erant continere se non potuit quin ea in librum suum reciperet: procedente enim tempore semper erat τῶν μιαρῶν factus amantior. Et nolebat prae Plinio

Digitized by Google

suo gravissimae rei plane ignarus videri. Festinanter autem illud addĭdit episodium, inde nata vitia quae modo notavimus.

Sed haec quidem nunc hactenus. Quatuor iam demonstravi exemplis Tacitum sua ipsum retractasse scripta idque ita ut eius rei manifesta relinqueret indicia. Quod observasse minime inutile videtur: suspicor enim multas *ἀπορίας*, in quibus nunc Tacitum legentes haeremus, ad hanc lucem solvi et expediri posse.

EPIGRAMMATA EMENDATA.

Amer. Journ. of Arch. 1913, p. 170. Epigramma sepulcrale aetatis imperatoriae Cyrenis repertum desinit in hos versus:

καὶ βιοτᾶς λαχόμαν πλὴν δύ' ἐτῶν ἑκατόν·
θνήσκω δ' οὐ νούσοισι δαμείς, εὖδων δ' ἐνὶ κοίτῃ·
τοῦτον ἔχω μισθὸν δύσθιον εὐσεβίης.

Editor Robinson putat *δύσθιον* scriptum esse pro *δύσθεον*, sed sententiae hoc minime aptum est. Inspecta imagine photographica, scriptum esse arbitror ΛΤΣΘΙΟΝ, i. e. si iotacismum demas, *λοίσθιον*.

Ibid. p. 185:

ΙΝΤΙΟΧΑ.....ΕΦΕϹΙϹ
ΤΚΗΓ.Η ΟΓΕΝΑΜΗΝ
ΤΚ.ΜΙΚΑ ΤΜΕΛΙΜΟΙ
ΙΙΕΤϹ· ΙΑΡΑΔΙΤΑΙ.

Nullam restitutionem tentavit editor. Legendum:

Ἀντίοχ(ο)[ς] Ἐφέσιο[ς].
[ο]ὐκ ἤμη[ν], γενάμην·
[ο]ὐκ [εἰ]μί, κα[ὶ ο]ὐ μέλι μοι.
[χα]ί[ρ]ετε, ὦ π]αρ(ο)δῖται.

G. V.

Digitized by Google

NOVAE INSCRIPTIONES ARGIVAE.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.

(Continuantur ex pag. 170).

XXV.

Catalogus histrionum, qui certaminibus musicis interfuerunt.

Fragmentum stelae ex marmore subcaeruleo, integrum a parte sinistra, repertum die XX° mensis Iunii anni 1912 eodem loco quo inscriptio I[a]. Altitudo 0[m].68, latitudo 0[m].36, crassitudo 0[m].235. Altitudo litterarum 0[m].011; spatium, quo versus inter se distant, 0[m].005. Litteras II° vel I° a. C. n. saeculo tribuendas esse apparet. In litterarum ductibus supererant particulae coloris rubri.

A

(in parte antica)

σ
[Τ]ιμαγόρου
[Βελε]μινάτου Φενεάτης
ας Δημέου Ἀργεῖος
[Δημ]ήτριοσ Δημητρίου Ῥωμαῖος
[Δ]αμοκράτης Ἀλύπου Φιαλεύς
Ἀνδρόνικος Ἀνδρονίκου Ἀργεῖος
Νικίας Ἱπποσθένεος Ἀργεῖος
Περιγένης Διονυσίου Ἀργεῖος
Ξενοκράτης Νικία Ἀργεῖος
Εὔδαμος Λυκίσκου Λακεδαιμόνιος

Digitized by Google

Ξένων Ξένωνος Ἀργεῖος
Κυδίας Εὐάνδρου Ἀργεῖος
Καλλίμαχος Μηνοφίλου Σικυώνιος
Ὀρφεὺς Ὀρφέως Αἰγιράτης
Δημοσθένης Φυσσίου Ἠλεῖος
Ἀπολλώνιος Ἀπολλοδώρου Σικυών[ιος]
Πετραῖος Μενίσκου Σικυώνιος
Τυχαμένης Δεξιθέου Κυπαρισσιεύ[ς]
Ἀθανίας Ἐξακέστου Θηβαῖος
Εὔμειρος Μελαντίχου Ταναγραῖος
Δωρόθεος Δωροθέου Ταραντῖνος
Ἐξάκεστος Καλλιστράτου Θηβαῖος
Πασιχαρίδας Κηφισοδώρου Θηβαῖος
Διονύσιος Ζωτίχου Μεγαρεύς
Θεόξενος Θεοξένου Ἠλεῖος
Λύκων Διονυσοδώρου Τήιος
Ὀνασικράτης Σωφρονίωνος Ἑρμιονε[ύς]
Ποσείδαιος Σωφρονίωνος Ἑρμιονε[ύς]
Σώσανδρος Σωσάνδρου Λακεδα[ιμόνιος]
Ἀριστοκράτης Διογένους Θηβαῖο[ς]
Ἰσμηνόδωρος Γοργίωνος Θηβαῖ[ος]
Κηφισόδωρος Πασιχαρίδου Θη[βαῖος]
Διογένης Ἀντίγωνος Θηβαῖ[ος].

ἡ γ ε μ ό ν ε ς·

B

(in latere sinistro)

Ἀγαθο[κλῆς Σωκράτου]
Διοκλ[ῆς Αἰσχίνου]
Δίων Δ[ίωνος]
Καλλικ[ράτης Καλλικράτου]
Δῖος Θεοδ
κωμικ[οὶ συναγωνισταί]·
Ἄρχιππος [Νικαίου]
Δήμων Εὐγείτονος
Νικίας Φιλοξένου

Digitized by Google

Ἱππόνικος Ἱππονίκου
Φίλων Γλαυκέτου
Δημήτριος Ἀριστοδήμου.
τραγικοὶ χορο-
διδάσκαλοι·
Νικοκράτης Θεοπόμπου
Θεόφιλος Θεογένου
Λεύκιος Λευκίου
Εὔβιος Εὐβίου
Φιλῖνος Ἀντικράτου
Πολέμων Διοσκουρίδου
Φιλήμων Διοσκουρίδου
Ἡγέλοχος Θεοδώρου
Θεόδωρος Θεοδώρου
Δημήτριος Ἑρμογένου ἐκ Κοίλης
Στασίχορος Εἰδύλου
Διονυσόδωρος Κτησιφῶντος
Διονύσιος Κλέωνος.
κιθαρῳδοί·
Πραξιτέλης Χαριναύτου.
τραγῳδοί·
Δημήτριος Θεοδοσίου.
τραγῳδιῶν ποιητής·
Σώστρατος Ἀθηνίωνος Χαλκιδεύς.
Θηβαῖοι.
ᾠδοί·
Δικαίαρχος Δικαιάρχου
Δεξιάδης Μενεκράτ[ου]
Σάων .....κλέου[ς]
Αὐτο
[Α]πο

Pridie quam hunc lapidem inveni, ibidem repertum est parvum fragmentum ex eodem marmore subcaeruleo, quod eidem stelae tribuere non dubito. Altitudo est 0 m. 16, latitudo 0 m. 165, crassitudo adhuc 0 m. 09. Altitudo litterarum est 0 m. 01. Fragmentum integrum est a parte dextra.

Ι. ΚΛΕΙΔ

Digitized by Google

ΘΟΥΡΙΕΥΣ

κλεί̣δ[ου]

Θουριεύς

Versus tantopere inter se distant, ut necessarium sit breviorem versum interpositum fuisse. Sub versu inferiore conspicitur pars sinistra hastae iacentis litterae longe maioris.

A, 3. Ante litteram M conspicitur adhuc ductus iacens inferior litterae E.

5. Cf. titulus saeculi a. C. Ii Romae inventus I. G. XIV, 1536: Δημητρίῳ κωμῳδῷ, ὃς ἔζησεν ἔτη κα' κτλ. (O'Connor, Chapters in the history of actors and acting in ancient Greece, Chicago, 1908, 131).

22. Cf. catalogus victorum in Charitesiis actis Orchomeni inter annos 100 et 75 a. C. n. I. G. VII, 1, 3197, 27: Δωρόθεος Δωροθέου Ταραντῖνος, ὑποκριτὴς σατύρων (O'Connor, op. l. 163).

23. Cf. catalogus victorum in Homoloiis actis Orchomeni inter annos 100 et 75 a. C. n. ibid. vs. 49: Καλλίστρατος Ἐξακέστου Θηβαῖος, κωμῳδός, et catalogus victorum in Amphiaraiis Oropi actis haud diu post a. 86 a. C. n. I. G. VII, 1, 419, 34: Καλλίστρατος Ἐξακέστου Θηβαῖος, ὑποκριτὴς κωμῳδιῶν (O'Connor, 283). Procul dubio propinquus fuit huius nostri. Cf. A, 24 et 33.

34. Cf. catalogus victorum in Sarapieis Tanagrae actis inter annos 100 et 75 a. C. n. I. G. VII, 540, 13: Διογένης Ἀντίγωνος Θηβαῖος, ὑποκριτὴς τραγῳδιῶν (O'Connor, 138). Nomen Ἀντίγων, quod Bechtelius non in ordinem recepit, facilem explicatum non habet. Cf. Ἀντιγώ in lapide invento inter rudera Thisbes I. G. VII, 1, 2350.

35. Ἡγεμόνες sunt praecentores chororum puerorum [1]).

In latere B recensentur artifices Bacchii collegii Attici, inde a vs. 34 collegii Thebani.

B, 1. Cf. decretum Delphicum latum a. 97 (Colin) vel potius a. 94 (Klaffenbach) a. C. n. in honorem τοῦ κοινοῦ τῶν περὶ

1) Cf. Pauly-Wissowa, Real-Encycl. III, p. 2437.

Digitized by Google

τὸν Διόνυσον τεχνιτᾶν τῶν ἐν Ἀθήναις, Fouilles de Delphes, III, 2, 48, vs. 16, 22, 33: Ἀγαθοκλῆς Σωκράτου sive Σωκράτους, κωμῳδός (O'Connor, 7; Klaffenbach, Symbolae ad historiam collegiorum artificum Bacchiorum, diss. Berol. 1914, 2).

2. Cf. idem decretum, vs. 15, 18: Διοκλῆς Αἰσχίνου, τραγικὸς ὑποδιδάσκαλος (O'Connor, 144; Klaffenbach, 46).

3. Cf. inscriptio Delphica B. C. H. 1906, p. 228: Δίων Δίωνος, ephebus ἐπὶ Ἀγαθοκλέους ἄρχοντος (a. 106/5). Propinqui eius mentio fit in decreto Delphico lato a. 138 (Colin) vel potius a. 128 (Klaffenbach) a. C. n. in honorem artificum collegii Attici, Fouilles de Delphes, III, 2, 47, vs. 11, 25: Δίων Δίωνος κωμῳδός (O'Connor, 160; Klaffenbach, 63).

4. Cf. inscriptio Attica I. G. II, 469, 92: Καλλικράτης Καλλικράτου Κριω[εύς], ephebus ἐπὶ Ἱππάρχου ἄρχοντος (a. 109/8) et decretum Delphicum a. 94, quod ad B, 1, laudavi, vs. 33: Καλλικράτης Καλλικράτου, κωμῳδός (O'Connor, 273; Klaffenbach, 103).

7. Cf. idem decretum, vs. 28: Ἄρχιππος Νικαίου, ᾄσόμενος τούς τε παιᾶνας καὶ τὸν χορόν (Klaffenbach, 24).

8. Cf. decretum Delphicum in honorem artificum collegii Attici, quod Colin a. 106, Klaffenbach aut a. 106 aut a. 97 a. C. n. latum esse censet, Fouilles de Delphes, III, 2, 49, vs. 18, 32: Δάμων Εὐγείτονος, κωμικὸς συναγωνιστής (O'Connor, 118; Klaffenbach, 34). Cf. Klaffenbach, 71 et 73.

9. Cf. Klaffenbach, 168.

10. Cf. inscriptio Attica I. G. II, 470, 96: Ἱππόνικος Ἱππονίκου Κρωπίδης, ephebus ἐπὶ Ἀριστάρχου ἄρχοντος (a. 107/6). Cf. B. C. H. 1906, p. 225.

11. Cf. inscriptio Attica I. G. II, 448, 28: Γλαυκέτης Φίλωνος Ἀθηναῖος, qui vicit τὸν ἀγῶνα τῶν Θησείων ὁπλίτην circa a. 142 a. C. n., et decretum Delphicum a. 128 ad B, 3 laudatum, vs. 22: Γλαυκέτης Φίλωνος, κιθαριστής (Klaffenbach, 31), qui pater Philonis nostri fuisse videtur.

12. Cf. decretum Delphicum a. 94 ad B, 1 laudatum, vs. 38: Δημήτριος Ἀριστοδήμου, τραγικὸς συναγωνιστής (O'Connor, 127; Klaffenbach, 35).

15. Cf. idem decretum, vs. 27: Νικοκράτης Θεοπόμπου, ᾄσόμενος τούς τε παιᾶνας καὶ τὸν χορόν (Klaffenbach, 128).

Digitized by Google

17. Cf. inscriptio Attica, qua recensentur ἔφηβοι οἱ προπέμψαντες τὴν πυθαΐδα ἐπὶ Ἀργείου ἄρχοντος (a. 97/6): Λεύκιος Λευκίου (Sundwall, Nachträge zur Prosop. att. p. 117).

18. Cf. decretum Delphicum a. 94 ad B, 1 laudatum, vs. 26: Εὔ[βι]ος Εὐβίου, ᾄσόμενος τούς τε παιᾶνας καὶ τὸν χορόν, et inscriptio Oropica, qua recensentur victores in Amphiaraiis, proximis post victoriam Sullanam lustris, ut ait Dittenbergerus, incisa I. G. VII, 416, 20: Εὔβιος Εὐβίου Ἀθηναῖος, κιθαρῳδός (Klaffenbach, 70).

21. Cf. inscriptio Attica I. G. II, 628, qua Φιλήμων aliquis, qui quater collegii artificum ἐπιμελητής fuit, post a. 86 ab artificibus honoratur (Klaffenbach, 161).

22. Cf. inscriptio Delphica B. C. H. 1906, p. 230: Ἡγέλοχος Θ[εο]δώρου, ephebus ἐπὶ Ἀργείου ἄρχοντος (a. 97/6) (Sundwall, p. 87).

23. Cf. decretum Delphicum a. 94 ad vs. B, 1 laudatum, vs. 34: Θεόδωρος Θεοδώρου, κωμικὸς συναγωνιστής (O'Connor, 234; Klaffenbach, 90), et inscriptio Attica I. G. II, 467, qua recensentur ephebi ἐπὶ Ἐχεκράτου ἄρχοντος (a. 101/0), vs. 118: [Θεό]δωρος Θεοδώρου Χολαργεύς, vs. 120: Θεόδωρος Θεοδώρου ἐκ Μυρρινούττης.

24. Hoc uno loco nomen demi attici adscriptum est, fortasse ut Demetrius Hermogenis filius ab homonymo aliquo distingueretur.

25. Nomina Boeotica, ut videtur.

26. Cf. inscriptio Attica a. 101/0 ad B, 23 laudata, vs. 134: Διονυσόδωρος Κτησιφῶντος [Λ]ευκονοεύς, ephebus.

29. Cf. inscriptio Delphica a. 106/5: Πραξιτέλης Χαριναύ[του], πυθαϊστὴς παῖς (Sundwall, p. 146).

31. Cf. decretum Delphicum a. 94 ad B, 1 laudatum, vs. 36: Δημήτριος Θεοδοσίου, τραγῳδός (O'Connor, 129; Klaffenbach, 38).

35. Ὠιδοί in ceteris similibus catalogis victorum, quod sciam, non commemorantur. Cf. duae inscriptiones ex Orchomeno in honorem choregorum chori virorum I. G. VII, 1, 3210 sq.: ... αὐλίοντος Κλεινίαο, ἀΐδοντος Ἀλκισθένεος, et: ... αὐλίοντος Κλεινίαο, ἀΐδοντος Κράτωνος.

38. Cf. inscriptio Delphica saec. III[i] a. C. n. (ἐπὶ Νικοδάμου ἄρχοντος), qua recensentur οἱ συναγωνισταὶ τῶν Σωτηρίων S. G.

Digitized by Google

D. I. 2565, vs. 66: Καλλικλῆς Σάωνος Βοιώτιος, κωμικὸς διδάσκαλος (O'Connor, 271). Proavus fuit ille Callicles, nisi fallimur, Saonis nostri.

De aetate huius inscriptionis dubitare non possumus, cum ex 27 artificibus Atticis, qui in ea nominantur, 9 etiam memorentur in decreto Delphico a. 94 a. C. n. Animadvertendum tamen nostram inscriptionem titulo Delphico paulo recentiorem esse, cum Λεύκιος Λευκίου et Ἡγέλοχος Θεοδώρου, qui in ea tamquam τραγικοὶ χοροδιδάσκαλοι recensentur, a. 97/6 (ἐπ' Ἀργείου ἄρχοντος) adhuc ephebi fuerint. Itaque inter annos 90 et 80 a. C. catalogum in marmore incisum esse veri simile duco.

Klaffenbachius cum p. 47—49 dissertationis suae contra O'Connor contenderit artificum collegium Atticum ex solis Atheniensibus constitisse, notatu dignum videtur hic inter ceteros artifices Atticos unum civem Chalcidensem comparere (B, 33: Σώστρατος Ἀθηνίωνος Χαλκιδεύς).

XXVI.

Inscriptio in honorem histrionis tragici.

Die X° mensis Maii a. 1912 eodem loco, quo inscriptio, de qua modo egi, repertus est lapis calcarius albus quadrangulus. Altitudo eius est 0m.93, latitudo 0m.71, crassitudo 0m.64. Altitudo litterarum est 0m.028. Lapis supra a dextra parte laesus, infra fractus est. Litterae IIum vel potius IIIum saeculum post C. n. arguunt.

ψη(Φίσματι) βουλῆς Ἀργείων. ἡ πό[λις]
Μιλησίων τὸν ἴδιον πολείτην
Γ(αΐον) Ἰ(ούλιον) Βάσσον νεικήσαντα Νέ-
μεια καὶ τὴν ἐξ Ἄργους Ἀσπίδα
ς' κήρυκας, τραγωδούς, διὰ πάν-
των, Καπετώλεια β' τραγωδούς,
κήρυκας, Πύθια γ' τραγωδοὺς β'
καὶ κήρυκας, Παναθήνεα, κοινὰ Ἀσίας
τὰ μεγάλα Πέργαμον, Ἔφεσον, Ζμύρ-
ναν κδ', ἐν οἷς καὶ διὰ πάντων καὶ κοι-

Digitized by Google

νὰ γ', καὶ ἄλλους κοινοὺς Ἀσίας κδ', κοι-
[νὰ] Κρήτης δ', Μασσαλίαν κωμωδούς,
[τραγ]ωδούς, καὶ ἑτέρους ἀγῶνας πεν-
[τετηρι]κοὺς σξ'.

3. C. Iulius Bassus ille nusquam alibi memoratus esse videtur.

5. κήρυκας. De certaminibus praeconum v. Daremberg-Saglio, Dict. des antiq. s. v. praeco, p. 608.

5 sq. διὰ πάντων. Cf. Athen. Mitth. 1909, p. 1 sqq. F. Mie, „Ueber διὰ πάντων und ὁ ἐπινίκιος". Ὁ διὰ πάντων ἀγών, cuius iam in Cratini fragmentis mentio fit, certamen postremum fuisse videtur inter omnes histriones, qui in varjis certaminibus certaverant [1]).

6, Καπετώλεια, agonem Capitolinum institutum a Domitiano a. 86 [2]).

8—10, κοινὰ Ἀσίας κτλ. Ludi, qui κοινὰ Ἀσίας τὰ μεγάλα dicebantur, modo in hac, modo in illa urbe Asiatica celebrabantur [3]).

10, ἐν οἷς καὶ διὰ πάντων καὶ κοινὰ γ'. Κοινὴν (κρίσιν) esse certamen commune histrionum tragicorum et comicorum recte autumat F. Mie l. l. p. 14 sq. Sed hic locus ostendit eundem errasse, cum κοινὴν κρίσιν et ἀγῶνα διὰ πάντων plane idem esse contenderet.

13 sq. Spatium non sufficere videtur ut restituamus: πεν-[ταετηρι]κούς.

Cum hac inscriptione maxime conferendae sunt inscriptio Spartana I. G. V, 1, 662, qua histrio Smyrnaeus, qui Spartae vicerat, a patria sua honoratur: ἡ πόλι[ς ἡ] Σμυρναίων Γ. Ἰούλιον Ἰουλιανὸν τὸν ἴδιον πολείτην νεικήσαντα κτλ. et inscriptio Argiva I. G. IV, 591, cuius exordium hucusque nondum in integrum restitutum est. Nam Fraenkelius versus duos primos, ut ipse fatetur, omnino non expedivit; legit enim:

1) Vix recte vir doctus F. Mie contendere mihi videtur (l. l. p. 18) Platonem in Republica (p. 580, b: ὥσπερ ὁ διὰ πάντων κριτὴς ἀποφαίνεται) certamen, cui διὰ πάντων nomen est, non respicere.

2) Suet. Domit. 4. Censor. de die nat. XVIII, 15.

3) Cf. Chapot. La province romaine proconsulaire d'Asie, p. 502 sq. Th. Reinach, Rev. arch. 1916, p. 354 sqq.

Digitized by Google

[ἡ πόλις ἡ τῶν — — — —] λείων
. ν Ὀδ[υ]σῆος (?) . . . . . Φ . ηκέων Μ(ᾶρκον)
κτλ.

Mihi ectypoma huius inscriptionis non suppetit. Sed sponte apparet ante Fraenkelium Luedersium prima verba multo rectius descripsisse in hunc modum:

ΓΕΙΩΝ
ΗΠΟΛΙΣΗΘ Σ . . . . . ΚΕΩΝSM

neque male Cophiniotem [1]):

. . . ΑΡΓΕΙΩΝ . . . ΠΟΛΙ . ΣΗΟΕΣΣΑΛ . . .

Nunc facili negotio restituere licet:

[ψηφίσματι βουλῆς] Ἀργείων.
ἡ πόλις ἡ Θεσσαλ[ονι]κέων Μ(ᾶρκον)
Οὔλπιον, Διεδώρου υἱόν, Ἡλιόδω-
ρον, τὸν ἴδιον πολείτην, νεικήσαν-
τα κτλ.

XXVII.

Inscriptio in honorem Cn. Pompeii Magni.

Lapis calcarius leucophaeus in eodem stylobato atque inscriptio VIII[a]. Altitudo 0[m].665, latitudo 0[m].81. Altitudo litterarum 0[m].036. Lineola litterae A fracta est.

ΓΝΑΙΟΝΠΟΜΠΗΙΟΝΓΝΑΙΟΥ
ΥΙΟΝΜΑΓΝΟΝΑΥΤΟΚΡΑ
ΤΟΡΑΤΟΤΕΤΑΡΤΟΝΤΟΝ
ΚΟΙΝΟΝΣΩΤΗΡΑΚΑΙΕΥΕΡΓΕ
ΤΑΝ . ΡΙΣ . ΑΓΟΡΟΣΧ . . . . Λ
ΑΓΟΡΑΝΟΜΩΝΑΝΕΘΗΚΕ

Γναῖον Πομπήιον, Γναίου
υἱόν, Μάγνον, αὐτοκρά-

1) Ἰωάννου Κ. Κοφινιώτου Ἱστορία τοῦ Ἄργους, Athenis, 1892, p. 112.

Digitized by Google

τορα τὸ τέταρτον, τὸν
κοινὸν σωτῆρα καὶ εὐεργέ-
ταν, [Ἀ]ρισ[τ]άγορος Χ.....
ἀγορανομῶν ἀνέθηκε.

Plurimae Pompeio statuae et inscriptiones consecratae sunt, e quibus propter verba nostri tituli αὐτοκράτορα τὸ τέταρτον maxime conferendae sunt hae:

1°. inscriptio Clusina C. I. L. XI, 2104; C. I. L. I² ed. Lommatzsch, 768; Dessau, Inscr. lat. sel. 876:

Cn. Pompeio Cn. f. Magno imper(atori) iter(um).

2°. inscriptio Mitylenensis I. G. XII, 2, 202; Dittenberger, Syll.³ 751:

ὁ δᾶμος τὸν ἑαυτῶ σωτῆρα καὶ κτίσταν Γναῖον Πομπήιον, Γναίου υἱόν, Μέγαν, τρὶς αὐτοκράτορα, καταλύσαντα τοὶς κατασχόντας τὰν οἰκημέναν πολέμοις καὶ κατὰ γᾶν καὶ κατὰ θάλασσαν.

3°. inscriptio Milesia Arch. Anz. 1906, p. 21:

ὁ δῆμος Γναῖον Πομπήϊον, Γναίου υἱόν, αὐτοκράτορα τὸ τρίτον, τὸν πάτρωνα καὶ εὐεργέτην.

4°. inscriptio Pompeiopolitana B. C. H. 1888, p. 427:

[Γναῖον Πομπήϊον, Γναίου υἱόν, Μέγαν], τρὶς αὐτοκρά[τορα], Πομπηϊοπολιτῶν τῆς ἱερᾶς καὶ ἀσύλου καὶ αὐτονόμου ὁ δῆμος, τὸν κτίστην καὶ πάτρωνα τῆς πόλεως.

5°. inscriptio ex Demetriade I. G. IX, 2, 1134:

[ὁ δῆμος Γναῖ]ον Πομπήϊον, Γναίο[υ υἱόν], τὸ τρίτον αὐτοκρά-[τορα], τὸν ἑαυτοῦ εὐεργ]έτην].

6°. inscriptio Iliensis C. I. G. 3608:

ὁ δῆμος Γναῖον Πομπήϊον, Γναίου υἱόν, τὸ τρίτον αὐτοκράτορα.

7°. inscriptio Miletopolitana J. H. S. 1907, p. 64:

ὁ δῆ[μο]ς [Γ]ναῖον Πομπήϊον, Γνάο[υ υἱ]όν, Μάγνον, αὐτοκράτορα [τ]ὸ τρίτον, σωτῆρα καὶ εὐερ[γ]έτην τοῦ τε δήμου καὶ τῆς Ἀσίας πάσης, ἐπό[π]την γῆς τε καὶ θαλάσ[σ]ης, ἀρετῆς ἕνεκα καὶ [εὐ]-νοίας εἰς ἑαυτόν.

His igitur titulis praeter unum omnibus Pompeius imperator tertium vocatur, solo nostro αὐτοκράτωρ τὸ τέταρτον. Tres autem numero triumphos egit Pompeius,

Digitized by Google

ille cui ternis Capitolia celsa triumphis
sponte deum patuere [1]).

Qua de re audiatur e. g. Lucanus Pharsal. VIII, 553:

ter Capitolia curru
invectus,

VIII, 814

ter curribus actis
contentum patriae multos donasse triumphos [2]).

IX, 177

pictasque togas, velamina summo
ter conspecta Iovi [3]),

et Velleius Paterculus, II, 40: „huius viri fastigium tantis auctibus Fortuna extulit, ut primum ex Africa, iterum ex Europa, tertio ex Asia triumpharet, ut quot partes terrarum orbis sunt, totidem faceret monumenta victoriae suae",

et Plin. Nat. Hist. XXXVII, 13: „tertio triumpho, quem de piratis, Asia, Ponto etc. egit"; VII, 98: „triumphi vero quem duxit a. d. III kal. Oct. M. Pisone M. Messala cos. praefatio haec fuit: cum oram maritimam praedonibus liberasset et imperium maris populo Romano restituisset, ex Asia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Iudaeis, Albanis, Hiberia, insula Creta, Bastrenis et super haec de rege Mithridate atque Tigrane triumphavit",

et Plut. Pomp. 45, 5: *μέγιστον δὲ ὑπῆρχε πρὸς δόξαν καὶ μηδενὶ τῶν πώποτε Ῥωμαίων γεγονός, ὅτι τὸν τρίτον θρίαμβον ἀπὸ τῆς τρίτου ἠπείρου κατήγαγεν. Ἐπεὶ τρίς γε καὶ πρότερον ἦσαν ἕτεροι τεθριαμβευκότες· ἐκεῖνος δὲ τὸν μὲν πρῶτον ἐκ Λιβύης, τὸν δὲ δεύτερον ἐξ Εὐρώπης, τοῦτον δὲ τὸν τελευταῖον ἀπὸ τῆς Ἀσίας εἰσαγαγὼν τρόπον τινὰ τὴν οἰκουμένην ἐδόκει τοῖς τρισὶν ἐπῆχθαι θριάμβοις.*

Adde quod litteras signare solebat Pompeius annulo, cui tria tropaea insculpta erant [4]).

Quodsi Pompeius in inscriptione Argiva nihilominus *αὐτοκράτωρ τὸ τέταρτον* vocatur, mente tenendum est nihil obstare,

---

1) Albinus (Albinovanus?) Rerum Romanorum l. I°, apud Priscian. VII, 22.

2) Schol.: multoties triumphare potuit, sed contentus est tribus triumphis... Frequentius triumphare contempsit.

3) V. praeterea VII, 685; IX, 599 sq.

4) Cass. Dio, XLII, 18.

Digitized by Google

quominus ter triumpharit, sed quater imperator a militibus salutatus sit.

Pompeius iam a. 83 a Sulla imperator resalutatus est [1]), sed haec appellatio imperatoria honoris causa ei oblata, ut par est, in titulis non numeratur. Deinde a. 81 a suis militibus imperator appellatus est in Africa [2]), ex qua a. 79 triumphavit, tum procul dubio in Hispania [3]), ex qua triumphavit a. 71, tertium, ut sumere licet, a. 67, postquam piratas oppressit, quartum, ut consentaneum est, in Asia [4]).

Sequitur ut statua Pompeii Argis consecrata sit post Mithridatem devictum, circa a. 63 vel aliquot annis postea, monumenta, in quibus tertia appellatio imperatoria commemoratur, a. 67, cum omnes maritimae civitates clade piratarum laetabantur, vel paulo post, illud, in quo secundae appellationis imperatoriae mentio fit, a. 71 vel paulo post.

XXVIII.

Litterae Agrippae ad γερουσίαν Argivam.

In facie postica stelae, in qua decretum in honorem Alexandri Sicyonii incisum est [5]). Altitudo litterarum vs. I^{i} 0^{m}.026, ceterorum versuum, 0^{m}.015. Lineola litterae A fracta est.

ΓΕΡΟΝΤΩΝ

ΑΓΡΙΠΠΑΣΑΡΓΕΙΩΝΓΕΡΟΤΣΙΤΟΙΣΑΠΟ
ΔΑΝΑΟΤΚΑΙΤΠΕΡΜΗΣΤΡΑΣΧΑΙΡΕΙΝ
ΕΓΩΤΟΤΤΕΔΙΑΜΕΙΝΑΙΤΟΣΤΣΤΗΜΑ
ΤΜΩΝΚΑΙΦΤΛΑΞΑΙΤΟΠΑΛΑΙΟΝΑΞΙΩΜΑ
ΤΗΝΑΙΤΙΑΝΕΜΑΤΩΣΤΝΟΙΔΑΠΑΡΕΣΧΗ

1) Plut. Pomp. 8; cf. Crass. 6.

2) Plut. Pomp. 12: *αὐτοκράτορα τὸν Πομπήϊον ἠσπάσαντο.*

3) Cf. Plin. Nat. hist. VII, 96: „excitatis in Pyrenaeo tropaeis .... iterum triumphales currus eques Romam induxit, totiens *imperator* antequam miles". (Sic codd., nisi quod cod. F^{1} habet: „imperator ///te", cod. a: „imperatorum etiã"; cum Damsteio legendum esse censeo: „totiens imperator atque miles".)

4) Cf. Diod. XL, 4. Exc. de sent. ed. Boissevain, p. 405, 12.

5) V. Mnemos. 1916, p. 64.

Digitized by Google

ΜΕΝΩΙΚΑΙΠΟΛΛΑΤΩΝΚΑΤΑΛΕΛΥΜΕΝΩΝ
ΥΜΕΙΝΑΠΟΔΕΔΩΚΟΤΙΔΙΚΑΙΩΝΠΡΟΣΤΕ
ΤΟΥΠΙΟΝΠΡΟΝΟΕΙΝΥΜ
ΕΧΩΚΑΙΤΗ
ΝΟΜΙΖ

In fine vs. 9 conspiciuntur adhuc partes superiores litterarum O vel Ω, N vel H, Π vel Γ vel E, in fine vs. 10 prima pars litterae N vel M, in fine vs. 11 pars superior litterae O vel Ω.

Γερόντων.
Ἀγρίππας Ἀργείων γέρουσι τοῖς ἀπὸ
Δαναοῦ καὶ Ὑπερμήστρας χαίρειν.
ἐγὼ τοῦ τε διαμεῖναι τὸ σύστημα
ὑμῶν καὶ Φυλάξαι τὸ παλαιὸν ἀξίωμα
τὴν αἰτίαν ἐμαυτῶ σύνοιδα παρεσχη-
μένῳ καὶ πολλὰ τῶν καταλελυμένων
ὑμεῖν ἀποδεδωκότι δικαίων πρός τε
τοὐπιὸν προνοεῖν ὑμῶν [προθύμως]
ἔχω καὶ τὴν
νομιζ

„*Agrippa Argivorum senatoribus a Danao et Hypermestra ortis salutem dicit. Persuasum habeo me effecisse ut collegium vestrum et perduraret et antiquam auctoritatem suam tueretur et abolita iura magnam partem me vobis reddidisse, et in posterum vobis providere studeo et . . .*"

Litterae Agrippae ad senatum Argivorum attice conscriptae sunt ad consuetudinem principum Romanorum inde ab aetate Augusti. Senatores autem, utpote nobilissimi viri inter suos, nuncupantur *οἱ ἀπὸ Δαναοῦ καὶ Ὑπερμήστρας*, priscorum heroum regumque progenies. *Γερουσίαν* Argis quondam fuisse, iam ex I. G. IV, 579 iure effecit Fraenkelius, in quo titulo etiam eadem legitur appellatio honorifica:

Γερόντων
τῶν ἀπὸ
Δαναοῦ.

Quamquam vir doctus quid hoc sibi vellet, non prorsus

Digitized by Google

intellexit; scripsit enim: „dedicant *γερόντων* ei, qui originem suam deducunt a Danao". Contra perspicuum est Argis omnibus senatoribus honoris causa id nomen obtingere. Praeterea eadem appellatio legitur in tertio lapide aetatis imperatoriae, quem hic, priusquam pergam, describere libet.

Lapis est calcarius leucophaeus erutus in foro antiquo die III° mensis Iulii anni 1912. Alt. 0m.81, lat. 0m.48, crass. 0m.395. Alt. litterarum vs. I^{i} 0m.03, ceterorum versuum 0m.02. Litterae A lineola media fracta est.

ΓΕΡΟΤΣΙΑΗΑΠΟΔΑ
ΝΑΟΥΚΑΙΤΠΕΡΜΗΣ
ΤΡΑΣΚΑΙΛΤΙ . . ΟΣΚΛΑΥ
ΔΙΑΝΦΙΛΟΜΑΘΙΑΝΓΥΝΑΙ
. ΑΓΝΠΟΜΠΗΙ . . ΚΛΕ
. ΘΕΝΟΤΣΠΡΟΣΤΑΤΟΥ
ΤΗΣΓΕΡΟΤΣΙΑΣΔΙΑ
Ν . . . ΑΙΑ . ΥΠΕΡ . ΗΣΠ

γερουσία ἡ ἀπὸ Δα-
ναοῦ καὶ Ὑπερμήσ-
τρας καὶ Λυ[γκέ]ος Κλαυ-
δίαν Φιλομαθίαν [1]*), γυναῖ-*
[κ]α Γν(αίου) Πομπηί[ου] Κλε[ο]-
[σ]θένους [2]*), προστάτου*
τῆς γερουσίας, διὰ
ν . . . αια. ὑπὲρ [τ]ῆς π[όλεως] [3]*).*

Praeterea in compluribus inscriptionibus Argivis aetatis imperatoriae honorantur cives illustres tamquam Perseo et Hercule vel Phoroneo et Perseo orti:

1) I. G. IV, 593 honoratur femina dives, quae Argivis balneum construendum curaverat. Alterum nomen eius lectu difficillimum est. Baunackius legit: Κλαυδίαν Κ[.(.)]α[..]ίαν, Fraenkelius [Κ]λ[αυ]δίαν Ὀλυ[μπ]ίαν, alii aliter. Numne eadem est, quae nunc comparuit?

2) Cf. inscriptio Argiva I. G. IV, 609, quam descripsit Fourmontius, vs. 3 sq.: *Ποντήιος Κλεοσθένης.*

3) Lectio vs. 8 incertior est.

Digitized by Google

1°. I. G. IV, 606: ᾧ καὶ ἐψηφίσαντο τὰς Περσέος καὶ Ἡρακλέος τειμὰς καὶ χρυσοφορίαν μετὰ πορφύρας διὰ βίου.

2°. B. C. H. 1904, p. 260, 2: ᾧ καὶ ἐδ[ώκαμεν τὰς] Περσέος καὶ Ἡρακλέου[ς τειμὰς καὶ] χρυσοφορίαν μετὰ πο[ρφύρας διὰ] βίου.

3°. I. G. IV, 586, quam titulo 606 exemplo usus restituit Foucartius: ᾧ καὶ ἐδώκαμεν τὰς [Περσέος καὶ Ἡρακλέος] τειμὰς καὶ χρυσοφορίαν [μετὰ πορφύρας διὰ βί]ου.

4°. I. G. IV, 590: Περσέος καὶ Διοσκούρων [1]) ἀπόγονον.

5°. I. G. IV, 940, vs. 6 sq.: ... ἀπὸ δὲ Ἄργους τὸ Περσέος καὶ Φορωνέος (sc. γένος).

Quibus locis omnibus significari suspicor τὰν πόλιν τὰν τῶν Ἀργείων hos viros γέροντας sive γερουσιαστάς creavisse. Et γέροντας fuisse consentaneum est illos, qui aetate imperatoria Argis statuas Danao [2]) et Hypermestrae [3]), proavis suis, consecraverint.

Iam Agrippae litterae nos docent illius aetate γερουσίαν Argis diu fuisse, sed eam iura vel privilegia nonnulla olim perdidisse, quae nuper Agrippa auctore recuperasset. Verum de origine vel potestate collegii ex Agrippae litteris nihil effici potest, ne id quidem, utrum γερουσία Argiva tunc temporis collegium publicum an privatum fuerit. Nam etiam ad collegium privatum Agrippa eadem scribere potuit. Conferas modo quae Tiberius scripsit ad collegium artificum Bacchiorum: μεμνημένους ὑμᾶς, ὧν παρεσχόμην διαφυλάξας τὰ ὑπὸ τῶν πρὸ ἐμοῦ Σεβαστῶν καὶ τῆς συνκλήτου δεδομένα δίκαια, ἀποδέχομαι καὶ πιράσομαι αὔξιν αὐτά.. [4]). Restat ut, aliarum civitatum institutis comparatis, disputationem probabilem de hac quaestione habeamus. Sed hic circumspecte agere necesse est: minime enim omnia collegia, quibus per totum orbem γερουσία nomen fuit, inter se similia fuisse necesse est. Itaque hic omittere

---

1) Dioscuri una cum uxoribus et filiis Ἄναξι et Μνασίνῳ inde ab antiquissimis temporibus Argis colebantur (Paus. II, 22, 5). Sed animadvertendum est non plane constare virum, de quo hic agitur, tamquam Argivum Διοσκούρων ἀπόγονον dici. Nam cognatum eius in titulo ex Asclepieo Epidaurio (I. G. IV, 940) simul in multis civitatibus Graecis antiquissimis et nobilissimis gentibus adnumerari videmus.

2) Cf. supra, p. 165 sq., XII.

3) I. G. IV, 656. Hic lapis, quem Fraenkelius in area ante museum vidit, erutus est in orchestra theatri Argivi (Cophiniotes, Ἱστορία τοῦ Ἄργους, p. 88).

4) Milet, III, das Delphinion, p. 257, 156.

Digitized by Google

satius erit omnes illas γερουσίας Asiae Minoris vel aliarum regionum procul ab Argis distantium [1]). Contra illas, quas eadem fere aetate in civitatibus vicinae Arcadiae floruisse constat, cum collegio Argivo componere fas est. Civitates dico hasce:

1°. Megalopolin (I. G. V, 2, 443, A, 1 saeculi II^{i} a. C. partis alterius aut I^{i} ineuntis);

2°. Orchomenon (I. G. V, 2, 345, 10 probabiliter a. 79/8 a. C.);

3°. Stymphalon (I. G. V, 2, 357, 40 et 78). Formae rotundae litterarum ε et ο huius inscriptionis inde a saeculo III° a. C. occurrunt; sed tunc temporis adhuc rarissimae erant, deinde aetate progrediente frequentiores factae sunt. Hillerus inscriptionem, antequam Stymphalos in foedus Achaicum reciperetur, id est ante a. 234 a. C. n., incisam esse censet, quod in illa bis multae dicantur pecunia Aeginetica (357, vs. 98 et 139). Quamquam hoc argumentum non ab omni parte tutum esse videtur. Lex enim, quae in hoc lapide incisa est, ipso lapide antiquior esse potest, atque, etiamsi partim renovatam esse apertum sit, tamen in nonnullis rebus antiqua verba servavisse.

Docent igitur hae inscriptiones nonnullas civitates Arcadicas altera parte saeculi II^{i} et priore parte saeculi I^{i} a. C. γερουσίας suas habuisse. Atque iure Hillerus [2]) monuisse videtur etiam in foedere Achaico a. 147 γερουσίαν fuisse [3]). Inde veri simile est cum civitates Arcadicas et nomen traxisse et rem, tum etiam Argos, quod et ipsum diu Achaicum fuerit [4]). Cumque e tribus inscriptionibus supra adlatis absque omni dubitatione appareat γερουσίαν Megalopoli, Orchomeni, Stymphali collegium publicum fuisse [5]), etiam Argis rem item habuisse suspicari licet.

Haec de Argivorum gerusia, ad quam hae litterae datae

---

1) Cf. Lévy, Rev. des Et. grecques, 1895, p. 231 sqq.; Chapot, La prov. rom. procons. d'Asie, p. 216 sqq.; Poland, Gesch. des griech. Vereinswesens, p. 99 sqq.; Swoboda, Staatsalt. p. 177 sq.

2) Ad I. G. V, 2, 22.

3) Cf. Polyb. XXXVIII, 5, 1.

4) Titulos Laconicos et Messenios de gerusiis disputans consulto omisi, quia Spartae inde ab antiquissimis temporibus collegium hoc nomine praeditum fuit. Quamquam γερουσία, quae Andaniae saeculo I° a. C. ineunte fuit, ad exemplum Achaicum institutum esse posse concedo.

5) Nescio an ἁ σύνοδος τῶν γερόντων, quam Tegeae exeunte II° aut I° saeculo a. C. reperimus (I. G. V, 2, 22), collegium privatum fuerit.

Digitized by Google

sunt. Nunc videamus de illo, qui eas dedit. Apparet enim Agrippam hic non solum tamquam amicum et patronum scribere, sed tamquam rectorem et dominum. Sin minus, scribere non potuisset: *ἐματῶ σύνοιδα .. πολλὰ τῶν καταλελυμένων ὑμεῖν ἀποδεδωκότι δικαίων.* Quaerendum igitur est, quando Agrippa praeses Achaiae fuerit.

Constat autem moderationem partis orientalis imperii Romani Agrippae primum mandatam esse a. 23 a. C. n., cum diutius eum ab urbe abesse malebat Augustus. Illius igitur quasi vicarius in orientem profectus est eaque vice fungi perrexit, licet ipse interea per quattuor vel quinque annos in occidentem reverterit, usque ad annum 13 a. C. n. Diserte hoc testatur Iosephus Antiq. XVI, 86: *Ἀγρίππα γε μὴν ἀνιόντος εἰς τὴν Ῥώμην μετὰ τὴν διοίκησιν τῶν ἐπὶ τῆς Ἀσίας δεκετῆ γεγενημένην ...* Atque hodie quidem sententia inter viros doctos praevalet imperium eius in oriente ita circumscriptum fuisse, ut partem modo continentis Asiae complexum sit, cum apud Cassium Dionem (LIII, 32, 1) legatur: *ἐς τὴν Συρίαν εὐθὺς τὸν Ἀγρίππαν ... ἔστειλε, καὶ ὃς μὲν ἐκ τῆς πόλεως εὐθὺς ἐξώρμησεν, οὐ μέντοι καὶ ἐς τὴν Συρίαν ἀφίκετο, ἀλλ' ἔτι καὶ μᾶλλον μετριάζων ἐκεῖσε μὲν τοὺς ὑποστρατηγοὺς ἔπεμψεν, αὐτὸς δὲ ἐν Λέσβῳ διέτριψε.* Sed cum his minime consentit Iosephus Antiq. XV, 350: *πέμπεται δ' Ἀγρίππας τῶν πέραν Ἰονίου διάδοχος Καίσαρι.* Etenim verbis *τῶν πέραν Ἰονίου* haud obscure significare videtur Agrippae tunc non solum Syriae, sed etiam provinciarum senatoriarum Achaiae et Asiae imperium permissum esse. Quae cum viri harum rerum curiosi probe sciant, tamen plerique discrimen haud leve, quod inter Iosephi et Dionis sententias intercedit, quodammodo dissimulant et simul libentius Dioni aures adhibere videntur. Solus Dittenbergerus in commentariis ad titulum Iliensem C. I. G. 3609, Syll.[3] 776 missis ambagibus id quod rei est exposuit his verbis: „M. Agrippam ... Augusti imperio per decennium (23—13) Syriae provinciae praefuisse constat. At utrum eodem tempore etiam in provinciis senatoriis orientis, maxime in Asia, proconsulare imperium habuerit necne ambigitur". Iam vero nostra inscriptione quaestionem solutam esse censeo; nam Agrippa hoc modo ad gerusiam Argivam scribere non potuisset, nisi eo tempore

Digitized by Google

praeses Achaiae fuisset. Melius igitur hac de re scripsit Iosephus quam Dio; et facilius nunc intellegimus, quomodo Agrippa tunc Mytilenas concedere statuerit: non enim extra suas provincias secessit.

Praeterea rectius nunc perspicimus, qua de causa et in Achaia et in Asia provincia tot civitates inscriptiones in honorem Agrippae statuasque consecraverint. Quarum indicem hic subicere non abs re videtur. Sunt autem hae:

in Asia.

1°. Mytilenae (VIII inscriptiones in honorem Agrippae, III in honorem uxoris eius Iuliae). I. G. XII, 2, 164 g, 166 c, 168—172, 203, 204, 482, 537.

2°. Ilium. C. I. G. 3609; Dittenberger, Syll.[3] 776.

3°. Myra. Petersen et Luschan, Reisen in S. W. Kl. Asien, p. 43, n. 79.

in Achaia.

4°. Athenae (magnum monumentum ante Propylaea, cuius pars hodie exstat). I. G. III, 575.

5°. Oropus (statua in Amphiarao). I. G. VII, 1, 349.

6°. Thespiae. V. B. C. H. 1891, p. 391, 1.

7°. Sparta (titulus bilinguis collegii Agrippiastarum). I. G. V, 1, 374; C. I. L. III, 494.

8°. Gythium. I. G. V, 1, 1166.

9°. Taenarum. I. G. V, 1, p. 229.

10°. Delos (inscriptio in honorem Iuliae). B. C. H. 1878, p. 399, 7; Dittenberger, Syll.[3] 777.

11°. Andros (inscriptio in honorem Iuliae). I. G. XII, V, 740.

12°. Corcyra. I. G. IX, 1, 723.

His titulis omnibus Agrippa tamquam εὐεργέτης, πάτρων, κτίστης, σωτήρ honoratus est ab incolis civitatum Graecarum, quibus per decennium praefuit et moderatus est.

Veri simile est Agrippam has litteras Latine conscriptas servo alicui ab epistulis in Graecum vertendas mandasse. Scriptae sunt autem, ut exspectare fas erat, sermone Attici simillimo, nisi quod bis terve scriba a genuina veterum consuetudine, quam imitari studebat, desciit. Primum enim orthographia pronominum ἑατοῦ et ἑματοῦ pro ἑαυτοῦ et ἑμαυτοῦ

Digitized by Google

ipsius aetati propria est. Tum usus perfecti pro aoristo (*παρεσχημένῳ, ἀποδεδωκότι*) inde a saeculo II° demum a. C. obtinere coepit [1]); qui deinde sensim invaluit et inprimis in litteris magistratuum Romanorum ad civitates Graecas datis creberrimus est [2]). Denique *προνοεῖν* pro *προνοεῖσθαί τινος*, licet semel iam apud Xenophontem [3]) legatur, tamen vix Atticum est; contra in inscriptionibus aetatis Romanae abundat [4]). Semel, nisi fallor, scriba contra indolem linguae Graecae peccavit; nam *τὴν αἰτίαν παρέχεσθαί τινος* translatio parum dextera esse mihi videtur locutionis Latinae: „causam praebere alicuius rei". Cf. e. g. Liv. XXXV, 29, 11: relinquendi castra causam probabilem praebuisse; XXXVII, 56, 10: cessurosque se potius arrogantiae Antipatri, quam causam turbandae pacis praebituros dixerunt; Val. Max. I, 1, 5: occentus soricis auditus... C. Flaminio magisterium equitum deponendi causam praebuit.

---

1) Cf. Kühner-Gerth, Griech. Synt. I, p. 150, 3. Brugmann-Thumb, Griech. Gramm. p 567, 6.

2) Cf. Viereck, Sermo Graecus, quo S. P. Q. R. magistratusque P. R. usque ad Tib. Caesaris aetatem in scriptis publicis usi sunt, p. 66: „.. perfecti usus amplissimus..."

3) Xen. Cyrop. VIII, 11.

4) Cf. Dittenberger, Syll.² 226, 180; 523, 4; 324, 13 et 17; 356 (Syll.³ 780), 38; O. G. I. S. 595, 12; C. I. G. 3137.

Digitized by Google

AD OCTAVIAM PRAETEXTAM.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

In hac fabula percensenda, quae fabularum Annaearum virtutibus haud parum cedit, demiratus sum, viros doctos identidem lectiones tamquam corruptas coniecturis vexasse, quas sanas ac sinceras esse nemo non agnoscet qui Senecae tragoedias sedulo perlegerit, neque raro locum in codicibus depravatum sed a critico vetere pridem probabiliter restitutum novis semper futilibusque propositis sollicitare quam firmissimam eius emendationem recipere maluisse.

Quae cum ita sint, ex meis annotatiunculis partem multo maiorem sive vulgatae lectionis seu emendationum iniuria neglectarum vindicias esse moneo, minorem vero locos perpaucos tractare, quibus quoniam male comparati sunt ipse novam lucem afferre posse mihi visus sum.

Nutrix condicionem vitae aulicae his verbis exsecrari incipit:

34 *Fulgore primo captus et fragili bono*
fallacis aulae quisquis attonitus stupet,
subito † latentis ecce Fortunae impetu
modo praepotentem cernat eversam domum
stirpemque Claudi.

Versus descripsi e Richteri editione Teubneriana, qui tam Buecheleri coniecturam *facie nova* pro *fragili bono*, a Leone infeliciter receptam, quam Peiperi *facili bono* (Praef. XL) iure reiecit. Verbo autem *latentis* uterque editor crucem praefixit, sed in apparatu critico Leo *involantis* offert, quod inventum Richter memorare non neglegit additis coniecturis sua *furentis*

Digitized by Google

et Peiperi *sub uno patentis* vel *cadentis*. Neuter tamen mentionem fecit ullam de egregia Raphelengii lectione, quae et in editionibus vetustioribus et in Teubneriana priore et a Vurthemio iure ac merito recepta est, sc. *subito labantis*, quam unice veram esse hic locus comprobat

Thyest. 33: *dubia violentae domus*
fortuna reges inter incertos labet.

Cf. etiam Oed. 82: *regium hoc ipsum reor:*
adversa capere, quoque sit dubius magis
status et cadentis imperi moles labet,
hoc stare certo pressius fortem gradu.

Quae Leo praeterea in Vindiciis (II p. 385) contendit, ad Fortunam non ipsam corruentem, sed impetu suo domum stirpemque Claudi evertentem non quadrare lectionem *labantis*, cum ipsa nimis quaesita sunt tum loco e Thyeste a me allato satis refutantur.

Eadem miseratur Octaviae alumnae miserias:

51 *animum dolentis nostra solatur fides*
pietasque frustra: vincit immitis dolor
consilia nostra nec regi mentis potest
generosus ardor, sed malis vires capit.

Richter se voc. *vincit* e Buecheleri coniectura posuisse, cum libri mss. *mittit* — *mitit* — *mutat* — *muttat* varie praebeant, in apparatu critico declarare supersedit. At tradita lectio *mutat* optima est neque quicquam habet quod offendat, id quod Peiper et ipse postea perspexisse videtur, cum relictis iam coniecturis suis *reddit* — *vana* (pro *nostra*) in Teubneriana priore et *nectit* ad lectionem vulgatam *mutat* redierit (vid. Praef. Richteri p. XL). Verba nimirum significant: immitis dolor Octaviae numquam non m u t a t consilia nostra i. e. corrumpit, imminuit, debilitat. Cf. ea quae de verbi mutandi usu in Serto Naberico (a. 1908) p. 79 sqq. exposui. Rursus Schroederus, qui Senecae tragoedias et Octaviam cum notis integris Joh. Fr. Gronovii anno MDCCXXVIII Delphis edidit, lectionem sinceram retinuit cum hac Farnabii annotatione: „dolor facit, ut Octavia meorum consiliorum immemor ultionem meditetur". Praeterea Raphelengii notam affert, exemplaria Ortelianum et Aldinum

Digitized by Google

mittit, id est, reiicit, spernit exhibere, cuius verbi usus in tragoediis alterum exemplum frustra quaesivi.

Eiusdem nutricis haec verba sunt:

145 *mactata soceri concidit thalamis gener*
victima, tuis ne fieret hymenaeis potens.

Hic locus editoribus recentioribus magnam peperit molestiam et minime necessariam. „Thalamis" non de loco, sed de tempore i. e. de nuptiis Claudii et Agrippinae intellegendum esse, quod Ladekium in Vateri explicatione redarguenda affirmasse e Vurthemii editione cognovi, iam editores veteres optime perspexerunt, e quibus Farnabius: „C. Silanus Octaviae sponsus funesto illo nuptiarum die interfectus est" et Delrius: „Hic de Lucio Silano fit sermo, qui Octaviae sponsus funesto die nuptiarum Claudii et Agrippinae fuit interfectus". Exempla si quis requirat, evolvat quaeso Oct. 572, 592, 595, 663, 718 et Sen. Troad. 900, Med. 743, Phaedr. 171, 1216, Oed. 56.

Chorus Romanorum arguit patientiam degenerem, lentam nimis ac servilem:

288 *nos quoque nostri sumus immemores*
post fata ducis, cuius stirpem
prodimus † aevo suadente metu.

Locus, cum in codicibus *sevo* et *evo* exaratum sit, variis temptatus est coniecturis Gronovii *acri*, Wilamowitzii *aevo suadente metum*, Richteri *aegro*. Vürtheim ascripsit, fortasse retineri posse textum traditum hoc sensu: „stirpem proicimus et sacrificamus, suadente metu, cupiditati et libidini nostri aevi", sed poetam pro cupiditate et libidine huius aevi unum vocabulum „aevum" scripturum fuisse persuadere mihi non potest.

Inciderat mihi suspicio, reponendum esse:

cuius stirpem
prodimus e h e u suadente metu.

Facile enim *eheu* in *evo* vel per dittographiam ultimae verbi praecedentis litterae in *sevo* depravari potuit. Ecce vero cum deinde in meo editionis Schroederianae exemplari locum inspicerem, nescio quem lectorem plumbo ad versum annotasse vidi, Luc. Muellerum in Fleck. Ann. ann. 89 et 90, p. 423 emendari iussisse: *prodimus h e u h e u suadente metu*, vel *e h e u!*

Digitized by Google

Qua de causa hanc emendationem evidentem, quae editores fugisse videtur, manibus viri de litteris nostris meritissimi reddere fas mihi esse duco.

Porro in solutilis ratis naufragio enarrando chorus cantat

317 *fertur in altum provecta ratis*
quae resoluto robore labens
pressa dehiscit sorbetque mare.

In hisce verbum *pressa* non ad machinam, qua navigium iam resoluto robore labens hisceret, spectare moneo, sed intellegendum esse *pressa* sc. undis irruentibus. Cf. vs. 348: *rursumque salo pressa resurgit.* Mox haec sequuntur:

324 *alii lacerae puppis tabulis*
haerent nudi fluctusque secant,
repetunt alii litora nantes.

Pro *nudi* non cum N. Heinsio corrigendum est *udi*, sed *medii*, h. e. medio corpore. Cf. Thyest. 72, ubi Tantalus

alveo medius tuo,
Phlegethon, relinquar igneo cinctus freto.

Seneca diem illam invocat, quae „solvet saecla in favilla":

392 *nunc ades mundo, dies*
supremus ille, qui premas genus impium
caeli ruina.

Grotius noster, qui apud Richterum in apparatu critico „Grote" audit, lectionem genuinam *ades* restituit probante Gronovio pro librorum scriptura corrupta *adest* vel *adsit*(!) et Leo eius emendationem certissimam recepit. Richter vero *adest* tueri satius duxit et pro *nunc* scribere *tunc* — perperam, ut sequentia demonstrant. Pergit enim philosophus aetatem auream describere:

tunc illa virgo, numinis magni dea,
Iustitia, caelo missa cum sancta Fide
terris regebat mitis humanum genus.

Hoc igitur loco, ubi Saturni tempora longe remota dicit, adverbium *tunc* apte legitur, non ita vero ubi, cum diem supremum aliquando oriturum declaravit, exoptat ut *nunc* vel maxime illucescat. Ergo de Grotii emendatione amplius dubitandum non est.

Digitized by Google

Idem ubi varias aetates, auream, argenteam, aheneam, ferream deinceps enumerat, de aetate secunda haec infert:

406 *alia sed suboles minus*
conspecta mitis.

In lectionem *conspecta* critici recentiores coniecturis suis invaserunt *secuta* (Buecheler), *concepta* (Baehrens), *suscepta* (Peiper), *experta* (Leo). Quicumque tamen lexicon quodlibet s. v. inspexerit, huius verbi conspiciendi usus sat multa exempla reperiet, unde editores veteres lectionem traditam optimo iure servasse agnoscet.

Quod deinde de aetate tertia addit:

407 *tertium sollers genus*
novas ad artes extitit, sanctum tamen

non tangendum esse neque L. Muelleri coniecturam, quam De Re Metr. p. 172 pro *sanctum* proposuit: *sanum*, recipiendam versus Nasonis (Met. I 127 sq.) demonstrant

durior ingeniis et ad horrida promptior arma,
non sceleratа tamen,

quem locum Farnabius iam conferri iusserat nec non editores Teubnerianae prioris attulerant cum monitu: „sanctum i. e. non sceleratum".

Denique de ferrea aetate haec leguntur:

420 *partita fines regna constituit, novas*
exstruxit urbes, tecta defendit sua,
aliena telis aut petit praedae imminens.

Leo in apparatu critico ad vs. 422 ascripsit, in margine unius codicis inveniri: *al' appetit ut pute* (i. e. *puto*), unde pro *aut petit* nonnulli praetulerunt *appetit:* quod in Vurthemii editione *aut appetit* metro vetante expressum est, errore typothetae factum esse arbitror. Equidem vulgatam lectionem non sollicitandam esse censeo: si quid mutandum, una interpunctione mutata sic verba fortasse melius distinguas:

novas
exstruxit urbes, tecta, defendit sua,
aliena telis aut petit praedae imminens.

i. e. defendit sua aut petit aliena.

Digitized by Google

Nero de C. Iulio Caesare loquitur:

500 *invictus acie, gentium domitor, Iovi*
aequatus altos saepe per honorum gradus
Caesar nefando civium scelere occidit.

Buechelero praeeunte et Leo et Richter pro *altos saepe* scripserunt *altos ipse*, sed quo consilio pronomen *ipse* poetae hoc loco obtrudendum esse censuerint non intellego: plane assentior Vurthemio, cuius annotatio haec est: „*saepe* codd. non perplacet, minus etiam coni. Buecheleri *ipse*".

Quamquam N. Heinsii propositum *paene* pro *saepe* multum utique praestare videbam, locum non tangendum esse diu opinatus sum atque *saepe*, quamvis complementum minime necessarium et fortasse importunum, ipsius poetae inscitiae imputandum. At rursus dubitantem me fecit lectio, quae in interpolatis nonnullis invenitur: *saepe* vel *sepe* cum superscr. „vel *semper*" — in aliis: „*semp per*". Quia *semper* propter metrum vetatur, suspicari in promptu est, glossam „vel *semper*" pertinuisse ad eius synonymon *usque* itaque locum iam refingendum esse:

invictus acie, gentium domitor, Iovi
aequatus alios usque per honorum gradus
Caesar nefando civium scelere occidit.

Seneca Octaviae mores Neroni explicat ac defendit:

538 *teneris in annis haud satis clara est fides,*
pudore victus cum tegit flammas amor.

Sic locus in libris mss. exhibetur et a vetustioribus recensetur. Postea vero Mommsen *clara est* in *clarus* — Leo deinde *fides* in *ferest* mutavit, quas coniecturas Richter quamquam se recepisse in apparatu critico asseverat, in textu per errorem, ut videtur, *fides* pro *ferest* servavit.

At istis mutationibus ipsa ratio quam maxime reclamitat. Primum voc. *fides* omnino retinendum est, nam verba Senecae responsum dant ad Neronis dictum:

incesta genetrix detrahit generi fidem,
animusque numquam coniugis iunctus mihi.

neque magis vexanda sunt verba *clara est*, sed si quid mutan-

Digitized by Google

dum, ultima tantum litterula vocis *fides* recisa locus sic constituatur:

teneris in annis haud satis clara est fide,
pudore victus cum tegit flammas, amor.

h. e. teneris in annis amor, cum victus pudore flammas suas adhuc tegit, haud satis clara fide (abl. qualit.!) est, ergo: fides amoris iuvenilis nondum satis manifesta s. conspicua est.

Nero longam cavillationem tandem his verbis abrumpit:

588 *desiste tandem, iam gravis nimium mihi,*
instare: liceat facere quod Seneca improbat.
et ipse populi vota iam pridem moror,
cum portet utero pignus et partem mei.

Leo vocabulo *populi* crucem appinxit et in apparatu critico ascripsit, Buechelerum Poppaeae nomen desiderari et versum sic fere refingendum esse vidisse: *iam pridem et ipse vota Poppaeae moror*, Trevethum vero populi vota ad prolem rettulisse. Addo, Farnabii opinionem haud diversam fuisse, cuius haec verba sunt: „populi desiderantis ex me prolem legitimam, quae firmet etiam imperium". Versum igitur integrum relinquendum esse Richtero et Vurthemio assentior verum exigua mutatione in versu superiore adhibita:

licet et facere quod Seneca improbat
et ipse populo vota iam pridem moror.

Umbra Agrippinae lamentatur

606 *perempta ferro, foeda vulneribus sacros*
intra penates spiritum effudi gravem
erepta pelago.

Ad *sacros penates* sc. in villa Augusta Lucrini lacus, ut Farnabius recte iam monuit, cf. vs. 163:

polluit Stygia face
sacros penates

et vs. 746: *Octaviae discidia planxerunt sacros*
inter penates fratris et patrium larem.

Quos locos attuli, quoniam copulationem legitimam nonnullos offendisse magnopere admiratus sum.

Eiusdem haec sunt:

Digitized by Google

609 *saevit in nomen ferus*
matris tyrannus, obrui meritum cupit,
simulacra, titulos destruit mortis metu
totum per orbem.

Pro *mortis metu* editores recentiores Buecheleri coniecturam *matris metu* recipere solent, quam prorsus respuendam esse aio tam propter voc. *matris* e versu superiore repetitum quam propter sententiam quae sic oritur ambiguam: nempe voc. *matris* utrum ad vocabula praecedentia *simulacra*, *titulos* an ad sequens *metu* pertineat minime liquet. Si quid mutandum esset, ego quidem elegantissimam Grotii coniecturam utique praeferrem: *memores mei*, sed locus optime se habet et Farnabius recte eum interpretatus est: „Mortem iis minatus quicumque mei simulacra habuerint".

Ceterum poeta se ipse repetit ut saepe: vs. 106 et 507 in verba *mortis metu* abeunt, ut 639 et 703 in *iunctus atque haerens tuo* vel *mihi*.

Deinde umbra coniugis, ait, mihi

616 *instat, minatur, imputat fatum mihi*
tumulumque nati, poscit auctorem necis.

Ad hunc versum, quem tangere non ausim, nonnulli editores Peiperi coniecturam improbabilem *tumulumque poenam* commemorant deque Grotii proposito eleganti, quamvis non necessario, *suum atque gnati οὐδεὶς λόγος*!

Poppaea nutrici somnium, quo territa est, enarrat.

714 *laeta nam postquam dies*
sideribus atris cessit et nocti polus,
inter Neronis iuncta complexus mei
somno resolvor.

Corrigere ne dubita id quod in Teubneriana priore recensitum esse postea vidi:

laeta nam postquam dies
sideribus, atrae cessit et nocti polus.

Pro *iuncta* autem, quod in versu sequenti est, emendandum esse credo: *cuncta*. Cf. Herc. Oet. 1175: *Proh cuncta tellus!*

Inferius paulo eadem sic pergit:

Digitized by Google

734 *tandem quietem magnus excussit timor;*
quatit ora et artus horridus nostros tremor
pulsatque pectus; continet vocem timor
quam nunc fides pietasque produxit tua.

Poeta noster Senecae sane longe postponendus est, sed non talis est ut eum deinceps *timor — tremor — timor* scripsisse credibile sit, qua de causa Leo *continet vocem diu* coniecit. Equidem maluerim: *continet vocem intimam.* Cf. Phaedr. 603:

vis magna vocem mittet et maior tenet.

Est hoc cantici initium

762 *si vera loquax fama Tonantis*
furta et gratos narrat amores e. q. s.

Voc. *vera* tamquam praedicatum haud dubie tam ad *gratos amores* quam ad *furta* referri potest; vel sic tamen *gratos* epitheton minime opportunum substantivo *amores* adiectum esse iudico atque aliud adiectivum potius exspectaverim quod idem fere valeat quod *vera.* Inde suspicio mihi nata est, fortasse legendum esse: *captos* vel *raptos narrat amores*, i. e. amores quibus Iuppiter revera indulsit.

Ceterum facere non possum quin lepidam Farnabii notam, qua *gratos* illustrandum esse putavit, repetam, cuius verba sunt: „A fronte quidem gratos, bellos ac mellitos primum, sed γλυκυπίκρους, quorum exitus amarus super aloën et absynthium":

Nuntius tumultum populi choro narrat ob repudiatam Octaviam nuptiasque Poppaeae factum.

797 *membra per partes trahunt*
deducta laqueis, obruunt turpi diu
calcata caeno.

Usus locutionis *per partes* = μελεϊστί Vurthemio insolitus visus est, cuius alia exempla apud Plin. Ep. IX 18 et Quintil. exstare adiecit. At apud Senecam exemplum non deesse moneo, qui Thyest. 60 scripsit: *membra per partes eant | discerpta.* Similiter Med. 48: *vulnera et caedem et vagum | funus per artus*, atque aliter Phoen. 170: *membratim tibi | perire volui*, 448: *haec membra passim spargite ac divellite,* Phaedr. 1113: *passim ad supremos ille colligitur rogos.*

Digitized by Google

Continuo haec sequuntur:

799 *verba conveniunt feris*
immixta factis quae timor recipit meus.

Verbum *recipit* in libris mss. traditum Lipsius et Gruterus defendisse videntur, cum Gronovii verba sint: „Frustra Lipsius, frustra Gruterus cum suo *recipere* ex iure Romano. Vicit Delrius, qui *reticet*". Atque ita editores ad unum omnes post eum recensuerunt, quamquam *rapuit* et *repetit* Richter et Peiper temptarunt. Attamen vehementer dubito num Gronovio astipulandum sit. Certe in ipso verbi recipiendi usu nihil esse quod offendat hi loci comprobant:

Herc. Fur. 191: *recipit populos urna citatos.*
Troad. 695: *preces placidus pias | patiensque recipe.*
Phoen. 33: *recipe supplicium vetus.*
Med. 602: *quos polo sparsus furiosus ignes | ipse recepit.*
Thyest. 745: *an ultra maius aut atrocius | natura recipit?*
Herc. Oet. 804: *et vasta Chalcis sonuit et voces Cyclas | [excepit omnis.*
Ovid. Ex P. IV 4. 14: *verba tamen sunt haec aure recepta mea.*

Neque apud poetam nostrum neque apud Senecam, qui ei exemplo fuit, quicquam insoliti esse in temporis praesentis usu, ubi de re sive modo sive pridem paracta sermo est, et alia multa exempla docent et haec:

Oct. 736: *continet vocem timor,*
quam nunc fides pietasque produxit tua.
Oed. 787: *edissere agedum, quo cadat fato parens.*
ibid. 805: *secreta thalami fare quo excipias modo.*
hae te parenti parvulum tradant manus.
Agam. 174: *sic auspicatus bella non melius gerit.*

Quibus omnibus consideratis lectionem traditam omnino retinendam esse mihi persuasum est.

Praefectus Neroni se eius mandata exsecutum esse renuntiat:

846 *Populi furorem caede paucorum, diu*
qui restiterunt temere, compressum affero.

Pro *diu* Hartman proposuit: ⟨*haud*⟩ *diu* atque videtur voc.

Digitized by Google

diu ad versum explendum sane inscita esse additum. Collato tamen versu mox sequenti (850):

cecidere motus impii ferro duces,

in quo recensendo Richter male sprevit Delrii emendationem certissimam et in codicibus interpolatis iam prolatam *impii* pro tradito *impio*, emendare malim:

populi furorem caede paucorum ducum,
qui restiterunt temere, compressum affero.

Octavia in exsilium itura lamentatur:

907 *fratris cerno miseranda ratem.*
hac est cuius vecta carina
quondam genetrix, nunc et thalamis
expulsa soror miseranda vehar.

Peiper codicum scripturam *hac est* mutavit in *hac en*, quod sequentibus editoribus probavit. At vero propter ipsam contortam verborum structuram, quae sic oritur quamque vix et ne vix quidem extrico, neminem umquam ita scripsisse mihi constat. Ad utrum tandem vocabulum illud *cuius* refertur? Ad *ratem* ne pertineat vetat pronomen *hac* adiectum. Ergo referendum erit ad *fratris*, ita ut haec evadat sententia: „cuius genetrix quondam en hac carina vecta est, nunc ego quoque soror vehar". Quam confuse ista cogitata, quam perplexe enuntiata sunt! Immo, non *est* manu emendatrici eget, sed reponendum est:

hac est eius vecta carina
quondam genetrix, nunc et thalamis
expulsa soror miseranda vehar.

Pron. *eius* etiam ap. Senecam occurrit e. g. Thyest. 300.

Digitized by Google

VARIA IV.

SCRIPSIT

P. GROENEBOOM.

Ad Platonis Apologiam.

Textum scriptorum Graecorum nonnullis locis „emblematis" maculatum esse quis neget? Iam liber vetustissimus — papyrum dico, quae Timothei Persarum fragmentum magnum continet, non multis annis post mortuum poetam scriptam — luculentum huius rei exemplum praebet:

φυγᾶι δὲ πάλιν ἵετο Πέρ-
σης στρατὸς [*βάρβαρος*] *ἐπισπέρχων.* (vss. 97—98).

Quin recte v. Wilamowitz, primus huius poetae editor, vocabulum *βάρβαρος* secluserit dubitari non potest. Alterum exemplum non minus perspicuum dabit Plato philosophus Apol. p. 38*c*, ubi Socrates, capitis damnatus, „vitae iam finis appropinquabat", inquit, *εἰ οὖν περιεμείνατε ὀλίγον χρόνον, ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου ἂν ὑμῖν τοῦτο ἐγένετο*; ita codices, sed post *ἐγένετο* cod. T *ἐμὲ τεθνάναι* addidit, putidum profecto emblema!

Optimo igitur iure viri docti emblemata indagare solent et multis locis textus Platonicus purgatus est additamentis insulsis reiectis, cuius rei exempla afferre vix necessarium duco.

Inversa ratione saepe editores calidius verba Platonica cancellis circumscripserunt, ubi accurata interpretatio textum traditum satis defendit: iam inspiciamus locum nobilem, qui legitur Apol. p. 17*b*:

οὐ μέντοι μὰ Δία, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, κεκαλλιεπημένους γε λόγους, ὥσπερ οἱ τούτων, ῥήμασί τε καὶ ὀνόμασιν οὐδὲ κεκοσ-

Digitized by Google

μημένους, ἀλλ' ἀκούσεσθε εἰκῇ λεγόμενα τοῖς ἐπιτυχοῦσιν ὀνόμασιν κτλ.

Vocabula οὐδὲ κεκοσμημένους explicare solent „orationes ornatas, videlicet tropis, figuris, numero", quae explicatio parum mihi placet non ideo quod Socrates idem iam pronuntiavit verbis praecedentibus κεκαλλιεπημένους — ὀνόμασιν (nam tautologias Plato in Apologia minime evitat) sed potius quod post μεγαλοπρεπὲς illud κεκαλλιεπημένους — ὀνόμασιν vocabula οὐδὲ (οὐδ' εὖ?) κεκοσμημένους misere languent. Quod optime perspiciens Hartman οὐδὲ κεκοσμημένους expunxit probante Herwerdeno.

Non tamen facio cum viris clarissimis sed vocabula, de quibus agimus, alio modo explicanda esse mihi persuasum est. Saepissime enim Homerus et Herodotus (cf. ut his exemplis utar B 554 κοσμῆσαι ἵππους τε καὶ ἀνέρας ἀσπιδιώτας, Ξ 379 τοὺς δ' αὐτοὶ βασιλῆες ἐκόσμεον, A 16 κοσμήτορε λαῶν), raro Attici κοσμεῖν sensu τοῦ τάττειν, συντάττειν usurpant, ut e. g. Arist. Ran. 1027 κοσμήσας ἔργον ἄριστον (cf. vs. 1021 δρᾶμα ποιήσας Ἄρεως μεστόν) et Plat. Phaed. 97 c τόν γε νοῦν — πάντα κοσμεῖν καὶ ἕκαστον τιθέναι ταύτῃ ὅπῃ ἂν βέλτιστα ἔχῃ; nec dubito quin philosophus hoc quoque loco verbo κοσμεῖν eodem sensu usus sit metaphora e re militari desumpta: λόγοι κεκοσμημένοι *verba* sunt *bene composita et instructa*, ut milites et opponuntur τῶι εἰκῇ λεγόμενα (quid sint verba εἰκῇ λεγόμενα docet Arist. Nub. vs. 43 βίος — εἰκῇ κείμενος), quemadmodum τὸ τοῖς ἐπιτυχοῦσιν ὀνόμασιν respondet τῶι κεκαλλιεπημένους — ὀνόμασιν. Iam vides quam pulcher chiasmus — mea quidem explicatione accepta — nascatur.

Vix dubito, quin Plato etiam hanc tropam ut multas alias a tragoedia mutuatus sit; utcumque res se habet, eodem modo explicandus est Eur. Med. vs. 576, ubi chorus post longam Iasonis orationem exclamat:

Ἰασον, εὖ μὲν τοὐσδ' ἐκόσμησας λόγους·
ὅμως δ' ἔμοιγε κτλ.

p. 22 a: καὶ νὴ τὸν κύνα, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι κτέ. Complura talium locutionum exempla e multarum gentium linguis congesta attulerunt editores: notabile exemplum etiam praebet

Digitized by Google

Rutebeuf, saeculi XIII^{i} scriptor, qui nobis narrat virum quendam nobilem tanta fuisse pietate, ut per „*Sainte Garie*" iurare soleret.

p. 24 *c*: καί μοι δεῦρο, ὦ Μέλητε, εἰπέ·
van Herwerden interpunctione mutata καί μοι δεῦρο, ὦ Μέλητε. εἰπέ κτέ. edidit. Schanz refert ad Cratyl. 422 *c* εἰ δὲ τοῦτο οὕτως ἔχει — δεῦρο αὖ συνεπίσκεψαι μετ' ἐμοῦ (adde I. A. 1377 δεῦρο δὴ σκέψαι μεθ' ἡμῶν), sed multo aptius exemplum legitur apud Euripidem (I. A. vs. 630):

καὶ δεῦρο δὴ πατέρα πρόσειπε σὸν Φίλον,

quem versum Weil Murray alii (προσείπωμεν, προσείπω σοι) sine causa variis coniecturis corrumpere conati sunt, suo iure intactum reliquit Headlam: èt Plato èt Euripides δεῦρο (sensu τοῦ ἴθι, ἄγε) cum imperativo verbi dicendi coniunxerunt.

p. 25 *b*: οἱ δὲ πολλοὶ ἐάνπερ συνῶσι καὶ χρῶνται ἵπποις, διαφθείρουσιν;
Vocabula καὶ χρῶνται expunxit van Herwerden, vix recte, nam solent Graeci vocabulum minus usitatum cum voce vulgari coniungere et quasi explicare, cuius coniunctionis exempla passim leguntur, saepe a viris doctis iniuria tentantur. Sophocles e. g. alicubi ὄκνον ἔχω καὶ πεφόβημαι coniungit (Ai. vs. 139): van Herwerden et Nauck καὶ πεφόβημαι damnaverunt, sed satis me quidem iudice textum traditum defendunt Arist. Nub. vs. 294 τετρεμαίνω καὶ πεφόβημαι et Xenarch. fr. 4 [19] ἀεὶ δὲ τετρεμαίνοντα καὶ φρβούμενον.

Eodem modo cum nostro loco comparare solebam Demosth. I 14 τὴν φιλοπραγμοσύνην ἧι χρῆται καὶ συζῆι Φίλιππος, sed ne huic quidem loco pepercerunt philologi: vir quidam doctus — erat ni fallor Naber ὁ μακαρίτης — χρῆται καί delevit. Sed quis tentabit versum lepidissimum (Nub. 959), ubi Euripides loquitur:

οἰκεῖα πράγματ' εἰσάγων, οἷσ χρώμεθ', οἷσ ξύνεσμεν.

p. 26 *b*: ὅτι Μελήτωι τούτων οὔτε μέγα οὔτε μικρὸν πώποτε ἐμέλησεν.
van Herwerden σμικρόν edidit addens „formam Platonicam ubique reposui pro μικρόν".

Digitized by Google

De hac re valde dubito, nam saepissime scriptores Graeci orationem variant inter μικρόσ et σμικρόσ, quod recte nisi memoria me fallit iam observavit v. d. Radermacher. Res est parvi profecto momenti, quam ob rem pauca tantum exempla afferam:

O. C. vs. 5: σμικρὸν μὲν ἐξαιτοῦντα, τοῦ μικροῦ δ' ἔτι μεῖον φέροντα.

Optimo iure Radermacher μικροῦ, ut habent L A, edidit: plerique editores σμικροῦ scripserunt cum deterioribus. Eodem modo variantur Ai. vs. 158 σμικροί et μικροτέρων (ita L, optimus codex: A habet σμικροτέρων), Eur. El. vs. 407 μικροῖσ — σμικροῖσιν, Hdt. I 5 (ὁμοίωσ) μικρά et (αὐτῶν) σμικρά („Herodotus post vocales et ῡ σμικρός, μικρός post σ̄ posuisse videtur Hoffmanno", cf. van Herwerden Lex. Suppl.[2] s. v. σμικρόσ).

Procul dubio igitur Plato Rep. 556e ὥσπερ σῶμα νοσῶδεσ μικρᾶσ ῥοπῆσ ἔξωθεν δεῖται προσλαβέσθαι πρὸσ τὸ κάμνειν — οὕτω δὴ καὶ ἡ κατὰ ταὐτὰ ἐκείνωι διακειμένη πόλισ ἀπὸ σμικρᾶσ προφάσεωσ — νοσεῖ priore loco μικρᾶσ scripsit, ut habent codices: hinc sequitur formam μικρόσ apud Platonem recte se habere nec licere invitis codicibus σμικρόσ ubique rescribere.

p. 26d: καὶ δὴ καὶ οἱ νέοι ταῦτα παρ' ἐμοῦ μανθάνουσιν, ἃ ἔξεστιν ἐνίοτε εἰ πάνυ πολλοῦ δραχμῆσ ἐκ τῆσ ὀρχήστρασ πριαμένοισ Σωκράτουσ καταγελᾶν, ἐὰν προσπιῆται ἑαυτοῦ εἶναι, ἄλλωσ τε καὶ οὕτωσ ἄτοπα ὄντα.

Venio nunc ad verba difficillima, quae alii aliter explicare solent. Merito Schanz, editor sagacissimus, adnotat: „ἐκ τῆσ ὀρχήστρασ πριαμένοισ kann nur eine ungesunde Interpretation so verstehen: man kann für eine Drachme ins Theater gehen, und dort aus den Chorgesängen die Weisheit des Anaxagoras kennen lernen".

Ipse contendit orchestram h. l. significare τόποσ ἐπιφανὴσ εἰσ πανήγυριν, ἔνθα Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονοσ εἰκόνεσ (cf. Timaeus s. v. ὀρχήστρα; Wachsmuth, Die Stadt Athen I, 170 et 510); haec vero opinio, ut de aliis argumentis taceam, iam eo refutatur, quod nusquam illo loco ab Atheniensibus libros emi solere traditum est.

Ductus locutionibus εἰ πάνυ πολλοῦ, δραχμῆσ et ἐνιότε,

Digitized by Google

quarum altera in tesseras (nos „toegangsbewijzen"), altera in mercaturam librariam vulgarem vix quadrat, explicationem propono, quae in editionibus, quae mihi quidem praesto sunt, non legitur, latet fortasse in ephemeridibus (nam nova me proferre vix credo). Suspicor enim h. l. de libellis agi, qui textum tragoediae aut comoediae alicuius continent, quos nos „textboekjes" vocare solemus.

De eisdem libellis enim iterum agi videtur ap. Arist. Ran. vs. 1113: „nolite vereri (ita loquitur chorus), Euripides et Aeschyle, ne spectatores argutias vestras non intellegant":

ἐστρατευμένοι γάρ εἰσι,
βιβλίον τ' ἔχων ἕκαστος
μανθάνει τὰ δεξιά,

ubi cum pronomen ἕκαστος tum praesens μανθάνει explicationem meam affirmat.

p. 30*e*: urbem Socrates comparat cum ἵππωι μεγάλωι μὲν καὶ γενναίωι, ὑπὸ μεγέθους δὲ νωθεστέρωι καὶ δεομένωι ἐγείρεσθαι ὑπὸ μύωπός τινος κτέ.

Quaeritur utrum μύωψ calcar significet an de tabano cogitet philosophus: priorem explicationem fovent Ficinus, Serranus, Wolf, Schleiermacher, Schanz, sed altera longe praeferenda esse videtur et propter praepositionem ὑπὸ ante μύωπος positae et propter participium κρούσαντες, quod sequitur (31*a*) et propter locutionem παντα χοῦ προσκαθίζων, quae in calcar minime, optime in tabanum quadrat, ut e. g. demonstrat Paus. X 28, 7, ubi color dei nescio cuius comparatur cum colore τῶν μυιῶν αἳ πρὸς τὰ κρέα εἰσὶ προσιζάνουσαι.

p. 35*e*: τὸ μὲν μὴ ἀγανακτεῖν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἐπὶ τούτωι τῶι γεγονότι, ὅτι μου κατεψηφίσασθε, ἄλλα τέ μοι πολλὰ ξυμβάλλεται κτέ.

Mira ἀνακολουθία, praesertim cum novam orationis partem Socrates incipiat! Nec satis textum traditum locus defendit, quem interpretes citare solent τὸ μηδὲ ἄκοντά τινα ἐξαπατῆσαι ἢ ψεύσασθαι — μέγα μέρος εἰς τοῦτο ἡ τῶν χρημάτων κτῆσις συμβάλλεται (Rp. I p. 331*b*), ubi verba εἰς τοῦτο praecedentia corrigunt. Fortasse (nam dubito) insolita constructio

Digitized by Google

latet et legendum est τοῦ μὲν μὴ ἀγανακτεῖν κτέ., coll. Eur. Med. 284 ξυμβάλλεται δὲ πολλὰ τοῦδε δείματος, Thuc. III 36, 2.

p. 36*d*: οὐκ ἔσθ' ὅτι μᾶλλον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πρέπει οὕτως ὡς τὸν τοιοῦτον ἄνδρα ἐν πρυτανείῳ σιτεῖσθαι κτέ.

Quod μᾶλλον et οὕτως copula non addita inter se pugnant, Mudge μᾶλλον, Adam οὕτως seclusit, Baumann καὶ ante οὕτως addidit.

Praestat me iudice ⟨οὐδ'⟩ οὕτως corrigere coll. p. 30*b* μήτε σωμάτων ἐπιμελεῖσθαι μήτε χρημάτων πρότερον μηδὲ οὕτω σφόδρα ὡς τῆς ψυχῆς.

Ad Ciceronis Or. § 146.

„Qui possem" (Cicero rogat) „cum et afuissem domo adulescens, et horum studiorum (sc. eloquentiae) causa maria transissem, et doctissimis hominibus referta domus esset, et aliquae fortasse inessent in sermone nostro doctrinarum notae, cumque volgo scripta nostra legerentur *dissimulare medicis*. Sed quid probarem nisi quod parum fortasse profeceram?"

In ridiculo isto, quod codex Abrincensis praebet, *dissimulare medicis sed* latere *d. me didicisse* dudum est intellectum. Sequentia sic corrigit Ernestus: „quid erat quo probarem?" Multo verisimilius videtur: „*qui id* probarem".

I. I. H.

Digitized by Google

AD A. GELLII N. A. LIB. I—V.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

LIBER I.

C. 2 § 6: 'permitte', inquit, 'philosophorum amplissime, quoniam respondere nos tibi, quos vocas idiotas, non quimus, recitari ex libro, quid de huiuscemodi magniloquentia vestra senserit dixeritque Epictetus, Stoicorum maximus'.

Pro *vestra* emendandum est: *vester*. Cf. § 3 supra, ubi adulescens ille fuisse fertur „disciplinae, ut ipse dicebat, stoicae, sed loquacior inpendio et promptior".

ibid. § 7: Epictetus severe simul et festiviter seiunxit atque divisit a vero atque sincero Stoico... volgus aliud nebulonum hominum, qui se Stoicos nuncuparent e. q. s.

Immo: volgus *illud* nebulonum hominum, qui. Cf. I 3. 1: Chilonem, virum ex illo incluto numero sapientium.

C. 3 § 7: Hanc capio ex eo facto molestiam, quod metuo, ne a perfidia et culpa non abhorreat in eadem re eodemque tempore inque communi negotio, quod mihi optimum factu duxerim, diversum eius aliis suassisse.

Post *duxerim* sive unum verbum *fecisse* seu plura intercidisse mihi constat.

ibid. § 10: Super hac quaestione... a Theophrasto disputatur, viro in philosophia peripatetica modestissimo doctissimoque.

Hosius ad locum num forte honestissimo legendum sit rogat et conferri iubet I 4. 1, qui locus „Antonius Iulianus rhetor perquam fuit honesti atque amoeni ingeni" ad eius

Digitized by Google

coniecturam suadendam parum conferre videtur. Equidem potius crediderim, Gellium scripsisse *notissimo*.

ibid. § 30: Eius autem Chilonis ... id maxime exploratae utilitatis est, quod duas ferocissimas adfectiones amoris atque odii intra modum c a u t u m coercuit.

Pro *cautum* Thysius *caute*, I. Gronovius *cautim*, Nettleship *cautionum* proposuerunt. Magnopere miror, neminem umquam *c e r t u m* reponendum esse perspexisse: conferantur enim ea quae continuo sequuntur, quibus modum illum certum Chilon diserte definit: 'Hac', inquit, 'fini ames, tamquam forte fortuna et osurus, hac itidem tenus oderis, tamquam fortasse post amaturus'.

C. 6 § 3. Metellum in populo ad matrimonia capessenda hortando ita potius dicere oportuisse nonnullis visum est, „ut et nullas plerumque esse in matrimoniis molestias adseveraret et, si quae tamen accidere nonnumquam viderentur, parvas et leves facilesque esse toleratu diceret maioribusque eas emolumentis et voluptatibus oblitterari easdemque ipsas neque omnibus neque naturae vitio, set quorundam maritorum culpa et i n i u s t i t i a evenire.

Post voc. *culpa* istud *iniustitia* non concoquo: quasi factum iniustum non culpa sit! Suspicor corrigendum esse: *culpa et i n s c i t i a*.

ibid. § 6: De molestia igitur cunctis hominibus notissima confessus fidem s e d u l i t a t i s veritatisque commeritus, tum denique ... persuasit civitatem salvam esse sine matrimoniorum frequentia non posse.

Non me primum illud *sedulitatis* offendit, cum Madvigium *simplicitatis* legendum censuerit, Hosius *sinceritatis* maluerit. Mihi vero fuit cum *securitatis* restituendum videretur: cl. I 11. 17: quo manifestior fieret exploratiorque militum s e c u r i t a s et alacritas. Postquam vero I. I. Hartman v. cl. me admonuit de hisce in Ciceronis Cluentiana verbis (§ 58): „quamquam *sedulo* faciebat, *praevaricari* (videbatur)" locum nostrum nullo vitio laborare mihi persuasissimum est.

ibid. § 8: Di immortales plurimum possunt; sed non plus velle nobis debent quam parentes. At parentes, si pergunt liberi errare, bonis exheredant. Quid ergo nos i m m o r t a l i-

Digitized by Google

bus dissimilius expectemus, nisi malis rationibus finem facimus?

Loci in libris mss. male habiti neque haec recensio neque Hertzii, qui deleto vocabulo *immortalibus* pro *dissimilius* cum codd. Carrionis *divinitus* scripsit, ferri posse mihi videtur. Equidem consensum codicum mss. secutus divisa voce *dissimilius* (ita cod. A — reliqui *diutius* praebent) temptavi: Quid ergo nos a diis immortalibus dissimile ius expectemus, nisi e. q. s.

C. 11 § 1: tibiarum modulis in proeliis esse usos refert non... ut excitarentur atque evibrarentur animi e. q. s.

Verbum, quod apud Ammianum demum redit, nescio an corruptum sit ex *everberarentur* cl. I 23 § 7: secretum rei et silentium pueri animum eius ad inquirendum everberat.

ibid. § 7: Alyattes... concinentes habuit fistulatores et fidicines atque feminas etiam tibicinas in exercitu atque in procinctu habuit.

Prius illud *habuit*, quod membranae Carrionis omiserunt, sine dubio eliminandum est.

C. 12 § 9: Virgo autem Vestalis, simul est capta atque in atrium Vestae deducta et pontificibus tradita est, eo statim tempore... ius testamenti faciundi adipiscitur.

Pro *simul est* emendandum censeo: *simul ac*.

C. 15 § 1: Qui sunt leves et futtiles et inportuni locutores quique nullo rerum pondere innixi verbis uvidis et lapsantibus diffluunt, eorum orationem bene existimatum est in ore nasci, non in pectore.

Auctore Salmasio editores *uvidis* pro tradita lectione *(h)umidis* recipere solent, quod huic loco minime aptum videtur. Conicio: *vanidicis*, cl. Plaut. Trin. 275 et Amm. Marc. XVI 7. 2.

ibid. § 5: M. Tullii quoque verba posui, quibus stultam et inanem dicendi copiam graviter et vere detestatus est.

Hosius ascripsit: 'an *severe*?' Immo potius: *iure*.

C. 20 § 3: 'Solidum' est, quando non longitudines modo et latitudines planas numeri linearum efficiunt, sed etiam extollunt altitudines.

Voc. *planas* inducatur.

C. 25 § 5: Quid enim dicemus, si indutiis mensum aliquot factis in oppida castris concedatur?

Digitized by Google

Sic nunc fere scribi solet praeeunte Lambecio pro librorum mss. lectione *op(p)idi:* coniectura eius ⟨*ex*⟩ *castris* non item editoribus placuit. Suspicio me tenet, corruptam scripturam *oppidi* vestigium etiamnunc servare verae ac genuinae lectionis: *in oppida ire castris concedatur?*

C. 26 § 6: Coeperat verberari et obloquebatur non meruisse, ut vapulet; nihil mali, nihil sceleris admisisse. Postremo vociferari inter vapulandum incipit e. q. s.

Verba *ut vapulet* Van Veen emendare studuit scribendo *ut vapularet*, mihi vero in marginem relegánda videntur, unde immerito in contextam orationem irrepserunt.

Liber II.

C. 6 § 5: 'vehere', in quo inest vis iam quaedam alieni arbitrii; non enim sui potens est, qui vehitur. 'Vexare' autem, quod ex eo inclinatum est, vi atque motu procul dubio vastiorest.

Nonne Gellius scripsisse putandus est: *non enim sui potens it, qui vehitur?*

C. 12 § 4: Nam si boni omnes... populum percitum et amentem non deseruerint, sed ad alterutram partem dividi sese adiunxerint, tum eveniet, ut e. q. s.

Lectio *dividi* vel *divisi*, ut exaratum est in codd. deterioribus, varie iam temptata est: I. Fr. Gronovius *dividui* — I. Maehly *discidi* — Landgraf *dividiae*, alii alia proposuerunt. In promptu esset emendare: *diversi*, nisi versus ex Accii Androm., apud Non. s. v. *dividos* (p. 135, 24 Linds.) servatus atque ab Hertzio allatus, vulgatam lectionem tueretur; Nonius nempe docet: dividos, id est separatos, et citat versum: nósque ut seorsum dívidos leto ófferes. Alibi (p. 144, 19 Linds.) idem habet: dividae, ut dissensiones, atque hoc substantivum quoque versu Acciano (Phoen.) confirmat:

ne horum dívidae et discórdiae
díssipent et distúrbent tantas ét tam opimas cívium
dívitias.

Quae cum ita sint, locum nostrum sanum integrumque esse atque coniecturis omnibus abstinendum nobis esse opinor.

C. 17 § 4: Non enim semper producitur (sc. praepositio 'pro'),

Digitized by Google

cum sequitur ea littera, quae prima est in verbo 'fecit', quam Cicero hanc habere vim significat, ut propter eam rem 'in' et 'con' praepositiones producantur.

Nisi omnia me fallunt, vocula *rem* delenda est.

C. 21 § 8 correxi Mnemos. Vol. XXXXVI (a. 1918) p. 444.

C. 26 § 23: Sed cum sit, ita ut dixisti, flavus color e viridi et albo mixtus, pulcherrime prorsus spumas virentis maris 'flavom marmor' appellavit.

At § 12 idem perhibuit: „'Flavus' contra videtur e viridi et rufo et albo concretus", unde non dubito quin loco nostro supplendum sit: *flavus color e viridi ⟨et rufo⟩ et albo m.*

C. 28 § 4: Sed de lunae solisque defectionibus non minus in eius rei causa reperienda sese exercuerunt.

Post *minus* Hertz inseruit *inprospere*, ratus ante *in* sive hoc vocabulum sive aliud simile ab eadem syllaba incipiens excidisse. Mihi ita potius locus sanandus videtur: *Sed de lunae solisque defectionibus non minus ⟨incuriosi, aeque minus⟩ in eius rei causa reperienda sese exercuerunt.*

Librarius cum *non minus* exarasset, ad alterum *minus* oculos aberrare passus se hoc iam transscripsisse putavit.

C. 29 § 1: Aesopus... sapiens existimatus est: cum, quae utilia monitu suasuque erant, non severe neque imperiose praecipit e. q. s.

Corrigendum est pro *cum: quia.*

C. 30 § 9: Ab aquilonibus enim, qui alti supernique sunt, fluctus excitatos quasi per prona volvi dicit, ab austris autem, his qui humiliores sunt, maiore vi quadam propelli sursum atque subici.

Pro *his* legendum esse credo: *illis* sc. aquilonibus.

Liber III.

C. 1 § 14: Tum Favorinus: 'aut hoc', inquit 'quod dixisti, probabile est, aut Sallustius odio avaritiae plus quam potuit eam criminatus est.

Pro *potuit* Scriverius coniecit *oportuit*, II. I. Mueller *debuit*, Hosius *par fuit*. Locus qui est III 2 § 14 me inducit ut reponendum esse credam: *decuit*; ibi enim haec leguntur: „non

Digitized by Google

exposite atque aperte, sed, ut hominem decuit poeticas res agentem" e. q. s.

C. 2 § 5: Babylonios porro aliter; a sole enim exorto ad exortum eiusdem incipientem totum id spatium unius diei nomine appellare (sc. Varro scripsit).

Emenda: *ad exortum eiusdem insequentem*, cl. § 6: a meridie ad insequentem meridiem, § 7: a media nocte ad mediam proximam, § 11: ante mediam sequentem.

ibid. § 10: nam magistratus, quando uno die eis auspicandum est et id, super quo auspicaverunt, agendum, post mediam noctem auspicantur et post meridialem solem agunt, auspicatique esse et egisse eodem die dicuntur.

Puteanus inseruit: ⟨*cum*⟩ *post*. Nonne potius supplendum est *dum*, quod post *agendum* per haplographiam facile omitti potuit? Cf. Hertz ad V 1 § 2.

C. 3 § 5 de versu corrupto in hoc fabulae Plautinae fragmento egi in Mnemos. Vol. XLII (a. 1914) pag. 91.

ibid. § 9: Nam nec Geminei lenones nec Condalium nec Plauti Anus nec Bis compressa nec Boeotia umquam fuit neque adeo Agroecus neque Commorientes Macci Titi.

Ad hos versus a Varrone ex Accii Didasc. servatos praeter locos ab Hertzio et Hosio allatos nunc etiam cf. Leo, Gesch. d. Röm. Lit. pag. 388 not.

Ceterum moneo, in huius Capitis lemmate verba: „atque inibi, quod Plautus et Naevius in carcere fabulas scriptitarint" omnino mendosa esse atque ita corrigenda ut aut *quot* restituatur, quod Hertz dubitanter proposuit, aut *quas*.

C. 8 § 8 epistulam continet a C. Fabricio Q. Aemilio coss. ad Pyrrum regem datam, quam Claudius Quadrigarius tradidit. Huius autem epistulae initium et finem vitia inquinant, quae probabiliter tolli posse mihi videntur. Est initium hoc:

Nos pro tuis iniuriis continuo animo tenus commoti inimiciter tecum bellare studemus.

Pro *continuo* I. Fr. Gronovius correxit *continuis*, quod editoribus satis placuit et nunc fere edi solet. At tamen duo sunt propter quae animum inducere nequeo ut locum ita recte restitutum esse credam: primum causam video nullam, quae librarium impellere potuerit ut, si *continuis* in exemplari

Digitized by Google

describendo exaratum esset, *continuo* poneret, cum praesertim modo *tuis iniuriis* scripsisset; deinde vero attributum *continuis* minime aptum est, cum Pyrrhus non per longam annorum seriem neque ante hoc bellum Romanos iniuriis affecerit. Quae cum ita sint, vocabulum *continuo* non emendandum esse existimo, sed transponendum: suspicor enim, id e versu inferiore per errorem in versum superiorem traiectum esse et locum ita legendum:

Nos pro tuis iniuriis animo tenus commoti inimiciter continuo tecum bellare studemus.

Inimiciter continuo h. e. semper et ubique tamquam iusti hostes tecum pugnabimus, non sicariorum more, quod nunc Nicias nobis persuadere studuit.

In epistulae fine haec leguntur:

simul visum est, ut te certiorem faceremus, ne quid eiusmodi, si accidisset, nostro consilio civitates putarent factum, et quod nobis non placet pretio aut praemio aut dolis pugnare.

L. Mueller *pretio* — Van Gigch *aut praemio* deleri iussit. At quomodo aut hoc aut illud irrepere potuerit frustra quaero, cum neque *pretium* nec *praemium* habendum sit in eorum vocabulorum numero, quae glossis suis indigere interpretatores iudicaverint. Immo, nihil eliminandum esse puto, sed consules scripsisse:

quod nobis non placet, pro proelio aut praemio aut dolis pugnare.

Scriptum nimirum fuit: *p prelio* (h. e. *pro proelio*), in quibus cum *p (pro)* per haplographiam esset omissum, *prelio* scilicet in *pretio* immutatum est.

C. 12 § 4: Laberius in mimo, qui Salinator inscriptus est, verbo hoc ita utitur:

Nón mammosa, nón annosa, non bíbosa, nón procax.

Pro voc. *annosa* R. Klotz *anosa* — Studemund *pannosa* substituere voluit. Fortasse: *amicosa*. Cf. Diom. 326, 17.

Liber IV.

C. 2 § 1 ex edicto aedilium curulium de mancipiis vendundis haec laudantur: Titulus scriptorum (*ita codd. optimi* —

Digitized by Google

deteriores: servorum) singulorum scriptus sit curato ita, ut intellegi recte possit, quid morbi vitiive cuique sit, quis fugitivus errove sit noxave solutus non sit.

Quoniam proxime praecedit *scriptum*, sequitur *scriptus*, Hertz non veritus est voc. *scriptorum* omnino omittere, Hosius vero lectionem codicum deteriorum recipere praetulit.

An forte scriptum fuit *gypsatorum?*

Cf. Plin. H. N. XXXV 199: (creta), qua circum praeducere ad victoriae notam pedesque venalium trans maria advectorum denotare instituerunt maiores, Iuvenal. 1, 111: nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis, Propert. V 5, 52, Tibul. II 2, 59 et Ovid. Am. I 8, 63 sq., qui nomine de servis generatim atque universe usus est:

nec tu, siquis erit capitis mercede redemptus,
despice: gypsati crimen inane pedis.

C. 8 § 4: Sed cum in temporibus r e i difficillimis consules creandi forent . . .' adnixus est Fabricius, uti Rufino consulatus deferretur.

Vulgatam antea lectionem fuisse video: *in temporibus r e i p u b l i c a e difficillimis*, quam editoribus recentioribus displicuisse magnopere miror, quandoquidem unice veram eam esse censeo: voc. *publicae* nempe in archetypo una littera *p* significatum esse suspicor.

C. 9 § 12: cur 'ingeniosus' et 'formosus' et 'officiosus' et 's p e c i o s u s', quae pariter ab ingenio et forma et officio inclinata sunt, . . . numquam in culpam, sed in laudem dicuntur, quamquam h a e c c u m incrementum sui nimium demonstrent?

Hosius post *officio* se *et specie* desiderare ascripsit, ego vero potius verba *et speciosus* a nescioquo postea inserta esse credo, quoniam adi. 'speciosus' n o n in iis habendum est, quae numquam in culpam, sed tantum modo in laudem dicuntur.

Scriptura autem *haec cum* iam in libris mss. non constare videtur, cum *haec* — *hc̃* — *hec* — *ḥ hc̃* exarata sint: pro *cum* edd. veteres *quoque* — I. Fr. Gronovius *aeque* — I. Gronovius *eccum* — Hertz *aecum* — Hosius *item* scripsere. Quamquam tot propositis novum etiam addere dubito, reticere tamen hoc meum nolui: *quamquam h a u d m i n u s incrementum sui nimium demonstrent.*

Digitized by Google

C. 15: lemma: Defensa a culpa sententia ex historia Sallustii, quam iniqui eius cum insectatione maligni reprehenderint.

Pro *iniqui eius* dubito an scriptum fuerit: *iniqui iudices.*

ibid. § 5: Obnoxiam quippe et obiectam falsis existimationibus eam rem dicendam aiunt quam 'arduam'.

Ad Dietschii coniecturam ⟨*potius*⟩ *eam* Hertz observavit: „quo non magis opus est quam voc. *magis* aut ante aut post *dicendam* in libris deterioribus addito". At cf. c. 16 § 5: „set non omnes concedunt in casu dativo 'senatui' magis dicendum quam 'senatu'".

C. 16 § 8: (Vergilius quoque in casu dandi 'aspectu' dicit, non 'aspectui'...) C. etiam Caesar... in Anticatone: unius, inquit, arrogantiae, superbiae dominatuque.

Post *dominatuque* ex libris optimis duo (PV): *dñatu* exhibent, unde Baehrens *dom. mandatus* scribi iussit. At non *mandatus* legitur, sed *damnatus* idque recte, quod ut comprobem haec exempla e Georgii lexico affero: Stygio caput Orco d. (Ov.), morti damnatum esse (Lucr.), Teucro damnatum esse Quirino (Prop.), Ilion, mihi castaeque damnatum Minervae (Hor.).

C. 20 lemma: Notati a censoribus, qui audientibus iis dixerant ioca quaedam intempestiviter; accede eius quoque nota deliberatum, qui steterat forte apud eos oscitabundus.

Corrupta lectio *accede* in libris deterioribus correcta est *ac de*, quae fere recipitur quamvis non omnibus probata, quoniam Lion *atque de* coniecit, Hosius dubitanter proposuit *ac quod de.* An forte pro *accede* legendum est *aeque de?* Ita certe nullius non litterae ratio reddita erit.

Liber V.

C. 3 § 5: Quod ubi Protagoras, ut erat petitum, fecit atque itidem Democritus acervum illum... ratione quadam quasi geometrica librari continerique animaduertit, interrogavit, quis e. q. s.

Pro *itidem* orationis contextus requirit: *iterum.*

C. 6 § 1: Militares coronae multae, variae sunt.

Emenda: *multae* ⟨*ac*⟩ *variae.*

Digitized by Google

C. 10 § 12: Sed maius mihi in ista victoria prolubium est, cum te non in causa tantum, sed in argumento quoque isto vinco.

Immo, legendum est: *iuste vinco.*

C. 13 § 1: Seniorum hominum ... disceptatio quaedam fuit praesente et audiente me de gradu atque ordine officiorum.

Aut ego fallor aut Gellius scripsit: *disc. quondam fuit.* Continuo haec sequuntur:

Cumque quaereretur, quibus nos ea prioribus potioribusque facere oporteret, si necesse esset in opera danda faciendoque officio alios alliis anteferre, non † constituebat.

Primum pro *faciendoque* Gellio reddendum puto: *faciendove.* Deinde de corrupta scriptura voc. *constituebat* pauca in medium proferre lubet. Hertz verbo crucem praefixit et lacunam h. l. statuendam esse se censere infra monuit — Hosius de suo *consentiebatur* posuit. Equidem maluerim: *non consistebat*, memor Ciceroniani illius *consistit consilium* pro eo quod est: consilium constat sive fixum est.

ibid. § 6 i. f.: Nam neque hominum morte memoria deleri debet, quin a proximis retineatur, neque clientes sine summa infamia deseri possunt, quibus etiam a propinquis nostris opem ferre instituimus.

Verba ultima cum sane iis, quae supra exposita sunt, minime consentanea sint, viri docti variis modis loco mederi conati sunt. I. Fr. Gronovius proposuit: *ante propinquos nostros* et sic vel *antequam propinquis nostris* Luc. Mueller, H. Meyer: *prae propinquis nostris.* Vitium igitur in praepositione latere omnes illi suspicati sunt: mihi tamen succurrit, facile fieri potuisse ut lectio *a pupillis nostris* vera ac genuina in *a propinquis nostris* depravata sit.

C. 14 § 9: Is unus leo corporis impetu et vastitudine ... animos oculosque omnium in sese converterat.

Pro *impetu* Cornelissen *ambitu* scribi iussit. Nescio an melius loco consulatur, si voc. *corporis* post *vastitudine* traiecerimus.

ibid. § 15: Ea re prorsus tam admirabili maximos populi clamores excitatos dicit.

Corrigendum videtur: *prorsus iam admirabili.*

ibid. § 23: Illa tunc mea opera et medella levatus pede in manibus meis posito recubuit et quievit.

Digitized by Google

Immo potius *Ille tunc*, sc. leo.

C. 18 § 8. E libro Semproni Asellionis et alia afferuntur et haec: Annales libri tantummodo, quod factum quoque anno gestum sit, ea demonstrabant, id est quasi qui diarium scribunt, quam Graeci ἐφημερίδα vocant.

Hunc locum, quem alii aliter temptarunt, ad liquidum perducendum esse arbitror ita ut pro *ea demonstrabant* reponatur: *aeque demonstrabant*, h. e. omnia facta eodem modo, aeque nuda ac ieiuna neque ulla addita ratione.

ibid. § 9: Nam neque alacriores, inquit, ad rempublicam defendundam neque segniores ad rem perperam faciundam annales libri commovere quicquam possunt.

In parte altera huius enuntiati nullum non vocabulum compluribus coniecturis sollicitatum est. Moneo tamen locum optime se habere, quod nemo iam negabit qui voc. *perperam* h. l. adiectivum esse agnoverit. Cf. Acc. ap. Non. 219, 1 (Lindsay).

(Continuabuntur.)

Digitized by Google

EMBAROS.

SCRIPSIT

K. KUIPER.

Ritum τῆς ἀρκτεύσεως non solum in sacris Dianae Brauroniae observatum fuisse, sed Munychiae quoque, satis notum est. Inter utrumque cultum hoc praecipue discrimen est quod apertius quam in Brauroniis memoria sacrificii humani servatur in Munychiis. Testis est Pausanias apud Eustathium in Il. II. 732. p. 331 qui memorat olim pestilentia quadam orta Munychiae Embarum quendam pollicitum esse se filiam suam sacrificaturum deae iratae, hac tamen condicione ut postea munus sacerdotale suo generi proprium esset. Tum vero διακοσμήσας τὴν θυγατέρα αὐτὴν μὲν ἀπέκρυψεν ἐν τῷ ἀδύτῳ, αἶγα δὲ κοσμήσας ὡς τὴν θυγατέρα ἔθυσεν.

Uberius historia Embari enarratur in Bekkeri Anecdotis 444. 32 omisso tamen nomine Embaro, quod nomen, quamvis obscurum, fortasse cum substantivo βαρίς = πλοῖον coniungi licebit ita ut Dianae Marinae religio ipso sacrificatoris nomine indicetur. Sed intricatior ea est quaestio quam ut in transitu tractetur. Nunc de adnotatione quae in Bekkeri lexico servatur tantummodo agendum est, quae corruptela molesta laborare mihi videtur. Integrum locum exscribam.

Λυσίας τὸ καθιερωθῆναι πρὸ γάμων τὰς παρθένους τῇ Ἀρτέμιδι ἀρκτεύειν ἔλεγε. καὶ γὰρ αἱ ἀρκτευόμεναι παρθένοι ἄρκτοι καλοῦνται, ὡς Εὐριπίδης καὶ Ἀριστοφάνης. καὶ ἄλλως ἀρκτεῦσαι λέγεται τὸ ὥσπερ ἄριστον ἀφοσιώσασθαι τῇ Ἀρτέμιδι καὶ θῦσαι. ἐρρήθη δὲ ἐκ τοῦ ἄρκτον ποτὲ φανῆναι ὡς λόγος ἐν Πειραιεῖ καὶ πολλοὺς ἀδικεῖν, εἶτα ὑπὸ νέων τινῶν αὐτὴν ἀναιρεθῆναι καὶ λοιμὸν ἐπιγενέσθαι, χρῆσαί τε τὸν θεὸν, τιμᾶν τὴν Ἄρτεμιν καὶ

Digitized by Google

θῦσαι κόρην τῇ ἄρκτῳ. τῶν οὖν Ἀθηναίων τὸν χρησμὸν μελετώντων εἴς τις ἀνὴρ οὐκ εἶα αὐτὸς εἰπὼν καταθύσειν. ἔχων οὖν αἶγα καὶ ὀνομάζων ταύτην θυγατέρα ἔθυσε λάθρα, καὶ ἐπαύσατο τὸ πάθος. εἶτα τῶν πολιτῶν διαπιστούντων ἔφη ὁ ἀνὴρ ἐπερωτᾶν τὸν θεόν. τὸν δὲ ἀνειπόντα θῦσαι καὶ τὸ λοιπὸν οὕτως ποιεῖν φήσαντος ἐξεῖπε τὸ λάθρα γεγονός. καὶ ἀπὸ τούτου αἱ κόραι ἀρκτεύειν οὐκ ὤκνουν, ὥσπερ ἀφοσιούμεναι τὰ τῆς θηρίας.

Levi medicina sanari poterit in prioribus ἄριστον illud, ut procul dubio iam diu a viris doctis in ἄρκτον mutatum est. In extremo vocabulo dubitare possis. Corrigi licebit θηρίας in θήρας, ut virgines dicantur „antiquae venationis, in qua ursa interfecta erat, culpam τῇ ἀρκτεύσει sanasse. Sed praestat fortasse legere τὰ τῆς θυσίας „antiquo sacrificio satisfacientes".

At gravius laborant verba „τὸν δὲ ἀνειπόντα θῦσαι e. q. s."— Civibus enim iterum interrogantibus Apollo respondisse videtur Dianam eo sacrificio quod ab Embaro factum esset placatam fuisse, vitio carere illud sacrificium, atque in posterum eundem ritum observari oportere.

Scripsit ergo: ni fallor, grammaticus: τοῦ δὲ ἄμεμπτον τεθύσθαι καὶ τὸ λοιπὸν οὕτω ποιητέον φήσαντος κ. τ. λ.

Digitized by Google

PLAUTINA.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN.

A. Quo tempore scriptae sint Plauti fabulae Poenulus et Truculentus.

Cicero in libro, c. t. Cato Maior (§ 49 sq.), docens senectute neque facultatem litteras colendi neque voluptatem studiorum hominibus adimi primum refert Sulpicium Galum prope usque ad mortem cursus motusque stellarum observasse eorumque rationes iniisse, deinde Naevium vehementer poemate suo *de Bello Punico* gavisum esse, post Plautum magnopere delectatum Truculento et Pseudolo, quas fabulas poeta admodum grandis natu composuit. Novimus autem e Didascaliis ad Pseudolum pertinentibus hanc comoediam actam esse M. Iunio M.fil. praetore urbano, i. e. a° 191 a. C. n. Cum Cicero l. l. Truculentum nominet ante Pseudolum, videtur illa fabula paulo recentioris aetatis esse quam Pseudolus et idcirco scripta aliquot annis post 191, id quod alio argumento confirmari potest. Legimus enim Truc. 75

re placida atque otiosa victis hostibus
amare oportet omnes qui quod dent habent,

qui versus comparandi sunt cum Poen. 524

praesertim in re populi placida atque interfectis hostibus non decet tumultuari.

Tanta similitudo [1]), efficit, ut sumamus Truculentum et

1) Similis quidem locus invenitur Pers. 753

hostibus victis, civibus salvis, re placida pacibus perfectis,
bello extincto, re bene gesta, integro exercitu et praesidiis,

Digitized by Google

Pseudolum, quod attinet ad tempus, quo actae sunt, non multum inter se distare. Utraque comoedia eundem statum reipublicae agnoscit: debellatis hostibus regnat pax. Potestne statui ad quem hostem quamve pacem poeta alludat?

In Poenulo persuadetur lenoni mox ad se militem mercennarium divitem deversurum (vs. 663):

nam hic latro in *Sparta* fuit,
ut quidem ipse nobeis dixit, apud regem Attalum:
inde nunc aufugit, quoniam *capitur oppidum.*

Meminimus vero a Philopoemene totam civitatem Lacedaemoniorum a° 188 subiugatam esse [1]). Sequitur ut Poenulum auctor post Spartam expugnatam i. e. post a. 188 scripserit. Iam vero ex versibus, qui paulo infra leguntur 693 sq.

ego id quaero hospitium, ubi ego curer mollius,
quam regi Antiocho oculi curari solent,

colligi potest Antiochum magnum illum regem Syriae nondum occidisse (187). Ita efficitur, ut ineunte fere anno 187 a. C. n., i. e. biennio prope post quam Syri Galatae Aetoli subiecti erant, hanc fabulam Plautus docuerit. Illo certe tempore non erat, cur poeta metueret, ne spectatores Romani aegre ferrent scaenam esse Calydone, in capite Aetolorum, quo venisset civis Carthaginiensis locuples usus etiam ex parte lingua Punica.

Romani iam erant securiores de rebus externis tum, cum Poenulum spectaverunt. Haec securitas tamen videtur brevi spatio interiecto mores peperisse solutiores, id quod concludamus non solum e duobus Truculenti versibus, quos supra attulimus, (75 sq.) verum e tota comoedia necesse est. Plauti enim comoediae quam accommodatae sint temporibus civitatis, quis est qui nesciat? Quare licet contendi talem fabulam, qualis est Truculentus, non quadrare in decennium 199—189. Relegamur ad tempora quietiora et imprimis minus honesta.

---

sed hic servus exultat tantum et gloriatur variis modis se lenoni astu verba dedisse. E Pers. 339 sq.

mirum quin regis Philippi caussa aut *Attali*
te potius vendam quam mea

elucet hanc fabulam tribuendam esse a° 197 ferme, quo anno Attalus, Pergamenorum rex, diem supremum obiit.

1) Cf. Niese, Gesch. der griech. u. maked. Staaten III 45 atque Lübker-Geffcken i. v. Philopoimen.

Digitized by Google

Re vera Phronesium, ad quam personam valde depravatam primasque partes agentem referendus est versus (Prol. 13)

haec huius saecli mores in se possidet,

egregie auctor adumbravit. Possis conicere illa aetate eiusmodi mulieres non minus frequentes fuisse Romae, quam fuerunt Menandri temporibus [1]) Athenis. Equidem in legenda Truculento non possum non recordari de infami matrefamilias („Mrs. Warren") a Bernardo Shaw vividis coloribus depicta. Quidquid hoc est, corruptio morum gliscens, quae ubique in hac fabula eminet, monet ut potius putemus Truculentum compositam esse post Poenulum quam antea. Etiam illam ob causam facile credo a° 186 fere Plautum hanc comoediam pepigisse [2]), quod apparet reipublicae opus esse Catone, summo censore, qui a° 184 ostendit verum esse Ennianum illud

moribus antiquis res stat Romana virisque.

B. Ad Persam, Poenulum, Truculentum.

Poeta Sophoclidiscam ancillam et Paegnium puerum sic inter se confabulantes fingit (Pers. 204):

SO. Paegnium, deliciae pueri salve, quid agis? ut vales?
PAE. Sophoclidisca, di — me amabunt. SO. Quid me? PAE.
utrum hercle — ⏑ —
sed si ut digna's faciant, odio hercle habeant et faciant male.

Apparet puerum interrogationi ancillae „Quid me" hoc responsum reddidisse, non quidem his verbis enuntiatum, attamen hoc sensu: di te oderint aut amabunt, pro ut malent, sed digna certe es, quam poena afficiant. Quocirca supra revoco *utrum hercle* ⟨*mavolent*⟩.

Idem verbum eodem versus loco legimus Asinar. 121

mandes: moriri sese misere *mavolet*,
quam non perfectum reddat, quod promiserit.

Ussing supplet *eis lubet*, Leo *di volent*, Lindsay *illis lubet*.

Infra in eadem comoedia Toxilus Dordalum lenonem, etsi

1) Quamquam de auctore exemplaris Graeci nihil constat, tamen de aevo eius auctoris ambigi non potest.

2) Teuffel (Stud. u. Charact. pag. 276—279) Poenulum tribuit anno 188, at Truculentum 189.

Digitized by Google

callidissime eum ludificatus est, simulans se ei multum profuisse, ad hunc modum alloquitur (Pers. 718):

TO. credidi gratum fore
beneficium meum apud te. DO. immo equidem gratiam
720 tibi, Toxile, habeo: nam te sensi *sedulo*
mihi dare bonam operam. TO. tibine ego? immo *sedulo*.
DO. attat, oblitus sum intus dudum edicere
quae volui edicta.

Alterum *sedulo* ex priore ortum facile est intellectu. Verba autem incipientia a *tibine ego* Toxilum ad spectatores conversum secreto dicere in promptu est. Itaque clam verum confitetur se astutia usum Dordalum decepisse. Ergo scribendum est: immo *subdole*; paronomasiam igitur insuper lucramur. Dubium non est quin similitudo praecedentis vocis *sedulo* genuinam lectionem extruserit.

In ultima scaena (V 2) ubi leno illuditur atque adeo laeditur Paegnium exsultat (Pers. 807):

decet me facetum esse: et hunc inridere
lenonem libidost ⏑ —, quando dignust.

Ritschl lacuna indicata supplet *probe*, equidem ut melius vitii origo intellegatur, edendum censeo

lenonem libidost ⟨*idĕo*⟩ [1]) quando dignust.

Ideo quia legitur Mercat. 453, at *quando* sensu *quandoquidem* Cistellar. 116 cet. Observatione dignum est apud Petronium libertinos inprimis vocem *ideo* usurpare e. g. Trimalchionem cap. 71, 3 et 7 cet.

Lindsay recepit metro invito:

lenonem libidost, quando dignus *est*.

Transeamus ad Poenulum. Agorastoclis servus, qui tamen pro latrone habetur, cum trecentis nummis aureis domini ad lenonem se contulit, ut huic per speciem voluptatibus fruendi insidiaretur. Testes sive advocati ementiti se lenoni faventes militem mercennarium ad eius aedes duxisse facile observa-

1) *Idĕo* autem bisyllabum est, ut in hoc versu, sicut in priore, quattuor bacchii nascantur.

Digitized by Google

verunt, quae servus fecit. Quibus de rebus Agorastocles advocatos interrogat (Poen. 723):

AG. Vidistis, leno quom aurum accepit? ADV. Vidimus.
AG. Eum vos menm esse servom scitis? ADV. Scivimus.
AG. Rem advorsus populi *saepe* leges? ADV. Scivimus.
AG. Em istaec volo ergo vos commeminisse omnia
mox quom ad praetorem usus veniet.

Saepe, etsi Lindsay id servat, tamen sensu caret. Leo proposuit *scita*, quod nimis a tradita lectione recedit. Omnibus litteris servatis ordine tantum immutato restituo: Rem advorsus populi *eāpse* (i. e. *eampse*) leges? Ita *ipsum factum* graviter premitur, id quod exspectatur. Ceterum pronomen illud vera vox Plautina est, cf. Aulular. 815 credo ego illum ut iussi *eampse* anum adiisse, huius nutricem virginis; Trinumm. 800 uxorem quoque *eampse* hanc rem uti celes face; Pers. 602

sed ego te malo tamen
eumpse adire, ut ne contemnat te ille.

In fine huius scaena legimus (Poen. 741):

AG. Tacendi tempus est: nam crepuerunt fores.
Foras egredier video lenonem Lycum.
Adesse quaeso. ADV. Quippini? ..... si voles
operire capita, ne nos leno noverit,
745 qui illi malae rei tantae fuimus inlices.

Nunc *operire capita* nihil habet, unde pendeat, quamobrem excidisse videtur *iube*, qui imperativus, ut saepius, pro pyrrhichio habendus est [1]). Affero duo tantum exempla Pers. 605 DO *iube*dum ea hoc accedat ad me. SA. I sane ac morem illi gere; Terent. Phorm. 922

argentum rursum *iube* rescribi, Phormio.

Ussing recepit: quippini-*sed nos decet*, at Leo coniecit *sed usui est*; utrumque parum probabile existimo.

Novimus omnes misere depravatum esse Truculenti textum traditum. Quamquam igitur multi loci conclamati sunt, non de-

1) Secundum legem quae vocatur *Iambenkürzungsgesetz*. Cf. Ritschl Proleg. (Opusc. phil. V) pag. 409: In vulgus constat de correptis imperativis *roga*, *iube*, *abi*, qui eam prosodiam servant etiam cum addita *ne* particula crescunt in *rogan*, *iuben*, *abin*, cet. Vide etiam Terenti Comoed. by Wagner Introduction pag. XXV.

Digitized by Google

sunt tamen qui corrigi possint. Hic tres versus sanare conabimur.

Diniarchus questus est quod Phronesium meretrix semper nova munera ab amatore poscit; tum sic pergit (Trucul. 57):

atque haec celamus nos clam *mina* industria,
quom rem fidemque nosque uosmet perdimus:
ne qui parentis neu cognati sentiant.

Pro *mina* Leo et Lindsay ediderunt *magna*, at Ussing ausus est scribere:

atque haec celamus *nostra damna* industria!

Vide an non mea coniectura: *nimia industria* multo sit verior.

Idem adulescens confitetur sibi multis rebus privato tamen adhuc praedia esse, nam legimus (Truc. 174):

non hercle .... occidi: sunt mi etiam fundi et aedis.

Ergo Diniarchus dicit se nondum *penitus* despoliatum esse quare repono:

non hercle ⟨*prorsus*⟩ occidi: sunt mi etiam fundi et aedis.

Prorsus fortasse compendio trium litterarum ꝓ r ſ scriptum facile praetermitti potuit. Hoc adverbio utitur Plautus Asinar. 236 nec quemquam interea alium admittat *prorsus* quam me ad se virum cet. Cf. Terent. Andr. 371 sq.

Brix duo verba inserere maluit: *ego omnino*.

In posteriore parte huius comoediae Diniarchus, qui Calliclis filiam ducturus est, valedicit Phronesio hisce verbis (Truc. 881): DI. bene vale, Phronesium. PHR. iam me tuom oculum non vocas? DI. id quoque interim *futatim* nomen commemorabitur.

Futatim corruptum esse iure statuerunt Lipsius, Ussing, Leo, alii. *Interim* autem, quod in editione Goetzii et Schoellii asterisco insignitur, integrum est, verum non valet idem atque *interea*: manifestum est hoc loco vim induisse adverbii *interdum*, ut saepius apud Columellam, Senecam, Quintilianum, Plinium, Gellium cet. Iam non difficilis emendatio videtur: scribe modo *fucatum* [1]) *nomen*. Itaque duos illos versus licet sic fere verti: DI. Vaarwel Phronesium! PHR. Gij noemt me niet meer uw oogappel? DI. Ook die vleiende naam zal af en toe bij me opkomen.

1) Lindsay edidit: *interatim furtim*. Quod Lipsius coniecit *furatim*, satis habeo observare Plautum semper scripsisse *furtim*.

Digitized by Google

AD VITAM HOMERI.

SCRIPSIT

K. KUIPER.

Vita Homeri ed. U. de Wilamowitz-Moellendorff.

§ 6. p. 5. 21.

Ἦν δὲ ἐν αὐτοῖς τότε καὶ Μέντης ναύκληρος ἀπὸ τῶν περὶ Λευκάδα τόπων, καταπεπλευκὼς ἐπὶ σῖτον ἔχων ναῦν, πεπαιδευμένος τε ἀνὴρ ὡς ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ καὶ πολυΐστωρ· ὅς μιν ἔπεισε τὸν Μελεσιγένη μεθ' ἑωυτοῦ πλεῖν καταλύσαντα τὴν διδασκαλίαν, μισθόν τε λαμβάνοντα καὶ τὰ δέοντα πάντα· καὶ ἔτι τὸ χώρας καὶ πόλιας θεήσασθαι ἄξιον εἴη αὐτῷ ἕως νέος ἐστι.

Verba τὸν Μελεσιγένη post μιν male abundantia cur uncinis non incluserit editor nescio. Extremo autem enuntiato laboranti medicinam adlaturus Wilamowitzius hunc in modum lectionem traditam mutavit [καὶ] ἔτι τε χώρας καὶ πόλιας θεήσασθαι ἄξιον εἶναι.

Lenius mihi videtur et melius ita legere: καὶ ἔτι ὅτι χώρας καὶ πόλιας θεήσασθαι ἄξιον εἴη —

Ibidem vs. 32 εἰκὸς δέ μιν ἦν καὶ μνημόσυνα πάντων γράφεσθαι, sine iusta causa sententiam verborum mutavisse videtur editor deleto verbo ἦν. —

p. 8 § 13.

ὥστε πρότερον ὀνομαζομένου αὐτοῦ Μελησιγένεος τοῦτο γενέσθαι τοὔνομα Ὅμηρος.

Supervacuum pronomen τοῦτο in adverbium τότε mutandum esse videtur.

p. 17. carminis ὃ καλεῖται Κάμινος quod coram figulis Samiis

Digitized by Google

recitasse Homerus narratur priores versus ita eduntur a Wilamowitzio:

Εἰ μὲν δώσετε μισθὸν ἀοιδῆς, ὦ κεραμῆες,
δεῦρ' ἄγ' Ἀθηναίη καὶ ὑπέρσχεθε χεῖρα καμίνου,
εὖ δὲ μελανθείεν κότυλοι καὶ πάντα κάναστρα,
φρυχθῆναί τε καλῶς καὶ τιμῆς ὦνον ἀρέσθαι,
πολλὰ μὲν εἰν ἀγορῇ πωλεύμενα, πολλὰ δ' ἀγυίαις,
πολλὰ δὲ κερδῆναι, ἡμῖν δ' ἡδέως σφιν ἀεῖσαι.

In ceteris optime versatus vir clarissimus extrema verba frustra sollicitasse mihi videtur. Traditur enim ἡμῖν δὲ δὴ ὡς quod optime se habet, modo accentu muniatur ὡς, ἡμῖν δὲ δὴ ὥς σφιν ἀεῖσαι sc. κερδήνασι: ut iis ars eorum Tuo auxilio prodest ita mihi prosint preces carminis mei.

Sequentia optime restituta sunt in editione Wilamowitziana; in uno tamen versu corruptela nondum sanata est. Necesse est totum locum exscribere:

ἦν δ' ἐπ' ἀναιδείην τρεφθέντες ψεύδε' ἄρησθε,
συγκαλέω δὴ ἔπειτα καμίνων δηλητῆρας
Σύντριβ' ὁμῶς Σμάραγόν τε καὶ Ἄσβετον ἠδὲ Σαβάκτην
Ὠμόδαμόν θ' ὃς τῇδε τέχνῃ κακὰ πολλὰ πορίζει·
πεῖθε πυραίθουσαν καὶ δώματα· σὺν δὲ κάμινος
πᾶσα κυκηθείη, κεραμέων μέγα κωκυσάντων.

Variis coniecturis alii versum undecimum sanare conati sunt, quos vide apud Wilamowitzium; ipse editor dubitanter proposuit στεῖβε. Sed sive πρῆθε, sive πέρθε, sive στεῖβε reponis, molesta est forma imperativi singularis: non enim unus Omodamus sed cuncti daemones ab irato poeta advocantur. Accedit quod obscurum est quid sit πυραίθουσα. Quapropter malim legere

εἴθε πύρ' (= πυρὶ) αἴθουσαι καὶ δώματα, σὺν δὲ κάμινος
πᾶσα κυκηθείη.

Digitized by Google

AD IULIUM VALERIUM.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN J.F.

Comiter nuper G. Kroll Vratislaviensis professor mihi longam misit seriem egregiarum emendationum ad Iulium Valerium, quas volumini LXX. Musei Rhenani pag. 591 sqq. inserendas curaverat. Multa et varia didici ex ea disputatiuncula meliusque iam illum auctorem intellego. In relegenda autem diligenter festivissima narratione Alexandri rerum gestarum conatus sum aliquot vitia corrigere, quae adhuc Valerii verba tradita deturpant [1]). Spero fore ut legentibus imprimis Krollio, qui novam editionem illius historici curaturus est, coniecturas meas probare possim. Interim recensione Kuebleriana utemur.

Nectanabus magus Olympiadi reginae somnio sollicitatae promiserat Ammonem venturum esse, ut cum illa nuptias faceret, non prius tamen quam draconem innoxium quasi praecursorem suum in regale cubiculum misisset. Omnibus rebus comparatis ipse magus non dubitavit partes dei agere. Scribit autem Valerius

I 4 (pag. 5, 24) Insequenti igitur die et locus mago destinatur et ille quaevis ex arte opportuna providit, vellus scilicet arietis quam mollissimum una cum cornibus sceptrumque et amictum admodum candidum. Quo superiecto efficit scientia draconem sibi veluti mansuetum et innoxie gradientem vesperaque *adventantem* eum *facit ut* praecursorem. Et is intrat ad feminam.

---

1) Perpauca modo disputavi de hoc auctore Revue de l'Instr. publ. en Belgique LVI (1913) pag. 80.

Digitized by Google

Sic Kuebler textum constituit, sed T exhibet *adventant* praeterea *et* (non *ut*), neque magis *facit* traditum est, quamquam paucae litterae interierunt. Multo leniore medicina mihi videor integram lectionem restituere posse, nam vix tribus litteris additis scribo: vesperaque *adventant*⟨*e*⟩ eum ⟨*ci*⟩*et* praecursorem. Et is intrat ad feminam.

In Alexandrum, cum decem oratores Athenienses ad se deduci iussisset obsides, vehementer invectus est Demades. Cuius orationis ultima fere sententia sic se habet

II 8 (pag. 72, 14) id ipsum (sc. consilium) vobis avertere ac praevenire conatur (sc. Alexander), ut veluti inermem ratem sollertia gubernantis sic vos urbemque Atheniensium totam desertos consiliariis vestris opprimat et incurset. In quo ne quid *a militibus* de oratoribus dixerim: equidem puto vel canes decem solo latratu suo et infestissimis lupis et ceteris bestiis terrori esse, etiamsi in illos dente nil valeant; his vero quiescentibus aut facessentibus vel ignavissimam bestiam totis gregibus perniciosam satis atque infestam esse consuesse.

Ne hic quidem difficilis correctio videtur. Repone modo: ne quid *immitius* de oratoribus dixerim.

Flumine Euphrate traiecto quid Alexander fecerit, auctor sic refert

II 25 (pag. 85, 29) Omni igitur iam multitudine impedimentisque transmissis illico solvi pontem compactarumque ob id navium iubet vincula. Id cum exercitus universus indignantius accepisset, quod enim impervium [1]) sibi impedimentum illud intranatabilis fluvii proiecisset, et utile arbitrarentur ⟨*et minus*⟩ secundae meminisse fortunae, accepto hoc murmure et indignatione militum rex in haec verba contionatur e. q. s.

Parum probabile est hic duo vocabula *et minus* intercidisse, verum potius praetermissa est vox *haud*, quam et frequenter Valerius usurpat et saepe coniungit cum adiectivo *secundus* e. g. 84, 14 *haud* cuiquam *secundum* flumen; 158, 10 cet.

Certatim viri docti correxerunt 133, 28 vox auditur ex ar-

1) Correxit Kroll. In P exaratum est *pervium*.

Digitized by Google

bore, sed lingua barbarica, eiusque interpretamenta *haut* quisquam nobis edissertare [1]) audebat. Hoc loco *haut* in libris manuscriptis abiit in *habuit*.

Darius nondum devictus superbis Alexandri litteris respondet haec

II 25 (pag. 88, 28) Video tibi laboratum, ne quid omnium faceres, quod tibi apud nos veniam polliceretur. Ita et adrogans litteris et *iactabundus* in hac eadem temeritate exstitisti, ut quidvis horum ad animum meum venerit, excitare me potius ad ultionem quam ad misericordiam queat flectere.

Pro *iactabundus*, quod Kuebler recepit, in codicibus legitur *latus ad audas*, quae verba fieri non potest quin corrupta sint ex *insultabundus*.

Innumerabilia prope sunt adiectiva in *-bundus* exeuntia, quae Valerius [2]) adhibet cf. reptabundus (9, 13; 38, 22), nixabundi (21, 25), aurigabundus (20, 5); pudibundum (117, 6); viabundus (141, 5), gratulabundi (142, 14) cet.

Secundum Valerium Alexander ipse legatus ad Darium profectus lauto convivio exceptus est. Ibi tamen a Persa quodam, qui antea regis missu Philippum ad aulam convenerat, agnoscitur. Continuo Alexander fraudem suam intellegens detectam esse quam celerrime e convivarum conspectu facessit. Legitur autem apud auctorem nostrum

II 27 (pag. 94, 18) Unaque cum poculis, quae sinu gestans habebat, conclave *procurrit* ibique pro foribus offendit unum e Persis equum, quo advectus fuerat, detinentem.

Dubitari vix potest quin restituendum sit: conclave *percurrit* cf. 135, 14 Ergo Prasiaca *percursata* revenio Persidam. Ausfeld et Kroll e T revocaverunt 19, 2 *perverteris* testimonium, ubi Kuebler perperam edidit *praeverteris*. Est nimirum solita confusio praepositionum *per*, *prae*, *pro* compendio scriptarum.

---

1) Primus quod sciam Löfstedt in Erani volumine IX. (1909) pag. 4 revocavit *edissertare* pro tradita scriptura *et dissertare*.

2) Cf. Fassbender, De Iuli Valeri sermone quaestiones selectae (Dissert. Monast. 1909) pag. 65.

Digitized by Google

Procurrendi verbo intransitive Valerius utitur e. g. 97, 3 Tandem igitur bellicum lituo praecinente pari utrimque procursu partes in sese *procurrunt.*

Darius debellatus ad Alexandrum litteras scribit, in quibus suam cum Xerxis fortuna comparat

II 29 (pag. 98, 24) Is (sc. Xerxes) quippe pari adrogantia cupitorum cum in vestros militiam delegisset, alioquin avidior rerum, quae regum glorias trahunt, pro hisce omnibus, quae petebat, opes ⟨*habens*⟩ suas totque illa militantium milia adtrita pariter omissaque ad poenitudinem vertit.

Quod supplevi valde desideratur. Libenter auctor *habere* cum participio coniungit e. g. 43, 20 Enimvero hactenus tibi super civitatis illius conditu *dictum habebis.* Hoc exemplum modo affero, quoniam alia in Indice enumerantur (pag. 247).

Persas post Darii mortem formidine captos Alexander victor adhortatur, ut sint tranquilli securique. Cum alia promittit tum haec

II 36 (pag. 107, 8) Sollemnitates vobis et certamina gymnica erunt; sed hisce omnibus praesides dedi ex Alexandria mea viros Aegyptios, quibus aureae quoque coronae gestamen et amictus purpureus est permissus, praeterque eos ingressu ⟨*iussi*⟩ ceteros sacri templique prohiberi.

Non est quod moneam, quam facile *iussi* post *ingressu* intercidere potuerit. Kuebler edidit: ingressu ceteros sacri templique prohiberi ⟨*placuit*⟩, quod probari non potest, cum optima clausula [1]) pessumdetur.

Candace regina Alexandro litteras et munera mittit.

III 29 (pag. 136, 26) Habebis ergo tibi ex nobis amicitiae argumentum centum laterculos auri grandissimos, Aethiopas

---

1) Clausulae gratia paulum immutandus est verborum ordo a Kueblero propositus 5, 18 Enim tu eo viso omnis qui adsint, ⟨*iube*⟩ abire de medio; 131, 18 At cetera nomina pretiorum aurique opulentiam ulterius ⟨*censuimus*⟩ non requirendam. Bona clausula denique, quae invenitur 84, 20 valetudinem tamen *discriminosius viderat*, videtur vindicare lectionem traditam. Fassbender autem (l. l. pag. 68) scripsit Krollio auctore *iderat.*

Digitized by Google

impubes quingentos, psittacos sex, sphingasque sex, praeterque haec Ammoni deo nostro coronam smaragdis ac margaritis, etiam toreumatis pretiosiorem. *His et* loculos refertissimos cuiusque generis margaritarum atque gemmarum ad decem numerum eburneosque alios loculos octoginta una misi usibus et deliciis tuis e. q. s.

Voce *his* damnata Kroll coniecit *misi*, sed cum P exhibeat *his ad*, longe praetulerim: His *ad*⟨*didi*⟩ loculos e. q. s.

Babylonem reversus Alexander longiores litteras ad matrem scribit, in quibus legimus

III 51 (pag. 158, 25) Itemque indidem ad Rubrum mare venimus, quorum locorum dextra quidem perasperis inviisque montibus recta est, laeva vero mari Rubro latius fusa. Illic tamen factis Neptuno sacris immolatisque equis *ritu* praesenti die, secuta alio, quam veneramus, itinere repedamus.

Post *die* recte distinxit Kroll, qui idem proposuit *ritu* ⟨*Persico*⟩. Equidem facile concedo *ritu* carere epitheto quopiam (cf. 79, 7 nobis Minervae simulacrum *ritu vestro* erigentibus), sed supplendum censeo: immolatisque equis ⟨*iusto*⟩ ritu. Comparo enim verba, quibus magus ille Olympiadem alloquitur 5, 8 Sed censeo mihi secessum istic iuxta tuum cubiculum dari, ut *iuste* procurem, ne quis tibi metus sit sub adventu huius numinis.

Continuo Alexander in iisdem litteris sic pergit

III 51 (pag. 159, 3) Multa enim hominum genera et invisitata sunt nobis cognita, quorum vel maxime nobis admirationi fuit videntibus homines absque capitibus corporatos. Namque his hominibus oculi pectoribus inhaerentes, atque os omne ceteraque oris ⟨*ista*⟩ in parte corporis situm plurimum mirabamur.

Consentaneum est desiderari pronomen ad *parte* pertinens, usus autem Valerianus requirere videtur demonstrativum, quod inserui, cf. infra caput 53, quod harum litterarum finem continet, ubi ter (vs. 10, 14, 24) idem pronomen invenitur.

Eiusdem epistulae tertius locus relinquitur mendosus

Digitized by Google

III 52 (pag. 160, 25) Multa igitur alia quoque, quae miraremur, offendimus, inter quae cratera etiam argenteum capacitatis ad amphoras usque trecentas et sexaginta. Eius capacitatis est mensuratio comperta nobis hoc modo: dies sacer cum ⟨*alia tum*⟩ convivium etiam celebre exhibebat, ad quod convivium tot amphoris repletum esse vas constat.

Lacuna indicata Kuebler haesitat inter duo supplementa: *certaminibus* vel *ageretur*. Quod ipse addidi, multo simplicius videtur, nam confusio inter *cum* et *tum* sine dubio vitium peperit.

Mulier enixa est monstrum Scyllae parvae simile, quod prodigium mortem regis imminentem portendere putatur. Qua de re historicus noster haec commemorat

III 55 (pag. 162, 19) Ergo ad miraculum visionis eiusmodi iubet statim Alexander prodigiorum interpretes convenire ac profiteri, ecquid eiusmodi novitas minaretur, interminaturque quam sancte, nisi ex fide dixerint. Unus igitur e praesentibus magno cum gemitu regi separato, „Eheu", inquit, „malorum omnium, eheu, mi rex! non enim iam *bonis* neque inter vivos homines ultra nominabere".

Kroll voci *bonis* substituere vult *vivis*, quod verbum hic requiri negari non potest; *bonis* autem non prorsus delendum, sed mutandum in *nobis* censeo. Repone ergo: non enim iam *nobis* ⟨*vivis*⟩ neque inter vivos homines ultra nominabere.

Post coniecturas meas propositas Ausfeldi pulchrum supplementum [1]) tueri liceat.

Alexander secundum quietem oraculo consulto de fine vitae hoc responsum audire sibi visus est I 31 (pag. 41, 18)

Prae cuncta vitae commoda est mortalibus
De fine ⟨*termini fuisse*⟩ nescium
Quibusque metis fata claudantur sui.

Genetivus ille inhaerentiae ab Ausfeldo excogitatus sermoni Valeriano optime convenit, cf. 71, 32 roburque virium (cf. Liv. 34, 4, 4); 78, 26 metus formidine; 130, 28 densitate nimiae crassitudinis; Hygin. fab. 185 intra finem termini cet.

1) Mus. Rhenan. vol. 52 (1897) pag. 440.

Digitized by Google

Nonnunquam Iulius Valerius alludit ad versus lippis et tonsoribus notos e. g.

26, 1 Agite igitur, quaeso, post iram integrationem coniugalis adfectus; cf. Terent. Andr. 555 amantium irae amoris integratiost.

34, 10 fidam stationem navibus, cf. Verg. Aen. 2, 23 statio male fida carinis.

145, 11 aedes illa rotarum lapsibus.... movebatur, cf. Verg. Aen. 2, 235 pedibusque rotarum subiciunt lapsibus cet.

Eiusmodi observationes in illa editione, quam exspectamus, certe non desiderabuntur.

Ad Ovidii Tr. V, 3, 47 sqq.

Bacchum precatur poeta ut suam apud Augustum agat causam. Tum haec addit:

> Vos quoque, consortes studii, pia turba, poetae,
> haec eadem sumpto quisque rogate mero.
> Atque aliquis vestrum, Nasonis nomine dicto,
> Opponat lacrimis pocula mixta suis.

Istud *opponat*, quod tamen optimi codices praebent, quis intelligit? De more verum servant „deteriores": *deponat*. Nihil elegantius aptiusque vel fingi potest. Sic demum quid sibi vox *mixta* velit apparet.

I. I. H.

Digitized by Google

DE DUOBUS LOCIS CATULLIANIS.

SCRIPSIT

J. S. PHILLIMORE.

Carm. LXIV 218—220.

quandoquidem fortuna mea ac tua fervida uirtus
eripit inuito mihi te, cui languida nondum
lumina sunt nati cara saturata figura.

Quod uolgo sic leguntur hi uersus, peccatur contra concinnitatem, quae cum apud omnes poetas Latinos tum praecipue apud eos qui artem Alexandrinam expresserunt (quales sunt Catullus, in hoc praesertim carmine, et Propertius) plurimum pollet. Si enim *fortuna mea* epitheto caret, *tua uirtus* epitheto ornari non debuit. Paene scripseram 'non potuit': adeo necessitatis uim in huiusmodi poetis sibi uindicat concinnitas. Sensit quidem non apte dictum Aemilius Thomas, uir doctus atque ingenii idem uenustissimi: uoci enim q. e. *feruida* uocem q. e. *languida* respondere ait. Frustra: namque illud *languida* aliud habet cui ut par pari referatur, scil. *τὸ cara*; nec uacat ut *παρίσον* faciat cum eo q. e. *feruida*. Tamen responsio desideratur. Quid multa? Mutata una litterula leuiter uitio medeberis, si sic leges:

quandoquidem fortuna mea ac tua, FERVIDE, uirtus.

Quam coniecturam Vergiliana dicendi consuetudo firmabit; qui iam inde a VII^mo^ Aeneidos libro hac uoce non antea a se adhibita saepius uti coepit. Namque ut eos tantum citem locos ubi translate de animi feruore ponitur, haec ab indice Wetmoriano desumpsi:

ipsa inter medias flagrantem FERVIDA pinum
sustinet. vii. 397.

Digitized by Google

ter totum FERVIDVS ira
lustrat Auentini montem. viii. 230.
atque manum pinu flagranti FERVIDVS implet. ix. 72.
hic furto FERVIDVS instat. ix. 350.
trepidanti FERVIDVS instat. x. 788.
FERVIDVS aduolat hasta. xii. 293.
subita spe FERVIDUS ardet. xii. 325.
trepidique pedem pede FERVIDVS urget. xii. 748.
ferrum aduerso sub pectore condit FERVIDVS. xii. 951.

En decies de ipso homine ardente; contra semel de uerbis quae iratus profert

non me tua feruida terrent
dicta, ferox [1]). xii. 894.

Nusquam uero ad unam aliquam animi qualitatem relatum hoc uerbum invenies. Nec facile crediderim Catullum ita ab hoc usu abhorruisse ut uirtutem Thesei *feruidam*, non ipsum dixerit.

EPIGR. LXXI:

Nunc instituam quaestionem longe scrupulosiorem de epigrammate tam male a librariis habito ut adhuc nec caput, quod aiunt, nec pes compareat. Sed cum hoc genus totum in facetiis uersetur, Catulli manus tum demum restituta esse uidebitur si nihil insulsi in uersibus relictum erit. Neque ab ullo magis poeta abiudicandum quicquid friget. Primum proponamus uerba in libris tradita:

si { quo / qua } viro bono { sacratorum / sacrorum } obstitit hircus
aut si { quem / quam } merito tarda podagra { secunt / secum }
aemulus iste tuus qui uestrum exercet amorem
mirifice est a te nactus utrumque malum
nam quotiens futuit totiens ulciscitur ambos
illam adfligit odore ipse perit podagra.

1) Dicendi genus feruidum Cicero in Appio Claudio (*Brut.* 108) et Staieno (*ib.* 241) damnat.

Digitized by Google

Iam nemini dubium quin in primo uersu *si quoi*, in secundo *secat* legendum sit.

Sequitur aporia latius patens, ad quam si prius responsum erit, forsitan singula mox enucleare contingat. Ad quem enim scriptum esse hoc epigramma dicamus? Sesene alloquitur poeta an alterum aliquem? Cum neque extet in uerbis integris vocatiuos *Catulle* neque usquam probabiliter inferri posse videatur, satis fidenter nego eum semetipsum hic alloqui. Restat ut alterius nomen e ruderibus uerborum erui oporteat: scil. e uersibus primo aut quarto. Iam inde a renascentium litterarum quam dicunt aetate *Virronis* nesciocuius nomen huc infertum ne adhuc quidem eici potuit. An nondum satis demonstratum est Catullianae aetatis non esse illam correptionem? At aliquando ἐρρέτω hoc infelix figmentum quod tam diu emendando carmini obfuit. Quaerendus alius. Ac uocatiuo illi quem desideramus bene conuenire locum post illud *si quoi* non nego; verum et quartus uersus eum non minus facile recipiet, cum uocem et inutilem praebeat et quae leuiter correcta in nomen aptum mutari possit.

Nam pro aduerbio q. e. *mirifice* repone sodalis nomen quocum in Carm. XXXVIII^{uo} familiarissime conquestus est noster, ut sit *Cornifici*.

Ergo Cornificii aemulus exercet cum muliere quadam amorem qui inter eam et Cornificium communis esse debebat: sic enim *amorem uestrum* interpretamur, cum frustra Fridericius in ed. Teubneriana poetam barbarissantem induxerit dum *uestrum* pro eo. q. e. *tuom* dictum volt.

Idem Muretum secutus est nimis temere statuentem Carmina LXIX et LXXI in eundem M. Caelium Rufum scripta esse. Quod minime liquet. Quid enim? Adeone singulare illud in quo Catullus ludit uitium, ut quisquis hircum olet continuo Caelius esse existimetur? Litterarum similitudine ductus in Cornificii nomen incidi, de quo tantum constat, fuisse Catulli familiarem; de amoribus eius nec aliunde quicquam compertum habemus, neque hic praeterquam eum aemulo nesciocui amores uolentem concessisse.

Habemus ergo ad quem scriptum fuisse videatur. Tempus est quaerere quo in genere facetiarum uersetur, quae sit totius

Digitized by Google

epigrammatis figura: his denique perspectis erit ut particulatim lacera resarciamus.

Ergo duae sunt res in amore incommodae: δυσωδία μασχαλῶν, quae ut viro (e. g. Rufo in Epigr. LXIX[no]) obstat, h. e. displicentem facit, ita uel magis feminae: non parui enim referre quid oleat mulier quis nescit? Satis multi fuerunt in hac re erotici scriptores: sed ut ueteres tantum appellem, excute sis Martialem; uide quae ille in Bassam iacit

quod pressa piger hircus in capella κ. τ. λ. (IV iv).

et in Thaidem

non ab amore recens hircus (VI xciii).

Postremo immunditia meretricibus saepissime obiecta est. Alterum incommodum est podagra, qua laborare solent Veneri nimium dediti: ut satis constat apud antiquos medicinae auctores. Ecquid iam sublucent Catullianae facetiae? Cornifici aemulus simul ambobus malis adficitur, cum quod in mares tum etiam quod in femineum cadit sexum; quod in puella summe displicet, quod uirum summe cruciat, pariter hunc uexant ut sit unus omnium inuenustissimus. Iam dispicere mihi videor quid sibi uelit illud *utrumque*, et quid uocabuli ex litteris corruptis *a te* euocari oporteat [1]).

Quidni *alter*? Unus enim duplex quod patitur malum, non aliter aptius enuntiari potest quam hisce verbis *alter... utrumque*.

Iam igitur lineamenta quaedam poematii adumbremus

Si quoi obstitit hircus
aut si quem merito tarda podagra secat,
aemulus iste tuos, qui vestrum exercet amorem,
Cornifici, est *alter* nactus utrumque malum:
nam quotiens κ. τ. λ.

Quibus uelut praefinitis paratius ibitur ad cetera expedienda. E primo hexametro perierunt tres pedes. Unde illi nobis restitui

---

1) Exemplo sit idem ille Fridericius quam impar sit mera palaeographiae ratio ad textum corrigendum. Quippe magno apparatu arguit illud *a te nactus* facile futurum fuisse ut ex *antehac nactus* nasceretur. Facile hoc concesserim. Quis neget ignotum homunculum siue sexto siue nono saeculo tale aut legisse aut scripsisse? Verum Catullo tales imputare ineptias pudet. Quid enim putidius quam istud *antehac*? Olimne nactus aemulus ea uitia iam desiit habere? At si adhuc ea habet, quid sibi uolt illud *antehac*?

Digitized by Google

poterunt? Ratio duplex: et quae supersunt litteras perscrutari, et quid loco maxime sit congruens. Supersunt haec

uiro bono ſacrorum
ſacratorum

tum autem cogitanti qualia hic verba ponere Catullus debuerit succurrit ipsa concinnitate suadente nomini q. e. *hircus* accedere debere epitheton; non enim aliter par pari referri posse epitheto quod exhibet pentameter *tarda*. Quo constituto iam res paulo minus in incerto natat. Quid enim congruentius quam ut hirco tribuatur uirus? Minimo autem negotio ex litteris uirobono, cum scriptura compendiosa 9 (= us) facile in litteram o abire soleat, efficitur

uiro bonus.

Hoc, qualia sunt illa Vergiliana *pedum motu melior* (Aen. V 430), *pedibus melior* (*ib.* IX 556), *furto melior* (*ib.* X 735), *lingua melior* (*ib.* XI 338), vel illud Catonianum *brassica natura et aspectu bona* (R. R. CLVII, 2), sic interpretor quasi sit uīrosus, odore pollens: nec sine ironia rem sic figurauit tamquam hirco male olere laus sit, non uitium: nec dissimiliter in epigr. LXIX lusit

mala bestia valde est.

Quae verba, si modo vera sunt, ordinem interturbatum esse liquet atque ea post caesuram collocanda

si quoi uiro bonus obstitit hircus

Lacunam autem ut expleamus, non *scortatorum* (hoc acutissimus ille Dublinensis Palmerius: u. apud Ellisium) sed plane *scortorum* reponamus, quod uel proxime ad ductum litterarum accedit atque unice ad sententiam facit. Denique talis euadit versus:

si quoi scortorum uiro bonus obstitit hircus.

Merito displicent olentia scorta, merito cruciantur scortatores podagri; sed acmulus iste olet quale quae pessime, ποδαγρᾷ quantum qui gravissime: haec enim sententiae uis *si quoi .... si quem*; nec fefellit interpretes idem ualere quod Graece εἴ τις ποτε καὶ ἄλλος.

Efficitur autem id genus facetiarum quod παρὰ προσδοκίαν dicitur. Sperares enim in hunc ferme modum exituram sententiam: „siquoi scortorum hircus obstitit, huic scorto obstat;

Digitized by Google

si quem secat podagra, hunc amatorem secat": uerum eo detorsit ut mulieri quidem scorti nomen obiter inureret, sed amantem eius geminato dedecore proscinderet.

Certe sic omnia cohaerent: res definitur, homo notatur: dicacissimo poetae redduntur sales sui. Una tamen mihi superest dubitatiuncula, ipsiusne sit Catulli media *podagrae* syllaba modo producta modo correpta, an potius librarii. Facile equidem crediderim Catullum scripsisse

ipse perit *podager*

sed uiderint alii.

Ad Ovidii ex P. IV, 12, 50.

Prior ad Tuticanum epistola hoc clauditur disticho:

ipse, precor, quaeras, qua sim tibi parte iuvandus,
quoque viam facias ad mea vota vado.

Sic edidit *Kornius* eumque secutus *Riesius*, e Kornii coniectura, ut oppinor, certe, quantum ex eius efficio annotatione critica, istud *vado* in nullo legitur codice, neque si in quamvis multis legeretur mihi probaretur. Equidem non dubito quin variis, quae traditae sunt, lectionibus ita sit utendum ut hic evadat pentameter:

quaque viam facias ad mea vota. Vale.

I. I. H.

Digitized by Google

THEOCRITEA.

SCRIPSIT

I. I. HARTMAN.

I, 80 sqq.

ἦνθον τοὶ βοῦται, τοὶ ποιμένες, ὠπόλοι ἦνθον.
Πάντες ἀνηρώτευν τί πάθοι κακόν. ἦνθε Πρίηπος
Κἤφα „Δάφνι τάλαν, τί τυ τάκεαι; ἁ δέ τε κῶρα
πάσας ἀνὰ κρήνας πάντ' ἄλσεα ποσσὶ φορεῖται
— ἄρχετε βουκολικᾶς, Μοῖσαι, φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς —
ζατεῖ σ'· ἃ δύσερώς τις ἄγαν καὶ ἀμήχανος εσσι'.

Ultimum versum alii alio modo tentaverunt critici et est aliqua inter codices discrepantia, sed levis, ita ut haud difficile sit intelligere quid suavissimus poeta voluerit. Equidem certe non dubito quin sit legendum.

ἁ δέ σε κώρα
πάσας ἀνὰ κρήνας πάντ' ἄλσεα ποσσὶ φορεῖται
ζατεῦσ'. ἃ δύσερως κτέ.

Optimam sic obtinemus sententiam: ἁ κώρα σε φορεῖται ζατεῦσα, neque quidquam nisi τε in σε mutamus, nam ζατεῦσ' est in codicibus. Sitne nunc versus

ἄρχετε κτέ.

transponendus post ζατεῦσ' κτέ. an non non diiudico. Malim tamen eum suo relinquere loco, quia antea semel et post quater ille versus quaternis interpositis versibus repetitur. Et festivissimum videtur Thyrsidem flebile carmen canentem semet interpellare tamquam si prae dolore non possit pergere.

Digitized by Google

II, 88.

De amore suo infelix, puella et alia lamentatur et haec:

καί μευ χρὼς μὲν ὁμοῖος ἐγίνετο πολλάκι θάψῳ,
ἔρρευν δ' ἐκ κεφαλᾶς πᾶσαι τρίχες, αὐτὰ δὲ λοιπὰ
ὅστι' ἔτ' ἦς καὶ δέρμα. καὶ ἐς τίνος οὐκ ἐπέρασα
ἢ ποίας ἔλιπον γραίας δόμον ἥτις ἐπᾷδεν.

Si quid video, in ultimi versus fine *praesens* tempus requiritur. Hoc enim misera dicit: ad nullam non cucurri anum ex earum numero quae incantandi artem *exercent*. Imperfectum sententiam praeberet ab hoc loco alienam.

III, 32.

„Iamdudum sciebam, o Amarylli", infelix queritur amator „successu me in amore cariturum".

ἔγνων πρᾶν, ὅκ' ἔμοιγε μεμναμένῳ εἰ Φιλέεις με
οὐδὲ τὸ τηλέφιλον ποτεμάξατο τὸ πλατάγημα
ἀλλ' αὐτως ἀπαλῶ ποτὶ πάχεος ἐξεμαράνθη.

Quid fecerit ut futura cognosceret equidem accurate definire non conabor; intelligere sibi et olim visi sunt interpretes et nunc sibi videntur. Unum constat more inter pastores solito in fatum inquisivisse. Recte ergo annotat scholiasta ad verba ὅκ' ἔμοιγε μεμναμένῳ εἰ Φιλέεις με haecce: ὅτε σημεῖον θέλοντός μου λαβεῖν. Sed qui unquam μεμνῆσθαι significare σημεῖον λαβεῖν potest? Manifestum est aliud verbum scholiastae ante oculos fuisse. Quod, quaeris. In promptu est responsum. De oraculo agitur, atqui oraculum dare est χρῆν, oraculum petere χρῆσθαι, in perfecto κεχρῆσθαι. Lege ergo κεχρημένῳ. Hoc sensu rarius est illud participium, at non inauditum. Certe analogia illud non respuit.

Continuo et aliam desperationis adiicit causam, hanc

εἶπε καὶ Ἀγροιὼ τἀλαθέα κοσκινόμαντις
ἃ πρᾶν ποιολογεῦσα παραιβάτις οὕνεκ' ἐγὼ μὲν
τὶν ὅλος ἔγκειμαι τὺ δὲ μεῦ λόγον οὐδένα ποιῇ.

Iam antea (Mnem. 1918 pag. 326) legendum esse demonstravi ποιολογεῦσι et meis usus rationibus et hoc scholiastae testimonio ἡ παρακολουθοῦσα τοῖς θερισταῖς καὶ τοὺς στάχυας ἀναλεγομένη.

Digitized by Google

IV, 54.

Battus spinam calcavit, nunc vulnerato pedi opem petit a Corydone. Rogat ergo: ἦ ῥά γε λεύσσεις; (sc. πὴν ἄκανθαν). Tum Corydon respondet

ναί ναί τοῖς ὀνύχεσσιν ἔχω τέ νιν ἅδε καὶ αὐτά.

Hic primum δέ pro τε legendum. Tum totum responsum sic interpungendum:

ναὶ ναί· τοῖς ὀνύχεσσιν ἔχω δέ νιν· ἅδε καὶ αὐτά.

„Video video; atqui iam unguibus teneo; ecce ipsam". Egregie particulae δέ traiectio hominem decet qui dum conatur etiam perficere aliquid, iam perfecisse se clamare incipit.

X, 6.

Lepidissimum in modum sic messorem, ignavum obiurgat Milo:

ἐργατῖνα βουκαῖε, τί νῦν, ὠζυρέ, πεπόνθεις;
οὐθ' ἑὸν ἔγμον ἄγειν ὀρθὸν δύνᾳ, ὡς τὸ πρὶν ἄγες,
οὔθ' ἅμα λᾳοτομεῖς τῷ πλατίονι, ἀλλ' ἀπολείπῃ
ὥσπερ ὕϊς ποίμνας, ἅς τὸν πόδα κάκτος ἔτυψε.
ποῖός τις, δειλαῖε, καὶ ἐκ μέσω ἅμικτος ἐσσῇ,
ὃς νῦν ἀρχόμενος τᾶς κὔλακος οὐκ ἀποτρώγεις;

In *negatione* quam versus 6 exhibet haereo et quis non haeret? Vitio datur Batto quod *non* ἀποτρώγει, ergo ἀποτρώγειν eum oportebat. At qui probandum quod Milo ipsum illum *secandi* et *metendi* laborem, ad quem ipse laboris socium vult incitare, turpi *rodendi* vocabulo significat? Emendandi viam ipse reprehensionis contextus monstrat.

„Quid facies meridie qui iam mane...." Nunc quid sequi debet? Nonne aliquid in hanc sententiam: „sic peccas; tam male officio tuo fungeris"? Et qui male, parum eleganter, parum accurate secat et nunc dicitur et olim, ut opinor, dicebatur — quid? *rodere* murium instar. Itaque pro οὐκ requiritur ὧδε (ὧδ' ἀποτρώγεις). Non enim crediderim apud Theocritum illud vocabulum tantummodo adverbium *loci* esse. An eum ignorasse censeamus id quod Aristarchus de illius apud Homerum usu docuit?

Digitized by Google

ib. 53.

Lepidus iocus perit lectione vitiosa cuius in promptu est emendatio

εὖκτος ὁ τῶ βατράχω, παῖδες, βίος· οὐ μελεδαίνει
τὸν τὸ πιεῖν ἐκχεῦντα· πάρεστι γὰρ ἄφθονον αὐτῷ.

Ion (in cognomine Euripidis fabula 1191 sq.) cum iam in eo essent convivae ut libarent biberentque, malo audito omine

οἰωνὸν ἔθετο κἀκέλευσ' ἄλλον νέον
κρατῆρα πληροῦν· τὰς δὲ πρὶν σπονδὰς θεοῦ
δίδωσι γαίᾳ, πᾶσι δ' ἐκσπένδειν λέγει.

En quid sit ἐκχεῖν. Sed raro pocula ἐκχέουσιν vinumque γῇ διδόασιν homines. Solitum vero *ministri* opus est ἐγχεῖν. Nota est narratiuncula de Minervae sacerdote quae aurigae lignum advehenti et ἐγχεόν μοι dicenti Φοβοῦμαι μὴ πάτριον γένηται respondit. Ergo et hic repone τὸν τὸ πιεῖν ἐγχεῦντα. Haec annotavi ne, quod nunc moris est, falsa lectio ab inferis revocaretur, nam ἐγχεῦντα iam est in Ahrensiana.

XIV, 56.

Σῖμος ὁ τᾶς Ἐπιχάλκω ἐρασθεὶς
ἐκπλεύσας ὑγιὴς πάλιν ἦνθ' ἐμὸς ἡλικιώτας

„huius ego exemplum secutus" infelix amator Aeschines ait

πλευσεῦμαι κἠγὼ διαπόντιος, οὔτε κάκιστος
οὔτε πρᾶτος ἴσως, ὁμαλὸς δέ τις ὁ στρατιώτας.

In auribus etiam habebat librarius versum 13.

ὠργεῖος κἠγὼν καὶ ὁ Θετταλὸς ἱπποδιώκτας
Ἄπις καὶ Κλεύνικος ἐπίνομες ὁ στρατιώτας

inde et hic ὁ στρατιώτας scripsit. Quod falsum esse intelligens Ahrensius ὁμαλὸς δέ τις ἀσπιδιώτας reposuit. Coniectura haud sane lenis aut apta loco.

Quod enim in tradita lectione omnino ferendum non est vitium ita non corrigitur. An quovis loco nobis pro arbitrio participium verbi quod est *esse* addere vel ommittere licet? Non opinor sed hic scribendum arbitror:

οὔτι πρᾶτος ἴσως, ὁμαλὸς δέ τις ὢν στρατιώτης.

Aut si quis ne semel quidem ὤν pro ἐών scripsisse Theocritum putet, is Ahrensii coniectura usus legere possit:

οὔτι πρῶτος ἐὼν ὁμαλὸς δέ τις ἀσπιδιώτας.

Digitized by Google

Praefero tamen *commune* militis nomen vocabulo *hoplitam* significanti. Quamquam sic participium aptiorem obtinet locum et supervacuum istud ἴσως tollitur. Sed aequi bonique quamvis fere consulo lectionem quae nobis participium illud reddat.

XVI, 6.

Mox significaturus in solo Hierone se omnem spem suam reponere, prius sic poeta declarat a ceteris hominibus nullam se carminum suorum expectare mercedem:

τίς γὰρ τῶν ὁπόσοι γλαυκὰν ναίουσιν ὑπ' Ἠῶ
ἡμετέρας χάριτας πετάσας ὑποδέξεται οἴκῳ
ἀσπασίως οὐδ' αὖθις ἀδωρήτους ἀποπέμψει;

Verbum πετάσας alii obiecto τὼ χεῖρε, alii obiecto οἶκον supplent. Neutrum verisimile: non enim talia subintelligenda relinquuntur legentibus. Sed οἶκον scriba pro οἰκῳ, omnia plana erunt, sincera legitima: ὑποδέξεται sine οἴκῳ stare potest, πετάσας sine obiecto stare nen potest. Est tamen οἴκῳ ὑποδέχεσθαι tam usitata et nota locutio ut οἶκον vix incolume manere potuerit.

ib. 60 sqq.

ἀλλ' ἴσος γὰρ ὁ μόχθος ἐπ' ἠόνι κύματα μετρεῖν
ὅσσ' ἄνεμος χέρσονδε μετὰ γλαυκᾶς ἁλὸς ὠθεῖ
ἢ ὕδατι νίζειν θολερὸν διαειδέϊ πλίνθον,
καὶ Φιλοκερδείῃ βεβλημένον ἄνδρα παρέλκειν.

Ultimo ultimi versus vocabulo quid faciam nescio: unum video: requiri verbum quod „mentem flectere hominis et a vitio abducere" significet. Sed paenultimus versus quin gravi laboret vitio non dubito, id tamen quo modo sit tollendum me perspicere arbitror. Primum *non* perdit operam qui rem quamvis spurcam sordidamque *pellucida* (i. e. pura) aqua lavat; deinde rem *solidam*, quamvis multum pulveris lutive conceperit, Θολεράν dici posse nunquam credam: aquae illud est epitheton fluvialis, quam movendo homines reddiderunt *turbidam* sive *turbulentam*, ut ait lupus apud Phaedrum. Tali autem aqua qui rem, sua natura pellucidam, lavat is revera perdit operam. Lege ergo:

ἢ ὕδατι νίζειν θολερῷ διαειδέα πλίνθον

ut διαειδὴς πλίνθος *vitrum* sit.

Digitized by Google

XXII, 54 sqq.

Lepidissimi colloquii inter Pollucem et Amycum, pugilem truculentum initium exscribere hic lubet, quo magis constet de uno vocabulo atque adeo de unius vocabuli accentu.

Sic ergo incipit secundum pervulgatam consuetudinem in ignotam terram adventantium Pollux:

χαῖρε ξεῖν', ὅτις ἔσσι. τινες βροτοί, ὧν ὅδε χῶρος;

Sed ad quaestionem tam necessariam et tam humane enuntiatam respondere dedignatus dominus haec secum murmurat:

χαίρω πῶς, ὅτε τ' ἄνδρας ὁρῶ τοὺς μὴ πρὶν ὄπωπο;

Audit tamen Pollux et quid sibi velit ferus ille probe intelligit. Haec enim fuit Amyci mens: „praeclaram, hercle, laetandi causam, videre homines quos antea non viderim! Qui enim scire possum annon veniant ad surripiendum aliquid?"

Hanc ergo eius suspicionem sic tollere conatur:

Θάρσει, μήτ' ἀδίκους μήτ' ἐξ ἀδίκων φαθι λεύσσειν.

At nihil mitigatus pugil noster et in uno vocabulo quod est θάρσει subsistens minitabundus haec reponit:

θαρσέω, κοὐκ ἐκ σεῦ με διδάσκεσθαι τόδ' ἔοικεν.

Nequis ergo dubitet quin vs. 55 recte πῶς legatur. Nam πως quomodo accipiamus? Ne potest quidem, ut opinor, aliter accipi quam sic ut pugnax iste dicat: „laetor *quodammodo* sed meo more, si quis me visit, possum enim pugnis in eum impetum facere maleque eum mulcare". Quod per se satis lepidum foret et tali homine dignum. Quem tamen non hoc voluisse manifestum fit iis quae adduntur

ὅτε τ' ἄνδρας ὁρῶ τοὺς μὴ πρὶν ὄπωπα.

Nam quicunque ad Amycum accedit, sive notus est sive ignotus, facultatem ei praebet pugnandi suique monstrandi roboris.

ib. 85.

ἰδρείῃ μέγα δ' ἄνδρα παρήλυθες, ὦ Πολύδευκες.

Rectissime sic Ahrensius edidit pro tradito μέγαν ἄνδρα quod nimis est insulsum et caret particula δέ qua utique opus. Ceterum *adversarium* optime uno vocabulo ἄνδρα significari luce fit clarius e vs. 94: Metuebant, Pollucis amici:

... μή πώς μιν ἐπιβρίσας δαμάσειε
χώρῳ ἐνὶ στεινῷ Τιτυῷ ἐναλίγκιος ἀνήρ.

Digitized by Google

XXIII.

Multa in hoc idyllio quod falso adscribitur lepidissimo mortalium Theocrito, aut inepta sunt aut obscura, aut utrumque, sed nihil obscurius — certe mihi — quam haecce:

ὧδ' εἰπὼν λίθον εἵλεν, ἐρεισάμενος δ' ἐπὶ τοίχῳ
ἄχρι μέσων οὐδῶν φόβερὸν λίθον, ἧπτεν ἀπ' αὐτῶ
τὰν λεπτὰν σχοινῖδα.

Video amatorem ad vitam suspendio finiendam paratum, et quid faciat intelligere mihi videor: ianuae apponit lapidem cui insistat, calce eum remoturus simulatque laqueo, quem clavo alligaverit, inseruerit collum. Quamquam e verbis poetae ipsis ne id quidem extundere possum. Nam *Eobanus Hessus* unde haec habeat

Haec fatus lapidem capiens in limine fixit
terribilem medio, tum funem tristia clamans
nexuit

me doceat velim aliquis. E graecis verbis efficias miserum iuvenem lapidem sustulisse in altum (ἄχρι μέσων . . .) nescio quo, deinde illi laqueum alligasse (λίθον, ἧπτεν ἀπ' αὐτῶ), utrumque absurdum.

Hic ergo haereo; sed de iis quae continuo sequuntur certi aliquid pronunciare audeo. Sunt enim haec:

βρόχον δ' ἔμβαλλε τραχήλῳ

Hessus sic illa vertit

collo laqueum circumdedit

quod non est in Graecis. Aliquid ἐμβάλλειν τραχήλῳ eius est qui devorat vel degluttit. At noster, quamvis fuerit insulsus, Graece tamen sciebat, ergo scribere non potuit quod nunc habemus. Certam emendationem suggerit Ovidius, qui in simili παθήματι ἐρωτικῷ (Anaxaretes dico fabulam) haec habet (Metam. XIV, 737):

inseruitque caput (sc. *laqueo* quae vox vs. 735 legitur).

Confidenter ergo repono:

βρόχῳ δ' ἔμβαλλε τράχηλον.

XXVII, 13.

Niciae Milesii, apud quem mox est deversaturus, uxori Theogenidi colum dono dat additque suavissimum hoc epistolium

Digitized by Google

quo matronae illius et alias virtutes et strenuam navamque industriam laudat. Ibi et haec leguntur:

δὶς γὰρ ματέρες ἀρνῶν μαλάκοις ἐν βοτάνᾳ πόκοις
πέξαιντ' αὐτοέτει Θευγένιδός γ' ἕννεκ' εὐσΦόρω.

Eleganter sed parum accurate *Hessus*:

Nam tondent bis oves lanigeras temporis annui
in quovis spatio, Theugenidem propter amabilem.

Est enim mulier illa tam sedula et perita lanifica ut propter illam ipsae oves se vel bis in anno tondendas praebuerint.

Ad versum autem 13 haec annotata video:

„den optativ erkläre ich mit Ameis: es möchten sich die Schafe lieber zweimal scheeren lassen, es thäte noth dass sie sich zweimal scheeren liessen".

Leguntur haec in editione satis vetusta ad usum scholarum comparata. Sed inveniuntur talia saepe etiamnunc in doctis doctorum commentarius. Tota ista sapientia huc redit ut cuivis scriptori poetaeve Graeco particulam ἄν quovis loco omittere liceat. At ego pertinaciter nego negaboque semper ullum sincerum esse locum ubi conditio in apodosi suo sibi ἄν, vel κεν vel κά careat.

Noster vero locus et alio laborat vitio quod simul tolli et debeat et facile possit. Quid enim istud ἐν sibi vult? Pro eo ergo particulam illam necessariam repone, aptissimam habebis sententiam. *Mollem* enim habere lanam oves quia sint *molli* gramine pastae cuivis poetae fingere licet. Neque, ut opinor, primus vel solus finxit Theocritus.

De Theocrito agentem difficile, ne turpe dicam, est de Moscho et Bione tacere. Paulisper ergo subsistere iuvat in duobus Moschi locis et in uno Bionis.

Mosch. III, 48.

Bionem mortuum plangebant

Ἀδόνιδες πᾶσαί τε χελιδόνες ἅς ποκ' ἔτερπεν,
ἃς λαλέειν ἐδίδασκε, καθοσδόμεναι ποτὶ πρέμνοις
ἀντίον ἀλλάλαισιν ἐκώκυον.

Sic edidit Valckenaerius pro vulgato δ' ἐπί annotatque saltem δέ esse eiiciendum. Verum eo eiecto omnis vocabulorum

Digitized by Google

perit nexus. Et avem *trunco acclinem* equidem certe nunquam vidi, at quid consuetius ave sedente ἐπὶ πρέμνῳ? Sicine summum criticum a vero aberrare potuisse!

Tum ipsum poetam mortuum sic Moschus alloquitur:

52 τίς ποτὶ σᾷ σύριγγι μελίξεται, ὤ τριπόθατε;

Rectissime Ahrensius alteram lectionem ποτε recepit, nam ποτὶ σύριγγι μελίξεται nihili est, ποτε vero (unquam, posthac) aptissimum huic loco.

Bio I 47 sq.

De morte Adonidis et alia lamentatur poeta et haec:

φεύγεις μακρὸν Ἄδωνι καὶ ἔρχεαι εἰς Ἀχέροντα
καὶ στυγνὸν βασιλῆϊ καὶ ἄγριον.

Molestum istud duplex καί. Venustam Ameisii coniecturam πάρ στ. β. recepit Ahrensiius. Possis etiam τὸν στ. β. ut Acheron hic regis inferorum nomen sit.

Corollarii instar haec etiam addo:

Moschi versus illos, in quibus e vitiosa lectione absurdum istud (III, 49):

καθεσδόμεναι ποτὶ πρέμνοις

habemus, sic Higtius vertit:

Hunc aedon, hunc chelidon, quas tenebat cantibus
Quosque motus quosque flexus edocebat gutturis,
Mortuum luxere *ramis pendulae frondentibus.*

Vides quam bene poeta poetae mentem teneat. Nam praeclarus poeta Higtius ille fuit. Nihil lectu suavius quam trochaei illi quibus Moschi Epitaphium Bionis reddidit: semel lectos eos semper tecum repetis. Lubet unum exemplum afferre. Quae apud Moschum sunt

οὐκ ἐτ' ἐρημαίῃσιν ὑπὸ δρυσὶν ἥμενος ᾄδει
ἀλλὰ παρὰ Πλουτῆι μέλος λάθαιον ἀείδει

ea sic sonant apud Higtium:

non avenas tractat ampla tectus ilicis coma:
cantat umbris, longa cantat mortuis oblivia.

Profecto inter recentiores qui non minus suaviter quam ipsi veteres poetae latini latine canerent et fuerunt semper et nunc quoque sunt!

Quo magis dolendum quod Valckenaerius, qui pulchrum

Digitized by Google

illud Higtii opus ab interitu servavit, maculis quibusdam, paucis sed manifestis eluendis non dederit operam. Mitto tres-illos vel quatuor versus ubi pro trochaeo dactylus legatur, quod quamvis sit durum, tamen excusari potest. Sed legimus et (apud Mosch. vs. 57)

ni recuset et ille munus et ore nolit tangere.

Quam facile erat sic corrigere:

munus ille ne recusans ore nolit tangere

et (Mosch. 80)

Bellicosos *illic* Atridas *Marta* cecinit tuba

pro

bellicosos *ille* Atridas *Martia* canit tuba

et denique (Mosch. 98):

quique *ridente* Cydonas lumine et calamo levi
traxerat....

pro *ridenti*.

Taliane Valckenaerium non vidisse! Opinor iam tunc latina contemni coepta ab iis qui Graecis dabant operam literis. Nos, qui non simus Valckenarii, huic morbo fortiter obviam eamus ne tota respublica nostra philologica grave capiat detrimentum!

Ad Senecae de Vita Beata c. 24.

Ut demonstret hominem divitem etiam adversus servos suos et libertos liberalem esse posse, hoc utitur philosophus argumento:

quis enim liberalitatem tantum ad togatos vocet?

L. *q. e. ad liberalitatem tantum togatos vocet?*

ut *vocet* sit *invitet*, dicanturque humiliores ad liberalitatem tamquam ad cenam invitari.

I. I. II.

Digitized by Google

NARRATIUNCULA.

Inserere hic iuvat narratiunculam de re, quae, licet extra nostra evenerit castra, philologis tamen neque inutilis neque cognitu ingrata esse possit. Agetur enim de coniectura quadam, per se certa quidem, sed quam — id quod raro fit — codex postea inspectus confirmavit. Igitur venit ad me doctus quidam mihique amicissimus theologus cum apographo epistolae nuper in Bibliotheca nostra inventae, qua Divini quidam Verbi minister in recens condita ecclesia Remonstrantium Roterodamensi Iureconsulti expetebat consilium de controversia quadam inter fratres admodum intricata. Ultima verba erant huiusce modi: „rescribe ut legi possis *sine literis*". Forte aderat et alius Latini sermonis probe gnarus qui statim: „minime obscura ista sunt" exclamabat „exspectatur enim Iureconsulti illius epistula, in fratrum conventu recitanda, certe quae legi possit ab omnibus, ergo nihil privati argumenti est addendum, quemadmodum in cotidianis literis fieri solet". Unquamne quidquam vidisti similius annotationum illarum quibus „illustrantur" scilicet loci manifesto corrupti, quae merito risum movent cum semel vera innotuit lectio? Quod tum evenit. Ipsa enim, quae etiamnunc in Bibliotheca servatur, inspecta epistola id scriptum vidimus, quod nobis post aliquam deliberationem venerat in mentem: „rescribe, ut legi possis, sine LITURIS".

I. I. H.

Digitized by Google

DE THEOCRITI ET CALLIMACHI DIALECTO.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.

Theocritus longe maiorem partem carminum, quae quidem aetatem tulerunt, dorico sermone composuit. Nec id mirum in poëta Syracusis, dorica urbe, oriundo. Sed dorica illa dialectos, qua utitur, pura et sincera non est: insunt enim complura, quae aeolice sonant. Exempli gratia hic componam aeolica, quae in carminibus XIV° et XV° occurrunt:

XIV, 8: *παίσδεις*, dorice *παίζεις*. 9: *ὑβρίσδει*, dor. *ὑβρίζει*. 20: *ἄμμες*, dor. *ἀμές*. 23: *κεν*, dor. *κα*. 37: *ἰοῖσα*, dor. *ἰοῦσα*. 39: *δοῖσα*, dor. *δοῦσα*. 48: *ἄμμες*, dor. *ἀμές*. 50: *κεν*, dor. *κα*. 64: *βασιλῆϊ*, dor. *βασιλέα*. XV, 4: *ὔμμιν*, dor. *ὑμῖν*. 17: *ἄμμιν*, dor. *ἀμῖν*. 22: *βασιλῆος* [1]), dor. *βασιλέος*. 42: *λαβοῖσα*, dor. *λαβοῦσα*. 49: *ἔπαισδον*, dor. *ἔπαιζον*. 52: *βασιλῆος*, dor. *βασιλέος*. 58: *δεδοίκω* [2]), dor. *δέδοικα*. 59: *ἄμμιν*, dor. *ἀμῖν*. 75: *ἄμμε*, dor. *ἀμέ*. 76: *φλίβεται* [3]), dor. *θλίβεται*. 76: *ἄμμιν*, dor. *ἀμῖν*. 86: *ὅ*, dor. *ὅς*. 87: *κωτίλλοισαι*, dor. *κωτίλλουσαι*. 88: *πλατειάσδοισαι*, dor. *πλατειάζουσαι*. 93: *δωρίσδεν*, dor. *δωρίζεν*. 93: *Δωριέεσσι* [4]), dor. *Δωριεῦσι*. 101: *παίζοισα*, dor. *παίζουσα*. 105:

1) Boisacq (Les dial. dor. p. 150) *βασιλῆος* apud Theocritum formam homericam esse dixit.

2) Cf. V, 28: *πεποίθεις*. X, 1: *πεπόνθεις*. IV, 40: *λελόγχει*. IV, 7: *ὀπώπει*. I, 102: *δεδύκειν*. Sed I, 16 legitur *δεδοίκαμες*.

3) Cf. Hom. Od. XVII, 221: *φλίψεται*. Schol. *θλίψεται* (lege: *φλίψεται*) *αἰολικῶς ... ὃς οὐκ ἐκβήσεται τῶν φλιῶν* (l) *οὐδὲ εἴξει*.

4) Dativos in *-εσσι* cum plerisque (cf. Brugmann-Thumb, Gr. Gramm. § 274, 1) Aeolibus tribuo, licet sciam aliis viris peritissimis persuasum esse Dores eos non ab Aeolibus accepisse, sed ipsos quoque inde ab origine sic locutos esse. Sit sane haec coniectura: coniectura vero et illa. — Neque probabilis mihi videtur sententia Solmseni, quam protulit Zeitschr. für vergleich. Sprachforsch. 1906, p. 214: „Die schöpfung von *-εσσι* (war) nicht etwas so fernliegendes, dass sie nicht an mehreren orten und zu verschiedenen zeiten unabhängig hätte stattfinden können".

Digitized by Google

πάντεσσι, dor. πᾶσι. 105: φέροισαι, dor. φέρουσαι. 111: πάντεσσι, dor. πᾶσι. 116: μίσγοισαι, dor. μίσγουσαι. 121: ἀηδονιδῆες, dor. ἀηδονιδέες. 131: ἔχοισα, dor. ἔχουσα. 132: ἄμμες, dor. ἀμές.

Semper igitur eadem repetuntur: 1° σδ pro ζ; 2° duplicata liquida in pronominibus ἄμμες, ὔμμες [1]); 3° participia feminina in -οισα; 4° casus obliqui substantivorum in -εύς littera η insigniti; 5° dativi in -εσσι exeuntes; 6° terminationes praesentis perfecto additae. Sunt etiam alia nonnulla, quorum numerum cetera carmina percurrens adhuc augere possis [2]). Sed haec omitto: minime enim nunc omnia aeolica, quae apud Theocritum obvia sunt, fideliter recensere curae mihi est, sed quaerere, unde originem ducant quove modo explicanda sint. Ad haec plerique viri docti hodie paratum habent quid respondeant: manant ex ingenio scilicet et libidine Theocriti, quem sermone facticio versus pangere delectet [3]). Si illos audis, poëta veritus ne sermo idylliorum quotidiani sermonis aetatis suae nimis similis evaderet, colorem rusticiorem et agrestem quandam amoenitatem ei conciliare studet, dum aeolica nonnulla e lyrica poësi delibata ceteris doricis admiscet. Contra si quis suspicatus esset ab aliqua viva dialecto eum profectum esse vel adeo nonnumquam nativo sermone uti, illi, sat scio, abominati essent. Sed abominari hucusque nihil necesse erat, nam nemo vindex exoriebatur, qui tale facinus auderet.

Nihilominus, quamvis a plerisque res iudicata esse existimaretur, mihi dubitationem habere diu videbatur, essetne haec sententia aequa et certa et omni ex parte probanda. Quae quomodo oriri et plausu excipi potuerit, non est difficile ad

1) Magnien (Mém. Soc. Ling. 1919, p. 84) haec scribit: „il est possible que ἄμμες, ὔμμες etc. qu'offrent les manuscrits, proviennent d'une confusion faite par la tradition entre les formes doriennes et les formes éoliennes". Sed hoc est, me iudice, traditionem non diffidenter examinare, sed temere abicere. Plurima in codicibus theocriteis turbata esse novimus; sed pronomen ἄμμιν agnoscunt etiam scholia vetera (ad I, 102).

Minime tamen negaverim Theocritum etiam doricas horum pronominum formas hic illic usurpasse.

2) E. g. participium femininum ζατεῖσα (I, 85).

3) Thumb, Handb. der griech. Dialekte, p. 162 sq.: Die Sprache des Theokrit hat nichts Bodenständiges... Theokrits Kunstdialekt ist nicht von einheitlichem Charakter... Theokrits „ganze Dialektpoesie ist ein künstliches, gelehrtes Gebilde" (Wilamowitz).

Digitized by Google

intellegendum. Theocritus enim arte grammatica institutus est et ipse aliquatenus grammaticus fuit. Hoc ego minime nego, quin imo, ne obiter legentibus negasse videar, solitis indiciis firmabo.

Primum enim Theocritus tria carmina (XXVIII—XXX) mera, quoad quidem potuit, aeolica dialecto, qua poëtae Lesbii usi erant, duo (XII, XXII) dialecto epica composuit.

Deinde in technopaegnio, cui Σῦριγξ inscribitur, si modo, quod non credo, Theocriti nomen non ementitur [1]), γρῖφον solis grammaticis pervium se scribere posse ostendit. In quo etiam voce στήτα pro γυνή usus est, quae omnino nova et inepta est, utpote e prava interpretatione hemistichii διαστήτην ἐρίσαντε orta.

His argumentis, occasione oblata, insuper unum meum addam. Tres sunt loci apud Theocritum, quibus generis confusio valde mira occurit:

XV, 84: ἐπ' ἀργυρεᾶς ... κλισμῶ.

XV, 119: χλωραὶ δὲ σκιάδες μαλακῷ βρίθοντες ἀνήθῳ [2]).

XVII, 90: νᾶες ἄριστοι.

Eadem confusio apud Homerum quoque non ita raro invenitur, e. g.

Od. IV, 442: ὀλοώτατος ὀδμή.

Od. XIX, 341: ἀεικελίῳ ἐνὶ κοίτῃ.

Il. XVIII, 477: ῥαιστῆρα κρατερήν.

Qua de re et veteres grammatici et nostri commentatores [3]) multa scripserunt. Neque quisquam hodie dubitat, quanam ratione eiusmodi generum confusio apud Homerum explicanda sit, scilicet per analogiam synonymorum. Velut, ut hoc utar,

---

1) V. vs. 12: Σιμιχίδας.

2) Magnien (Mém. Soc. Ling. 1919, p. 135) haec scribit: „aux vers 84—85, ἐπ' ἀργυρεᾶς ... κλισμῶ, et 119, σκιάδες βρίθοντες offriraient des exemples curieux de changement de genre; mais ἀργυρέω et βρίθοισαι sont suffisamment attestés". Eidem plerosque codices Theocriti ipsi inspicere contigit (ibid. p. 49, 1). Sed non significavit, quibusnam codicibus lectiones ἀργυρέω et βρίθοισαι niti compererit. Constat igitur in nonnullis quidem exemplaribus has lectiones inveniri; sed aeque, nisi plane fallor, constat longe maiorem partem bonorum codicum ἀργυρεᾶς et βρίθοντες exhibere. Quod si ita est, lectionem difficiliorem et singularem faciliori et vulgari anteferendam esse quis neget?

3) Postremus, puto, K. Witte hanc quaestionem tetigit (Glotta, 1912, p. 106 sqq.).

Digitized by Google

ῥαιστήρ, vocabulum masculina κατ' ἐξοχήν terminatione praeditum, ad genus femininum transiisse veri simile est, cum vox synonyma σφύρα feminina esset. Eadem vero ratione apud Theocritum uti non licet, quippe qui genera verborum iam puer discernere didicisse censendus sit. Si hoc non ita se haberet, pronum esset fingere vocem, quae est κλισμός, per analogiam vocis κλισία vel κλίνα femininam factam esse, (quod revera commenti sunt in grammatica Brugmanni [1]). Simul apparet tres illos locos coniunctim considerandos esse et unam explicationem inveniendam, quae quadret in omnes. Iam vs. 119 cum substantivo feminino, quod est σκιάδες, coniunctum est primum adiectivum femininum χλωραί, deinde participium masculini generis βρίθοντες. Hoc prorsus inauditum est et facticiam grammaticam redolet. Nec minus admirationem facit illud νᾶες ἄριστοι; semel enim nunc in litteris graecis vox haec usitatissima genus suum commutat, cum tamen naves paene spirare et animatae esse Graecis saltem non minus quam ceteris gentibus maritimis videantur, et vox masculina idem significans non inveniatur [2]). Quid ergo? Mea sententia poëta de industria tribus locis genera nominum commiscuit, ut ostenderet se scire apud Homerum eiusmodi confusiones inveniri. Similiter in Syringe voce στήτα usus est, ut manifestum esset eum probe nosse subtilem illam interpretationem vs. 6 prooemii Iliados. Nusquam autem confusio generis apud Theocritum invenitur nisi in carminibus XV° et XVII°, quae Alexandriae degens conscripsit, ut se Ptolemaeo insinuaret, poëtarum et grammaticorum fautori liberalissimo. Neque aberrabit coniectura qui eum hoc ob aemulationem Callimachi, omnium poëtarum eruditissimi, instituisse sumet, cuius carmina exquisita et abstrusa doctrina homerica referta regi et aulae admodum placerent.

Sed iam satis superque declaravi me cum iis facere, qui Theocritum studiis grammaticis non leviter incubuisse censent. Alia est quaestio, fueritne ingenium eius inprimis ad haec studia accommodatum; sed constat, quod nobis caput est, eum

1) Brugmann-Thumb, Griech. Gramm. p. 418.

2) Vocum ἄκατος, κάραβος etc. significatio non erat generalis.

Digitized by Google

in iis diutius hospitatum esse. Ergo concedendum est, si Theocrito aeolica nonnulla dorico sermoni de industria admiscere libuisset, eum satis grammaticam calluisse, ut consilium suum perficere potuisset. Sequitur inde, ut hoc facere voluerit neque aliunde aeolicas terminationes et pronomina ceteraque quae semper recurrunt, originem ducere possint? Minime vero.

Sed priusquam pergam et meam sententiam aperiam, ad Callimachum, ad quem eadem quaestio pertinet, deflectam; non quo inde argumenta ducam ad quaestionem de Theocriti dialecto solvendam (hoc enim non licere apertum est, quapropter etiam veterum poëtarum, quorum dialectis aeolica admixta sunt, Homeri Alcmanis Pindari aliorum ne mentionem quidem inicio), sed quia nullum exemplum magis idoneum est ad ostendendum, quam cautos in tali re esse necesse sit. Hic enim nemo non erravit, donec documentum epigraphicum prolatum est, cui obluctari prudentioribus certe philologis religioni fuit. Callimachus pleraque sermone epico, hymnos vero V^{um} et VI^{um} et epigrammata 46, 51, 55, 59 dorice conscripsit. Poëtam Cyrenis, dorica urbe, oriundum, cum Argivis et fortasse Cyrenensibus [1]) hymnos conficeret, dorico sermone usum esse quis mirabitur? Neque magis mirum est eum, cum epico sermone carmina componeret, identidem in suam dialecton delapsum doricum vocabulum *τέθμιος* pro *θέσμιος* adhibuisse [2]). Pura autem ne Callimachi quidem dialectos doris est: insunt enim apud eum quoque aeolica nonnulla, licet pauciora quam apud Theocritum. Enumerare ea nunc nihil prodesset: nota enim sunt vulgo omnibus. Sunt participia in *-οισα*, dativi in *-εσσι*, participium femininum *ἔσσαν* (V, 69). His aeolismis poëtam sermonem exornandi causa (quasi eorum ope venustior fieret oratio!) de industria conspersisse autumabant omnes, dum anno 1903 Fraenkelius ex schedis Fourmontii inscriptionem Cyrenensem edidit [3]), quam non diu post annum 20 a. C. n. lapidi incisam esse patet. Decretum est urbis Cyrenarum in universum dorice conscriptum, sed quod simul participia *ἀνήκοισα*

1) Cf. Mnemos. 1914, p. 416 sqq.
2) Callim. II, 87; III, 174; Oxyr. Pap. VII, p. 25, vs. 2.
3) Berl. Sitz. Ber. 1903, p. 83.

Digitized by Google

et προγεγονοίσαις exhibet, quorum hoc non solum propter diphthongum οι sed etiam propter terminationem praesentis perfecto affixam notabile est [1]). Est etiam alius titulus Cyrenensis, qua continetur forma aeolica et ipsa τελεσφορέντες pro τελεσφορέοντες [2]). Protinus quaestio exorta est, unde hae formae in dialecton huius urbis pervenerint; et statim iure Fraenkelius statuit eiusmodi diversitatem sermonis inde natam esse, quod incolarum Cyrenarum non una origo fuerit. Sed probabili eius sententiae obtrectatores exstiterunt minime spernendi. Dittenbergerus [3]) enim inscriptionem interpretans haec scripsit: „Dialectus Dorica huius tituli vix ea lingua erat, qua Cyrenaei etiamtum Augusti principatu quotidie utebantur. Immo doctrinae grammaticae ope artificiose instauratus videtur maiorum sermo. Atqui homines, qui sermonem Doricum antiquum ex scriptorum et maxime quidem poëtarum libris cognitum habebant, facile Pindari aliorumque usu decepti haec Aeolica pro Doricis habere poterant". Et Thumbius quoque hac in re Dittenbergero manus dedit, scripsit enim de illis participiis ἀνήκοισαν et προγεγονοίσαις: „der Verdacht einer künstlichen archaisierenden Bildung ist nicht abzuweisen" [4]). Perperam. Nam neque iam Augusti aetate tantum cultum veterum formarum dialecticarum Cyrenis exstitisse ullo modo probari potest neque solum Cyrenis aetate Augusti formae aeolicae in doricis inscriptionibus inveniuntur, sed etiam multis aliis locis et longe antea. Qua de re optime egit Solmsen in commentatione cui inscribitur: „Vordorisches in Lakonien" [5]).

Neque solum in Laconia, sed etiam in Argolide [6]) et alibi

---

1) Inscriptio habet pronomen ἀμῶν; cf. Callim. VI, 121: ἀμίν, 127: ἀμές.

2) S. G. D. I. 4837.

3) O. G. I. S. 767, 11.

4) Thumb, Handb. der griech. Dialekte, p. 137.

5) Rhein. Mus. 1907, p. 329 sqq. — Cf. Buck, The interrelations of the Greek dialects, Class. Philol. 1907, p. 241 sqq.

6) οἰκείη pro οἰκοίη (B. C. H. 1909, p. 452); ὄττινες pro οἵτινες (Mnemos. 1916, p. 65, vs. 23). — Dativus pluralis IIIae declinationis apud Argivos exit in -σι (τοῖς θύονσι, B. C. H. 1910, p. 331, vs. 16), quod moneo, quia Maguien de dativo in -εσσι scripsit Mém. Soc. Ling. 1919, p. 79: „Il a existé peut-être aussi dans l'Argolide (πολίεσσι, Thuc. V, 79)". Foedus illud inter Spartanos et Argivos, quod Thuc. V, 79 descripsit, non Argive, sed Laconice scriptum est. In eundem errorem antea nescio quomodo raptus est Thumbius (Handb. der griech. Dial.

Digitized by Google

in Peloponneso parva vestigia aeolicae dialecti inveniuntur, vestigia inquam, nam remanserunt haec e sermone priscorum incolarum, quos Dores subegerunt [1]). Iam ubi et quando aeolica in sermonem illorum, qui Cyrenis consederunt, pervenerint, quaerere hic fortasse otiosum est: puto, antiquitus in Peloponneso. Nam, utut hoc est, ratio esse videtur agnoscere inscriptionem illam, cuius apographon Fourmontio debemus, veram imaginem sermonis Cyrenensium illius aetatis praebere. Quod si ita est, et illud sequitur, ut Callimachus, ubi hymnis doricis nonnulla aeolica intermiscet, nativo Cyrenensium sermone usus sit. Agnoverunt hoc Wilamowitz [2]) Gercke [3]) Malten [4]). Sed non omnes cum iis consentiunt. Veluti nunc Magnien [5]), nulla inscriptionis Cyrenensis mentione iniecta, simpliciter statuit Callimachum hymnos V^um^ et VI^um^ Syracusana dialecto composuisse. Fuerit sane Syracusanorum et Cyrenensium sermo simillimus: illis enim non minus quam his, ut verbis mulierum Syracusanarum apud Theocritum utar, gloriantes dicere licebat: Πελοποννασιστὶ λαλεῦμες [6]). Sed fac etiam dialectum, qua Callimachus utitur, aeque cum sermone Syracusanorum atque cum dialecto suae patriae nobis congruere videri, ne sic quidem erit, cur Syracusane scripsisse eum potius censeamus quam Cyrenaice. Thumbius quoque in libro de dialectis Graecis, qui in omnium manibus est, rationem iniit, quam non probo, cum haec scriberet: „Dass Kallimachos gerade seinen Heimatsdialekt kopieren wollte, ist unwahrscheinlich, weil ja auch Theokrit ganz ähnlich in der Auslese der Dialektformen verfährt, obwohl er einem anderen Dialekt-Milieu angehörte". Sic a Callimacho rursus ad Theocritum amandamur.

---

p. 104, § 118). Cf. B. C. H. 1910, p. 336; Boissevain, Verslagen Kon. Akad. 1919, p. 203 sq. Contra ex hoc foedere efficere possumus et debemus, quod nemo facit, Lacedaemonios usos esse dativis in *-εσσι*. Inde transierunt Tarentum et Heracleam, ubi pro *-εσσι* dici coeptum est *-ασσι*.

1) Sententiam hanc Solmseno aliisque probatam hic defendere neque possum neque cogor. Aliter Meillet, Aperçu d'une histoire de la langue grecque, p. 111; cf. tamen ibid. p. 72.

2) Wilamowitz, Textgesch. der griech. Bukoliker, p. 26 sq.

3) Hermes, 1906, p. 447 sqq.

4) Malten, Kyrene, p. 143.

5) Mém. Soc. Ling. 1919, p. 54, 63, 84, 136.

6) Theocr. XV. 92.

Digitized by Google

Sed hoc certe fatendum est nos hac digressione didicisse diligenter perpendendum esse, numne etiam Theocritus in nonnullis rebus patrio sermone usus esse aestimandus sit. Quod ut indagetur, in auxilium vocandae sunt inscriptiones Syracusanae, si quae aetatem tulerunt, et audiendi alii scriptores Syracusani vel saltem Siculi. Sed nihil iam opus est me hoc facere. Postquam enim die XXVI° mensis Aprilis huius anni hac de re in Societate philologica Lugduno-Traiectina verba feci, non diu postea cognovi praeclaram viri doctissimi Victoris Magnien commentationem quam iam plus semel laudavi, cui inscribitur: „Le syracusain littéraire et l'idylle XV de Théocrite". A quo cum hic illic dissentire me professus sim, in capite rerum astipulor et plaudo ei demonstranti Theocritum in idyllio XV° scripsisse Syracusane satisque habeo studiosos ad ipsum relegare. Summi pretii sunt cum inscriptio Syracusana, quae exhibet dativum in *-εσσι* exeuntem [1]), qui etiam in titulis aliarum coloniarum Corinthi comparet, tum opera Archimedis, qui nativo sermone procul dubio usus participia in *-σισα* exeuntia usurpat et perfecta terminationibus praesentis ornata; sed etiam Epicharmi Sophronis Pythagoreorum aliorum fragmenta non sine magno fructu in auxilium vocantur. Recte hac de re etiam grammatici antiqui senserant, quod efficitur e. g. e scholio ad Theocr. III, 52: *τὰν κεφάλαν ὡς ἡμέραν· . . . πολλὰ γὰρ* (*Αἰολικὰ*) *σῴζεται παρὰ Συρακουσίοις*, ubi Geelius iure supplevit *Αἰολικά*, siquidem barytonesis dialecto aeolicae propria est.

Quae si vera sunt, de Theocrito in posterum aliquantum aequius iudicabitur: iucundissimum enim poëtam omnibus opibus litterarum Graecarum nutritum iamiam liberatum esse credimus crimine nimis facticiae scripturae; neque prorsus immerito ei epigramma carminibus eius praefixum paradoxon illud tribuere apparet:

Μοῦσαν δ' ὀθνείην οὔτιν' ἐφελκυσάμην.

1) I. G. XIV, 10: *ὑέεσσι*.

Digitized by Google

MANERE = ESSE.

SCRIPSIT

J. VAN WAGENINGEN.

Iam Weymanus et Rasius [1]) animadverterunt Romanos in sermone vulgari saepius verbo *manere* pro *esse* usos esse, cuius consuetudinis nova exempla inventa sunt ab Hartmano [2]) et a Krollio [3]) in carmine illo Alliae Potestatis, velut

11 exiguo sermone inreprehensa *manebat.*
22 anxia non *mansit* cet.
27 *mansit* et infamis cet. [4])

Sed nemo, ut opinor, magis huic usui indulsit quam Manilius poeta, qui sive metri necessitate coactus [5]), sive quia a dicendi genere vulgari non magnopere abhorrebat, frequenter verbum manendi adhibuit, ubi carminis contextus nihil aliud nisi verbum copulativum *esse* postulat. Sine dubio etiam inter exempla Maniliana nonnulla sunt, de quibus quis dubitare possit, utrum verbum manendi iam omnem suam vim deposuerit, an aliquid significationis propriae in eo relictum sit, sed multo maior est numerus locorum, in quibus hoc verbum, vel cum gerundivo aliquo vel cum participio perfecto iunctum, vice verbi *esse* fungatur atque vis ei innata omnino trita esse videatur.

---

1) Arch. Lex. 15, 382; 483.
2) Mnem. (1915) 43, 389; 392; 394.
3) Philol. N. F. 27, 280—281; Glotta VI 363; IX 272.
4) In v. 18 'et nitor in facie *permansit* eburneus illae' nondum vim verbi manendi propriam omnino evanuisse iure contendit Hartmanus.
5) Cf. v. d. Valk, Acta Philol. Bat. Conv. V 60—79.

Digitized by Google

a) Verbum manendi cum gerundivo iunctum:

IV 369: inque alvo quaerenda *manent* cunctisque sequendum viribus.

III 566: respicienda *manet* ratio numerisque notanda.

b) Verbum manendi cum participio perfecto iunctum:

I 180: sed medio suspensa *manet*, sunt pervia cuncta.

I 214: sic tellus glomerata *manet* mundique figura.

I 254: summaque per varias *maneat* cognata figuras.

II 670: ac veluti cognata *manent* sub foedere tali.

I 448: quis innixa *manent* caeli fulgentia templa.

II 164: his coniuncta *manent* alterno brachia nexu.

IV 618: quae tergo coniuncta *manet* pontemque ministrat.

II 80/1: si omnia toto
dispensata *manent* mundo dominumque sequuntur.

II 278: quae divisa *manent* ternis distantia signis.

II 397: et toto divisa *manent* contraria caelo.

IV 807: sic divisa *manet* tellus per sidera cuncta.

II 67: quod nisi cognatis membris contexta *maneret*.

III 56: exceptum a summa ne quid ratione *maneret*.

IV 238/9: quippe ferae mixtum est hominis per sidera corpus
impositumque *manet*.

IV 303: sic altis natura *manet* consaepta tenebris.

II 668: sic quaecumque *manent* quadrato condita templo.

IV 855: nunc brevius lassata *manent*, nunc longius astra.

c) Verbum manendi cum adiectivo iunctum:

II 99—100: denique sic pecudes et muta animalia terris
cum *maneant* ignara sui legisque per aevum cet.

II 538/9: nam quaecumque nitent humana condita forma
astra, *manent* illis inimica et victa ferarum.

II 572: sed plerumque *manent* inimica tertia quaeque.

II 574: quippe *manent* quaecumque loco contraria signa.

I 213: sed similis toto ore *manet* perque omnia par est.

IV 350: nec *manet* ingratus Capricornus crimine turpi.

IV 909/10: nec sola fronte deorum
contentus *manet* et caelum scrutatur in alvo.

Digitized by Google

Dubitari potest de his exemplis:

I 145: semper erit genus (= mundi genesis) in pugna, dubi-
[umque *manebit*
quod latet.

III 168: incolumis tamen ut *maneat*, qui conditus ordo.

I 167/8: idcircoque *manet* stabilis (sc. terra), quia totus ab illa
tantundum refugit mundus.

IV 480: octavoque *manet* numero (sc. Scorpius reus) nonum-
que capessit.

II 528: quodque aeterna *manent* hominum bella atque
[ferarum.

d) *manere* = se habere, constare, exstare, versari:

II 240: inter utrumque *manet* Capricornus corpore mixto.

I 644: illis sexta (sc. hora) *manet*, quos tum premit aureus orbis.

I 729: an melius *manet* illa fides, per saecula prisca cet.

V 513: hinc Pompeia *manent* veteris monumenta triumphi.

II 901: hic momenta *manent* nostrae plerumque salutis.

I 128/9: sive individuis in idem reditura soluta
principiis natura *manet* post saecula mille,

h. e. sive natura ex atomis constat, in quas soluta reditura est post saecula mille.

Hic numerus exemplorum, credo, sufficiat. Contra parva est copia eorum versuum, in quibus verbum manendi sine ulla dubitatione dici potest suam vim retinuisse:

II 638: his non una *manet* semper sententia cordi.

II 885: in peiusque *manent* cursus nec vota supersunt.

III 76: non ut in aeterna caeli statione *manerent*.

III 668: nec quicquam in prima patientia sede *manere*.

IV 552: et caeli post terras iura *manebunt*.

Agens de verbo manendi, alium usum simul perstringere velim Vergilii lectoribus satis notum, sed etiam apud alios poetas, velut Propertium et Manilium, obvium. Nempe pro deficiente participio praesenti verbi *esse* Vergilius usus est participio *veniens*, cf. Aen. V 344:

gratior et pulchro *veniens* in corpore virtus,

Digitized by Google

et Propertius etiam alias formas et eiusdem verbi adhibet et verbi *eundi* eodem τοῦ εἶναι sensu:
I 18, 14: non ita saeva tamen *venerit* ira mea.
II 34, 81: non tamen haec ulli *venient* ingrata legenti.
I 10, 25: irritata *venit*, quando contemnitur illa.
I 4, 10: inferior duro iudice turpis *eat*.
II 34, 45: tu non Antimacho, non tutior *ibis* Homero.

Apud Manilium autem verbum *veniendi* modo accedit ad significationem verbi, quod est *fieri*, velut
IV 374/5: quodque in tam multis animantum milibus, uno quae *veniunt* signo, tot sunt quot corpora mores,
modo non multum differt a verbo copulativo:
IV 382: nec Leo venator *veniet* nec Virgo magistra.

Mirum est verbum *deveniendi*, quod in lingua Francogallica ('devenir') idem atque fieri valet, in Latino sermone antiquo nondum exstare hoc sensu praeditum, quo verbum simplex non caret. Exempla enim, quae Thesaurus linguae Latinae [1]) commemorat, omnia pertinent ad aetatem posteriorem, velut Greg. Tur. Franc. 7, 40: 'quid thesauri devenissent'.

1) Thes. l. l. V 4, 850, 50 et 75.

Digitized by Google

THEOCRITEA.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.

Nuper, cum Magnieni commentationem de idyllio Theocriti XV° perlegerem, rursus et hoc carmen laudatissimum et simul XIV^um^ de Cyniscae amore lectitavi. Quorum cum nonnullos locos rectius pleniusve interpretari posse mihi videar, haec iam cum lectoribus Mnemosynes communicare libet, inprimis cum illis, qui laborem suum Theocrito edendo emendando illustrando impertierunt.

XIV.

Vs. 1 (cf. 3, 34, 51): *Θυώνιχον*. Hoc nomen cohaerere cum *Θύωνη*, et cum *ἐπικλήσεσι* Liberi, quae sunt *Θύωνεύς*, *Θυωνίδας*, docuit Wilamowitzius [1]). Nomina similia, quae diphthongum *υι* exhibent, *Θυίων* et *Θυιωνίδας*, quorum illud in Boeotia Orchomeni saec. III° a. C., hoc Strati eadem aetate occurrit, cum *Θυίαις*, Bacchi ministris, et nomine mensis, quod est *Θυῖος*, cohaerere statuit Bechtelius [2]). Veri autem aliquid inesse opinor in iis quae scripsit Plaumann [3]): „Aus den Pap. Petrie kennen wir für das Jahr ... 246/5 ... als Kanephore: *Πτολεμαΐς ἡ Θυίωνος*. Hält man daneben Steph. Byz. sub *Μακεδονία*: M. *ἡ χώρα, ἀπὸ Μακεδόνος τοῦ Διὸς καὶ Θυίας τῆς Δευκαλίωνος* [4]), so kann man den seltenen Namen *Θυίων* ... als makedonisch in Anspruch nehmen". Equidem nomen Thyonichi quoque, licet

1) Wilamowitz, Textgesch. der griech. Bukoliker, p. 255.
2) Bechtel, Die histor. Personennamen des Griech., p. 524.
3) Klio, 1913, p. 133.
4) Non Steph. Byz. citari oportuit, sed Hes. frg. 5 Rz.

Digitized by Google

affirmare nihil possim, Macedonicum esse suspicor, cum nusquam in inscriptionibus Graecis legatur, et Thyonichus ille Theocriti veteranus ex exercitu Ptolemaei et quasi delector esse videatur. Possit sane nomen a Theocrito fictum esse, ut dixit Wilamowitzius: si hoc ita haberet, ita fictum esse arbitrarer, ut lectoribus Macedonicum videretur.

Vs. 5 sq. Thyonichus comparat amicum intonsum et languentem cum philosopho, quem nuper se vidisse dicit:

τοιοῦτος πρώαν τις ἀφίκετο Πυθαγορικτάς,
ὠχρὸς κἀνυπόδητος· Ἀθηναῖος δ' ἔφατ' ἦμεν.

Saec. IV° Pythagoreos squalere coepisse docent fragmenta comoediae mediae. Inprimis Diodorus Aspendius, quem memorabant Timaeus Hermippus Sosicrates, eos instituisse fertur cynico more et vestitu uti, τῶν πρὸ αὐτοῦ Πυθαγορικῶν λαμπρᾷ τε ἐσθῆτι ἀμφιεννυμένων καὶ λουτροῖς καὶ ἀλείμμασι κουρᾷ τε τῇ συνήθει χρωμένων [1]). Vixit autem Diodorus exeunte saeculo IV° [2]). Brevi postea omnium consensu philosophia Pythagoreorum exstincta est [3]) nec nisi multis post annis circiter a. 100 a. C. revixit. Quomodo igitur Theocritus, qui Callimachi fere aequalis fuit, aliquem Pythagoreum vidisse fingere potuit? Et cur addidit illum Pythagoreum Atheniensem fuisse? Athenis tunc temporis Pythagorei non erant, sed Zeno discipulos suos esurire docebat, teste Philemone, poëta comico:

φιλοσοφίαν καινὴν γὰρ οὗτος φιλοσοφεῖ,
πεινῆν διδάσκει καὶ μαθητὰς λαμβάνει·
εἷς ἄρτος, ἔψον ἰσχάς, ἐπιπιεῖν ὕδωρ [4]).

Suspicor igitur non urgendum esse τὸ Πυθαγορικτάς, sed hoc nomine hic genus omne philosophorum designari. Sed tropus popularis id genus nusquam alibi oriri et vulgo usurpari potuit, nisi in patriis sedibus Pythagoreorum, in Magna Graecia et in vicina Sicilia, Theocriti patria. Itaque non sine causa in

1) Sosicrates apud Athen. IV, p. 164, a.

2) Cf. Susemihl, Gesch. der griech. Litt. in der Alexandrinerzeit, II, p. 330, 449.

3) Zellerus quidem disciplinam Pythagoricam etiam III° et II° saec. a. Chr. perdurasse autumavit in mysteriis et Bacchanalibus (Die Philos. der Griechen, III. 2³, p. 81 sq.). Sed haec mera coniectura est.

4) Diog. Laert. VII, 27.

Digitized by Google

prooemio scholiorum huius carminis legitur: τὰ πράγματα ἐν Σικελίᾳ [1]); quod scholiasta procul dubio ex ipso versu quinto collegit.

Idem locus praeterea aliam ob rem notabilis est: ostendit enim hoc carmen scriptum esse ante bellum Chremonideum et obsidionem Athenarum, in qua Athenienses, cum Ptolemaeus iis subvenire non posset, extremam famem sustentaverunt. Alioquin enim in his versibus tamquam acerba irrisio populi Atheniensium, Ptolemaei sociorum et amicorum, inesset, praesertim in vs. 7:

ἤρατο μὰν καὶ τῆνος; — ἐμὶν δοκεῖ, ὀπτῶ ἀλεύρω.

Sed non multum inde lucramur, si verum est aliunde effici posse carmen iam aliquot annis ante illud bellum simul fere cum carminibus XV° et XVII° compositum esse.

Vs. 13: Ἄπις. Cf. schol.: ὁ ἐκ Θεσσαλίας Ἄπις. Pro hoc nomine Meinekius dubitanter proposuit Ἄγις, quod Wilamowitzius in ordinem recepit. Ἄπις est nomen herois, qui Argis vel Sicyone vel Pallantii regnasse ferebatur. Sed ut multa alia nomina heroum, sic hoc quoque in mortales transiisse documento est inscriptio attica, quae circiter a. 328 a. C. tribuitur [2]). Ergo non esse puto, cur apud Theocritum nomen quamvis rarissimum in usitatum nomen Ἄγις mutemus.

Vs. 12 sqq.:

Ὠργεῖος κἠγὼν καὶ ὁ Θεσσαλὸς ἱπποδιώκτας
Ἄπις καὶ Κλεύνικος ἐπίνομες ὁ Στρατιώτας
ἐν χώρῳ παρ' ἐμίν.

Fingit poëta Aeschinem Argivo cuidam et Thessalo (Larissaeo, vs. 30) et Acarnani convivium apparasse. Ea aetate universa Graecia in duas partes divisa erat, quarum altera cum Ptolemaeo, altera cum Antigono, rege Macedoniae, faciebat. Theocritus autem hoc carmen scripsit, ut stipendia Ptolemaei commendaret [3]). Itaque procul dubio convivantur hic incolae trium civitatum, quae Ptolemaei partibus favebant. Ecquid huiusmodi

1) Cf. schol. ad vs. 5, a: ἦλθεν εἰς Σικελίαν.
2) I. G. II, 834, b, II, 48. Cf. Bechtel, Die hist. Personennamen, p. 572.
3) Bucol. graec. ed. Wilamowitz, p. 162.

Digitized by Google

argumento non plane fidis? Cogita nostram aetatem. Age finge a. 1918 aliquem in America poëma scripsisse, quo iuvenes hortaretur ut militiam capesserent: potuisset ita ordiri, ut narraret civem Americanum nuper suaviter compotasse cum nonnullis Hungaris et Bulgaris et Turcis? Prorsus similiter iudicandum est de aetate Ptolemaei Philadelphi et Antigoni. Reputandum igitur est, quando Acarnanes et Argivi et Thessali a Philadelpho steterint.

1°. Argos ea aetate Macedonicum fuit, solum inde ab a. 278 usque ad a. 272 Ptolemaicum.

2°. Acarnania inde ab a. 294 Pyrrho, Macedoniae inimico, paruit.

3°. Thessalia inde ab a. 286 usque ad a. 276 Pyrrho subiecta fuit, a. 276—274 Antigono, a. 274—272 denuo Pyrrho.

Sequitur ut carmen scriptum sit aut inter a. 278 et a. 276 aut inter a. 274 et 272. Sed annis 278, 277, 276 Aegyptus in pace erat, a. 274—272 Ptolemaeus bellum cum rege Syriae gerebat. Iam stipendia alicuius commendare in alta quiete ineptum est. Itaque concludo carmen scriptum videri annis 274—272. Carmina XV^um^ et XVII^um^, a quibus carmen XIV^um^ segregare non possumus, utique conscripta sunt inter annos 278 et 270, regnante regina Arsinoe. Adoniazusae a. 273—271, Ptolemaeus a. 273—272 scriptus esse videtur Wilamowitzio [1]). Sed Cyniscae amorem scriptum esse putaverim post Adoniazusas et Ptolemaeum; haec enim carmina Alexandreae scripsisse videtur Theocritus, illud postquam inde domum revertit.

Vs. 30 sq.:

χὠ Λαρισαῖος τὸν ἐμὸν Λύκον ᾄδεν ἀπ' ἀρχᾶς,
Θεσσαλικόν τι μέλισμα.

Verba *ἀπ' ἀρχᾶς* quid significent, ambigitur. Si solitus sensus: *ab initio* inesset, ineptissima essent; nam omnes qui cantant carmina a principio ordiri solent. Nec feliciter Fritzsche ea cum praecedentibus ita coniunxit, ut carmen a verbis: *τὸν ἐμὸν Λύκον ἀπ' ἀρχᾶς* inciperet. Sagacius Hillerus dixit *ἀπ' ἀρχᾶς* esse idem quod *ἐξ ἀρχῆς*, *rursus*, collato Plut. Timol. 1:

1) Ibid. p. 162 sq.

Digitized by Google

Διονύσιος ... ἀνέλαβε τὰ πράγματα πάλιν καὶ καθεστήκει τύραννος ἐξ ἀρχῆς. Ἐξ ἀρχῆς hoc sensu usurpatum, quod ortum esse possit e pleniore locutione πάλιν ἐξ ἀρχῆς, qua iam Aristophanes frequenter utitur [1]), invenitur aetate Theocriti in inscriptione attica: τὸν βωμὸν ἐξ ἀρχῆς ᾠκοδόμησαν [2]). Comparandum est adverbium ἐξαρχίδιον, *denuo* [3]). Rarissima haec; ἀπ' ἀρχῆς vero hoc sensu omnino non novi. Neque valde mihi placet sententia, quam Hillero obtemperantes nancisceremur: idem enim carmen plus semel a Thessalo conviva cantatum esse significaret poëta, Cyniscam autem non statim, sed tum demum cum carmen repeteretur, lacrimis obortis aufugisse. Quapropter, cum verba tradita vix expediri posse videantur, in mentem mihi venit scribere:

χὠ Λαρισαῖος τὸν ἐμὸν Λύκον [4]) ᾄδεν ἀπάρξας.

Ἀπάρχειν enim nonnumquam pro ἐξάρχειν usurpatur. Cf. Anth. Pal. IX, 189, 3:

ἔνθα καλὸν στήσασθε θεῇ χορόν· ὔμμι δ' ἀπάρξει
Σαπφὼ χρυσείην χερσὶν ἔχουσα λύρην.

Dion. Hal. Ant. Rom. VII, 73, 5: τὸν ... ἀπάρχοντα [5]) *(praesultorem)* τῶν ὀρχηστῶν; cf. 68, 3: τῆς νεωστὶ πομπῆς τὸν ἡγούμενον ὀρχηστήν, 69, 1: ὁ τῆς πομπῆς ὀρχηστὴς προηγούμενος. De ἀπάρχειν pro ἄρχειν et ἄπαρχος pro ἀρχός v. Wilamowitzius ad Aesch. Prom. 327 [6]); cf. etiam ἀφηγεῖσθαι pro ἐξηγεῖσθαι.

Vs. 38: τήνῳ τεὰ δάκρυα μᾶλα ῥέοντι.

G. Hermannus, Doederlein, Koennecke [7]) viderunt interpretationem huius loci petendam esse e Mosch. IV, 56 sq.:

τὰ δέ οἱ θαλερώτερα δάκρυα μήλων
κόλπον ἐς ἱμερόεντα κατὰ βλεφάρων ἐχέοντο.

---

1) Arist. Plut. 221, 866; Ran. 591; Pac. 997, 1327.
2) Dittenberger, Syll.[2] 727, 10 (a. 278/7).
3) Dittenberger, Syll.[2] 712, 4. C. I. G. 5235: ἐπόησεν ἐξαρχίδιον τὸν σηκόν.
4) Lycum aliquem etiam Alcaeus canere solebat (Alc. frg. 58; Hor. Od. I, 32, 11).
5) ἄρχοντα coniecit Kiessling, ἐπάρχοντα Dindorf, ἔπαρχον Jacoby.
6) Aesch. Pers. 329, ubi traditum est:
τοιῶνδ' ἀρχόντων ὑπεμνήσθην πέρι,
legere velim: τοσόνδ' ἀπαρχόντων ὑπεμνήσθην πέρι.
7) Woch. für klass. Philol. 1914, p. 885.

Digitized by Google

Hoc Doederlein latine reddidit sic: „lacrimas fundebat tam crebras quam arbor poma". Recte fere, nisi quod θαλερός non est *creber* [1]), sed *validus*, *crassus*, *magnus*. Ergo hoc voluit Theocritus: τήνῳ τεὰ δάκρυα ῥέοντι (ὡς) μᾶλα, *illi lacrimae tuae fluunt poma magnitudine aequantes*. Poëtam cum locutionem vulgarem et quasi rusticiorem usurpasse pateat, in hyperbole ultra modum nemo, puto, offendet.

Vs. 44 sq. Aeschines computat, quandiu Cyniscam non viderit:

εἴκατι· ταὶ δ' ὀκτώ, ταὶ δ' ἐννέα, ταὶ δὲ δέκ' ἄλλαι,
σάμερον ἐνδεκάτα, ποτίθες δύο, καὶ δύο μᾶνες,
ἐξ ὧ ἀπ' ἀλλάλων.

Ratio dierum constat:

$$20 + 8 + 9 + 10 + 11 + 2 = 2 \times 30.$$

Primum numerare videtur dies, qui supererant in illo mense, in quo discidium ortum est, deinde tres decades mensis insequentis, tum undecim dies mensis praesentis. Sed si hoc ita habet, qui fit ut mensis alter $(8 + 9 + 10) = 27$ tantum dies habeat? Mensis intercalarius fuerit. Sed menses intercalarii XXVII dierum non nisi in annum solarem quadrant, quo Graecas civitates non usas esse communis opinio est. Quod utrum rectum sit necne, disquirere forsitan non meum sit. Tamen dubitationes meas viros harum rerum peritos celare nequeo.

Aristoteles enim Ἀθ. πολ. 43, 2, postquam de decem prytaniis Atheniensium exposuit, quae coniunctae 354 dies habent, adicit: κατὰ σελήνην γὰρ ἄγουσι τὸν ἐνιαυτόν. Hic reputandum est Aristotelem non scripsisse, ut nos, qui nunc sumus, antiquitates Graecas doceret, sed suis aequalibus. Itaque eiusmodi explicationi locus fuisse mihi non videtur, nisi a. 328, quo haec scribebat, iam aliae civitates Graecae fuissent, qui annum solarem constituissent.

Tum respicienda sunt quae scribit Censorinus, de die natali, 18: „Veteres in Graecia civitates ... annos civiles sic statuerunt, ut intercalando facerent alternos XII mensum, alternos XIII ... postea cognito errore hoc tempus duplicarunt et

1) Cf. Theocr. XIV, 32.

Digitized by Google

tetraëterida fecerunt ... hoc quoque tempus, *quod ad solis modo cursum nec ad lunae congruere videbatur*, duplicatum est et octaëteris facta ..." Hanc Censorini opinionem de origine octaëteridis contra Ginzelium [1]) defendere nequeo. Nescimus, quonam fonte Censorinus usus sit, prorsus ignoramus, quarum civitatum fastos auctor eius examinarit. Sed ut concedam Censorinum turbasse, neutiquam Ginzelio assentior illum, cui tam praeclari auctores Graeci suppeterent, haec ipsum de nihilo finxisse.

Praeterea fatendum est annum lunisolarem, ut hodie dicitur, Graecorum semper lubricum et instabilem et innumeris miseriis obnoxium fuisse. Annus lunisolaris praesertim id boni habere potest, ut calendae cum nova luna congruant. Sed id ipsum non assequebantur [2]).

Quae cum ita sint, non video quid obstet quominus coniciamus nonnullas civitates Graecas saltem post Eudoxum annum solarem statuisse. Quamquam uno loco Theocriti hoc non demonstrari posse libenter concedo.

Si annus sit XII mensium XXX dierum, quinto quoque anno mensem intercalare necesse sit, qui in IV^{a} quaque pentaeteride (sive vicesimo quoque anno) XXVII, in ceteris XXVI dies habeat.

In iisdem versibus nondum explanatum est, quomodo Aeschines quasi δεικτικῶς dicere possit:

τὰ δ' ὀκτώ, τὰ δ' ἐννέα, τὰ δὲ δέκ' ἄλλα.

Estne temerarium coniectare veteres non solum magna παραπήγματα in lapide incisa in foris statuisse [3]), sed etiam domi libellos habuisse, quibus fasti anni praesentis succincte enotati essent? Mihi certe videntur his non magis carere potuisse, quam nos ipsi.

Vs. 46 sq. in parte codicum, quibus adiungenda sunt scholia vetera, leguntur sic:

---

1) Ginzel, Zeitrechnung, II, p. 372 sq.

2) V. Dittenberger, Syll.^{3} 56, 20 sq. Thuc. II, 28; IV, 118, 12; 119, 1; V, 19, 1. Plut. Arist. 19; Aristox. elem. harm. II, p. 30 Meurs. (Ginzel, l. l. p. 378).

3) Cf. Diels, Berl. Sitz. Ber. 1904, p. 96 sqq. 100.

Digitized by Google

οὐδ' εἰ Θρᾳκιστὶ κέκαρμαι,
οἷδε· Λύκος νῦν πάντα, Λύκῳ καὶ νυκτὸς ἀνῷκται·

in aliis codicibus sic:

οὐδὲ Θρᾳκιστὶ κέκαρμαι.
ἃ δὲ Λύκος νῦν πάντα, Λύκῳ καὶ νυκτὸς ἀνῷκται [1]).

Haec lectio primo obtutu expediri non posse videtur; illa facile intellegitur, sed displicet mihi propter id quod Graeci dicunt τὸ κακόζηλον. Si dixisset Cyniscam se omnino non curare, satis dixisset; si dicit puellam ne illud quidem scire, sitne intonsus an tonsus, nimium dicit: quomodo enim hoc resciscere potuisset? Quapropter legere suadeo:

ἐξ ὧ ἀπ' ἀλλάλων κοὐδὲ Θρᾳκιστὶ κέκαρμαι [2]).
ἃ δέ — Λύκος νῦν πάντα, Λύκῳ καὶ νυκτὸς ἀνῷκται.

Cum priore versu conferas quaeso II, 25:

κἠξαπίνας ἄφθη κοὐδὲ σποδὸν εἴδομες αὐτᾶς,

cum altero propter anocoluthon XIV, 51:

νῦν δέ — πόθεν;

ut rectissime distinxit Wilamowitzius. Vide quantopere poëta in mimis licentiam sermonis quotidiani imitari studuerit.

Vs. 51: γεύμεθα. Γεύμεθα esse praesens, quod in flexionem athematicam transiit, dudum dictum est [3]). Aliis perfectum sine reduplicatione esse visum est et fortasse hodie videtur [4]). Hoc quoque aeolismis dialecti Syracusanae adnumerandum esse suspicor.

Vs. 52 sqq.:

χὤτι τὸ Φάρμακόν ἐστιν ἀμηχανέοντος ἔρωτος
οὐκ οἶδα. πλὰν Σῖμος ὁ τᾶς ἐπιχάλκω ἐρασθείς
ἐκπλεύσας ὑγιὴς ἐπανῆνθ', ἐμὸς ἁλικιώτας.

Pro ἐπιχάλκω scholiastae norunt etiam lectionem ὑποχάλκω. Non admodum feliciter olim editores scribebant: τᾶς Ἐπι-

1) Sunt etiam codices, qui lectionem οὐδ' εἰ cum lectione ἃ δέ vel ἢ δέ coniungunt.
2) Cf. schol. recentius: ἀφ' οὗ ἀπ' ἀλλήλων κεχωρισμένοι εἰσὶ καὶ ἀφ' οὗ οὐκ ἐκάρη κατάκρας τὰς τρίχας.
3) Kühner-Blass, Griech. Gramm. I, 2, § 322.
4) Cobet, Var. Lect. p. 42 (qui γεύμεθα portentum grammaticum esse contendit); G. Meyer, Griech. Gramm.[2] § 549; Nairn ad Herod. mim. II, 62.

Digitized by Google

χάλκω vel τᾶς Ὑποχάλκω, *Epichalci* vel *Hypochalci filiae.* Hodie haud scio an rursus accedant plerique viri docti ad sententiam scholiastae, cui ὁ τᾶς ἐπιχάλκω ἐρασθείς esse visus est ὁ τῆς ἀσπίδος (i. e. militiae) ἐρασθείς. Sane clipeus, utpote aere tectus, nonnumquam ἡ ἐπίχαλκος nuncupatus est [1]). Sed hoc nunc nostra nihil refert; alia enim prorsus postulatur sententia, scilicet: Simus quoque in infelicem amorem incidit, sed navigatione sospitatus est. Aliquantum melius olim interpretabantur: ὁ τᾶς ὑποχάλκω ἐρασθείς, „qui puellam κίβδηλον, subdolam et fallacem, adamavit". Sed ὑποχάλκω nusquam nisi in scholiis traditum est. Solutio, quam ego offeram, longe omnium simplicissima est: ὁ τᾶς ἐπιχάλκω ἐρασθείς est amator puellae immitis et inexorabilis, cui, ut cum Homero [2]) loquar, σιδήρειον ἦτορ, sive, ut Horatii [3]) verbis utar, aes triplex circa pectus erat. Omnes scriptorum locos, qui cum his comparari possunt, ante paucos annos congerere studuit Hildebrandt [4]). Satis habeo afferre Pindari frg. 123:

ὃς μὴ πόθῳ κυμαίνεται, ἐξ ἀδάμαντος ἢ σιδάρου κεχάλκευται μέλαιναν καρδίαν,

et Tibulli I, 1, 63:

non tua sunt duro praecordia ferro
vincta nec in tenero stat tibi corde silex,

et ipsius Theocriti XIII, 5 sq.:

ἀλλὰ καὶ Ἀμφιτρύωνος ὁ χαλκεοκάρδιος υἱός,
ὃς τὸν λῖν ὑπέμεινε τὸν ἄγριον, ἤρατο παιδός,

et III, 18:

ὦ τὸ καλὸν ποθορεῦσα, τὸ πᾶν λίθος, ὦ κυανόφρυ νύμφα ...

et ibid. vs. 39:

καί κέ μ' ἴσως ποτίδοι, ἐπεὶ οὐκ ἀδαμαντίνα ἐστίν,

et, si etiam e nostratibus aliquem citare fas est, Ianum Luyken, Duitsche Lier:

---

1) V. Sophr. frg. 145, quod contulit Wilamowitzius apud Kaibelium, Com. graec. frg. et in editione sua Bucol. Graec., Ameips. Σφενδόνη, frg. 3; Hesych. s. v.

2) Hom. Il. XXIV, 205.

3) Hor. Od. I, 3, 9.

4) Philol. 1911, p. 52 sqq.

Digitized by Google

Loddere oogen vol lonken
Bij poezel-naakt, gebootst van melk en bloede,
Doen ijsere gemoede
Ja 't kouste hart, *met killig staal beklonken*,
In Vrouwe-min ontvonken.

Vs. 59 sqq.:

μισθοδότας Πτολεμαῖος ἐλευθέρῳ οἷος ἄριστος..
— τἄλλα δ' ἀνὴρ ποιός τις; — ..ἐλευθέρῳ οἷος ἄριστος,
εὐγνώμων, Φιλόμουσος κτλ.

Haec legebantur ita et in archetypo omnium codicum, qui aetatem tulerunt, et in exemplari, quo Ioannes Stobaeus utebatur. Tamen plerique arbitrantur corruptelam pervetustam inesse propter vitiosam, ut aiunt, repetitionem eorundem verborum. Ego non video, cur in mimo Theocriti aliquis, cuius sermo interrogatione interrumpatur, non eadem verba iterare potuerit. Aliud exemplum plane eiusdem rei mihi non suppetit. Sed apud Callimachum (V, 13 sq.) audimus aliquem suum ipsius sermonem interrumpentem et deinde (vs. 15) eadem fere verba atque antea repetentem:

ὦ ἴτ' Ἀχαιιάδες, καὶ μὴ μύρα μηδ' ἀλαβάστρως —
συρίγγων ἀίω Φθόγγον ὑπαξονίων —
μὴ μύρα, λωτροχόοι, τᾷ Παλλάδι μηδ' ἀλαβάστρως
(οὐ γὰρ Ἀθαναίᾳ χρίματα μεικτὰ φιλεῖ)
οἴσετε μηδὲ κάτοπτρον.

XV.

Vs. 19 sq.:

ἑπταδράχμως, κυνάδας, γραιᾶν ἀποτίλματα πηρᾶν,
πέντε πόκως ἔλαβ' ἐχθές, ἅπαν ῥύπον, ἔργον ἐπ' ἔργῳ.

Haec vulgo non recte explicantur. Ad *κυνάδας* non *τρίχας* subaudiendum est, ut nonnullis placuit, sed *δοράς*. Sicut enim dicebatur *ἡ βοείη, ἡ λεοντῆ, ἡ παρδαλέη, ἡ αἰγέη* sive *ἡ αἰγίς* sc. *δορά*, ita pellis canina non solum *κυνῆ* dicta esse videtur, sed etiam *κυνάς*. *Κυνάδας* et *γραιᾶν· ἀποτίλματα πηρᾶν* appositiones ad *πόκως* videntur mihi, quas garrula mulier celeriter

Digitized by Google

et iracunde loquens inter adiectivum et substantivum, ad quae pertinent, inserit [1]).

Quod ad rem attinet, cognovi e lexico Grimmii hodie in Germania rusticos saetas hispidiores, quae deteriora vellera ovina infestant, caninas (Hundehaare) vocitare; unde etiam locutionem natam esse: „einem Hundshaar eintragen, einhacken", *fraudare aliquem.*

Verba γραιᾶν ἀποτίλματα πηρᾶν scholiastes optime reddit per ποκάρια γεγηρακότων προβάτων. Nam τίλλειν, itemque πέκειν, a principio quidem significant *vellere*, sed cum lanam ovium non amplius evellere, sed tondere coeperunt [2]), haec verba transierunt in sensum *tondendi* [3]). Itaque ἀπότιλμα quoque non modo significat *lanam evulsam*, sed etiam idem quod πόκος, *vellus* (quod et ipsum a *vellendo* dictum est). Πήρα autem, *uter*, hic contemptim usurpatur de ipso animali, sicut apud nostrates in Belgio *balg*. Mulier cogitat lanam pessimam, quam praebent oves morbo vel senectute mortuae *(sterfwol)*.

Vs. 26: ἀεργοῖς αἰὲν ἑορτά.

Hoc amicae suae dicere Praxinoam censent plerique, non reputantes, puto, quam proterve et contumeliose dictum esset. Wendel [4]) vero eam hoc non in Gorgonem, sed in servam suam Eunoam iactare arbitratur. Nonne satius est statuere mulierem hoc secum dicere, de Gorgone scilicet, sed ita ut illa non exaudiat, quid amica in se reprehendat. Sic demum elucet scintilla illius virtutis comicae, quae Theocrito propria fuit.

Vs. 47 sqq.: οὐδεὶς κακοεργός
δαλεῖται τὸν ἰόντα παρέρπων Αἰγυπτιστί,
οἷα πρὶν ἐξ ἀπάτας κεκροτημένοι ἄνδρες ἔπαισδον
ἀλλάλοις ὁμαλοὶ κακὰ παίγνια, πάντες ἐρινοί.

1) Cf. H. Sjögren, Glotta, 1919, p. 29: „Dass in der klassischen Poesie (sc. Romanorum) die Apposition gelegentlich zwischen zusammengehörigen Wörtern eingeschoben wird, ist bekannt, vgl. z. B. Verg. Aen. VI, 842: Quis Gracchi genus aut geminos, duo fulmina belli, Scipiadas ... Diese Künstlichkeit scheint in der neoterischen Poesie aufgekommen zu sein (S. Friedrich zu Cat. XIV, 18, Norden zu Verg. Aen.[3] VIII, 7 ff.)".

2) Cf. Varro, de re rustica, II, 11, 19; Plin. Nat. Hist. VIII, 190; Blümner, Technologie, I[2], p. 102.

3) Cf. vox ψακοτίλτης, *tonsor ovium.* 4) Philol. 1905, p. 274.

Digitized by Google

Callide Ptolemaeum laudat poëta, quod securitatem viarum in urbe restituit, sed incautius idem in Aegyptios invehitur; nam magni regis intererat concordiam inter Graecos et Aegyptios in Alexandrea conciliare. Sunt et alia quaedam, quae Theocritus in laudibus Ptolemaei parum dextere administrat. Dico locos numero tres, quibus ea, quae vulgo regi vel uxori eius crimini dabantur, in decus et ornamentum convertere nititur. Primum enim rex εἰς ἔρωτας ἐκκεχυμένος apud eum vocatur:

Φιλόμουσος, ἐρωτικός, εἰς ἄκρον ἁδύς,

festive quidem et facete, sed tamen minus apte: cachinnaverint enim omnes, qui hoc legebant.

Deinde XV, 110 scribere ausus est:

ἁ Βερενικείᾱ θυγάτηρ Ἑλένᾳ εἰκυῖα
Ἀρσινόα . .,

lepidissime quidem, sed non sine aliqua scurrilitate, nam sentiebat unusquisque non solum propter eximiam pulchritudinem reginam cum Helena comparari posse sed etiam quia trium regum uxor fuit et post varios eventus in patriam revertit ibique regnavit.

Postremo XVII, vs. 130—134 matrimonium Ptolemaei et sororis suae uterinae Arsinoes laudibus extulit ita, ut exemplum Iovis et Iunonis adhiberet:

di nempe suas habuere sorores.

Fallor, an opera Syracosii poëtae regi acceptior fuisset, si, in mimis praesertim, haec silentio praeteriisset?

Vs. 102 sqq.:

οἷόν τοι τὸν Ἄδωνιν ἀπ' ἀενάω Ἀχέροντος
μηνὶ δυωδεκάτῳ μαλακαὶ πόδας ἄγαγον Ὧραι,
βάρδισται μακάρων Ὧραι φίλαι . .

Apud Ovidium [1]) Horae veloces vocantur, apud Quintum Smyrnaeum [2]) θοαί, apud Nonnum [3]) εὔποδες, hic vero contra exspectationem mollipedes et tardissimae. Sed animadvertas quaeso haec non esse epitheta ornantia. Queritur poëta Adonin

1) Ov. Metam. II, 118.
2) Quint. Smyrn. IV, 135.
3) Nonn. Dion. XXVIII, 330; XXXVIII, 131, 331. Cf. V, 602 (καρφαλέη) XII, 54 (ἀελλόπος).

Digitized by Google

diu afuisse et nunc demum ab Horis, minime velocibus, ut vulgo perhibentur, sed iusto segnioribus, ad superos reductum esse. Hoc eum voluisse neque antiqui neque hodierni commentatores senserunt [1]).

Vs. 136—144. In dialogum Gorgonis et Praxinoae insertus est hymnus in Adonin, quo apparatus in aedibus regiis lepide et magnifice depingitur (vs. 100 sqq.), in hunc autem rursus carmen, quo mulieres die insequenti Adonin mortuum lugebunt (vs. 136—144). In illo carmine omnia laetitia et venustate splendent et coruscant, in hoc nihil elegantiae, nihil vero etiam animi commotionis inest, sed contra morem Theocriti mera doctrina mythologica refertum est. Decurrit enim in hunc modum: „Tu solus, Adoni, superos et inferos pariter frequentas. Hoc nemini praeter tibi contigit, non Agamemnoni, non Aiaci, non Hectori, non Patroclo, non Neoptolemo, neque vero Lapithis nec Deucalionibus nec Pelopidis nec Pelasgis. Fave, Adoni, et salve". Haec sententia per se non inepta est; nam in oratione funebri cuiusvis mortalis commemorandum esse docent rhetores, ὅτι πέρας ἐστιν ἅπασιν ἀνθρώποις τοῦ βίου ὁ θάνατος καὶ θεῶν παῖδες οὐ διέφυγον [2]). Atque sane exemplis e fabulis petitis utuntur et abutuntur omnes fere poëtae aetatis alexandrinae, et ipse Theocritus III, 40—51 eorum quinque contexuit. Nihilominus hic valde miramur, quod lamentatio mulierum plangentium solis exemplis mythologicis constat iisque immodice cumulatis et ridiculum in modum in breve contractis. Illud quoque singulare est, quod nostra saltem doctrina non sufficit ut diiudicemus, quinam sint Δευκαλίωνες (vs. 141); quod etiam scholiastis aenigma fuit; quod non unum in modum solvere conati sunt. Adde quod etiam in dictione et delectu verborum poëta hic sui dissimilis est. V. vs. 140:

Πύρρος ἀπὸ Τροίας ἐπανελθών,

ubi epitheton ornans exspectabatur, et vs. 141:

οἱ ἔτι πρότεροι Λαπίθαι,

non: *veteres Lapithae*, sed: *qui vel his vetustiores sunt*, quod

1) Cf. e. g. Robert, Griech. Myth. I, p. 478: „.. (die Horen) leichthinschwebende Gestalten (μαλακαὶ πόδας, veloces)".

2) Menander, περὶ παραμυθητικοῦ (Spengel, rhet. graec. III, p. 414).

Digitized by Google

minime poëtice, sed ad prosam orationem accommodate dictum est.

Quid ergo? Poetamne in fine carminis tersissimi Musa sua deseruit? Hoc verum esse persuadere mihi nequeo. Alia mihi subnata est rei coniectura, quam reticere nolo. Qui Alexandreae ea aetate regi hymnos pangebat, Callimachus erat. Illum igitur Theocritus cum in mimum suum hymnum in Adonin intexeret, aemulatus est et quasi ad certamen provocavit. Laborabat autem Callimachi poësis nimia eruditione et obscuritate. Suspicor igitur Theocritum ostendere voluisse, quomodo hymnus conscribendus sit, qui audientes non fatiget, sed delectet, simulque brevem, sed mordacem *παρῳδίαν* subiunxisse, qua Callimachum exagitaret et, si fieri posset, de statu suo deiceret. Hoc eo magis audere potuit, quod Ptolemaeus tunc cum hoc carmen recitatum esse videtur, cum rege Cyrenarum, Callimachi patriae, bellum gerebat (a. 274—272). Mox vero ipse spe deiectus Alexandream reliquit. Coniecturas has esse fateor, quas nescio quanti tu, candide lector, aestimaturus sis. Spero eas a te non statim sepositum iri, si animadverteris poëtam rem ita administrasse, ut mulierculae Syracusanae priorem hymnum laudent:

99 *φθεγξεῖται τι, σάφ' οἶδα, καλόν,*

alterum improbent (vs. 145 sq.):

Πραξινόα, τὸ χρῆμα σοφώτερον. ἃ θήλεια
ὀλβία ὅσσα ἴσατι . . [1])

Haec habebam, quae carmina Theocriti relegenti mihi in mentem venerant. E quibus si quae iam ab aliis dicta sunt, veniam peto: non enim omnia, quae de Theocrito scripta sunt, inspicere potui.

---

1) Cf. versus 64: *πάντα γυναῖκες ἴσαντι, καὶ ὡς Ζεὺς ἀγάγεθ' Ἥραν*, quem mulier iactat in anum, quae proverbium ex historia belli Troiani petitum usurpaverat.

Digitized by Google

OBITER TACTA.

SCRIPSIT

H. WAGENVOORT H.F.

I. Ad Plinii Epistulas I. 4; VII. 20.

Quartam primi libri epistulam Plinius dedit ad Pompeiam Celerinam socrum, postquam in Umbriam excurrit ibique aliquot eius villas adiit Ocriculi Narniae Carsulis Perusiae sitas. Mirum quanta comitate quantoque obsequio tota socrus familia eum prosecuta est! Ergo ipsa quoque ad se veniat aliquando, licet sperare vix audeat, fore ut eadem observantia, eadem voluntate officiosa a suis servis excipiatur. Itaque quid his codicillis Plinius voluerit, satis pellucidum est; attamen vereor ut interpretatio ab initio usque ad finem leviter et sine scrupulis procedat. Prima enim epistulae pars haec est: '*Quantum copiarum in Ocriculano, in Narniensi, in Carsulano, in Perusino tuo, in Narniensi vero etiam balineum! Ex epistulis meis (nam iam tuis opus non est) una illa brevis et vetus sufficit. Non mehercule tam mea sunt, quae mea sunt, quam quae tua, hoc tamen differunt, quod sollicitius et intentius tui me quam mei excipiunt*'. Altera sententia quid significet, me quidem prorsus latere fateor. Et iam Gierigius in editione, quae anno millesimo octingentesimo in lucem prodiit, haec adnotavit: 'valde miror nullum interpretem in his verbis haesisse; misere enim depravata sunt'. Idem vir doctus locum sanare conatus est et legendum proposuit: 'quam me copiae tuae in Ocriculano, in Narniensi, in Carsulano, in Perusino tuo delectent, in Narniensi vero etiam balineum, ex epistolis meis intellexisti, quamquam pluribus opus non est, sed una illa brevis et vetus

Digitized by Google

sufficit'. Qui quam audacter cultrum tractaverit neminem fugiet; simplicissima autem eademque efficacissima medela Plinii verba restitui posse videntur. Modo legamus: '*Exceptis epistulis meis (nam iam tuis opus non est: una illa brevis et vetus sufficit) non mehercule tam mea sunt, quae mea sunt, quam quae tua. Hoc tamen differunt....*' e. q. s. Duplicem ergo iocum haec verba continent. Id Plinius dicere voluit: ea, quae Pompeia possideat, aequo iure, immo iustius sua dici posse quam ea, quorum dominium habeat ex iure Quiritium. 'Solae', inquit, 'epistulae excipiendae sunt: iis proprie vereque glorior tamquam meis, neque quicquam ex iis alii debeo'. Deinde per iocum haec addit: 'ex quo multis abhinc annis unam illam epistulam brevem abs te accepi, nil mihi iam opus est pluribus' — eam scilicet epistulam, qua filiam suam in matrimonium petentem Pompeia generum adscivit iuvenem.

Notatu dignum videtur, vitii originem facile posse indagari; ortum est enim per haplographiam. Cum enim nomen *epistula* haud raro abbreviaretur *epla*, scriba nescio quis in codice aliquo invenerit: *exceptis eplis meis*, et notam illam *l* cum *t* littera confundens alteram vocem cum praepositione in textum recipere satis habuerit.

* * *

Magni momenti esse mihi videtur libri septimi epistula vicesima. Quam sententiam ut stabiliam, pauca velim in medium proferre.

Iamdudum plerique viri docti Langii sententiae adstipulati sunt, qui animadvertit, ea quae legimus in Plinii libri noni epistula decima: 'itaque poëmata quiescunt, quae tu inter nemora et lucos commodissime perfici putas', ad Taciti Dialogum esse referenda. Itaque Schanzius quoque arbitratur, Dialogum scriptum esse inter annos utique nonagesimum octavum et centesimum octavum. Etsi enim non plane constat, quo tempore Plinii epistulae compositae sint, neque postea defuerunt, qui a Mommseni opinione aliquantum discederent, tamen de libris posterioribus omnes fere consentiunt. Mommsenus librum septimum anno centesimo septimo, librum octavum et nonum anno centesimo octavo vel centesimo nono scriptos esse

Digitized by Google

putat; Asbachius contra et Peterus, qui alteram triada fine anni centesimi octavi in lucem editam esse censent, ultimos tres libros pro spicilegio habendos et praecedentibus annis attribuendos esse opinantur. Quibus interpretibus si assentiamur, tamen concedendum sit, Plinii epistulas cum decimam libri noni tum vicesimam libri septimi, de qua disputaturus sum, ante annum centesimum octavum scriptas non esse, quippe cum etiam atque etiam auctor ipse Taciti usu atque familiaritate tantopere glorietur, ut intellegi non possit, quare has quoque epistulas in alteram triada recipere praetermisisset, si iam tum, ante annum scilicet centesimum octavum, ad Tacitum datae essent.

Quod si revera in libri noni epistula decima Taciti Dialogus spectatur, simul negari non poterit, neque opusculum illud ante annum centesimum octavum scriptum esse non posse, neque necesse esse ut ipso eo anno vel brevi ante compositum sit. Nam cum Plinius haec dicit: 'itaque poëmata quiescunt, quae tu inter nemora et lucos commodissime perfici putas', praesenti tempore usus satis luculenter indicat, ad recentia Taciti verba haec pertinere neque ad ea, quae decem e. g. vel quinque annis ante publici iuris facta sint.

Iam venio ad epistulam libri septimi vicesimam. Ibi Plinius: 'librum tuum' inquit 'legi et, quam diligentissime potui, adnotavi, quae commutanda, quae eximenda arbitrarer'. Sequitur praeconium eius amicitiae, quae mutuo iudicii officio tam praeclaros fructus ferat ad utriusque studia adiuvanda; sed hanc partem tractare a proposito meo alienum est. Qui autem Taciti liber esse potuit, quem Plinius anno fere centesimo octavo ab illustri amico accepit inspiciendum et emendandum? De Agricola deque Germania sermo hic esse non potest, nam procul dubio antea scripti sunt, nec magis de Annalibus, qui postea demum secuti sunt. Plerique commentatores de Historiis cogitaverunt, quibuscum Schanzius quoque facit. Quos errare equidem arbitror, idque compluribus nisus argumentis. Sane non ignoro, Plinii quoque studium Historias excitasse, quod plus unis ex litteris facile perspicitur. Eaedem autem epistulae aliud quid nos docent: aperte enim identidem auctor confitetur, in rebus historicis se parum idoneum esse existimatorem. Ita in

Digitized by Google

fine epistulae illius decimae sextae libri sexti, qua Tacitum de Vesuvii eruptione certiorem facit, haec addit: 'tu potissima excerpes; aliud est enim epistulam, aliud historiam, aliud amico, aliud omnibus scribere'. Mox etiam in fine eiusdem libri epistulae vicesimae: 'haec nequaquam historia digna non scripturus leges et tibi, scilicet qui requisisti, imputabis, si digna ne epistula quidem videbuntur'. Itane igitur veri est simile, Tacitum quempiam ex Historiarum libris ad amicum suum misisse atque hunc tantum sibi sumpsisse, ut potestatem suam misere excederet et superbis his verbis uteretur: 'librum tuum legi et, quam diligentissime potui, adnotavi, quae commutanda, quae eximenda arbitrarer'?

Prorsus aliter res se habet si putamus, de Dialogo hoc loco agi; ubi enim de causis corruptae eloquentiae sermo est, iure quodam suo Plinio, si cui et alio, sententiam dicere licet. Quin et de ipsa hac re longam quondam ad Tacitum dedit epistulam (libri primi vicesimam). Accedit quod ex epistulis novimus (vide e. g. eiusdem libri undecimam), eundem Fabium Iustum, quo auctore Tacitus Dialogum composuit, Plinii fuisse familiarem. Alterum argumentum viro docto Kukula debeo, quem idem hac de re censuisse video, licet paucis tantum verbis eam attigerit. Verba eius haec sunt: 'Welches Werk Tacitus seinem Freunde zur Begutachtung eingesandt habe, läszt sich nicht ermitteln; der Umstand aber, dasz der wortreiche Plinius dem prägnantesten und gedankenschwersten Schriftsteller der Römer „Streichungen" (eximenda) vorzuschlagen wagte, scheint wohl am ehesten auf den Dialogus de Oratoribus hinzuweisen, zumal gerade das Thema des Dialogs, die „Ursachen des Verfalles der Redekunst", zu den Lieblingsthemen des Plinius gehörte".

Quid ergo? Temerarium adhuc videatur opiniones illas de epistulis IX. 10 et VII. 20 mutui adminiculi causa inter se coniungere atque hoc inde efficere: ipso anno centesimo octavo vel paulo ante Tacitus Dialogum scripsit et Plinio suo misit inspiciendum perpoliendumque; qui opusculum ad eum referendum curavit cum ea de qua egimus epistula, nec multo post ab ipso Tacito repetit auctoritatem in postera ad eum data epistula, ipsius verbis usus e libello nuper in lucem

Digitized by Google

edito? Eorum exspecto sententiam penes quos harum rerum iustum est arbitrium.

II. Ad Senecae Phaedram.

Vs. 61.

Inde a versu 54 Hippolytus Dianam precatur, ut sibi adsit venanti, eiusque potestatem ardentibus celebrat verbis. Quorum textum codices nobis hunc praebent:

ades en comiti, diva virago,
55 cuius regno
55b pars terrarum secreta vacat,
cuius certis petitur telis
fera quae gelidum
potat Araxen
et quae stanti ludit in Histro.
60 tua Gaetulos dextra leones,
60b tua Cretaeas sequitur cervas;
nunc veloces figis dammas
leviore manu.

In versu illo 61 nunquam non haereo. Non solum enim haec quaestio protinus oritur, quinam Hippolytus scire potuerit, deam venatricem tunc temporis dammarum persecutioni fuisse intentam, sed etiam verba sequentia q. s. *leviore manu* cui rei opposita sint frustra quaeras. Etenim quod ad primam quaestionem attinet, non nescio adverbium *nunc* ita adhiberi interdum, ut alterum *nunc* supplendum sit, utque tacite iteratum eundem sensum praebeat atque *modo — modo*. Atqui planius hic usus indicari solet, velut in Vergiliano illo (V 830 sq.) 'pariterque sinistros, | nunc dextros solvere sinus'; porro autem anaphora, quae in praecedentibus duobus versibus exstat, arte hos versus coniungit et vetare videtur, ne hoc modo difficultatem tollamus. Quodque ad alteram pertinet quaestionem, verba q. s. *leviore manu* magis perspicua forent, si continuo antecederet versus sexagesimus, ita ut leonum dammarumque venationes inter se oppositae essent; numquid inter tela quibus cervae quibusque dammae petebantur multum interfuerit valde dubito.

Digitized by Google

Ne longus sim, unum versum intercidisse credo ante vs. 61, atque eum quidem fere huiusmodi:

'*nunc truces iacularis lupos*,
nunc veloces figis dammas
leviore manu'.

Notatu dignum est, prorsus eodem modo luporum una cum dammis a Seneca fieri solere mentionem, velut vs. 572 'et ora *dammis* blanda praebebunt *lupi*'; H. O. 'nec *dammae* trepidant *lupos*'; praeterea lupi una cum cervis leonibusque inveniuntur e. g. Oed. 149 sq.: 'non *lupos cervi* metuunt rapaces, | cessat irati fremitus *leonis*'.

* * *

Vs. 262—266.

Nutr. sic te senectus nostra praecipiti sinat
perire leto? siste furibundum impetum.
[haud quisquam ad vitam facile revocari potest]
265 *Ph.* prohibere nulla ratio periturum potest,
ubi qui mori constituit et debet mori.

Versus 264, uncinis supra inclusus, ab editoribus expungi solet, neque sane quicquam frigidius excogitari potest in ore nutricis. Accedit, quod idem versus in codice Gothano legitur ante vs. 262, in aliis deterioribus prorsus omittitur. Nihilo secius servandus esse mihi videtur et omnia bene facileque procedere videbis, modo versuum 265 et 266 ordinem mutes, Phaedram iam inde a versu 264 loquentem fingas et participio q. e. *periturum* formam femininam reddas. Quo facto verborum contextus hic evadit:

Nutr. sic te senectus nostra praecipiti sinat
perire leto? siste furibundum impetum.
Ph. haud quisquam ad vitam facile revocari potest,
266 ubi qui mori constituit et debet mori.
265 prohibere nulla ratio perituram potest:
267 proin castitatis vindicem armemus manum.

Quod versus 264 et 265 in idem verbum exeunt, in ea re non esse offendendum, vix necesse erit ut animadvertam; conferantur e. g. vs. 407 et 409, 837 et 839 et prae ceteris vs. 414 sqq. (414 *ferum*, 415 *ferat*, 416 *ferox*, 418 *ferant*, 422 *ferat*).

* * *

Digitized by Google

Vs. 377, 378.

populatur artus cura, iam gressus tremunt
tenerque nitidi corporis cecidit decor.

Perperam me quidem iudice Leo hos versus interpolatos esse putavit. Negare nequeo, haud multum novi his versibus addi ceteris, neque ego non offendo in verbis illis 'iam gressus tremunt', quibus ea quae proxime fere praecedunt (374) repetuntur: 'vadit incerto pede'. Primo autem versibus in dubium vocatis color non deest vere Annaeanus. Deinde totum hoc nutricis canticum diligenter perpendentibus mox nobis apparebit, plura eiusdem generis vitia huic parti inhaerere; quin etiam Senecae describendi ratio vix minus vaga est minusque sibi constat quam Phaedrae qui describitur animus vultusque. Pauca exempla sufficiant. Non solum versu 374 sed etiam vs. 367 idem fere enuntiatur quod versu 377 legimus; illic enim haec poëta scripsit: 'ut soluto labitur moriens gradu'. Porro idem oculi, quibus vs. 364 'erumpit ignis', vs. 380 'nihil gentile nec patrium micare' dicuntur. Genae, quas lassas lucem recusare vs. 364 sq. audivimus, vs. 381 iterum occurrunt ubi 'assiduo rore irrigari' dicuntur. Ne plura: omnes eiusdem fere coloris flosculos poëta sedulo collegit, quae utrum serta Musis digna praeberent necne non tempus eum defecit ut examinaret sed animus. Ipse Leo de tragoediae rhetoricae natura atque indole fuse docteque disputavit (vol. I p. 148 sqq.); postea idem haec addidit ('Der Monolog im Drama', Abhandl. d. Kön. Ges. d. Wiss. zu Göttingen, Phil. Hist. Kl. N. F. X n°. 5, 1908, p. 118): 'Auch der Grad der Unbekümmertheit um das Dramatische, der ihn dazu führt, beständig die Anwesenden zu ignoriren und gleichsam die Bedingungen des dramatischen Dialogs zu negiren, ja die mit allen Mitteln des Pathos vorgebrachte Rede des Einen gelegentlich vom Andern als eine stumme Betrachtung bezeichnen zu lassen, diese Verkennung der Lebensbedingungen der Kunst, die er auszuüben meint, ist nur dadurch zu erklären, *dasz die Technik einer anderen Kunst seinen Sinn gefangen hält*'. Quae si non solum ad summam, sed etiam ad partes pertinere secum reputasset, si perspexisset, etiam in singulis morum descriptionibus Senecam id

Digitized by Google

tantum egisse, ut sonarent ὡς παθητικώτατα, valde dubito num versus, de quibus hic sermo, spurios habuisset.

* * *

Vs. 558.

555 a fratre frater, dextera gnati parens
cecidit, maritus coniugis ferro iacet
perimuntque fetus impiae matres suos;
taceo novercas. mitius nil est feris.
Sed dux malorum femina, e. q. s.

Versum 558 Leo ita corrigendum putavit: '*taceo novercam: mitior nil est feris*', collatis Eur. Alc. vs. 309 sq.: ἐχθρὰ γὰρ ἡ 'πιοῦσα μητρυιὰ τέκνοις, | τοῖσ πρόσθ', ἐχίδνησ οὐδὲν ἡπιωτέρα. Deinde Richterus totum versum tollendum censuit, Hippolytum hoc loco novercae minime inimicum esse ratus. Frustra uterque, si me audis. Idem poëta, quem ducentis versibus ante nullus scrupulus retinuerit, quominus Amoris omnipotentis celebrationem finiret per haec verba: 'quid plura canam? vincit saevas cura novercas', quid sit quod dubitem, quin hic quoque novercarum praepostere fecerit mentionem, equidem non video. Modo sumamus — id sane iure Richterus animadvertit — de toto genere hic agi, non, ut voluit Leo, de ipsius Hippolyti noverca. Altera autem est res, quae necesse est nos prohibeat, ne cum Richtero faciamus. Quid tandem, quaeso, postquam versibus continuo praecedentibus haec dixit: 'maritus coniugis ferro iacet | perimuntque fetus impiae matres suos', poëta significare voluit verbis subsequentibus: '*sed* dux malorum femina'? Quippe alterum alteri minime contrarium est. Procul dubio mea sententia vs. 558 integer servandus est, quo facto *sed* illud hoc sibi vult: 'taceo novercas; sed (ne longus sim, hisce omnia complector:) dux malorum femina'.

* * *

Vs. 1015 sq., 1025—1030.

1025 haec dum stupentes quaerimus, totum en mare
immugit, omnes undique scopuli adstrepunt;
summum cacumen rorat expulso sale,
spumat vomitque vicibus alternis aquas
qualis per alta vehitur Oceani freta
1030 fluctum refundens ore physeter capax.

Digitized by Google

Interpretes plerique in his versibus haeserunt, neque immerito. Ne omnes sententias in medium iam prolatas enumerem, brevi dicam quid mihi videatur. Omnes quod sciam viri docti vs. 1027 *cacumen* intellegunt *monstri verticem*, scilicet ne sequens verbum q. e. *spumat* subiecto careat. Tamen errare mihi videntur, non solum propter vocis illius usum minus solitum, sed imprimis quoniam de monstri vertice vix iam sermo esse poterat, cum de ipso monstro poëta nondum locutus esset nisi his verbis (1019): 'nescio quid onerato sinu | gravis unda portat'; — nam mihi quidem persuasum est, v. cl. Leo verum vidisse, cum vs. 1016 'tumidumque monstro pelagus in terras ruit' a loco illo alienum esse censeret (Sen. trag. I 207). Itaque me quidem iudice Seneca *scopulorum* voluit esse *summum cacumen*, ita ut cum versibus illis 'omnes undique scopuli adstrepunt; | summum cacumen rorat expulso sale' apte conferas vs. 1013 sq. 'saxa cum fluctu tremunt | et cana summum spuma Leucaten ferit'. Iam videamus, quid factum sit. In dubium vocari vix potest, quin ante vs. 1028 exciderit aliquid, qua re accidit, ut frustra verbi q. e. *spumat* subiectum quaeramus. Quidni, quaeso, versus illos 1015 sq. huc transferamus, qui illic ferri nequeunt, hic autem id ipsum suppeditant quo nobis est opus? Quin etiam probabilis vitii origo indicari potest. Supra enim iam monuimus, versus 1013 sq. quod ad sententiam attinet haud ita multum discrepare a vs. 1026 sq. Proinde non ita est mirum, si post versum 1014 scribae alicuius oculi ad ea aberraverunt, quae post vs. 1027 leguntur.

Textum igitur hunc in modum restituendum esse arbitror:

haec dum stupentes quaerimus, totum en mare
immugit; omnes undique scopuli adstrepunt,
summum cacumen rorat expulso sale.
consurgit ingens pontus in vastum aggerem,
tumidumque monstro pelagus in terras ruit:
spumat, vomitque vicibus alternis aquas,
qualis per alta vehitur Oceani freta
fluctum refundens ore physeter capax.

Digitized by Google

III. Ad Ovidium ex Ponto 4. 16. 33.

Ovidii illa poëtarum enumeratio, quae multa nobis eorum servavit nomina, quibus non contigerit ut cum Horatio profiterentur 'exegi monumentum aere perennius', unum versum nobis praebet corruptum, quem ut emendarent interpretes frustra adhuc operam dederunt. Inde a versu 27 enim haec legimus:

et qui Maeoniam Phaeacida vertit, et une
Pindaricae fidicen, tu quoque, Rufe, lyrae;
Musaque Turrani tragicis innixa cothurnis,
et tua cum socco Musa, Melisse, levi;
cum Varius Graccusque darent fera dicta tyrannis,
Callimachi Proculus molle teneret iter;
† Tityron antiquas passerque rediret ad herbas
aptaque venanti Grattius arma daret.

Omnes fere huius loci commentatores — uno excepto, de quo vide infra — versus 33 et 34 arte inter se coniungendos esse suspicati sunt, ita ut unum eundemque poëtam spectarent, unde efficeretur, Grattium non solum Cynegetica sed etiam Bucolica composuisse. Vereor ut iure id statuerint, idque duobus praesertim argumentis nisus. Primo quidem apparet, in hac parte Ovidium id egisse, ut singulis versibus singulos nobis poëtas ante oculos poneret; secundo autem loco non nisi lacerato textu tradito viris doctis contigit, ut codicum verba ad suam sententiam accommodarent. Quorum Madvig legere vult: 'Tityron antiquas rursus rèvocaret ad herbas'; Bergk etiam audacius: 'Tityrus apricans, ut erat, qui pasceret, herbas'. Denique Crämer proposuit: 'Tityrus antiquas pastorque rediret ad herbas', quam quaestionis enodationem multis iam ante eum in mentem venisse sed simul reiectam esse veri simile est, primo quod *Tityrus pastorque* ita inter se copulati iure admirationem movebant, deinde quoniam hac ratione, sicut etiam in Bergkii emendatione, hic versus et qui sequitur inter se non conexi sunt. Madvigio igitur adstipularer, nisi difficile esset intellegere, quomodo textus tantopere mutilari potuerit. Nunc autem eo facilius adducar ut credam, hunc versum non ad Grattii aliquod poëma pertinere, sed hic quoque Ovidium

Digitized by Google

alium vatem tetigisse. Idem A. Riese censuisse videtur, qui legere iussit: 'Tityrus antiquas Passerque rediret ad herbas', quocum libenter facerem, nisi nominum ista copulatio *Tityrus Passerque* scrupulum mihi inicerent.

Hoc certe, si quid video, statuendum erit: si quem revera poëtam hoc versu Ovidius nominavit, in voce q. e. *passerque* nomen eius lateat necesse est, nam *Tityrus* et *herbas antiquas* invicem se sustinent. Quodsi *passerque* illud nomen proprium celat, non nisi vocativo casu adhiberi potuit. Iam vide quam praeclare vocativus in hunc locum quadret, etenim vs. 28 habemus *Rufe*, vs. 30 *Melisse*; nonne hoc quoque versu vocativum iam paene exspectamus? Etiam Schanzius, postquam constituit, in tota enumeratione duas partes discernendas esse, alteram maiorem, quae poëtas epicos complectatur, minorem alteram, qua ceteri componantur, haec addit: 'Allein die beiden Teile sind wiederum so ineinander verschlungen, dass bereits im ersten die Aufzählung der zweiten Dichterklasse beginnt, jedoch in der Weise, *dass durch den Gebrauch der Anrede die neue Dichterreihe markiert wird*'.

Quibus rebus adductus ita textum restituendum esse puto:

Tityrus antiquas, Passenne, rediret ad herbas.

Gens Passenna sive Passiena, ex Umbria oriunda, multos viros insignes protulit; hic autem de solo L. Passieno Rufo, noti illius oratoris filio, cogitari posse videtur. Quippe Ovidii aequalis erat, consul a. 4 a. C. n. et pro consule in Asia a. 2 p. C. n.; Hieronymus anno 38 eum mortuum esse nobis tradidit. Multa quidem de hoc Passieno non novimus, et coniectura contenti esse debemus; attamen fulciri videtur iis quae Velleius Paterculus commemorat. Scribit enim (II 116): 'celebri etiam opera diligentique Vibius Postumus, vir consularis, praepositus Dalmatiae, ornamenta meruit triumphalia: quem honorem ante paucos annos Passienus et Cossus, viri quibusdam diversis virtutibus celebres, in Africa meruerant'. Ubi de L. Passieno Rufo sermonem esse omnes consentiunt. Iam quae fuerint istae *diversae quaedam virtutes*, quibus Passienus et Cossus insignes erant? Quod ad Cossum Cornelium Lentulum Gaetulicum attinet, Tacitus auctor est eum historicum fuisse et Plinius narrat,

Digitized by Google

eum epigrammata composuisse (Epist. V. 3). Nonne igitur fieri potest ut L. Passienus Rufus litteris quidem operam dederit, non autem historiae neque epigrammatum poësi, utque eundem hunc Passienum Ovidius dignum iudicaverit, quem cum ceteris ab oblivione vindicaret?

Ad Euripidis Ionis vs. 580.

En versum quem neque tangere audeo neque omittere possum. Xuthus Athenarum rex Ionem, quem suum esse filium ex oraculi responso effecit, domum reducens partem se ei daturum et regni et divitiarum suarum promittit, eiusque consilii hanc affert rationem:

οὐδὲ θάτερον νοσῶν
580 δυοῖν κεκλήσει δυσγενὴς πένης θ' ἅμα
ἀλλ' εὐγενής τε καὶ πολυκτήμων βίου.

Haud dubie hoc vult: „utrumque te esse volo, ét nobilem ét divitem, non alterutrum, aut nobilem (sed pauperem) aut divitem (sed ignobilem). Manifestum est ergo vs. 580 sententiam flagitare εὐγενής pro δυσγενής, quod tamen metrum respuit. Quo modo nos hinc extricemus? Videant acutiores.

I. I. H.

Digitized by Google

DE RESCRIPTO IMP. SEVERI ET CARACALLAE NUPER REPERTO.

SCRIPSIT

A. G. ROOS.

In effossionibus his annis sumptu Instituti Archaeologici Austriaci factis in agro Aeliae Solvae, coloniae Romanae in provincia Norico *(Steiermark)* prope hodiernum Leibnitz sitae, lapis a sinistra parte mutilus inventus est, inscriptionem continens non parvi pretii, quam investigavit, supplevit, docta commentatione instructam edidit Otto Cuntz, *Jahreshefte des österreichischen archäologischen Instituts*, Vol. XVIII, p. 98 sqq. Constat haec inscriptio e tribus partibus:

1. Primo loco positum est rescriptum Imperatorum L. Septimii Severi et M. Aurelii Antonini Augustorum de beneficiis collegiorum centonariorum [1]). Nomen ejus, ad quem hoc rescriptum datum erat, periit, sed recte profecto Cuntz p. 100 suspicatus est, datum id esse ad praesidem provinciae, qui de his rebus relationem ad imperatorem fecerit.

2. Sequuntur nomina circiter centum per septem columnas disposita, album sc. collegii centonariorum Solvensium.

3. In fine ascriptum est quis quo tempore inscriptionem

1) Collegia centonariorum in multis imperii Romani urbibus instituta erant ad incendia arcenda (*vrijwillige brandweer*). Veri simile est, primitus in his collegiis eos tantum fuisse qui centones fabricarent, sed centonariorum collegiorum numerus tam magnus est, ut centonarii soli iis sufficere potuisse non videantur et etiam alios eorum collegiis adlectos fuisse necesse sit. De centonariis eorumque collegiis cf. Hirschfeld, *Kleine Schriften* p. 101 sqq.; Waltzing, *Étude historique sur les corporations professionnelles chez les Romains*, Vol. II p. 205 sqq.; Kornemann apud Pauly-Wissowa, *Realencyclopädie*, Vol. IX p. 395; Cuntz p. 110.

Digitized by Google

posuerit. Etiam hujus viri nomen periit, sed fuit sine dubio aliquis e numero collegii, cf. Cuntz p. 105.

Dabo nunc inscriptionis partem primam et tertiam cum supplementis Cuntzii [1]):

1 [*Imp(erator) Caes(ar) L. Sept(imius) Severus*] *Pert(inax)* [*P(ius) Aug(ustus) et I*]*mp(erator) Caes(ar) M. Aur(elius) Antoninus Pius Aug(ustus)*
2 [*.... illi .... s(alutem)*]: *Beneficia, quae amplissimo ordine vel aliquo princi-*
3 [*pe jubente collegi(i)s c*]*entonar(iorum) concessa sunt, temere convelli non oportet.*
4 [*Aut quod sapientia eoru*]*m sanxum* [2]) *est custodiatur et ii, quos dicis diviti(i)s suis sine onere*
5 [*uti, publica subire m*]*unera compellantur, neque enim collegiorum privilegium pro-*
6 [*miscue omnes allecti*] *exercent; aut iis, qui majores facultates praefato* [3]) *modo possident, ad ver-*
7 [*ba tua etiam honor*]*is ad(h)ibendum est remedium, non propter hos minue(n)dus numerus; alioquin*
8 [*tenuiores perfr*]*uantur vacatione, quae non competit beneficiis coll(egiorum) derogari.*

(sequuntur nomina corporatorum)

1 [.....]*us in honor(em) M. Secundi Secundini patris* [4]) *tabulam*
2 [*posuit d(ecreto) co*]*ll(egi) centonarior(um) d(ecreto) d(ecurio-*

---

1) Uncis quadratis ea inclusi quae in ea parte lapidis quae periit exarata fuisse Cuntz conjecit; uncis rotundis ea saepsi, quae in lapide non perscripta sunt vel in ejus parte amissa non perscripta fuisse putanda sunt. Supplementa lineae primae dubio vix obnoxia sunt, et computare igitur potuit Cuntz, quot fere in cujusque lineae initio litterae perierint, sed cum lapicida singulas litteras modo majoribus modo minoribus spatiis separaverit et etiam ligaturas adhibuerit, numerus litterarum in singulis lineis perditarum paulo major vel minor fuisse potest quam ille aestimavit, cf. Cuntz p. 101: *Die Ziffern geben aber nur einen ungefähren Anhalt, zumal der Steinmetz die Buchstaben bald etwas mehr zusammendrängt, bald weiter stellt. Auch das Vorkommen von Ligaturen ist zu bedenken.*

2) l. *sanctum.*

3) *praefito* lapis errore lapicidae, *praefato* Cuntz, *praefi(ni)to* Steinwenter, *Wiener Stud.* 40 p. 46.

4) Patrem collegii recte intellexit Cuntz p. 105; de patribus et matribus collegiorum cf. Waltzing l. l., Vol. I p. 446 sqq.; Kornemann l. l., p. 425.

Digitized by Google

num) *r*(*eipublicae*) *Sol*(*vensium*), *pr*(*idie*) *id*(*us*) *Oct*(*obris*) *Imp*(*eratore*) *An*[*t*]*onino II* [*G*]*et*[*a*] [1]) *co*(*n*)*s*(*ulibus*)
3 [*curam agent*]*e Ursino* [.....

Lapis igitur positus est die 14 m. Octobris a 205, neque multo ante imperatores Severum et Caracallam hoc rescriptum dedisse consentaneum est. Duas res eo cavere voluerunt, nempe ne numerus collegii minueretur, cf. vs. 7 — nimirum utilitatis publicae erat numerum eorum, qui incendia restinguerent, sufficere — neve ii collegiati, qui per divitias suas munera publica subire deberent, ea evitarent. Recte enim Cuntz p. 102 monuit, iis collegiis, quae idcirco instituta essent ut publicis utilitatibus inservirent, vacationem munerum esse tributam, exceptis dumtaxat collegiatis ditioribus [2]). Suspicari possumus, Solvae in colonia satis parva, ubi numerus civium locupletium non ita magnus fuisse putandus est, fuisse inter divites qui centonariorum, tenuiorum ceteroquin hominum, collegio irrepserint ut munera sua defugerent. Quam rem pessimi exempli quo modo curaret cum praeses provinciae imperatores rogasset, rescripserunt non quidem beneficia collegiis centonariorum concessa convelli oportere, sed [3]) eos, qui divitiis suis sine onere uterentur, publica munera subire compelleret, — neque enim collegiorum privilegium promiscue omnes allectos exercere — aut iis, qui majores facultates possiderent, aliud remedium

---

1) Nomen Getae erasum est, sed litterae *et* etiamnunc dispici possunt, cf. Cuntz p. 99.

2) Cf. locus Callistrati a Cuntzio laudatus, e libro primo de cognitionibus (qui liber scriptus est imperantibus Severo et Caracalla), Dig. L 6, 6 § 12: *Quibusdam collegiis vel corporibus, quibus jus coeundi lege permissum est, immunitas tribuitur, scilicet eis collegiis vel corporibus, in quibus artificii sui causa unusquisque adsumitur, ut fabrorum corpus est et si qua eandem rationem originis habent, id est idcirco instituta sunt, ut necessariam operam publicis utilitatibus exhiberent. nec omnibus promiscue, qui adsumpti sunt in his collegiis, immunitas datur, sed artificibus dumtaxat. nec ab omni aetate allegi possunt, ut divo Pio placuit, qui reprobavit prolixae vel inbecillae admodum aetatis homines. sed ne quidem eos, qui augeant facultates et munera civitatium sustinere possunt, privilegiis, quae tenuioribus per collegia distributis concessa sunt, uti posse plurifariam constitutum est.* Quo loco, de quo cf. Kornemann l. l. p. 446 sq., Cuntz optime usus est ut hoc rescriptum suppleret.

3) Cuntz supplevit linea 4a: [*aut quod sapientia eoru*]*m sanxum est*, sed particulae adversativae *aut*, quam etiam Steinwenter l. l. p. 48 adnot. 2 improbat, hic minime locus videtur esse. Supplendum igitur propono: [*sed quod sapientia eoru*]*m sanxum est.*

Digitized by Google

adhiberet, non imminuto collegii numero. Quodnam remedium adhiberi jusserint, conjectura tantum assequi possumus, cum initium lineae septimae perierit. Cuntz suspicatur, imperatores jussisse, collegiatos divitiores ad capiendos honores municipales adstringi, suppletque igitur: *ad ver[ba tua etiam honor]is adhibendum est remedium*, cum honores etiam, sicut munera, iis, qui eos caperent, magnos sumptus injungerent. Qua in re eum verum non vidisse puto, complures ob causas. Quid enim? Jusserunt imperatores, corporatos locupletes ad munera publica compelli; hujus remedii, ut hac voce utar, ratio ea erat, ut corporati, qui eo afficerentur, sumptus magnos in usum publicum facerent. Non igitur opus erat, huic remedio alterum adjungere, quo idem efficeretur, neque auctor hujus rescripti tale remedium per particulam *aut* (linea 6ta) remedio priori opponere potuisset. Accedit aliud. Centonariorum 93, quorum nomina lapis praebet, cives Romanos vel homines Latinae conditionis fuisse 37, peregrini juris homines 45, de 11 ambigi posse luculenter exposuit Cuntz p. 108 [1]). Quapropter si Cuntz recte supplevisset „*honor]is remedium*", sequeretur ut magno peregrinorum numero aditus datus esset ad honores municipales capessendos, quae revera est sententia Cuntzii. Putat nimirum rescriptum, quo de agimus, quasi viam munire constitutioni illi celeberrimae Antoninianae anni 212, qua συνάπασιν ξένοις τοῖς κατὰ τὴν οἰκουμένην praeter dediticios civitatem Romanam Caracalla donavit. Attamen si re vera rescriptum hoc peregrinis facultatem dedisset honores in colonia, cui attributi essent, adipiscendi, id non tam obiter dictum fuisset neque remedium honoris dici posset quod iis privilegium magni pretii foret. In coloniis enim et municipiis soli cives vel Latini honores municipales capessere et decuriones fieri poterant, sed peregrini juris hominibus id licuisse neque usquam tradi-

1) Nomina centonariorum, quos hujus inscriptionis secunda pars, album sc. collegii, recenset, duobus modis enuntiantur, nempe aut gentilicio cum cognomine conjuncto, e. g. *Atilius Junianus*, aut cognomine conjuncto cum genitivo alterius cognominis, e. g. *Severinus Severi*. Illa civium Romanorum vel Latinae conditionis hominum sunt nomina, haec peregrinorum. Neque libertinos neque servos huic collegio ascriptos fuisse, sed omnes collegiatos fuisse ingenuos, e nominibus apparet, cf. Cuntz l. l.

Digitized by Google

tum est neque ullum argumentum hujus rei Cuntz attulit. [1]).

Eadem fere argumenta, propter quae Cuntzii supplemento astipulari non possum, A. Steinwenter, *Wiener Studien* Vol. 40 p. 46 sqq., contra eum protulit, sed etiam ea lectio, quam Steinwenter ipse proposuit, mihi improbanda videtur. Suspicatur enim sermonem hic esse de cessione bonorum, legendumque esse: *aut iis, qui majores facultates praefi(ni)to modo possident, adver[sum bonorum cession]is adhibendum est remedium.* In qua lectione non solum offendit vox *adversum*, quae bonum sensum non praebet, sed etiam ipsi bonorum cessioni locus esse non videtur. Sane saeculo tertio fuerunt qui bonis cedere cuperent ut munera publica detrectarent, sed cum secundum Steinwenterum Severus et Caracalla praesidem provinciae jussissent iis corporatis, qui majores facultates possiderent, bonorum cessionis remedium adhibere, scimus principum constitutionibus cautum fuisse, ne divitiores, qui honoribus municipalibus vel muneribus obnoxii essent, ea per bonorum cessionem subterfugerent: id ipsum igitur, quod imperatores jussisse Steinwenter putat, ab iis vetabatur [2]). Accedit quod cessio bonorum non poena erat, quam magistratus injungebat, sed beneficium, quod a magistratu petere lege Julia ei concessum erat, qui debita solvere non poterat [3]). Non igitur remedium dici potuit bonorum cessio, neque

---

1) Sane saeculo altero p. C. n. incolae, quo nomine intelliguntur ii qui in alio municipio atque eo, unde habent originem, domicilium habent, in illo honores petere poterant, cf. Mommsen, *Staatsr.* III p. 805, Berger apud Pauly-Wissowa IX, p. 1254, sed tantum si cives Latinive erant, neque centonarii numero 45, qui cognomine cum alterius cognominis genitivo conjuncto indicantur, incolae erant Solvae consistentes, sed homines Norici in castellis Coloniae Solvae attributis habitantes, qui nondum civitatem vel Latium adepti erant. De peregrinis coloniae vel municipio cuidam contributis cf. Mommsen, *Staatsr.* III p. 765 sqq. Carni et Catali, coloniae Tergesti ab Augusto attributi, quibus Pium jus honorum in ea colonia petendorum dedisse decretum Tergestinum (Dessau, *Inscript. Lat. sel.* 6680) nos docet, antea jus Latii acceperant, cf. Cuntz p. 114.

2) Cf. Cod. Justin. VII 71, 5, rescriptum Diocletiani et Maximiani: *propter honorem municipalem vel munus bonis cedentium invidiosam admitti cessionem minime convenit, sed his obnoxios pro modo substantiae fungi.* Quem locum Steinwenter ipse attulit! *Invidiosam* cessionem intelligendam esse eam puto, quam homo locupletior aliquis petivisset.

3) De cessione bonorum cf. Mommsen, *Röm. Gesch.* Vol. V p. 536 sq., Wlassak apud Pauly-Wissowa Vol. III p. 1995 sqq.

Digitized by Google

imperatoris erat magistratui praecipere ut eam adhiberet, sed si quando magistratus corporatum aliquem, quem divitiis suis sine onere uti videbat, secundum priorem hujus rescripti partem (vs. 4 sq.) publica subire munera compellebat, eaque munera illi corporato tam gravia videbantur esse ut omnibus bonis suis cedere quam onera imposita subire mallet, petere a magistratu potuit, ut is bonorum cessionem sibi permitteret [1]). Praecepto igitur, quale Steinwenter hic supplendo fingit, in principis rescripto locus non est.

Alia via nobis ineunda est ut efficiamus quid in lacuna lineae septimae interciderit. Jam dixi imperatores id egisse hoc rescripto ut omnes locupletiores, etiamsi in collegium centonariorum assumpti essent, munera publica subirent, manentibus tamen collegii beneficiis neque numero ejus imminuto. Quod duobus modis effici poterat, nimirum si ditiores collegiati ad munera compellerentur — id quod superiores principes jam constituerant (cf. p. 373, adnot. 2) et priore hujus rescripti parte denuo praecipitur —, aut si e collegio moverentur quidem ditiores, ut privilegiis corporatis tenuioribus concessis diutius abuti non possent, sed eodem tempore in eorum locum alii iique tenuiores adlegerentur, ut numerus collegii idem maneret. Legendum igitur propono: *aut iis, qui majores facultates praefato modo possident, ad ver*[*ba tua substitution*]*is adhibendum est remedium, non propter hos minuendus numerus* [2]). Verbum substituere in hac re sollemne est, cf. Dessau, *Inscr. Lat. sel.* 8378: *si quis ex iis qui supra scripti sunt cum moriar non vivet, sive post mortem meam morietur, tum qui reliqui erunt in eorum locum qui mortui erunt alios per suffragia substituant quos dignissimos putaverint;* Dessau 9100 *si qui in locum cornicularii legionis vel actari missi substitutus fuerit, det ei in cujus locum substitutus est, anulari nomine denarios mille.*

---

1) Tertio saeculo ei, qui ob hanc causam bonorum cessionem impetraverat, tertiam bonorum partem retinere licuisse videtur, cf. Mitteis, *Hermes* Vol. XXXII, 1892, p. 652; Wilcken, *Arch. f. Papyrusforschung* II 1903, p. 184.

2) Cuntz aestimavit, lacunam hic hiare 14 litterarum; supplementum a me propositum 17 litteras continet, sed jam vidimus, Cuntzium ipsum exposuisse, forsitan in singulis lineis paulo plures vel pauciores litteras periisse quam computasset, cf. p. 372, adnot. 1.

Digitized by Google

Supplementum meum si verum est, sequitur, tertio p. C. n. saeculo ineunte praesides provinciarum jus habuisse, vel fortasse hoc rescripto demum iis datum esse, corporatos quos vellent e collegiis ejiciendi et novos in eorum locum substituendi. Quod minime mirum est, quandoquidem jam ineunte saeculo secundo praesides provinciarum collegia, quae utilitatibus publicis inservirent, instituere poterant et cavere ne homines, quos minus idoneos aestimarent, in ea admitterentur, cf. Plinius *Epist. ad Traj.* 33, 3: *Tu, domine, dispice, an instituendum putes collegium fabrorum dumtaxat hominum CL* (sc. Nicomediae, ad incendia restinguenda). *Ego attendam, ne quis nisi faber recipiatur neve jure concesso in aliud utatur; nec erit difficile custodire tam paucos.* Cui Plinii consultationi ita respondet Trajanus, *Epist.* 34: *Tibi quidem secundum exempla complurium in mentem venit posse collegium fabrorum apud Nicomedenses constitui* cet [1]). Praeterea e loco quodam Ulpiani meo quidem judicio efficitur, saeculi tertii initio novos collegii pistorum urbicorum sodales ab imperatore creari posse, cf. Fragmenta Vaticana 235 (ex Ulpiano, agitur de pistoribus urbicis): *Plus etiam imperator noster* (Caracalla sc.) *indulsit, ut a tutelis, quas susceperant ante quam pistores essent, excusarentur; sed hoc ab ipso creatis pistoribus praestitit et ita Marco Diocae praefecto annonae rescripsit* [2]). Quocum optime convenit id quod e rescripto Solvae reperto, si supplementum a me propositum probes, discimus, nempe Ulpiani aetate imperatores, vel iis auctoribus praesides provinciarum, facultatem habuisse, in centonariorum collegia novos corporatos adlegendi, iis, qui propter divitias collegii beneficiis frui non deberent, ex eo ejectis [3]).

1) Kornemann l. l. p. 443 putat, Plinium non hoc a Trajano quaesivisse an sibi collegium fabrorum instituere liceret, sed an jus coeundi iis legitime concedendum esset. Cum tamen e Plinii epistula luculenter appareat, Nicomediae fabrorum collegium non exstitisse, mea quidem sententia verbum instituere hic condendi vim habet. Utut res se habeat, videmus Plinio utpote Bithyniae praesidi constitutionem collegiorum curae fuisse et eum impedire potuisse quominus quicumque vellet in collegium admitteretur.

2) Cf. de hoc loco Kornemann l. l. p. 451.

3) Cuntz linea 8 supplet *alioquin* [*tenuiores perfr*]*uantur vacatione;* pro *tenuiores* praetulerim supplementum, quod dubitanter proponit p. 103, adn. 12: *universi.*

Digitized by Google

HYGINIANA.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I.F.

Legimus in editione a Mauricio Schmidt curata (Jenae 1872) pag. 30 fab. 177

Callisto Lycaonis filia ursa dicitur facta esse ob iram Iunonis, quod cum Iove concubuit. Postea Iovis in stellarum numerum retulit, quae septentrio appellatur, quod signum loco non movetur neque occidit. Tethys enim Oceani uxor nutrix Iunonis prohibet eam in Oceanum occidere. hic ergo septentrio maior. de qua in *creticis* versibus:

> tuque Lycaoniae *mutatae* [1]) semine nymphae,
> quam gelido raptam de vertice Nonacrinae
> oceano prohibet semper se tingere Tethys,
> ausa suae quia sit quondam succumbere alumnae.

Descripsi maiorem fabulae partem, quo facilius legentibus probarem pro *creticis* restituendum esse *heroicis*.

In longiore fabula 14 enumerat Hyginus vel potius Hygini epitome Argonautas, e. g. pag. 48 vs. 3

Argus Polybi et Argiae filius. alii aiunt Danai filium. Hic fuit Argivus, pelle taurina .... lanugine adopertus. Is fuit fabricator navis Argo [2]).

In lacuna, quam statui post *taurina*, scripserim *humeros, os* [3]), nam non raro auctor res et verba hausit ex Aeneide, quod

1) Muncker recte, ni fallor, coniecit *mutatae e.*

2) De hac genetivi forma cf. Neue-Wagener I pag. 457.

3) Aen. I 589 os humerosque deo similis.

Digitized by Google

imprimis cadit in finem fab. 273, ubi agitur de ludis funebribus in honorem Anchisae celebratis.

Eodem modo i. e. supplenda aut voce aut syllaba quattuor loci, quos nunc tractabo, in integrum videntur restitui posse. Legimus autem de Phrixi filiis fab. 21 pag. 52 vs. 19

qui Iasonem Colchos perduxerunt per flumen Thermodontem. et cum iam non longe essent a Colchis, iusserunt navem in occulto collocari et venerunt ad matrem Chalciopen, Medeae sororem indicantque Iasonis beneficia et cur venisset. Tunc Chalciope de ⟨*semideo*⟩ Medeae indicat perducitque eam cum filiis suis ad Iasonem.

Inserui *semideo* motus Statianis versibus (Theb. V 372)

nec robora prosunt
semideum heroum, puppemque insana flagellat
arbor et instabili procumbens pondere curvas
raptat aquas, remique cadunt in pectus inanes.

Hic quoque Argonautae vocantur *semidei heroes*.

Fabula 57 refert notissimam illam historiam de Bellerophonte, qui spreta Sthenoboea suspectus ab hospite ad Iobaten missus est. Haec autem sunt ipsius auctoris verba:

pag. 60, 5 At Proetus re audita conscripsit tabellas de ea re et mittit eum ad Iobaten regem, patrem Stheneboeae. quibus lectis talem virum interficere noluit, sed ad Chimaeram eum interficiendum misit, quae tripartito corpore „ore flammam spirare" dicebatur. *idem* „prima leo, postrema draco, media ipsa chimaera". hanc super Pegasum sedens interfecit e. q. s.

Brevitati serviens Hyginus videtur nihil aliud alteris Lucretii verbis laudatis [1]) praemisisse nisi ⟨*it*⟩*idem*, at Munckero placuit *idem* mutare in *item*. Certe ter usurpatur adverbium *itidem* in fab. 97.

Describo et emendo fab. 74 (pag. 79, 7)

Septem ductores, qui Thebas oppugnatum ibant, devenerunt in Nemeam, ubi Hypsipyle Thoantis filia in servitute puerum

1) De rerum nat. V 903.

Digitized by Google

Archemorum sive Ophelten, Lyci regis filium, nutriebat. cui responsum erat, ne in terra puerum deponeret, antequam posset ambulare. ergo ductores septem, qui Thebas ibant, aquam quaerentes devenerunt ad Hypsipylen eamque rogaverunt, ut eis aquam demonstraret. illa timens puerum in terram deponere apium altissimum ⟨*agg*⟩*erat* ad fontem, in quo puerum deposuit.

At Schmidt pro codicis lectione *erat* requirit *observat.*

Venimus ad fab. 186 pag. 118, 4

Metapontus, rex Icariae, a coniuge Theano petebat, ut sibi liberos procrearet, aut regno cederet. illa timens mittit ad pastores, ut infantem aliquem explicarent, quem regi subderet: qui miserunt duos inventos: ea regi Metaponto pro suis supposuit. postea autem Theano ex Metaponto peperit duos. cum autem Metapontus priores valide amaret, quod formosissimi essent, Theano quaerebat, ut eos tolleret et filiis suis regnum servaret. Dies advenerat, ut Metapontus exiret ad Dianam Metapontinam ad sacrum faciendum. Theano occasione nacta indicat filiis suis eos ⟨*veros*⟩, suppositicios priores esse.

Suppositicios cum flagitet adiectivum, cui opponatur, addidi *veros* memor Ovid. Met. I 762

perque suum Meropisque caput taedasque sororum,
traderet, oravit, *veri* sibi signa parentis

et Met. II 38

pignora da, genitor, per quae tua *vera* propago
credar.

Iam dudum cognovimus Hyginum imprimis a Graeco fonte materiam suam mutuatum esse. Ex eodem autem fonte nonnunquam Vergilium hausisse ostendunt cum alii loci tum hi duo (qui, quod sciam, nondum comparati sunt):

fab. 202 pag. 128, 8 Apollo Coronidem gravidam percussit et interfecit. cuius ex utero exsectum Asclepium educavit; Aen. X 315

inde Lichan ferit exsectum iam matre perempta
et tibi, Phoebe, sacrum, casus evadere ferri
quod licuit parvo.

Digitized by Google

Vergilius nimirum, quod in exemplo Graeco legerat, pulchrius ornatum ad Lichan suum transtulit.

Denique quamquam secundum Macrobium V 18, 9 Achelous a Graecis vetustissimis pro quacunque aqua ponebatur, tamen expedit conferri

fab. 274 pag. 149, 5 Cerasus vinum cum Acheloo flumine in Aetolia miscuit, unde miscere κεράσαι est dictum

et Georgic. I 7

> Liber et alma Ceres, vestro si munere tellus
> Chaoniam pingui glandem mutavit arista
> poculaque inventis Acheloia miscuit uvis.

Ad versum quendam Pomponii.

Nullum est negotium quo strenuus philologus delectetur magis quam investigando vel divinando in quo contextu olim positum fuerit fragmentum aliquod quamvis lacerum. Neque iniuria: haud raro enim eiusmodi investigationibus reperitur aliquid maioris momenti quam antea exspectaverat. Velut ex Atellana quadam (v. Ribbeckium ed. II p. 270) haec nobis servavit Lactantius ad Statium

> tum prae se portant ascendibilem semitam
> quam scalam vocitant.

Quae e quali scena sumpta sint post aliquam deliberationem quivis statuit: res nobis est cum aliquo Thrasone, qui immanes hostes a se repulsos describit vel (quod malim) cum aliquo Gnathone, qui fortia patroni sui facta enumerat, denique versamur in scena quam in deliciis habuerunt Plautus Terentiusque. Omnino palliatae illae, quae dicuntur, togatae, Atellanae atque etiam mimi plura inter se habuerunt communia quam varia illa nomina admittere videntur.

I. I. H.

Digitized by Google

DE LYDIA ET DIRIS CARMINIBUS.

SCRIPSIT

P. J. ENK.

PRAEFATIO.

De Lydia et Diris scripturus scio me periculosae plenum opus aleae suscipere neque tantum mihi adrogo, ut hac mea disputatione tandem compositum iri putem controversiam de problemate difficillimo quod philologi inde a Scaligero usque ad Vollmerum et Amatuccium suo quisque modo solvere conati sunt neque tamen solverunt. Nam in appendice Vergiliana permulta sunt dubia incerta obscura, sed quo sunt incertiora, eo magis clamant indagationem veri: pertinent enim ad Vergilium praestantissimum illum vatem, quem ut melius intelligamus nulla unquam opera nimia ducenda est.

Incipiamus quam brevissime problematis historiam, ut ita dicam, enarrare.

Usque ad annum 1573 *Dirae* a *Vergilio* scriptae esse putabantur; legimus enim apud *Servium: scripsit etiam VII sive VIII libros hos: Cirin, Aetnam, Culicem, Priapeia, Catalepton, Epigrammata, Copam, Diras;* et apud *Donatum* haec: ... *distichon fecit... Deinde catalepton et priapia et epigrammata et diras, item cirim et culicem ... Scripsit etiam de qua ambigitur Aetnam.*

Has tabulas e *Suetonii* vita Vergilii sumptas esse iure sumit Vollmerus [1]).

---

1) Die kleineren Gedichte Vergils, Sitzungsber. d. philos.-philol. u. d. hist. Klasse d. K. B. Akademie der Wissensch. zu München 1907, p. 339.

Digitized by Google

Anno 1573 *Iosephus Scaliger* Diras (quae, antequam F. Jakobs anno 1792 certis usus argumentis demonstravit eclogam, quae in codicibus inscribitur „Dirae", in duo carmina dividendam esse, cum Lydia coniunctae erant) *Valerio Catoni* grammatico vindicare conatus est. Coniecturam suam Scaliger his verbis defendit: „huius poematii", inquit, „auctor est Valerius Cato Grammaticus. Quod deprehenditur ex iis quae de eo scripsit Suetonius Tranquillus: nempe patrimonium suum amisisse *bello Sullano*; tum amasiam quandam Lydiam celebrasse carminibus suis. Utrumque in hac ecloga apparet: nam et Lydiae eius saepe meminit et amissa bona sua deplorat".

Scaligero adstipulatus est *Naekius* in sua editione quam post Naekii mortem publici iuris fecit Ludovicus Schopen [1]).

Vergilio Diras reddere conatus est *Lerschius* [2]). Neque Vergilium neque Valerium Catonem Dirarum scriptorem esse putabat *Rudolphus Merkelius* [3]) qui citato versu 82

o male devoti, praetorum crimina, agelli

de tempore hoc statuit: „certe veri similius est anno 713 ista scripta esse, non Sullano tempore". Eum secuti sunt *K. F. Hermannus* [4]) et *Hauptius* [5]).

Ribbeckius Merkelio concedit Diras anno 41 compositas esse, sed tamen Valerium Catonem utriusque carminis poetam ducit. Audiamus eum ipsum in historia Poeseos Romanae [6]) sic scribentem: „warum könnte nicht auch der schon gereifte Mann, frisch erregt durch die Aeckerberaubungen des zweiten Triumvirats (713), seiner eigenen bitteren Erfahrung gedacht und die Erinnerung daran in jenem Gedicht niedergelegt haben, welches zugleich den Klagen der Zeit- und Leidensgenossen ausdruckvolle Worte verlieh?"

Lydiam et Diras eiusdem poetae esse negat *Rothsteinius* [7]).

---

1) anno 1847.
2) Zeitschr. f. die Altertumw. 1837, p. 1050.
3) In editione Ovidii Tristium 1837, p. 365.
4) Gesamm. Abhandel. 1849.
5) Opusc. I. p. 119.
6) Geschichte d. Röm. Dichtung 1887, 1, p. 311.
7) Hermes 1888, p. 508.

Digitized by Google

Is *Diras* ad ea tempora refert, quibus Sexti Pompeii bello gravissimae per illam insulam turbae ortae sunt. *Lydiam* aliquanto recentiore aetate quam Diras scriptam esse putat neque dubitat quin versus huius carminis nonus

o fortunati nimium multumque beati

ad similitudinem versus Vergiliani e Georgicis conscriptus sit II 458

o fortunatos nimium, sua si bona norint,
agricolas.

Ad Scaligeri opinionem redierunt vir doctus *G. Eskuche* [1]) et clarissimus ille vir *Robinson Ellis* [2]).

Reitzensteinius [3]) contra credit Diras *post Vergilii Eclogas* sed ante Georgica compositas esse. Ab eo dissentit vir doctus *P. Jahn* [4]) qui Diras *ante Vergili Eclogas* ortas esse sumit.

Vollmerus [5]) Diras *Vergilio* tribuit; a quo tamen poeta *Lydia* scripta sit se nescire fatetur.

Quid vir clarissimus *J. W. Mackail* [6]), artis Vergilianae callidissimus iudex, de Lydia et de Diris sentiat, apparet ex hisce: „The influence of Vergilianism is strong in them, but it has not penetrated to the centre". Utrumque carmen eidem tribuit poetae: negat tamen conici posse quis ille poeta sit.

Schanzius [7]) Scaligero adstipulatur. *Plessisius* [8]) Lydiam et Diras uni poetae deberi et anno fere 40 ante Christum natum compositas esse putat.

Vir doctissimus *Amatucci* [9]) de nostris carminibus sic iudicat: „anche noi siamo per un unico autore, ma crediamo che questi sia un tardivo imitatore di Virgilio del II sec. dell' e. v."

Vides controversiam de Lydia et Diris minime ad finem

---

1) De Valerio Catone deque Diris et Lydia carminibus, Diss. Marb. 1889.
2) American Journal of philol. XI, 1890 p. 1.
3) Drei Vermutungen zur Gesch. d. röm. Litt. Festschr. f. Mommsen, Marb. 1894.
4) Die Art der Abhängigkeit Vergils von Theokrit und anderen Dichtern. Progr. Berlin 1899.
5) loco supra laudato.
6) Classical Rev. 1908 p. 70.
7) Geschichte röm. Litt.[3] I. 2. p. 61.
8) La Poésie latine 1909 p. 274.
9) Storia della Letteratura Romana 1912, 1, p. 165.

Digitized by Google

perductam esse; iure igitur ultimus [1]) editor lexici olim a *Lübkio* compositi sub voce „Valerius Cato" adnotat: „Heftige Kontroverse über diese Frage, bis heute noch nicht entschieden".

De tribus autem rebus viri docti, qui de his carminibus scripserunt, dissentiunt:

1. utrum Lydia et Dirae ab eodem poeta an a duobus poetis scriptae sint;
2. quo tempore scriptae sint;
3. quis poeta scripserit.

Rogaverit quis, qui fiat, ut de problemate, quod legenti proponimus, tam diverse iudicent tot tamque egregii philologi. Responderi potest problema nostrum ad id genus pertinere controversiarum quae hanc ob causam non facile solvantur quod certa desunt indicia quibus verum inveniri possit; sed accedit quod saepius alius philologus alterius viri docti argumenta et inventa neglegit. Fit enim saepenumero, ut spernantur quae iamdudum prudenter observata acuteque inventa sunt, dummodo nova et speciosa proferantur. Nostrum autem erit hanc vitare Charybdin, sed simul cavebimus, ne in Scyllam aliquam incidamus ab aliis evitatam.

C. 1. Lydiane et Dirae ab eodem poeta compositae sint, quaeritur.

Mihi quidem non dubium esse videtur, quin et Lydia et Dirae unius sint poetae; conferimus enim

Dir. 8 *montibus et silvis*
Lyd. 32. 33 *montes ... silvis*

Dir. 16. 18 *prata ... silvis ... fontibus*
Lyd. 16. 17 *silvae ... prata ... fontes*

Dir. 18 *desint et* pro *et desint*
Lyd. 7 *cantat et* pro *et cantat* } initio versus.

Dir. 20 *Veneris vario florentia serta decore*
Lyd. 13 *inter varios, Veneris stipendia, flores*

---

1) anno 1914, p. 1083.

Digitized by Google

Dir. 21 *purpureo ... campos ... colore*
Lyd. 66 sq. *in herba / purpureos flores*

Dir. 32 *formosaeque cadent umbrae, formosior illis*
Lyd. 3 *hoc formosa magis, mea quod formosa puella*

Dir. 40 sq. *silva /... crebro „tua Lydia" dixti*
Lyd. 16 sq. *gaudebunt silvae ... dum mea iucundas exponat [cura querellas*

Dir. 67 *flectite currentis lymphas*
Lyd. 18 *currite lymphae*

Dir. 73 *et metat hic iuncos, spicas ubi legimus olim*
Lyd. 7 *cantat et interea, mihi quae cantabat in aurem*
21 *et vobis nunc est, mea quae fuit ante voluptas*

Dir. 83 *tuque inimica tui / semper*
Lyd. 63 *Iuppiter ante sui / semper*

Dir. 92 *mollia ... carpetis pabula*
Lyd. 33 *nova pabula fastidire*

Dir. 93 *tuque resiste pater* / sc. gregis
Lyd. 28 *felix taure pater / magni gregis*
31 *et pater haedorum felix semperque beate*

Haec praesertim similitudo magni momenti est; primum moneo vocem *pater* prorsus eodem loco versus in utroque carmine legi; deinde animadvertendum *ducem* gregis in utroque versu *patrem* nominari, quae appellatio, nisi omnia me fallunt, aetate Augusti nonnisi apud Ovidium invenitur, Ars Amat. I. 522 *nec laedat naris virque paterque gregis.*

Aliud exemplum vocis sensu exquisitiore adhibitae praebet Dirarum versus 103

gaudia semper enim tua me meminisse licebit,

quocum comparandus est Lyd. vs. 65 (Iuppiter) *gaudia libavit*, cf. Prop. II. 14. 9 *quanta ego praeterita collegi gaudia nocte*, I, 4, 13/14 *ingenuus color et multis decus artibus et quae / gaudia sub tacita ducere veste libet.*

Nonnulli tamen viri docti *gaudia* hoc loco non de puella, sed de agellis dici putant, quod versus praecedens non ad Lydiam pertinere possit. Primus hanc opinionem Putschius

Digitized by Google

protulit, quem secutus est v. d. K. F. Hermann [1]). Sed cum poeta semper vocibus *agelli*, *rura* utatur, singularis *eris* (v. 102) et *tua* (v. 101) de agellis adhibitus explicari non potest, quapropter Goebelius versus 102/3 post v. 90 transposuit Ribbeckio [2]) probante.

Neque tamen hoc remedium prodest, cum versu 90 *agelli* nom. pluralis, non genitivus singularis sit. Quod bene perspiciens Birtius versum 101 sic corrigit

quam tua, ager, nostris emigret cura medullis,

sed poetam nunquam de praedio singularem *ager* adhibere recte monet v. d. Eskuche, qui ipse proponit:

quam tua, funde, meis emigret cura medullis.

Sic tamen non manuscriptorum mendam, sed ipsum corrigimus poetam.

Equidem puto versus 102/3 ad Lydiam pertinere totumque versum sic interpretor: quidquid fies, aqua vel ignis, i. e. quamvis nihil facta eris = etiamsi mortua eris, te semper amabo. Non tamen poeta de arte „chemica" cogitat, quasi Lydia in elementa sua redeat, quod ἀπειροκάλου poetae esset, sed comparandus est locus Tibulli (I. 9. 11):

muneribus meus est captus puer; at deus ille
in cinerem et liquidas munera vertat aquas,

ubi *in cinerem et aquas* = in nihil. Conferantur etiam hi versus Propertiani (II. 16. 45/46):

haec (sc. munera) *videam rapidas in vanum ferre procellas,*
quae tibi, terra, velim, quae tibi fiat aqua.

In utroque carmine saepissime adhibetur ἀποστροφή:

Dir. 10 *senis nostri felicia rura*
15 *effetas Cereris, sulci* [3]), *condatis avenas.*

---

1) l. l. p. 180.

2) Ind. schol. in Acad. Christiana Albertina, sem. hib. 1867/68, Kiliae, apud C. F. Mohr, p. 8.

3) Sic cum Italis pro *sulcis*, ut Vollmerus edidit, scribendum; adstipulor enim Ribbeckio (Rhein. Mus. 50 [1895], p. 561) sic disputanti: „da in den Furchen des Ackers das Getreide aufwächst, so gehört ihnen eben die Ernte und von ihnen zunächst wird sie geborgen, ehe sie in die Scheuern kommt. Dagegen ist es widersinnig zu sagen, das Bauern ihre Ernte in Ackerfurchen bergen sollen. So wenig Latein aber verstand der Verfasser gewiss nicht, dass er das Unmögliche *sulcis condatis* für *de* oder *ex sulcis* sich erlaubt hätte".

Digitized by Google

Dir. 27 *optima silvarum*, cf. vs. 40.
35/36 *Iuppiter, ... cinis haec tibi fiat oportet.*
48/49 *undae ... accipite has voces*
63 *si minus haec, Neptune, tuas infundimus auris*
67 *flectite currentis lymphas, vaga flumina, retro*
82 *o male devoti, praetorum crimina, agelli*
89 *dulcia rura valete*, cf. vs. 95.
91 *tardius, a, miserae descendite monte, capellae*
93 *tuque resiste, pater* (sc. gregis).

Lyd. 1 *invideo vobis, agri formosaque prata*
18 *currite lymphae*, cf. Dir. 67.
27 *Iuppiter, avertas aurem*, cf. Dir. 35.
28 *felix taure, pater magni gregis*
31 *et pater haedorum felix semperque beate* } Dir. 93.
41 *Luna, tuus tecum est*
43 *Phoebe, gerens in te laurus celebrabis amorem*
51 *laedere, caelicolae, potuit vos nostra quid aetas?*

Monendum id quoque est in utroque carmine nonnullos versus eodem fere modo incipere; cf.
Dir. 84 *exsul ego indamnatus egens mea rura reliqui*
Lyd. 53 *ausus egon primus castos violare pudores*
Dir. 86 *hinc ego de tumulo mea rura novissima visam*
Lyd. 38 *cur ego crudelem patior tam saepe dolorem?*
76 *infelix ego, non illo qui tempore natus.*

Utrumque carmen saepius *parenthesi* utitur:
Dir. 22 *(hinc aurae dulces hinc suavis spiritus) agri*
35 *Iuppiter, (ipse / Iuppiter hanc aluit) cinis haec tibi [fiat oportet*
92 *(mollia non iterum carpetis pabula nota)*
Lyd. 12 *(dulci namque tumet nondum vitecula Baccho)*
18 *tardabunt rivi labentes (currite lymphae)*
27 *(Iuppiter avertas aurem) mea sola puella est*
49/50 *haec quoque praetereo (notum Minoidos astrum quaeque virum virgo sicut captiva secuta est)*

Digitized by Google

Lyd. 69—71 *(tum, credo, fuerat Mavors distentus in armis*
nam certe Volcanus opus faciebat et illi
tristi turpabat malam ⟨ac⟩ fuligine barbam).

In utroque poemate saepissime adhibetur ea figura, quam grammatici *anaphoram* appellant:

Dir. 2 *rura ... rura*; 4 sqq. *ante ... ante ... ante*; 10 sqq. *nec ... non ... non ... non ... non ... non*; 22 *hinc ... hinc*; 24 *non ... non*; 31 *cadent ... cades*; 35 *Iuppiter ... Iuppiter*; 45 sq. *qua ... qua*; 48 *litora ... litora*; 65 *tibi ... tibi*; 66 sq. *flectite ... flectite*; 80 *advena ... advena*; 86 sq. *hinc ... hinc*; 87 sq. *obstabunt ... obstabunt*; 102 *quamvis ... quamvis*; 102 sq. *semper ... semper.*

Lydia 1 sq. *formosaque ... formosa*; 4 sq. *vos ... vobis ... vos ... vos*; 16 *gaudebunt ... gaudebunt*; 26 sq. *Iove ... Iuppiter*; 31 sqq. *sive ... sive ... sive*; 37 sq. *cur ... cur*; 41 sq. *Luna ... Luna*; 42 *dolor ... dolentis*; 41 *tuos tecum est ... est et mea mecum*; 58 *non mea, non.*

Et in Diris et in Lydia eadem verba breviore intervallo repetuntur; dabimus primum aliquot exempla e Diris:

10 *felicia rura*
33 *felicia ligna*
90 *felix nomen, agelli*

27 *formosis ... viretis*
32 *formosae ... umbrae, formosior illis | ipsa*

43 *diffusis*
49 *diffunditis*
51 *perfundat*
63 *infundimus*
68 *diffundite*
77 *diffuso*

3 *impia vota*
31 *impia ... dextera*

Digitized by Google

45 *pertica . . . impia*
62 *impia vota* cf. 3

81 *advena, civili qui semper crimine crevit.*
82 *o male devoti, praetorum crimina, agelli*

Idem animadvertimus in Lydia:

Lyd. 14 *illiserit herbam*
66 *laedere in herba | purpureos flores*

37 *cur non et nobis facilis, natura, fuisti;*
77 *quo facilis natura fuit*

48 *condicio similisque foret mortalibus illis*
52 *condicio nobis vitae*

36 *ploravit amores* } cf. Dir. 3; 62 *impia vota.*
72 *ploravit amores* }

59 *dulcia cum Veneris furatus primum*
65 *gaudia libavit dulcem furatus amorem*

1. 2 *invideo vobis, agri formosaque prata*
hoc formosa magis, mea quod formosa puella
24 *non ulla puella | doctior in terris fuit aut formosior*

In Diris saepenumero recurrunt versus intercalares:

1 *Battare, cycneas repetamus carmine voces*
14 *rursus et hoc iterum repetamus, Battare, carmen*
30 *nec mihi saepe meum resonabit, Battare, carmen*
54 *tristius hoc, memini, revocasti, Battare, carmen*
71 *dulcius hoc, memini, revocasti, Battare, carmen.*

Idem usus versuum intercalarium non nimis usitatus etiam in Lydia invenitur:

1 *invideo vobis, agri formosaque prata*
8 *invideo vobis, agri: discetis amare*
20 *invideo vobis, agri: mea gaudia habetis.*

Quod ad rem metricam attinet, utrumque carmen modo vocales elidendi antiquiore utitur: ultima syllaba vocabuli dactylici ante bacchium in fine versus eliditur; cf.

Dir. 7 *multa prius fient quam non mea libera | avena*
Lyd. 20 *et moechum tenera gavisa est laedere | in herba.*

Digitized by Google

In utroque carmine verba pyrrhichiaca et dactylica vocalem *a* non elidunt, nisi *a* vocalis sequitur:

e. g. Dir. 45 *pertica qua nostros mutata est impia | agellos*
Lyd. 20 *invideo vobis agris: mea gaudia | habetis.*

Utrumque carmen *Catullum* imitatur:

Dir. 21 *purpureo campos quae pingunt verna colore*
Cat. 64. 90 *auruve distinctos educit verna colores*

Dir. 35 sq. *Iuppiter, (ipse*
Iuppiter hanc aluit)...
Cat. 64. 26 sq. *Iuppiter ipse*
ipse...

Dir. 57 *cum subito emersere furenti corpora ponto*
Cat. 64. 14 *emersere freti candenti e gurgite voltus*

Dir. 102 sq. *quamvis ignis eris, quamvis aqua, semper amabo;*
gaudia semper enim tua me meminisse licebit
Cat. 65. 9 sq. *nunquam ego te... adspiciam posthac. At certe*
[semper amabo;
semper maesta tua carmina morte canam.

Lyd. 68 *Cypria formoso supponens bracchia collo*
Cat. 64. 332 *levia substernens robusto bracchia collo*

Lyd. 75 sqq. *ergo quod deus atque heros, cur non minor aetas?*
infelix ego, non illo qui tempore natus
quo facilis natura fuit. Sors o mea laeva
nascendi miserumque genus, quo sera libido est.
Cat. 64. 22 sqq. *o nimis optato saeclorum tempore nati*
heroes, salvete, deum genus, o bona matrum
progenies, salvete iterum iterumque, ⟨bonarum⟩.
. . . . . cui Iuppiter ipse,
ipse suos divom genitor concessit amores.

Denique rectissime scribit v. d. Wight Duff: „It looks like the same mind which notes in the Dirae the steaming rains upon the high hills *(altis fumantes montibus imbres)* and invokes:

Digitized by Google

Dir. 48 *undae, quae vestris pulsatis litora lymphis,*
litora, quae dulcis auras diffunditis agris

as that which in the Lydia seizes on a characteristic aspect of an evening sky —

Lyd. 39 *sidera per viridem redeunt cum pallida mundum*".

Quamquam igitur Lydia et Dirae satis multa inter se communia habent, Rothsteinius [1]) opinionem prorsus contrariam protulit. „Nos quibus libero iudicio", inquit, „ad utriusque carminis comparationem accedere licet, prima lectione perspicere debemus vix inveniri posse inter omnia quae aetatem tulerunt Romanorum poemata duo adeo dissimili oratione ac stilo facta quam Diras et Lydiam". Qui ea quae modo disputavimus attente perlegit, Rothsteinio hoc scribenti non facile assentietur.

Res quae in utroque carmine tangantur diversas esse hoc concedo: recte enim summam utriusque poematis ita statuit: Dirarum poeta una cum agris etiam Lydiam amiserat; in altero carmine agitur de discessu puellae quae saepius rus abire [2]) solebat [3]). Deinde Rothsteinius, ut demonstret fieri non potuisse, ut „Lydia" et „Dirae" ab uno eodemque poeta scriberentur, ita disputare pergit; „demonstrari potest", inquit „ab eo qui Diras composuit Lydiam neque *post* illas scribi potuisse, quia ille una cum agris etiam puellam amiserat, neque *antea*, quoniam eum qui in Lydia de puellae absentia queritur ipsum rusticum hominem non fuisse apparet". Ex quibus illud concedo, hoc nego. Nam, si sumimus „Lydiam" ante „Diras" scriptam, cur non licet putare poetam in urbe habitantem extra urbem praedium habuisse et, cum postea agrorum divisionibus praedio suo privatus esset, iniuriam ut lamentaretur, carminis pastoricii formam imitatum esse? Quidquid id est, non video quicquam obstare ne unus poeta et Lydiam et Diras scripserit.

Quod autem idem Rothsteinius scribit Lydiam ab eo qui

1) l. l. p. 509.

2) Non recte putat Eskuchius (De Valerio Catone, Diss. Marb. 1889, p. 70) poetam in „Lydia" *e villa* exisse in urbem.

3) cf. *cur ego crudelem patior tam saepe dolorem* (vs. 38).

Digitized by Google

Diras scripsit non post Diras componi potuisse, hanc opinionem verisimilem duco, ad quam defendendam haec adfero argumenta:

1. In Lydia hic illic inest dictionis tenuitas, quae sermonem antiquiorem in mentem revocat, quaque carent Dirae, cf. vs. 46 *quae dicere longum est* et 49 *haec quoque praetereo*, talia enim legimus apud Lucilium, 51 (Marx) *ut diximus ante,* 1059 *hoc missum facies.*

2. Ea quae in „Lydia" laudatur, puella est immatura, cf. v. 54; quae in „Diris" introducitur, femina, quam poeta iam diu amavit, cf. v. 103.

3. In Diris fundo et puellae *in perpetuum* valedicit.

4. Versu 41 *non iterum dices, crebro „tua Lydia" dixti* mentio Lydiae tam brevis est, ut fieri nequeat, ut quisque semel admonitus non sentiat poetam hanc Lydiam iam in alio carmine cecinisse. Idem de versu 89 *dulcia rura valete et Lydia dulcior illis* dici potest.

5. In „Lydia" mythologia maiorem obtinet locum, quam in „Diris".

Ingenue tamen fateor artem metricam „Lydiae" paulo politiorem esse quam „Dirarum" [1]), quamquam Lydia tres *versus spondiacos* habet (33. 47. 67) quibus Dirae omnino carent.

Et alia causa est, cur Rothsteinius neget haec duo carmina ab eodem scriptore composita esse. *Diras* enim magni facit atque admiratur, *Lydiam* opus mediocris ingenii poetae ducit; „in Lydia", inquit, „apparet ars longa consuetudine exculta, suco tamen et nervis adeo carens, ut vix feramus hominem nihil maiore studio lectoribus obtrudentem quam macie se consumi et ad mortem voluntariam adigi, veri et simplicis doloris ne umbram quidem prodentem". Multo pluris idem facit Diras. „Sane is quoque" — ita pergit Rothsteinius — „qui Diras scripsit qua ratione componenda essent carmina a suae aetatis magistris didicerat, sed quo omnis poesis lyrica tendere debet, ut formarum traditarum imitatio cum proprii affectus veritate coniungatur, hoc ita praestitit ut verborum elegantiam non nunquam prae sententiarum vi et veritate neglegeret". Sub finem disputationis quid de utroque carmine sentiat, ita exponit:

---

1) vid. Eskuchium. De Valerio Catone, p. 58. 59.

Digitized by Google

„alterum (Lydia) exemplo esse potest qua in versibus componendis facultate Augustea aetate vel *mediocris ingenii homines* uterentur, alterum (Dirae) conscriptum est ab *egregio poeta, qui non ultimum inter Romana ingenia locum obtinet*".

Eiusmodi sententias nihil esse nisi privatas persuasiones inde apparet, quod Plessisius vir poeseos Latinae peritissimus in Lydia aestimanda toto caelo a viro docto Germano differt; legimus enim in libro illo, qui inscribitur „la Poésie latine" [1]): „la *Lydia* est certainement une des jolies productions de la muse latine, une de celles où la tristesse antique rejoint la mélancolie moderne". Non possum facere quin afferam etiam pauca ex Mackailii pulcherrima disputatione: „sometimes he is almost Greek in his faculty of putting into a phrase of plain prose *that faint inner glow, that just perceptible cadence, which makes it poetry.* This is *most striking in the Lydia*, the second of the two pieces.

Non ulla puella
doctior in terris fuit aut formosior

it is like a phrase from a Greek lyric for pellucid colour.

Luna, tuus tecum est: cur non est et mea mecum?
Luna, dolor nosti quid sit, miserere dolentis.

There is the touch of Theocritus here in the way that the popular ballad-verse is taken up and woven into the structure of a poem. *It is not such an easy thing to do* ... Virgil could do it, but not always. *This poet had, too, a sensitiveness beyond the common run of Latin poets for the aspects and processes of nature* ...; there is notable power of seizing and expressing natural phenomena, especially visible tones or colours, with a delicate precision". Deinde adfert pulcherrimum Lydiae versum: *sidera per viridem redeunt cum pallida mundum* („the first appearance of the stars at evening faint in a clear green sky"). Vides Mackailium quoque „Lydiam" magni facere et ex hoc potissimum carmine pulchrorum versuum exempla elegisse.

Postremum Rothsteinius, ut *iure* negare videretur „Lydiam" ab alio poeta compositam esse atque „Diras", monuit hoc carmen rebus mythologicis paene carere, illud vero abundare;

1) p. 274.

Digitized by Google

cui respondendum etiam in „Diris" talia inveniri: legimus enim de *Lycurgo*, *Cerere*, *Venere*, *Iove*, *Neptuno*, *Volcano*, *Dite*.

Planum fecisse mihi videor Rothsteinio non contigisse ut demonstraret duo haec carmina a duobis poetis composita esse. Incerta eius argumenta minus valent quam loci inter se simillimi quos ex utroque poemate Eskuchii dissertatione grato animo usi supra enumeravimus. Gaudemus de hac re idem sentire virum doctum *Wight Duff* [1]), cuius iudicium in talibus rebus maximi aestimamus. Scribit autem: „Rothstein's contention, that style and subject of the two preclude the possibility of their having been written by the same poet is no more proved than the contention that the *Dialogus de Oratoribus* is not by the author of the *Agricola*".

C. 2. Quo tempore „Dirae" carmen scriptum sit, quaeritur.

Dirarum versum 82

o male devoti, praetorum crimina, agelli

pertinere ad agrorum divisiones a Sulla factas putabat Scaliger; alii [2]) hunc versum ad Antonium et Octavianum triumviros referunt Diras anno 41 ante Christum natum aut brevi post compositas esse rati; alii „Diras" post annum 41 scriptas esse sumunt.

Scaligeri opinio duabus rebus refutatur. *1.* Pluralis *praetorum* ostendit de *pluribus* imperatoribus sermonem esse. Quod autem Naekius contendit *praetorem* hoc tempore non iam imperatorem bellicum, sed magistratum significare, redarguitur talibus locis qualis est Horat. Epist. II. 2. 34:

forte sub hoc tempus castellum evertere praetor.

2. Accedit quod noster poeta *et* tertio loco (Dir. 44 *arboribus coniungat et ardor aristas)*, *namque* secundo (Lyd. 115 *dulci namque tumet nondum vitecula Bacchi)*, *enim* tertio (Dir. 103 *gaudia semper enim tua me meminisse licebit)*, *cum* tertio (Dir. 31 *militis impia cum succedet dextera ferro)* vel quarto (Lyd. 47 *aurea quin etiam cum saecula volvebantur)*, vel quinto (Lyd. 39

1) A Literary History of Rome, p. 489.
2) e. g. Merkel, l. l. p. 364.

Digitized by Google

sidera per viderem redeunt cum pallida mundum) loco ponit.

Scimus enim ante Catullum, Vergilium, Horatium neminem *nam* coniunctionem alibi quam in ipso sententiae initio posuisse [1]).

De Sullano igitur tempore non cogitandum est.

Videamus nunc, utrum „Dirae" ante an post Vergilii Eclogam primam scriptae sint. Quam Eclogam et Diras nonnulla communia habere nemo sanus negaverit. Confer, ut unum demus exemplum, Dirarum versum 101

quam tua de nostris emigret cura medullis

cum Vergilii Eclog. 1, versu 63:

quam nostro illius labatur pectore voltus.

Unicuique notum est hanc Eclogam magna ex parte versus imitari Theocriteos, quos relegas in Hosii Bucolicorum editione [2]). Quid autem videmus? Iis locis, quibus Vergilius Theocritum *non* imitatur, congruit cum Diris; Dirae contra nusquam congruunt cum iis versibus Vergilianis in quibus scribendis Maro Theocriti meminit. Ex quo iure suo vir doctus P. Jahn [3]) effecit *Diras ante Eclogam primam* scriptas esse.

Sed est aliud argumentum atque id firmissimum. In prima Vergilii Ecloga gratum poetae animum agnoscimus erga Octavianum. Insunt tamen nonnulla quae a ceteris versibus blandioribus mire abhorrent; versum 70 dico:

impius haec tam culta novalia miles habebit,
barbarus has segetes.

At Dirae indignantis et irati poetae sunt: hic totius carminis animus. Si quis ergo dubitat, utrum Dirarum vs. 45

pertica qua nostros metata est impia agellos

et versus 83

tuque inimica tui semper Discordia civis

versus Eclogae primae 70 et 71 imitentur, an hi illos, confidenter respondeo: Vergilius, cum Eclogam primam scribebat, Diras legerat.

---

1) Vide Hauptium, Observationes Criticae p. 47 (anno 1841) et Lachmannum (ad Lucret. IV. 604), qui scribit: „de *Dirarum* scriptore, cuius est 115 *dulci namque tumet*, Merkelio et Hauptio assentior qui eum Vergilio parem aetate faciunt".

2) Kleine Texte 134.

3) Die Art der Abhängigkeit Vergils von Theocrit und anderen Dichtern, 2. Fortsetzung, Wissensch. Beilage zum Jahresber. d. Köllnischen Gymnas. zu Berlin. Ostern 1899.

Digitized by Google

Quam coniecturam non e nihilo fictam esse apparet comparato Eclogae octavae versu 58

omnia vel medium fiat mare.

Damonis hic habemus exclamationem; „in tam corrupto mundo", inquit, „vivere non possum: proinde omnia mare fiat".

Nonnulli Vergilium apud Theocritum I. 134 πάντα δ' ἐναλλα γένοιτο non recte interpretatum esse et ἐνάλια vertisse putant; apud Maronem enim Damonis votum non ita usitatum est. Apud Dirarum poetam hoc votum, quod in totum carmen quadrat, prorsus non miramur, nam, aqua ignique ut omnia deleantur, optat. Veri simillimum igitur Vergilium hoc loco non Theocriti memorem esse, sed versum *omnia vel medium fiat mare* ex conglutinatione horum duorum Dirarum versuum ortum esse:

46 *cinis omnia fiat*

60 *dicantur mea rura ferum mare.*

Qui Diras post Bucolica scriptas esse defendunt, citant ex Ecloga 5 versum 44

formosi pecoris custos, formosior ipse,

quocum ex Diris conferunt versum 32 sq.:

formosaeque cadent umbrae, formosior illis
ipsa [1]) *cades.*

De quibus versibus scribit Rothsteinius [2]) Reitzensteinio probante: „Die Unterscheidung zwischen dem schönen Laub und dem schöneren Wald oder Stamm ist spitzfindig und unklar, und hier scheint es mir ziemlich sicher zu sein, dasz der Dichter wenig geschickt ein ähnliches, nur gelungeneres Spiel nachgeahmt hat, das er bei Virgil vorfand".

Sed quid impedit quominus sumamus Diras post hanc quintam Eclogam ortas esse. Constat enim eclogas 2, 3, 5 antiquiores esse quam 1 et 9.

---

1) sc. silva.

2) Wochenschr. f. klass. Philol. 1892. p. 1118. Aliter iudicat Otto Ribbeck: „was ist eigentlich ungeschickt an dieser Steigerung *formosae — formosior?* Konnten nicht die stolzen alten Stämme mit ihrem Geäst, der eigentliche Körper des Waldes, der ihm Form und Gestalt im wahren Sinn des Wortes giebt, dem Landmann noch formvoller erscheinen als das lockere Laubwerk? und vor Allem mehr am Herzen liegen?" (Rhein. Mus. 50 [1895], p. 559).

Digitized by Google

Reitzensteinius [1]), ut Rothsteinius, Diras post Bucolica ortas esse putat, quod nonnullis locis Dirarum scriptor Vergilium inepte imitatus sit.

1. Dir. 15 *effetas Cereris sulcis condatis avenas;* confert Bucol. 5. 37: *grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis, infelix lolium et steriles nascuntur avenae.*

Supra demonstravi pro *sulcis*: *sulci* legendum esse, *sulcis condatis* igitur non = *ex sulcis*; ergo non possumus dicere Dirarum poetam locum Vergilium inepte imitatum esse.

2. Dir. 28 *tondebis* [2]) *virides umbras.*

Reitzensteinius Bucol. 5. 63 *intonsi montes* exemplum habet, sed locus apud Vergilium a nostro plane differt; iure suo Eskuchius [3]) scribit: „Dir. 28 unmittelbar aus Verg. Ecl. 5. 63 abzuleiten, verbietet einmal die geringe äussere Ähnlichkeit der Ausdrücke, anderseits das gleichfolgende *comantis ramos:* die *virides umbrae* sind dem Dichter die *comae arborum;* das Bild des Scherens schwebt dem Dichter von Anfang an deutlich genug vor".

3. Dir. 46 *cinis omnia fiat.*

Reitzensteinius haec sumpta putat ex Eclog. 8. 58 *omnia vel medium fiat mare;* sed supra docui praestare Vergilium hoc loco imitatorem haberi.

4. Dir. 83—85 non, ut Reitzensteinius vult, ex Verg. Ecl. 1. 70—73 sumpti sunt, sed cum Jahnio Dirarum versus Vergilii exemplum habendi sunt, ut supra demonstravimus.

Neque igitur Reitzensteinio contigit, ut demonstraret Diras post Vergilii Eclogas compositas esse. Hoc tantum *fortasse* dicere licet eas post Eclog. 5 scriptas, quamquam non immerito Ribbeckius [4]) rogat: „Wer bürgt dafür, dass Vergil es gewesen ist, der die Steigerung *formosi — formosior* erfunden hat? dass er nicht wie so oft ein älteres Muster glücklich verwendet und eigenthümlich umgeprägt hat? dass nicht beiden Dichtern eine Originalstelle vorschwebte?"

---

1) Drei Vermutungen zur Geschichte der röm. Litteratur, Marburg, Elwert 1893.

2) Reitzensteinius male *tondemus* cum M B legit, cf. Ribbeck, Rhein. Mus. 50, p. 563.

3) Neue Philologische Rundschau 1894, p. 333.

4) Rhein. Mus. 50 (1895), p. 559.

Digitized by Google

Qui nolunt credere Vergilium Diras imitatum esse, eos refero ad Georg. II, 308 sqq.

308 *et totum involvit flammis nemus et ruit atram*
309 *ad caelum picea crassus caligine nubem,*
310 *praesertim si tempestas a vertice silvis*
311 *incubuit glomeratque ferens incendia ventus.*

Manifestum quidem est Vergilium hoc loco complura e Lucretio sumpsisse (VI. 256/64) cf.

256 *praeterea persaepe niger quoque per mare nimbus,*
257 *ut picis e caelo demissum flumen, in undas*
258 *sic cadit effertus tenebris procul et trahit atram*
259 *fulminibus gravidam tempestatem atque procellis*
. . . . . .
263 . . . . . *neque enim caligine tanta*
264 *obruerent terras* . . . .

sed digniores qui comparentur versus 37. 38 Dirarum sunt, nam hi versus, ut ii versus, quos ex Georgicis exscripsi, de *silvae incendio* agunt, at versus Lucretiani de *fulmine*. Praeterea finis versus 38 Dirarum

Eurus agat mixtam fulva caligine nubem

idem est atque versus 309 Georgicorum.

Quisnam hoc loco imitator, Vergilius an Dirarum poeta? Si Dirarum poeta imitator sit, sequitur ut „Dirae" carmen post annum 36 scriptum sit. Sed quis non intelligit fieri non potuisse, ut tale [1]) carmen, quale „Dirae", compluribus annis post agrorum divisiones oreretur.

Ut redeam, unde abii: cum sciamus Eclogam primam anno 41 ante Christum aut brevi post scriptam esse, et Diras paulo ante hoc carmen ortas esse demonstravisse mihi videar, pro certo habeo carmen, quod inscribitur „Dirae", compositum esse anno 41 aut non multo post.

Sed et aliud est argumentum quod *ceteris additum* non parvi momenti est. Eskuchius [2]) enim 180.000 fere hexametris per-

1) Bene Ellisius (Am. Journ. of Phil. XI. p. 15): „The choice of the form must, I think, point to a real indignation that can only have been prompted by a real wrong".

2) Die Elisionen in den zwei letzten Füssen des lateinischen Hexameters, von Ennius bis Walahfridus Strabo, Rhein. Mus. 45 (1890), p. 236—264, 385—418.

Digitized by Google

volutis statuit omnes fere poetas inde a Vergilio operam dedisse, ut fines versuum quam purissimi essent: nam sedem elisionum in fine hexametri sedulo evitaverunt. Quidnam Eskuchius nos docuit?

Apud antiquiores poetas complures hexametri reperiuntur, in quibus tertia syllaba quinti pedis eliditur, ut Dir. 97:

extremum carmen revocemus, Battare, / avena.

Apud	*Ennium*	talis	elisio	in	79	hexametris	semel	legitur.
„	*Lucilium*	„	„	„	26	„	„	„
„	*Lucretium*	„	„	„	38	„	„	„
„	*Catullum*	„	„	„	31	„	„	„
In	*Lydia*	„	„	„	*40*	„	„	„
„	*Diris*	„	„	„	*17*	„	„	„
Apud	*Vergilium*	„	„	„	*109*	„	„	„
In	*Culice*	„	„	„	138	„	„	„
„	*Cire*	„	„	„	135	„	„	„
„	*Moreto*	„	„				nusquam	„
„	*Copa*	„	„	„	19	„	semel	„
„	*Horat. Sat.*	„	„	„	68	„	„	„
Apud	*Tibullum*	„	„	„	85	„	„	„
In	*Panegyrico Messallae*	„	„	„	105	„	„	„
Apud	*Lygdamum*	„	„	„	145	„	„	„
In	*Horat. Epist.*	„	„	„	131	„	„	„
Apud	*Propertium*	„	„	„	62	„	„	„
„	*Ovidium*	„	„	„	266	„	„	„
In	*Nuce elegia*	„	„				nusquam	„
„	*Consol. ad Liviam*	„	„	„	118	„	semel	„
Apud	*Grattium*	„	„	„	541	„	„	„
„	*Manilium*	„	„	„	115	„	„	„
„	*Germanicum*	„	„	„	241	„	„	„
„	*Columellam*	„	„	„	73	„	„	„
In	*laude Pisonis*	„	„				nusquam	„
Apud	*Persium*	„	„	„	75	„	semel	„
„	*Lucanum*	„	„	„	1612	„	„	„
„	*Petronium*	„	„	„	294	„	„	„
„	*Calpurnium*	„	„				nusquam	„

Digitized by Google

In	*Aetna*	talis	elisio	in	161	hexametris	semel	legitur.
Apud	*Homerum*							
	Latinum	„	„	„	119	„	„	„
„	*Valerium Flacc.*	„	„	„	180	„	„	„
„	*Silium Italicum*	„	„	„	81	„	„	„
„	*Statium*	„	„	„	206	„	„	„
„	*Martialem*	„	„	„	1679	„	„	„
„	*Iuvenalem*	„	„	„	901	„	„	„

Haec tabula ostendit Vergilium in hac elisione evitanda totum posteriorum poetarum agmen duxisse disciplina multo severiore. Iure igitur statuit idem vir doctus Dirarum poetam, si *post* Vergilium scripserit, solum et unum ex omnibus Maronis imperio non paruisse.

Accedit quod in Diris saepenumero vocalis *a* ante vocalem *a* eliditur, quae elisio praesertim apud antiquiores poetas [1]) invenitur.

Legimus enim apud Dirarum poetam tales versus:

Dir. 7 *multa prius fient quam non mea libera | avena*
„ 45 *pertica qua nostros metata est impia | agellos*
„ 65 *nam tibi sunt fontes, tibi semper flumina | amica*
„ 80 *piscetur nostris in finibus advena | arator*
„ 82 *o male devoti, praetorum crimina, | agelli*
Lyd. 20 *invideo vobis, agri: mea gaudia | habetis.*

Synaloephe vocabuli anapaestici ante quintam arsin, de qua supra fusius disputabimus, apud Vergilium in Bucolicis et Georgicis *nusquam* invenitur, at in Diris *ter* (v. 4. 5. 66). Et haec elisio ab *antiquioribus* poetis adhibetur.

Ergo res quoque metrica ostendit Diras non *post* Bucolica ortas esse.

Denique pauca dicenda sunt de Rothsteinii [2]) coniectura, qui collato versu 9 *Trinacriae sterilescant gaudia vobis* poetae

1) e. g. Lucret. I. 19 *omnibus incutiens blandum per pectora | amorem*; vid. Norden, Aeneis, Buch VI, p. 455 (editio altera): „Vergil ist mit der Elision von ă zurückhaltend".

2) Hermes, 23 [1888], p. 511.

Digitized by Google

agrum in Sicilia fuisse ratus carmen nostrum ad ea tempora refert, quibus Sexti Pompeii bello gravissimae per illam insulam turbae ortae sunt. „Nam multa et gravia passas esse illo bello Siciliae urbes ab utroque adversario et Tauromenitas quidem a Caesare e patria expulsos esse et Romanorum coloniam accepisse per rerum gestarum scriptores constat (Diod. XVI, 7. 1; Strabo p. 270 et 272), quamquam pauca admodum traduntur et ne id quidem satis certum est, num praeter colonias anno 733 in Sicilia teste Dione (LIV, 7) conditas, quarum in numero etiam Tauromenitanam fuisse probabile visum est Mommseno (C. I. L. X 718), alias Augustus in insulam deduxerit".

Putat igitur Rothsteinius Diras anno 21 a. Chr. scriptas esse. Sed iure suo Krollius [1]) Rothsteinio scribenti: „quod ad ipsum militem, cui possessione cessit, se convertens poeta dicit *Trinacriae sterilescant gaudia vobis*, hoc nullis interpretandi artificiis ita explicari poterit, ut non de praedio in ipsa Sicilia insula sito agatur", respondet: „*Trinacriae gaudia* kann harmlose Umschreibung für *Getreide* sein; in Enna soll Demeter *fruges invenisse* Cic. Verr. II. 4. 108, auf Sicilien bezog man die Verse Od. ı 109 ff. (Diod. V. 2. 4)". Tota igitur Rothsteinii coniectura e nihilo ficta est.

Quo tempore „Lydia" scripta sit, definire non audeo. Supra dixi *veri simile* videri hoc carmen ante Diras scriptum esse. Si quis autem citat versum 16/17:

gaudebunt silvae, gaudebunt mollia prata
et gelidi fontes

et comparato Bucol. 10. 42

hic gelidi fontes, hic mollia prata, Lycori

defendit Lydiam post Bucolica ortam esse, moneo Skutschio auctore versum 42 *Galli* versum esse. Fieri igitur potest, ut „Lydia" Gallum imitetur, cuius elegiae ante 49 compositae sunt. Conferendi sunt etiam versus Lydiaè 9

o fortunati nimium multumque beati

et Georg. II 458

1) Rhein. Mus. 60 [1905] p. 552, vid. etiam Ribbeckium, Rhein. Mus. 50 [1895] p. 561.

Digitized by Google

o fortunatos nimium, sua si bona norint,
agricolas!

Cum tamen neque Lydia usquam versus Vergilii imitetur, neque Vergilius Lydiam, praestat sumere utrumque poetam hic antiquiorem secutum esse.

C. 3. QUISNAM „DIRARUM" ET „LYDIAE" POETA SIT, QUAERITUR.

Vollmerus [1]) cur „Diras" Vergilio tribuat, his verbis explicat: „es ist befremdlich, dass noch niemand, soviel ich weiss, die Beobachtung fruchtbar gemacht hat, dasz die Dirae das genaue Gegenstück zur ersten Ekloge bilden. Hier Tityrus, den Dank gegen den Gott im Herzen, der ihm sein Gut erhalten, und Meliboeus, der zwar mit Leid, aber doch gefaszt von seinem Besitze ins Elend zieht, dort der Sänger und sein Genosse, die die Heimat in Grund und Boden verfluchen, weil sie vertrieben dem fremden Soldaten weichen müssen. Ich meine, wir haben in den Dirae eine Ekloge zu erkennen, die Vergil wie die erste und neunte auf Grund der Erlebnisse des Jahres 713/41 und zwar mit Anlehnung an griech. Ἀρχί (daher wohl auch der Battarus) gedichtet, dann aber, auf irgendwelche Weise — wie, wissen wir ja nicht — entschädigt oder versöhnt, als zu heftig und zu aggressiv von der Edition der Bucolica ausgeschlossen hat".

Sed quominus Vergilius „Diras" scripserit, obstat res metrica, de qua supra diximus. Synaloephe enim tertiae syllabae quinti pedis praesertim *a* litterae apud Vergilium rarissima est, in Bucolicis hoc versus loco *a semel* tantum eliditur, 7. 14

quid facerem? neque ego Alcippen nec Phillida | habebam;

in Georgicis *semel*, III, 486

saepe in honore deum medio stans hostia | ad aram

ubi eum antiquiorem poesin secutum esse iure suo sumit Nordenus [2]). At in Diris talis elisio, ut vidimus, in 82 versibus *quinquies* invenitur. Cum Dirae eodem tempore — ut Voll-

1) l. l. p. 856.

2) Aeneis, Buch VI, (editio altera) p. 455; Georg. III. 486 „in sakralem Zusammenhang, der meist auf ältere Poesie weist".

Digitized by Google

merus quoque putat — atque Bucolica ortae sint, prorsus nulla causa excogitari potest, cur Vergilius, si Diras scripsisset, hac synaloepha *totiens* usus esset, quae in Bucolicis *semel* tantum legitur idque in nomine Graeco.

Synaloepha syllabae longae vocabuli anapaestici ante quintam arsin in Diris *ter* admittitur!

4. *ante lupos rapient haedi, vituli ante leones*
5. *delphini fugient pisces, aquilae ante columbas*
66. *nil est quod perdam ulterius, merito omnia* [1]) *Ditis.*

At Vergilius eiusmodi synaloephen neque in Bucolicis neque in Georgicis habet; in Aeneide ter modo legitur idque locis — quae Nordeni [2]) opinio est — aliunde sumptis II. 658 *patrio excidit ore* (ex Ennio), IV, 420 *miserae hoc tamen unum*, VIII, 96 *secant placido aequore silvas* (ex Ennio).

Praeterea supra iam monui totam qua „Dirae" scriptae sunt mentem a Vergilio abhorrere.

Accedit quod praedium, de quo in „Diris" sermo est, prope mare iacet, ubi Vergilius nullas habebat possessiones [3]).

Neque igitur nobis putare licet „Diras" Vergilii esse.

Videamus nunc, num „Dirae" a Valerio Catone compositae sint. Qui, ut Eskuchius, Scaligero assentiuntur, testem adferunt Suetonium de grammat. XI: *Valerius Cato, ut nonnulli tradiderunt, Burseni cuiusdam libertus, ex Gallia: ipse libello, cui est titulus Indignatio, ingenuum se natum ait et pupillum relictum eoque facilius licentia Sullani temporis exutum patrimonio .... scripsit praeter grammaticos libellos etiam poemata, ex quibus praecipue probantur Lydia et Diana. Lydiae Ticida meminit:*

Lydia doctorum maxima cura liber.

Eskuchius [4]) putat libellum, qui inscribitur *Indignatio* nihil aliud esse nisi nostras *Diras*. „Indignationem", inquit, „in Diris agnovimus et *Indignatio* ipse titulus fuit alius cuiusdam libri Catoniani. Is utrum prosaicus an poeticus fuerit, Suetonius

1) Sic bene correxit Ribbeckius lectionem Ω *merita*: „alles ist, wie sichs gebührt, dem Untergang geweiht". (Rhein. Mus. 50 [1895], p. 565).

2) Aeneis, Buch. VI, (editio altera), p. 455.

3) cf. tamen etiam Sonntag, App. Verg., Progr. Frankf. a. O. 1887, p. 9 et 12.

4) De Valerio Catone deque Diris et Lydia carminibus, Diss. Marburg, 1889, p. 71.

Digitized by Google

tacet. Verum enim ut in ipso *Indignatio* titulo mea quidem sententia aliquid sublime, aliquid poetici inest, ita vocem illam Iuvenalis *facit indignatio versum* etiam de eo libro valere veri simile est, cui ultro titulum *Indignatio* scriptor dederit". Sed parum veri simile est Catonis *Indignationem* carmen fuisse; legimus enim apud Plinium (hist. nat. XXXV. 2. 8): *exstat Messalae oratoris indignatio, quae prohibuit inseri genti suae Laevinorum alienam imaginem.* Tum Plinius pergit: *similis causa Messalae seni expressit volumina illa quae de familiis condidit, cum Scipionis Pomponiani transisset atrium vidissetque adoptione testamentaria Salvittones (hoc enim fuerat cognomen Africanorum dedecori) inrepentes Scipionum nomini.* Adstipulor igitur Rothsteinio [1]) haec scribenti: „eine Protestschrift also hat der adelsstolze Mann verfasst, um die Reinheit seines alten Adels zu wahren, und genau mit derselben Waffe kämpfte der Grammatiker gegen die *nonnulli*, die ihn verleumdet hatten, indem sie ihn zum Sohn eines Freigelassenen machten".

Accedit quod, ut Merkelii [2]) verbis utar, neque agros unquam amisisse Cato diserte traditur, sed patrimonio exutus, neque per veteranos Sullanos, sed licentia Sullani temporis, quod significare videtur per artes forenses, vel Chrysogoni alicuius machinas.

Praeterea discimus e Suetonio Catonem *pusillum* exutum esse patrimonio. Qui in „Diris" loquitur, non *pusillus* est, sed *vir maturus.*

Siquis autem cum Eskuchio Catonem *non paulo post agros tempore Sullano amissos* „Diras" composuisse putat, cito verba Hermanni [3]): „die Dirae würden alle Kraft verlieren, wenn sie nicht unter dem frisschen Eindruck des erlittenen Unrechts verfasst wären".

Sed quid longis ambagibus de hac re utar qui supra demonstraverim neque „Lydiam" neque „Diras" Sullano tempore sed Triumvirorum aetate scriptas esse?

Opinio autem Ribbeckii, quam supra memoravimus, conicientis Catonem anno 41 Diras scripsisse pristini sui damni

1) Wochenschrift für Klass. philol. 1892, p. 1121.
2) In editione Tristium Ovidii, Berl. Reimer, 1837, p. 864.
3) l. l. p. 117.

Digitized by Google

memorem, quamquam Triumvirorum divisione nihil agri perdidisset, tam mira est, ut nullam habeat πειθανάγκην. Quis enim unquam post quadraginta annorum spatium de patrimonio amisso queretur et indignabitur?

Ticida Catonis „Lydiam" *doctorum maximam curam* dicit, quibus verbis nihil aliud significari potest nisi *exquisita doctrina* qua illud poema refertum erat. Ergo non erat „Lydia" Catonis nostrum huius nominis carmen quod sine labore intelligi possit.

Denique, cum veri simillimum esse viderimus Catonis *Indignationem* pedestri sermone compositam esse, tota Scaligeri coniectura pendet e tenuissimo filo, nomine Lydiae, quo multos poetas usos esse quisque intelligit.

Postquam igitur vidimus neque Vergilium neque Valerium Catonem poetam Dirarum esse potuisse, quaeritur, an alius poeta sit, cui hoc carmen tribuere possimus.

Monemus primum Rothsteinium dixisse Diras opus esse *egregii poetae qui non ultimum inter Romana ingenia locum obtineret.* Quod ita esse non miramur, neque enim Vergilius Bavium aliquem aut Maevium imitatus esse putandus est. Scimus praeterea eum hic illic amicorum verba honoris causa adferre, ut in Ecloga decima *Galli* verba in carmen suum adsumpsit, et in Ecloga VIII. 87 versum *Varii* [1]):

perdita [2]), *nec serae meminit decedere nocti.*

Supersunt nobis e Varii, fidissimi Vergilii amici, carmine quod inscribebatur *de Morte* aliquot versus, quos Macrobius, Saturn. VI. 1. 39. servavit:

vendidit hic Latium populis agrosque Quiritum
eripuit; fixit leges pretio atque refixit.

Hos versus paene integros Vergilius recepit in Aeneida VI: 621:

vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
imposuit; fixit legis pretio atque refixit.

Ad quem locum Servius adnotat: *possumus Antonium accipere secundum Ciceronem in Philippicis, ubi ait „leges refixisti".* Revera etiam Varius Antonium versibus citatis perstrinxit [3]).

1) vid. Macrobium VI. 2. 20.

2) sc. bucula.

3) vid. R. Unger, L. Varii de morte eclogae reliquiae, Halle 1870, p. 6 sqq. et Norden, Aeneis, Buch VI, p. 292 (editio altera).

Digitized by Google

Varium non solum Thyestem tragoediam et epos scripsisse tradit Porphyrio ad Horat. carm. I. 6. 1: *fuit L. Varius et epici carminis et tragoediarum et elegiorum auctor, Vergilii contubernalis.* Nunc animum attende, quam bene omnia explicari possint, si sumimus Varium Dirarum poetam esse.

Maior natu fuit Varius quam Vergilius, nam anno 41 Maro eum suspicit ut se ipso maiorem; legimus Eclog. 9. 35/36:

nam neque adhuc Vario videor nec dicere Cinna
digna, sed argutos inter strepere anser olores.

Multa iam scripsit, antequam Vergilius Eclogas composuit. In arte igitur metrica eum antiquiores poetas secutum esse exspectare possumus, quod scriptor Lydiae et Dirarum, ut supra vidimus, revera fecit. Operae pretium est observare synaloephen [1]) syllabae longae vocabuli anapaestici ante quintam arsin, quam elisionem invenimus in Diris 4

delphini fugient, pisces, aquilae | ante columbas

etiam a Vario adhibitam esse

imposuit, fixit leges pretio | atque refixit.

Eorundem verborum repetitionem, quam in Diris notavimus utpote minus elegantem, apud Varium quoque [2]) reperimus:

1 *ceu canis umbrosam lustrans Gortynia vallem,*
2 *si veteris pote sit cervae deprendere lustra,*
3 *saevit in absentem et circum vestigia lustrans* [3])
4 *aethera per nitidum tenues sectatur odores;*
5 *non amnes illam medii, non ardua tardant,*
6 *perdita nec serae meminit decedere nocti.*

Cum versu 5 comparandus est ex Diris vs. 12

non arbusta novas fruges, non pampinus uvas.

Quod supra de „Diris" diximus, pulchre congruit cum iis quae Cruttwellius de illis Varii versibus scripsit: „The rhythm here is midway between Lucretius and Virgil; the inartistic repetition of *lustrans* together with the use immediately before

1) Haec synaloephe *rarior* est: ante Vergilium traditur apud *Lucilium quinquies* (59, 326, 350, 468, 995), apud *Lucretium quater* (I, 180, 818, III, 499, IV, 483), apud *Ciceronem bis* (Arat. fr. X. 1 Baehr., 311), apud Catullum *semel* (81. 1).

2) Macrob. VI. 2. 20.

3) E. Baehrens: *nictens* coniecit.

Digitized by Google

of the cognate word *lustra* point to a certain carelessness in composition" [1]).

Utrumque poetam, et Varium et eum, qui Lydiam Dirasque scripsit, naturam amasse apparet.

Versus 35/36, quos supra ex Eclog. 9 exscripsi, lepidissime ad Dirarum versum 1 adludunt, si Varius eius carminis poeta est:

Battare, cycneas repetamus carmine voces.

Quod hi Eclogae 9 versus Theocritum in mentem revocant, huic coniecturae non obstat; nam Theocriti verba (7. 41) βάτραχος δὲ ποτ' ἀκρίδας ὥς τις ἐρίσδω aliis versibus eiusdem poetae (5. 136) adhibitis:

οὐ θεμιτόν, Λάκων, ποτ' ἀηδόνα κίσσας ἐρίσδειν
οὐδ' ἔποπας κύκνοισι

consulto mutata videntur; quin etiam coniectura nostra confirmatur a Servio adnotante Vergilium hic alludere ad *Anserem* poetam, *Antonii laudatorem*.

Uterque et Varius et Dirarum auctor divisiones agrorum acerbissime perstrinxit, et quod etiam memorabilius, uterque *Antonium* aggressus est. Nam *Lycurgi* nomen (v. 8) Antonium, ut unum ex Lupercorum sacerdotio, tecte significare non spernenda coniectura viri docti K. F. Hermann [2]), collato Cic. Philipp. II. 84 et Dion. Cass. XLIV, 11. Vocabulum *Lupercus* plane Graecae voci Λυκοῦργος respondet.

Siquis autem rogat, qui fieri potuerit, ut Varius in Antonium triumvirum potentem et Octaviani collegam tam aperte et acerbe inveheretur, respondeo Weichertii [3]) verbis: „qui Octavianum bene noverit, mihi non dubitabit accedere dicenti vaferrimum istum iuvenem inde a caede usque avunculi sui id animo agitasse, ut solus rerum potiretur, ut oppressis per Antonium Bruto et Cassio sensim sensimque suos in triumviratu collegas auctoritate et potentia privaret et, ubi occasio ferret ac tempus, eos opprimeret. Quare etiam tantum aberat ut aegre ferret, si collegam suum ab aliis videret audiretque vituperatum, ut tacito pectore probaret"

1) Roman Literature (editio quarta) p. 250.
2) Gesamm. Abhand. 1849, p. 118.
3) De L. Varii et Cassii Parmensis vita et carminibus, Grimae 1836, p. 107.

Digitized by Google

Varii puella erat *Plotia Hieria*, ut Donatus in vita Verg. nos docet: *vulgatum est consuevisse eum* (sc. Vergilium) *et cum Plotia Hieria. Sed Asconius Pedianus affirmat ipsam postea maiorem natu narrare solitam: invitatum quidem a Vario ad communionem sui, verum pertinaciter recusasse.* Plotia Hieria haud dubie fuit liberta a Plotio quodam manumissa. Quod Servius ad Eclog. 3. 20 adnotat: *Varius, tragoediarum scriptor, habuit uxorem litteratissimam, cum qua Vergilius adulterium solebat admittere*, ad eandem illam Plotiam Hieriam pertinet; neque tamen eius uxor, sed concubina fuit. In qua narratiuncula unum fortasse verum est Plotiam *litteratissimam* fuisse. Si supra recte disputavimus, Plotia illa eadem est atque *Lydia*, quae et ipsa *docta* puella fuit, cf. Lyd. 24 *non ulla puella | doctior in terris fuit aut formosior;* accedit quod prosodia utriusque nominis eadem est.

Denique observandum est Vergilium, dummodo mea coniectura vera sit, ut in Ecloga 10 Gallum cum Theocrito coniunxit, sic in prima Ecloga materiam suam sumpsisse ex Theocrito et Vario.

Ad Platonis de Rep. p. 450 B.

Μέτρον δέ γε, ἔφη, ὦ Σώκρατες, ὁ Γλαύκων, τοιούτων λόγων (sc. de iustitia) ἀκούειν ὅλος ὁ βίος νοῦν ἔχουσιν.

Ante τοιούτων inserendum τοῦ esse statuerunt Herwerdenus et Richardsus, homonymus vero meus „epexegetice" infinitivum additum declarat. Hoc si verum est, scire pervelim cur umquam ullus infinitivus vocula quae est τοῦ cum substantivo coniungatur et cur hic Plato ultro appetiverit obscuritatem, cum nullo negotio clare loqui potuisset.

I. I. H.

Digitized by Google

VELLEIANA.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I.F.

Velleius Paterculus res domi gestas pertinentes ad annum 167 referens scribit I 9, 6 „quam sit adsidua eminentis fortunae comes invidia altissimisque adhaereat, etiam hoc colligi potest, quod cum Anicii Octaviique triumphum nemo interpellaret, fuere, qui Pauli impedire obniterentur". Quae verba si quis composuerit cum Liv. XLV 35, 5 „intacta invidia media sunt: ad summa ferme tendit. nec de Anici nec de Octavi triumpho dubitatum est; Paulum, cui ipsi quoque se comparare erubuissent, obtrectatio carpsit", cogetur fateri Livium manifesto a Velleio expressum esse. Ex eodem fonte manaverunt (II 40, 5):: „numquam eminentia invidia carent". Num proxima quoque Vellei verba: „itaque et Lucullus memor *ante* [1]) acceptae iniuriae, et Metellus Creticus non iniuste querens (quippe ornamentum triumphi eius captivos duces Pompeius subduxerat) et cum iis pars optimatium refragabatur, ne aut promissa civitatibus a Pompeio aut bene meritis praemia ad arbitrium eius persolverentur" e Livio repetenda sint, quanquam valde verisimile est, equidem pro certo affirmare non ausim. Constat certe Livium Pompeianum fuisse, Velleium autem res enarratas II 37, 4—5 et II 40 admiratione Pompei captum conscripsisse.

Vestigia vero Liviana deprehendi possunt in nonnullis locutionibus, velut

1) Sic edendum censeo pro *tamen*. Idem coniecit Laurent secundum editionem Ellisianam.

Digitized by Google

II 16, 4 Pompeio Sullaque et Mario *fluentem* procumbentemque *rem* populi Romani restituentibus;

II 88, 2 otio ac *mollitiis* paene ultra feminam *fluens* (sc. Maecenas);

Liv. VII 32, 7 Campanos quidem haud dubie magis nimio luxu *fluentibus rebus mollitia*que sua quam vi hostium victos esse (cf. VII 29, 5; 33, 14; X 28, 4).

Vell. I 11, 5 hic idem (sc. Metellus Macedonicus) primus omnium Romae aedem ex marmore in iis ipsis monumentis molitus ⟨*huius*⟩ vel *magnificentiae* vel luxuriae princeps fuit;

Liv. I 56, 2 quibus duobus operibus vix nova *haec magnificentia* quicquam adaequare potuit;

Liv. I 55, 9 summam pecuniae neque ex unius tum urbis praeda sperandam et nullius ne *huius* quidem *magnificentiae* operum fundamenta non exsuperaturam.

Quibus similitudinibus perspectis ego probare non possum, quae Krollio statuere placuit (Teuffel Röm. Liter. II § 278 pag. 195): Dem Livius scheint er als einem verkappten Republikaner nicht recht getraut zu haben, da er häufiger von ihm abweicht als mit ihm übereinstimmt. Immo si maiores partes operis, c. t. ab urbe condita, aetatem tulissent, appareret Velleium cum alia tum plures sententias morales, quam supra attuli, e Livio desumpsisse.

Quis non miretur historicum nostrum, cum inter poetas enumeret Lucretium Vergilium Tibullum Ovidium, II 36 tacere de Horatio, eo magis quod scribens II 33, 4 „quem (sc. Lucullum) *ob iectas moles mari* et receptum suffossis montibus in terras mare haud infacete Magnus Pompeius Xerxen togatum vocare adsueverat", memor est versuum C. III 1. 33

contracta pisces aequora sentiunt
iactis in altum molibus?

Hoc loco aliquatenus comparari potest Sallust. Cat. 13, 1 „a privatis conpluribus subvorsos montis, maria constrata esse", verum apertiora Crispi vestigia in Vellei Historiis, reperiemus, si animum attendemus ad genus dicendi, certe facile unusquisque agnoscet verba Sallustiana, velut *patrare* (II 58, 1; 59, 4, 79, 3) *fusus fugatusque* (II 37, 2), *pollicitati* (II 111, 2) *capessere rempublicam* (II 94, 3) cet.

Digitized by Google

Patet Velleium, adulatorem Tiberii, valde despectum esse a Tacito itaque nisi perraro in eorum scriptis ὁμοιότητες non inveniuntur. Afferri possunt

Vell. II 123, 1 ingravescente in dies valetudine (sc. Augusti)

Tac. Ann. I 5 Haec atque talia agitantibus gravescere valitudo Augusti.

Obiter observo utrumque rerum scriptorem in deliciis habere verba *ciere (accire, concire, excire)* et *adolescere.*

Olim [1]) conatus sum aliquot locos corruptos sanare, nunc quinque alii emendandi sunt. Initium faciendum est a

II 38, 2 primus Africam Regulus nono ferme anno primi Punici belli .... sed post centum et novem annos P. Scipio Aemilianus eruta Carthagine abhinc annos centum septuaginta tris Africam in formulam redegit provinciae.

Halm post *Punici belli* requirens *aggressus est* optimam clausulam pessumdat. Quocirca ediderim: primus Africam Regulus ⟨*armis petivit*⟩ nono e. q. s. coll. II 68, 3 tum patriae, quam *armis petebat,* poenas dedit (sc. Milo). Ceterum frequenter Velleius *petere* utitur velut II 79, 5 Pompeius Asiam fuga *petivit*; II 76, 2 Antonium *petens*; II 82, 2 ne destinatum iter *peterent* cet.

Diem, quo Augustus Tiberium adoptavit, in maius celebrans scribit Velleius

II 103, 4 laetitiam illius diei concursumque civitatis et vota paene inserentium caelo manus spemque conceptam perpetuae securitatis aeternitatisque Romani imperii vix in illo iusto opere abunde persequi poterimus, nedum hic implere temptemus, contenti id unum dixisse, quam ille omnibus ⟨*faustus*⟩ fuerit.

Sic edidit Halm iterum supplemento clausulam delens. Eodem vitio laborant plurimae coniecturae ab Ellisio enumeratae. Mihi persuasum est hic historicum nostrum posuisse:

---

1) Cf. Annaeana nova, Velleiana cet. (1910) pag. 15 sqq. Quod ibi (pag. 16) ad II 24, 1 conieci: „*secundo* (pro: *fonte*) Mithridatem pepulerat proelio", id confirmare videtur II 12, 5 *fortunatissimo* decertavere proelio.

Digitized by Google

quam ⟨*sanctus*⟩ ille omnibus fuerit. Satis habeo conferre [1]) II 18, 4 ea urbs (Nola) pertinacissime arma retinebat.... velut paeniteret eius fidei, quam omnium *sanctissimam* bello praestiterat Punico. Equidem non audio Kritzium *quanti*, Rosenheynii coniecturam, commendantem, cum perspexerim Velleium frequentissime *quam* coniunxisse cum adiectivo et adverbio: invenies e. g. quater in una pagina 130 editionis Halmianae.

Describo simulque corrigo

II 107, 1 cum citeriorem ripam praedicti fluminis castris occupassemus et ulterior armata hostium inventute fulgeret, sub omnem motum ⟨*meatum*⟩que nostrarum navium protinus refugientium, unus e barbaris aetate senior, corpore excellens, dignitate, quantum ostendebat cultus, eminens, cavatum, ut illis mos est, ex materia conscendit alveum solusque id navigii genus temperans ad medium processit fluminis et petiit, liceret sibi sine periculo in eam, quam armis tenebamus, egredi ripam ac videre Caesarem.

Inserui *meatum* [2]), ut allitterationem lucraremur. *Meandi* verbum de navibus usurpat et Curtius (IX 4, 9; conferatur Vogel ad III 5, 9) et Tacitus.

II 116, 1 Magna in bello Delmatico experimenta virtutis in incultos ac difficilis locos praemissus Germanicus dedit; § 2 celebri etiam opera diligentique Vibius Postumus vir consularis, praepositus Delmatiae, ornamenta meruit triumphalia: quem honorem ante paucos annos Passienus et Cossus, viri *quibusdam* diversis virtutibus celebres, in Africa meruerant.

Pro *quibusdam*, quod exhibent apographum Amerbachii et editio princeps, Bothe requisivit *quamvis*, Halm *quamquam*, Ellis *quantumvis*, sed usus Velleianus flagitare videtur: *perquam* diversis virtutibus. Affero *perquam* laudabiliter (II 31, 2),

---

1) Complura exempla attuli in opusculo meo laudato pag. 16 ad II 25, 2 ubi restitui: <*sanctissimo*> ac iustissimo lenior. — *Sanctus dies* invenitur Tibull. IV 5, 1 *sanctior* Horat. Carm. IV 11, 17 cet.

2) Propter allitterationem solum praetulerim coniecturam meam *τῷ impetum* voci insertae a Damsteo (Mnem. 33 (1905) pag. 418).

Digitized by Google

perquam vicinum (II 96, 2), *perquam* clarum et memorabile (II 101, 2), *perquam* laborioso itinere (II 113, 3).

Multorum criticorum ingenia vexavit sententia Velleiana, quae sequitur

II 127, 1 Raro eminentes viri non magnis adiutoribus ad gubernandam fortunam suam usi sunt, ut duo Scipiones duobus Laeliis, quos per omnia aequaverunt sibi, ut divus Augustus M. Agrippa et proxime ab eo Statilio Tauro, quibus novitas familiae haut obstitit quominus ad multiplicis consulatus triumphosque et complura eveherentur sacerdotia. § 2 etenim magna negotia magnis adiutoribus egent *neque in parvo paucitas ministeria defecit.*

Voluit dicere auctor, nisi omnia me fallunt: magnae res requirunt multorum ingenia, nam etiam parvis rebus singulorum vires pares non sunt. Ergo restituendum censeo lenissima medicina: neque in parvo paucitas ministeria ⟨*haud*⟩ defecit. Nihil impedit quominus alteram paragraphum vertam: immers gewichtige aangelegenheden vereischen bekwame helpers, ook in 't kleine toch schiet een gering aantal medewerkers te kort voor hun taak.

Ad Plutarchi V. Aristidis c. 17.

Postquam narravit de Amomphareti pertinacia consilioque quo mentem eius mutare conatur Pausanias, sic Plutarchus pergit:

ἐν τούτῳ δὲ κατελάμβανεν ἡμέρα.

Omnia me monent ut hic κατέλαμπεν scribendum censeam: nemo enim hic *deprehenditur*, nemo quominus aliquid perficiat *prohibetur* et, quod gravissimum est, suo sibi obiecto carere istud κατελάμβανε non potest. Herodoti verba haec sunt:

τοὺς δὲ ἐπεὶ ἀνακρινομένους πρὸς ἑωυτοὺς ἠὼς κατελάμβανε κτέ

Vides quam libere Plutarchus magistri exemplum suae adaptaverit narrationi.

I. I. H.

Digitized by Google

AD PROPERTII ELEGIAM

LIBRI III, 18am

SCRIPSIT

I. I. HARTMAN.

Nobile illud et vere magnificum Marcelli epitaphium (Marcelli autem esse vs. demum 33 apparet, vel potius inde id efficias. Sunt enim huiuscemodi:

Qua Siculae victor telluris Claudius et qua
Caesar ab humana cessit in astra via.

Pro *via* autem apte, ut opinor, Baehrensius *vice* coniecit) illud ergo epitaphium sic incipit:

Clausus ab umbroso qua ludit Pontus Averno
Humida Baiarum stagna tepentis aquae,
Qua iacet et Troiae tubicen Misenus harena
Et sonat Herculeo structa labore via
Hic ubi mortalis dextra cum quaereret urbes,
Cymbala Thebano concrepuere deo,
(At nunc invisae magno cum crimine Baiae
Quis deus in vestra constitit hostis aqua?)
His pressus Stygias vultum demisit in undas,
Errat et in vestro spiritus ille lacu.

Ita fere codices. Vs. 2 iure Scaliger restituit *fumida* pro *humida*, quod tum sanum esse credam, cum mihi persuadebitur ulla *stagna* tepentis *aquae* esse posse *sicca* atque *arida* vel umquam fuisse in rerum natura. Vss. 3 et 4 verba *iacet* et *sonat* inter se transponit Baehrensius, ingeniosa sed fortasse non necessaria coniectura. Vs. 5, ut aptus exsistat sensus, *hic* legendum erit pro *his* et *dexter* (= benevolus) pro *dextra*.

Digitized by Google

Sed haec omnia leviora; gravius illud quod vs. 2 *fumida* illa *stagna* carent verbo unde pendeant: appositio enim *ponti* esse non possunt. Intellexit hoc Lambinus et pro intransitivo verbo *ludit* reposuit transitivum *alludit*, multoque elegantius Baehrensius *tundit*.

Esto: *pontus tundit stagna*. Haud difficile est illud intelligere: pontus enim est ipsum mare, idque ita ab aquis Baianis est diremptum vel aggere aliquo vel loco vadoso ut illae aquae tamen aliquo modo mare sentiant vicinum.

At *pontus* ille (quo nomine quin mare significetur vix quemquam dubitare posse opinor), quo modo, obsecro, *clausus* esse potest ab umbroso (lacu) Averno?

Respondeat quispiam — nam revera haec fere annotata invenio —: „lacus Avernus aliquo modo, sive natura, sive opere humano, cum mari cohaeret, aut est nihil aliud nisi ipsius maris sinus aliquis".

In transitu concedo mihi numquam contigisse ut horum locorum accuratam mihi informarem imaginem, sed addo mihi neminem ex iis, qui hoc carmen illustraverunt annotationibus suis, hac in re me fuisse feliciorem. Quid quod ne ipsum quidem Propertium suspicor umquam sibi illam regionem in charta delineasse. Certe non hic tamquam agrimensor loquitur.

Haud dubie lacus Avernus, si nihil aliud est nisi sinus maris celsis cinctus arboribus, appellari potest „pontus clausus sinuata umbrosaque *ripa*", sed ut recte dicatur „pontus clausus umbroso (lacu) Averno" vehementer vereor. Hoc vero pertinaciter nego ullum ibi praepositioni *ab* locum esse. Quae enim ista est latinitas: „sinus clausus *a* silva, ripa, litore curvato aliis"?

Sed de gravissimo, quo totus hic locus laborat, vitio nondum locuti sumus, estque illud eiusmodi ut bene emendatum simul nos importuna ista liberet praepositione.

Aspicite mihi vs. 9 sq.:

hic pressus Stygias vultum demisit in undas
errat et in vestro spiritus ille lacu.

Quis tandem ille est de quo hic agitur? Cantabatur olim:

Malbrouck s'en va-'t-en guerre,

hoc erat cantilenae iustum exordium. Fortasse novicio poetae

Digitized by Google

libeat ita inchoare: „il s'en va" et deinde de noto illo narrare bellatore, cuius nomen divinandum relinquat legentibus cantantibusque. Sed quis umquam inter antiquos sic scripsit? Vel a nostrae aetatis scriptoribus genus illud explosum derisumque est. Recordamur omnes iocosum illud: „il vient, tenant en ses mains sales e. q. s." lepidissimi scriptoris qui ludicris exemplis artem „monologiae" pronuntiandae docere nos vult. Absint talia a carmine doloris et luctus pleno!

Interiit quidam aqua prope Baias mersus. Hoc e versibus 1—10 cognovimus. Tum haec adduntur:

quid genus aut virtus aut optima profuit illi
mater et amplexum Caesaris esse focum?

Quivis hic Propertii aequalis potuit, et potest quivis nostrum, qui non sit hospes in historia Romana, intelligere miserum illum esse Marcellum, filium Octaviae, omnium matronarum praestantissimae, Octaviani Augusti sororis. Sed quam remotum illud est ab antiqua disponendi ratione, primum lamentari ob mortem iuvenis qui fluctibus obrutus interierit, deinde — et admodum longa est illa lamentatio — Marcellum illum esse non dicere sed tecte significare?

Non latuit immane illud vitium antiquos criticos neque neglectum est a Baehrensio, viro de multis poetis latinis et praesertim de Propertio optime merito, sed illi ad audaces confugerunt coniecturas et unum plurave disticha excidisse statuerunt, sed intacta reliquerunt et suspectum illud *clausus* et intolerabilem istam praepositionem *ab*. Nos posthac legamus:

Claudius umbroso qua tundit pontus Averno
Fumida Baiarum stagna tepentis aquae,
Qua iacet et Troiae tibicen Misenus harena,
Et sonat Herculeo structa labore via,
Hic, ubi mortalis dexter cum quaereret urbes
Cymbala Thebano concrepuere deo,
(At nunc, invisae magno cum crimine Baiae
Quis deus in vestra constitit hostis aqua?)
Hic pressus Stygias vitam demisit in undas
Errat et in vestro spiritus ille lacu.
Quid genus aut virtus aut optima profuit illi
Mater et amplexum Caesaris esse domum e. q. s.

Digitized by Google

Nunc mare dicitur tundere Averno (ablativus instrumenti hic est) stagna Baiana. Recte, nam lacum Avernum aliquo modo cum mari cohaesisse aut Romanis cohaerere visum esse, si non aliunde constet nostro iure nobis sumere liceat.

Et quam praeclare nunc carmen, quod a Claudii iunioris nomine incipiat, mentione antiqui Claudii Marcelli, qui Syracusas cepit, clauditur:

Qua Siculae victor telluris Claudius

hisce solis adiectis, quibus declaretur quanta nobilitate dignus ille fuerit adolescens

et qua

Caesar ab humana cessit in astra vice.

Haud mirer si (atque adeo mirer ni) illud *Claudius* pro *Clausus ab* iam ante duo vel tria sit inventum saecula. Sed, licet sedulo investigaverim, non inveni hanc mihi ab aliquo Heinsio vel Schradero praereptam gloriolam.

Ad Senecam rhetorem.

Cum egregiam commentationem M. Gelzeri legerem, in qua ille exposuit, quinam homines aetate imperatoria nobiles dicerentur (*Die Nobilität der Kaiserzeit*, *Hermes*, Vol. L, 1915, p. 402), incidi in locum ab eo laudatum Senecae rhetoris, qui nondum sanatus videtur esse, nempe Controv. II 1, 17 (verba sunt Porcii Latronis): *Fabriciorum imagines Metellis patuerunt, Aemiliorum ⟨et⟩ Scipionum familias adoptio miscuit; etiam abolita saeculis nomina per successores novos fulgent. sic illa patriciorum nobilitas fundamentis urbis † habet usque in haec tempora constitit.*

Verba corrupta *habet usque* omnes libri manuscripti secundum Kiesslingium ita exhibent: *habusque*, pro quo Haase et Bursian proposuerunt *abusque*, Kiessling *statuta usque*. Fortasse legendum est: *sic illa patriciorum nobilitas fundamentis urbis haerens usque in haec tempora constitit.*

A. G. Roos.

Digitized by Google

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER.

(Continuantur ex pag. 34.)

CXI.

De mensurae generibus.

Pars tertia (cum additamentis ad duas priores et indice geographico topographico totius capitis).

Adhibentur autem limites non tantum divisionibus, sed diriguntur etiam *inter binas colonias* [1]), qui limites dicuntur *praefix(i)* [2]), cuiusmodi fuit limes inter Cordubam et Astigitanam coloniam apparebatque eo tempore, quo habitum est concilium Hispalense alterum anno 619. Est ex eodem genere imperii limes, neque id Theodorum utique Mommsen [3]) latuit. Sed limitibus qui dividit, is *more colonico* [4]) quadras secat, quae vel centuriae dicuntur vel laterculi. Est centuria vel laterculus quidquid intra quatuor proximos limites cluditur et appellantur

1) Gromat. p. 168 lin. 24 (Thulin p. 128, 12).

2) Ita legitur in c. 6 C(ausa) XVI qu. 3 (in Gratiani decreto) et est legendum apud Gromat. p. 184 lin. 1/2 (Thulin p. 97, 17) pro *praedictis* (Thulin: *perductis*).

3) *Westdeutsche Ztschr.* XIII (1894) p. 142 lin. 1—3 (*Ges. Schr.* V 24). Cf. Gebert, *Bonner Jahrb.* CXIX (1910) p. 194/6; Fabricius, *Der* Limes. *Strecke* I (fasc. 40) (1915) p. 17/8.

4) Gromat. p. 205 lin. 1/2 (Thulin p. 168, 1/3): *more colonico .... hoc est per centurias.* Nihilomagis omnes coloniae limitibus divisae sunt, veluti Suessa Aurunca (Gromat. p. 3 lin. 1/2 = Thulin p. 1 lin. 8—10).

Digitized by Google

in quaestoriis agris laterculi [1]), quae centuriae dicuntur in viritanis [2]) et colonicis. Quaestorii sunt agri, quos quaestor ex publico vendit; viritani, qui adsignantur nulla colonia deducta [3]), colonici, qui colonia deducta. Itaque mansit antiqua dividendi forma, id est, per strigas et per scamna, in solo agro provinciali publico [4]), licet hunc quoque multi per centurias diviserint, sed notantur ab Hygino agrimensore [5]), cui videtur, quorum *condicio diversa si(t)*, eorum *mensurarum* quoque *actus dissimilis esse debe(re)*. Publicus autem intelligendus est, qui tributum pendit [6]) vel *fructus partem certam vel pecuniam et hoc per soli aestimationem* [7]), id est, tributarius ager, quem vectigalem appellat Hyginus [8]). Sane *fructus partem certam* intelligi oportet de taxata fructuum quantitate, quam appellare solemus annonam; alioquin, ubi decumae exiguntur, soli aestimatio vel simplex mensura *(n)ullam* habet *utilitatem*, quae non tantum Ciceronis [9]) est opinio, sed etiam Friderici Caroli Savigny [10]) et Nicolai Gerardi Pierson [11]) et Adolphi Schulten [12]). Quamquam Verrinum [13]) institutum de professione agrorum decuma-

---

1) Gromat. p. 115, 15/20; 186, 15/9; 152, 23/5 (Thulin p. 78, 18—23; 100, 8—13; 116, 20/2). Cf. praeterea ibid. p. 122, 15—20 (Thulin p. 85, 16—21).

2) Varro, de R. R. I 10 § 3.

3) Fest. v. *viritanus* (cf. Mommsen, CIL I p. 88/9).

4) Gromat. p. 4 lin. 1/2 (Thulin p. 1 lin. 15/6): *in hanc similitudinem .... in provinciis arva publica coluntur.*

5) Gromat. p. 204—208 (Thulin p. 167—71) (p. 206, 8/9 (Thulin 169, 10/1): *mensura(m) per strigas et scamna agemus*). — *Per centurias* divisus fuit non tantum *in Pannonia* provincialis ager (Gromat. p. 205, 8 = Thulin 168, 3), sed etiam in Africa et fortasse Numidia, qua de re diximus cap. LXXII.

6) Cf. Gromat. p. 36, 3—13 (Thulin 23, 13—23), ubi *privat(o) agr(o)* opponitur stipendiarius.

7) Gromat. p. 205, 11/2 (Thulin, 168, 11/3).

8) Cf. Savigny, *Verm. Schr.* II p. 100—102, qui locum explicat secundum Goesianam recensionem, licet Lachmannianam laudet. Habet Goesius *nunc multi*, Lachmann (p. 205, 12 = Thulin 168, 12) *alii* (*pecuniam*).

9) Accus. V 15 § 38.

10) *Verm. Schr.* II p. 160: „*Kataster .... sind für die Zehenterhebung ganz überflüssig.*"

11) *Grondbeginselen der Staathuishoudk.* I (1875) p. 38.

12) Herm. 41 (1906) p. 37: „*bei einer Steuer in Fruchtquoten (hätte, dass die Besitzer die Zahl der Morgen .... angeben mussten), keinen Zweck gehabt*".

13) Commune fit apud: Marquardt, *Staatsverw.* II (1884) p. 188[1].

Digitized by Google

norum est etiam in legibus Ptolemaeorum ἕκτης καὶ δεκάτης [1]). Quamobrem fortasse fatendum erit, etiamsi decumae exigendae sint, aliquam posse habere professionem utilitatem futuro proventui probabiliter aestimando, sive ante licitationem fiat, etiam τῷ πωλοῦντι [2]), sive post, dumtaxat τῷ πριαμένῳ [3]); sed nihilomagis pertinebit Hygini sermo ad decumarum genus, quia profecto non *per soli aestimationem* potest crescere vel decrescere eiusmodi praestatio [4]). Non tamen omnis ager tributarius divisi numero est: *compluribus* enim *provinciis tributarium solum per universitatem*, id est, indivisum, vel *populis est definitum* vel privatis iis, quibus parent saltus [5]); horum enim *privatorum agrorum*, vel, ut verius dicam, territoriorum [6]) prorsus *eadem ratione* atque rerum publicarum *mensurae aguntur* [7]). Ipse Romanus ager [8]) fueritne mensura comprehensus divisusve quaeritur (Ed. Meyer [9]): „*ob der* ager Romanus *ursprünglich* (dicere debuit: „*der ursprüngliche* ager Romanus") ... *aufgetheilt gewesen ist, ist mir sehr zweifelhaft*";

---

1) *Revenue laws* col. 33; 36; 37.

2) Degenkolb, *die* lex hieronica (1861) p. 42/3; Grenfell ad *Rev. laws* col. 37, 14 (pag. 118/9).

3) *Rev. laws* col. 33 iubentur (οἱ) βασιλικοὶ γραμματῆς ἀπογράφ(φειν) arurarum numerum τοῖς τὴν ὠνὴν πριαμένοις.

4) Perperam hoc extendit ad annonam Rudorff, *Ztschr. f. gesch. Rechtsw.* X (1839) p. 125: „*Bonitirung* (*würde*) *bei Naturalprästationen keinen Sinn haben*".

5) Cf. Gromat. p. 53, 5—9 (Thulin 45, 18—22). Saltus vel qui Caesaris non est (ibid. p. 46, 5/6 = Thulin 36, 3/4) vel qui tributarius non est (ibid. p. 35, 16 = Thulin 23, 8) *privatus* dicitur. — De saltibus multas paginas complevit Schulten, *die röm. Grundherrschaften* (1896) et item Cicogna, *Archivio giurid.* (1905) (vol. 74 et 75).

6) Quia intra saltum unius sunt fundi multorum hominum (l. 52 pr. D. 19. 1), quos colonos appellat Schulten, *Grundherrschaften* p. 90, putatque conduxisse. *Colonos* utique recte, sed *conduxisse* neque sequitur (Cicogna, *Archivio* cit. 74 p. 430/1) neque verum videtur.

7) Gromat. p. 4 lin. 5—p. 5 lin. 3 (Thulin p. 2 lin. 2—4). Ergo non utique sunt arcifinii (Schulten, op. cit. p. 42, p. 107), id est, *qui nulla mensura continu(u)tur*: Gromat. p. 5 lin. 6 (Thulin 2 lin. 8).

8) Agrum intelligimus *armis* (*non*) *partum* (Liv. IV 48 § 3), qui ab initio Romanus fuit, cuius fines ostendebantur Strabonis tempore et erant ab una certe parte μεταξὺ .... τοῦ πέμπτου καὶ τοῦ ἕκτου λίθου (Strabo V 3 § 2). Quidquid enim sub Romulo accessit, id Numa *divisit viritim civibus* (Cic. de Rep. II 14 § 26), proinde nihil quaerendum est.

9) *Gesch. des Alterthums* II (1893) p. 522.

Digitized by Google

Brugi [1]): „*siamo ... in dubbio circa alla estenzione del suolo limitato uel vetusto* ager romanus"). Sed neutrum legitur, quamquam a Romulo divisum apud Varronem [2]) scriptum inveniri falso persuasum est plerisque [3]). Atqui docet Varro: heredii, id est, *horti* [4]) nomine *bina ingera ... a Romulo ... divisa viritim;* non docet, agri quid in divisionem venerit. Est autem incredibile totum agrum Romanum hortis divisum esse, neque errat Meitzen, ubi scribit [5]): post hortorum divisionem superfuisse utique de Romano agro, unde se suosque alerent („*die ...* heredia ... *müssen als Hofstellen ... angesehen werden, an welche für die Familien ... das gleiche Recht* [6]) *ihren weiteren Lebensbedarf aus dem* ager Romanus *zu beschaffen geknüpft war*"). Putat autem, quod superfuerit hortis, id postea per strigas et per scamna vel adeo limitibus divisum esse [7]), quae res prorsus est commentitia. Ager autem, qui omnino in mensuram non venit, is arcifinius dicitur vel occupatorius vel solutus, cui generi adfine est in agro, qui per extremitatem mensura comprehenditur, *quidquid inter normalem lineam et* veram *extremitatem interest* [8]), in centuriato autem quidquid *extremis in finibus divisionis* [9]) *centuria expleri non potuit* [10]). Quod utrumque dicitur subsicivum — *aliud genus* est *subsicivorum, quod in mediis adsignationibus et integris centuriis intervenit* [11]), qnum non totus modus fuerit adsignatus [12]) — atque eatenus est in potestate mensoris, quatenus *subsecante* ...

---

1) *Atti dell' istit. Veneto* 58 (1898/9) p. 64.

2) De re rust. I 10 § 2.

3) E. g. Fustel, *Questions histor.* (1893) p. 85: „*Varron ... affirme que* Romulus *avait partagé le* (= tout le) *territoire en lots héréditaires qui n'avaient chacun que deux arpents*".

4) Plin., Hist. nat. XIX § 50.

5) *Siedelung und Agrarwesen* I p. 263.

6) Animo obversatam Teutonicam hobam (*Hufe*), manifestum est.

7) Op. cit. (*Siedelung* etc.) I p. 303 sqq.

8) Gromat. p. 7, 6/8 (Thulin 8, 3/5).

9) Gromat. p. 121, 17 (Thulin 84, 18/9).

10) Gromat. p. 6/7 (Thulin 2, 18/9).

11) Gromat. p. 7, 1/2 (Thulin p. 2, 19/21).

12) Gromat. p. 7, 3/5 (Thulin p. 2/3): *quidquid enim inter IV limites minus, quam intraclusum est,* [si] *fuerit adsignatum, in hac remanet appellatione;* p. 155, 25/7 (Thulin 120, 1/3): *adsignati computatione facta, quanto minus est, quam centuriae modus esse debet, subsecivum vocatur.*

Digitized by Google

linea ... cludatur [1]) hoc modo:



quia trigonon rectangulum parallelogrammi rectanguli semissem capit. *In subsicivis*, igitur, licet non *quadratae* sint *centuriae* [2]), sed *trigoni*, *trapizea*, *pentagona* [3]), tamen horum mensura multiplicando in se latera et, si opus est, dimidiando, nullius dati numeri latus [4]) sumendo procedit [5]), quocirca est *mensuraii(s)* sine dubio, qua subsecatur, *line(a)* [6]); verum, quod ultra subsecantem lineam est, id *in potestate mensoris* non est, nec quod exigit Frontinus, *minima quaeque pars agri* ut sit [7]), id umquam evenire potest, nisi ipsa finitima linea mensuralis sit [8]), veluti, quod *ipsius divisionis directione* territorium finiatur [9]),

1) Gromat. p. 6/7 (Thulin p. 2/3).
2) Gromat. p. 30, 21/2 (Thulin 14, 8/9).
3) Gromat. p. 290, 4/5.
4) Quam nos appellamus radicem.
5) Ideo quia solvi potest in rectangula vel trapizeum vel pentagonon hoc modo:





6) Gromat. p. 110 lin. 14—16 (= 2 lin. 9—11 = Thulin 52, 20—22).
7) Gromat. p. 32, 12/3 (Thulin 16, 10/1).
8) Cf. Gromat, p. 22 lin. 4/5 (Thulin 9, 8/9), ubi pro *aliqua* l. *antiqua*, sicut habetur p. 5 lin. 7 (Thulin 2, 9).
9) Gromat. p. 134, 2 (Thulin 97, 18). Erit igitur haec extremitas *limitibus comprehensa* (ibid. p. 198, 18 = Thulin 161, 19).

Digitized by Google

nec sit eius extra limitum ordinationem quidquam. Genera mensurarum contribui non oportet [1]); itaque peccant Frontino, qui, cuius agri *extremitatem mensura comprehenderint, eundem in formam* [in modum] *limitati cond(a)nt* [2]), id est, dividant. Quae religio postea non obtinuit: Hygino saltem videtur *optimum* esse, coloniae unius cuiusque *extremitatem ... rectis angulis obligare* [3]); iungit igitur divisionem et mensura comprehensionem. Iungit idem limitationem cum divisione per strigas et per scamna, quam ob rem notatur a Maximiliano Weber in historia agraria [4]), qui superius vitium praetermisit. Est denique observandum, quia ceteri scriptores non sic distinguunt [5]), agrimensoribus aliud esse agrorum divisionem, aliud adsignationem [6]). Vidimus enim agrum aliquando *per universitatem*, id est, indivisum adsignari [7]). Ex diverso fieri potest, ut ager divisus non adsignetur, ut fit in agris quaestoriis [8]), qui non adsignantur, sed certa lege veneunt; interest autem, veneatne ager, an adsignetur [9]). Colonia quoque deducta divisi quidquid adsignationi superest, id per centurias [10]) et subsiciva [11]) vectigali subici solet, licet sic loquatur Frontinus [12]), quasi

---

1) Quia de agro loquimur, non ad rem pertinet, quod castella quasi lacustria, de quibus diximus supra, quum sint forma mensurali, tamen habere videantur decumanum vel cardinem.

2) Gromat. p. 5, 3/5 (Thulin 2, 4/7).

3) Gromat. p. 198 lin. 19 (Thulin 161, 20/1). Cf. ibid. p. 181, 15 (Thulin 145, 20).

4) *Agrargesch.* (1891) p. 22/3.

5) Exemplorum vis est apud Theodorum Mommsen, CIL I p. 88/9. Apud Livium quidem (40 c. 38) videtur separari actus *dividend(i) dand(i)que.*

6) Gromat. p. 154, p. 160 (Thulin 118; 125). Ergo valde errat Nissen, *Pompej. Studien* (1877) p. 573 med., quum scribat limitationem et adsignationem idem esse („*die Limitation, d. h. die Vertheilung des Eigenthums*"; cf. ibid. p. 587 ima: „*Plan der Adsignation*"), unde descendit sententia eius, *Orientation* (1906) p. 82: „*nach römischem Recht hängt alles Eigenthum an Grund und Boden ab von der Limitation*".

7) Quia hoc fieri negat Mommsen, Herm. 27 (1892) p. 80 („*die* agrorum divisio *ist die notwendige Voraussetzung* der agrorum adsignatio"), rursus auctorem nominabimus. Est Frontinus agrimensor (p. 4/5 = Thulin p. 1/2); sed Flaccus quoque (p. 160, 20 = Thulin 125, 8/9) *genus* agnoscit *adsignationis sine divisione.*

8) Agros publice vendere solet *quaestor praetorve* (l. agr. inscr. lin. 92).

9) Cf. e. g. l. agr. inscr. lin. 57: *neve emptum neve adsignatum.*

10) Gromat. p. 116, p. 131, p. 163 (Thulin p. 79, p. 94, p. 127, 21 sqq.).

11) Gromat. p. 110 lin. 20/2 (= p. 6, 18—20 = Thulin 56, 16/8), ubi *census* est vectigal. Cf. ibid. p. 202, 4 (Thulin 165, 2/3).

12) Gromat. p. 21/2, p. 55/6 (Thulin p. 9, 3 sqq.; p. 47, 9 sqq.).

Digitized by Google

semper simul desinant adsignatio et centuriarum ordinatio, quum facile fieri possit, ut haec latius extendatur. Ager sic, ut dictum est, ad mensuram redactus *mensuraliter obligat(us)* dicitur, et est haec obligatio, quae fit apud Romanos, sicut huius capitis initio praefati sumus, semper et ubique *rectis angulis*, ab ea diversa, quae fit *terminis* [1]), quamobrem contingit, ut, quod mensuraliter solutum est, idem terminis obligatum inveniatur [2]). Contrarium non facile inveneris, etsi potest mente concipi [3]); solet enim mensuralis obligatio *terminis fundari* [4]). Ab utraque diversa est iuris obligatio, id est, *publicae fidei . . . testimonium*, quod possessoribus praestat publica forma; privata forma, qualis fuisse creditur agrorum tabula [5]) Apollinis eius, cui dicata erat Urbs Magna *(Edfu)*, non praestat [6]), quamquam non sum nescius Scaevolam [7]) *de latitudine*, id est, de fine [8]) emptionis instrumento decernendum putare, quin etiam hodie apud Gallos privatis instrumentis modum solere vindicari, quod abominatur prudentissimus Robernier [9]). Iuris autem obligatio et artis adeo non cohaerent, ut etiam citra formam obliget significans descriptio, modo habeat auctoritatem [10]), forma denique obliget, licet *extremis* tantum *lineis comprehens(a) s(it) . . . sine ulla quidem norma rectoque angulo* [11]).

---

1) Mensuralis obligatio commemoratur Gromat. p. 181, 15; 198, 19 (Thulin 145, 20; 161, 20/1); ea quae fit terminis ibid. p. 181, 10; 198, 14 (Thulin 145, 15; 161, 15/6).

2) Gromat. p. 137, 23; 138, 18 (Thulin 101, 15/6; 102, 16).

3) *Commission (française) extraparlementaire du cadastre*, fascic. 4 (*Déc.* 1893) p. XXIX: *„on peut concevoir une délimitation sans bornage"*. Cf. Dernburg, *Pandekten* I (1892) § 74 post notam 4, § 76 ante notam 2.

4) Cf. e. g. Gromat. p. 206, 4/5 (Thulin 169, 5/6).

5) Ediderunt eam Lepsius (*Philol. Abhandl. der Akad. zu Berlin a. d. J.* 1855) et item Brugsch (Thes. inscr. aegypt. III (1884) p. 531 sqq.). Confecta est inter ante Chr. 107 et 88 (Cantor, *die röm. Agrimensoren* p. 34/5).

6) Gromat. p. 138, 11—17 (Thulin 102, 9—15). Idem iudicium fert Emelius, *allgem. Vermessungsnachr.* 22 (1910) p. 130, de tabulis agrorum, quas conficiendas curare solent Turcorum μάκαρες.

7) L. 43 pr. D. 18. 7.

8) L. 4 § 10 D. 10. 1.

9) *Preuve du droit de propriété* I (1843) p. 269—273 (iis. p. 206—210, p. 309).

10) Gromat. p. 114/5; 163/4 (Thulin p. 74; 128, 16/8).

11) Gromat. p. 117, 8/9 (Thulin 80, 10/1). Ergo fallit Cantor, *Vorlesungen* I (1907) p. 542: *„nur über Besitzstücke mit geradlinigen zu einander senkrechten Grenzen (wurden) Flurkarten öffentlichen Glaubens angefertigt"*.

Digitized by Google

Quo casu, etiamsi *habe(a)t quendam modum adscriptum* [1]), tamen difficillimum erit *secundum instrumentum fines restituere* [2]), quum sit hoc modo territorium iure quidem, non vero mensuraliter obligatum. *Exprimi enim locorum* [3]) *veritas sine rationabilibus* [4]) *lineis non potest* [5]) nec *in agro* [6]) *observari ... lineis* [7]), nisi habeat aes *primo locum, deinde modum, deinde speciem* [8]) et eam quidem, mensuralem. *Locum*, veluti: ad lucum Feroniae regione illa [9]); *modum*: iugera tot; speciem: parallelogrammum rectangulum tot passus longum, latum tot [10]). Horum si quid desit *instrumentis forte veteribus*, quibus *contine(ri)* quidem *solet adaeratio* [11]), id est, modus [12]), species non solet, aut, *si ut aquae diffusae regiones pareant et argumentis aut arborum aut aliarum rerum careant, sicut in Africa, ubi spatiositas* [et inundatio] *camporum* [eiusmodi controversias] *facillime in errorem deducit* [13]) nec patitur *signorum loca requir(i)* [14]), frustra sudabit mensor, dum aut in regione haeret aut in specie et modo, quae *omnia ... convenienter habere* [15]) *debent, ut illa sint, quae secundum formam proponuntur* [16]). Nam in agro limitato, licet singulae acceptae mensuraliter obligatae non sint, tamen minuitur molestia, quia, quod *imperitis obscurissimum est*

---

1) Gromat. p. 117, 7/8; p. 163, 3/4 (Thulin 80, 9/10; 127, 18/9).

2) Gromat. p. 22/3 (Thulin 9, 13 sqq.).

3) Additur: *aut modi*. Sed *modi veritas* sine ullis lineis exprimi potest, e. g. „iugera tot".

4) Quibuscumque lineis („*mittels beliebiger Linien*") fieri posse putat Mommsen, *Feldmesser* II p. 154[18].

5) Gromat. p. 31 (Thulin 15, 7/8).

6) Gromat. p. 98, 12.

7) Gromat. p. 46, 9/10 (Thulin 36, 9/10).

8) Gromat. p. 46, 11/3 (Thulin 36, 16/7).

9) *Signa*, quot oportet, *in formis nomin(antur)* (Gromat. p. 47, 22 = Thulin 38, 21). In limitato simplicius fit: *dextra decumanum totum citra cardinem totum* (Gromat. p. 155 = Thulin p. 119).

10) Itaque verum dicentibus modi enuntiatio supervacanea est, nam specie conveniente, modus item conveniet. Ex diverso *specie disconveniente* non utique *modus item disconveni(e)t* (Gromat. p. 47, 15—20 = Thulin 38, 9—14).

11) Gromat. p. 46, 14/5 (Thulin 36, 19/8).

12) Cf. Gromat. p. 32, 5 (Thulin 16, 2).

13) Gromat. p. 47, 6—10 (Thulin 38, 1—4).

14) Gromat. p. 48, 1/2 (Thulin 38, 22).

15) Id est, ὁμολογουμένως ἔχειν.

16) Gromat. p. 46, 18/9; 47, 21 sqq. (Thulin 37, 14/6; 38, 19 sqq.).

Digitized by Google

dinoscere, id est, *an secundum formam regio conveniat praesens* [1]), id protinus tollitur, quum demonstrata sit *centuria*, *in qua quaestio fuerit orta* [2]). Quod numquam erit ambiguum, si lapides parent et habent regionum significationem veluti *dextra decumanum totum citra kardinem totum* [3]), quales posuerunt, quibus cordi fuit *limites inscriptionibus claudi ita*, *ut cuius centuriae essent* singuli *lapides intelligere*[n]*tur* [4]). Sin lapides nihil habent praeter cardinum et decumanorum numerum [5]), nihilominus, *in qua parte agri sis* [6]), plerumque *in re praesenti deprehendi* potest [7]); sufficit enim, quod decumani in orientem et occidentem spectent, ut intelligatur antica vel ultrata pars in occidente, atque consequenter postica vel citrata in oriente, dextrata in septentrione, sinistrata in meridiano. Sin spectent in meridianum et septentrionem decumani, antica vel ultrata pars in septentrione erit, ceterae convenienter, id est postica vel citrata in meridiano, dextrata in oriente, sinistrata in occidente [8]). Haec ideo, quia numquam, quo versis, dum fides Basilio et Gratiano [9]) et tertio Innocentio [10]) et magistro Thomae [11]), Christianis orandum est, *in orientem*, haud magis *in meridianum*, dirigitur decumanus [12]), sed, valde

---

1) Gromat. p. 47, 5/6 (Thulin 37/8).

2) Gromat. p. 298, 22.

3) Superest eiusmodi lapis ex agro Campano (*Not. degli scavi* 1897 p. 123 = CIL X 8861 = I 552) ex Byzaceno vel plures (*Bonner Jahrb.* CXX (1911) p. 61—65), quibus demonstratur rectius habere *tota* quam *totum* (*Jahrb.* cit. CXX p. 43, p. 45).

4) Gromat. p. 172 lin. 13/4 (Thulin 137, 10/1).

5) Gromat. p. 172 lin. 7/8 (Thulin 137, 3—5): *quidam .... limitum tantum numerum significaverunt* (cf. ibid. p. 288 lin. 15/6). Authenticum exemplar ex Lucania superest (*Not. degli scavi* 1897 p. 119 sqq. = *Ann. épigr.* 1897 no. 56).

6) Gromat. p. 290 lin. 17/8 (cf. Valeton, Mnemos. XXI (1893) p. 409).

7) Gromat. 291 lin. 18/9.

8) Gromat. p. 290—292.

9) c. 5 Dist. XI (ex Basilio).

10) Apud Henricum Nissen, *Orientation* p. 412 ima. (Laudat hic: de sacro altaris mysterio II 22).

11) Summ. Theol. 2 II qu. 84 art. 3 concl. ad III: *secundum quandam decentiam*. Locum debeo Henrico Nissen.

12) Valeton, Mnemos. XXI (1893) p. 412/3. Ex diverso putat principaliter directum esse in meridiem („*dass die Südrichtung das Ursprünglich(e) sei*") Barthel, *Bonner Jahrb.* CXX (1911) p. 116/7. Cui praeiverat Elter, de forma urbis II (1891) p. XXVII.

Digitized by Google

rebellet licet Barthel [1]), semper *in occasum* [2]) vel *in septentrionem* [3]), nisi in totum *reli(nquatur) coeli rati(o)* [4]). Est igitur decumani una directio secundum rationem, id est, in occidentem, altera *contra ... rationem* [5]) vel *inversa* [6]), id est, in septentrionem, quam secuti sunt in agro Campano [7]), Consentino, Vibonensi, Beneventano [8]), quaedam denique sine ratione, id est, quocumque libuerit. Et potest in re praesenti directio deprehendi, sive secundum rationem sive contra rationem limites ordinati sunt. Non potest, quum ordinati sunt relicta ratione. Docet autem Valeton [9]): quum ab Etruscis orbem terrarum sic dividentibus, aliter coelum [10]) — nam coeli partes *ab exortu sinistras ... appellavere* [11]), ut Romani [12]), quibus antica pars coeli vel mundi [13]) *a deorum sede ... spect(antibus)* [14]) meridies fuit [15])

---

1) *Bonner Jahrb.* CXX (1911) p. 114/6.

2) Ideo, quia *eo sol et luna specta(n)t* (Gromat. p. 27 lin. 17 = Thulin p. 11, 3/4). — Omnium gravissime et copiosissime praeter Valetonium, Mnemos. XXI (1893) p. 404—440, de ea religione disputavit Nissen, *Orientation* (1906, 1907, 1910), qui Batavum contempsit, ut oportebat Bonnensem (cf. ibi p. 115). Inde delibat Thulin, *Göteborgs Högskolas Årsskrift* XV (1909) p. 28/9, p. 45/6.

3) Apud Indos: *„from east to west or from north to south"* (Acharya, *Summary of Manasara*, Diss. Leid. 1918, p. 9); *„from east to west and ... from north to south"* (Varahamihira (*translated*) 53 § 42 apud: Kern, *Verspr. gesch.* II p. 17). Dirigitur quidem ibi non proprie decumanus, sed solum oppidi (Manas.) vel sine latitudine rigores (Varah.).

4) Gromat. p. 170 lin. 10 (Thulin 135, 8).

5) Gromat. p. 29 lin. 4 (Thulin 12, 8: *contra septentrionem*).

6) Gromat. p. 182 lin. 1 (Thulin 146, 2). Invertendi recens exemplum (p. Chr. 1584) ex Anglia laudat Nissen, *Orientation* p. 6 (ante notam 2), sed quod pertineat ad aedem sacram.

7) Gromat. p. 29, 4; 170, 15 (Thulin 12, 8/9; 135, 14); 209, 21.

8) Gromat. p. 209/10 (cf. *Feldmesser* II p. 161).

9) Mnemos. XXI p. 410—419.

10) Hoc observavit Valeton, Mnemos. XVII (1889) p. 290³, et est verissimum. Cui consentit Thulin, *Årsskrift* cit. XV (1909) p. 28.

11) Plin., H. Nat. II § 143.

12) Plin., H. Nat. II § 128, 142 (*mundi*).

13) *quod nomine alio coelum appellare libuit* (Plin., H. Nat. II § 1).

14) Varro ap. Festum v. *Sinistrae*. Est igitur Deorum sedes septentrio (Niebuhr, *röm. Gesch.* II (1836) p. 702; Valeton, Mnemos. XVII (1889) p. 290; Thulin, *Årsskrift* cit. XI (1905) p. 19).

15) Varro, L. L. VII 7 (VI 2), Festus v. *posticum* (coeli). Transferunt haec ad *τὰ ἐνθάδε* Horatius, Epist. I 16, 6/7 (latera sunt *vallis*); Tacit., Hist. III 82 (Elter, de forma urbis I (1891) p. XX); Mela, Chorogr. II § 59, 60 (Elter, Diss. cit. II p. XV), nec potuerunt fortasse non aliquando transferri. Ariosto quidem,

Digitized by Google

sicut Aegyptiis [1]), ex diverso Indis oriens [2]) sicut Homero in Odyssea [3]), sed in Iliade [4]) dextrata [5]), quam sententiam comprobaverunt summi philosophi Pythagoras Plato Aristoteles [6]) — ab Etruscis igitur quum occidentalem accepissent, docet Valeton Romanos *ante secundum . aut tertium bellum Punicum* ad septentrionalem decumani directionem transitum fecisse, post Varronem pristinam consuetudinem redintegrasse. Verum, quem dat testem — Servius Sulpicius is est apud Festum [7]) — id non dicit, quod eum loqui cupit Valeton [8]): *(cardinem) ab exori(ente sole ad occasum spectare)*, sed: *posticam lineam*, nec video cur *postica linea* pro cardine magis quam pro decumano habenda sit. Gravius utique peccat, ubi Varroni adscribit [9]) et Hygino divisionis *agro(rum)* apud Etruscos mentionem [10]), quasi parum intersit, dividatne haruspex iis, quas mente conceperit, lineis *orbem terrarum* [11]) vel *coelum* [12]), an

superioribus religiosior quum terrae (*Orl. fur.* XXII 24, 8 iis. X 69—72) tum prati (ibid. II 34, 5) dextram partem in septentrione collocat, sinistram ad meridiem.

1) Pierret, *Mélanges Boissier* (1903) p. 412; Pleyte, *over drie handschriften* (1884) p. 20. Valde discrepat Plutarchi doctrina (Moral. p. 363 E): *Αἰγύπτιοι ... δίονται τὰ μὲν ἑῷα τοῦ κόσμου πρόσωπον εἶναι τὰ δὲ πρὸς βορρᾶν δεξιὰ τὰ δὲ πρὸς νότον ἀριστερά*, ubi Valeton, Mnemos. XXI p. 417, *ἑῷα* vertit occidentalia, audacter quidem, sed quid faceret? *frontem* verteret posticam?

2) Caland, *Versl. en meded.* (Amst.) 4 II (1898) p. 276/7. De Celtis idem docet (p. 303).

3) Od. XIII 240 sq. (Elter, Diss. cit. II p. XXIV).

4) Il. XII 239 sq.

5) Ea de re *Σκαιὰς πύλας* Eustathius vertit *δυτικάς*.

6) Plut., Moral. p. 888 A/B. Dabit plura Valeton, Mnemos. XVII p. 303, 306.

7) In Paling. est fr. 94.

8) L. l. (Mnemos. XXI) p. 414. Cf. Niebuhr, *röm. Gesch.* II (1836) p. 701/2.

9) L. l. p. 410 (ia. 397/8). Cf. Niebuhr, *röm. Gesch.* II (1836) p. 697/8; K. O. Müller, *die Etrusker* III 6 § 11.

10) Non dicimus: agrorum divisionem Etruscis incognitam fuisse. Hoc dicimus: mentionem eius rei non fieri, nisi quis pro testimonio habeat Vegoiae delirationem (Gromat. p. 350), cui ne Beaudouin quidem (*Nouv. rev. histor.* XVII p. 410/1) multum tribuit. Ergo rectissime definit Haverfield, *Ancient town-planning* (1913) p. 71: „*we have no reason to connect the Etruscans ... with the Roman system of surveying*". Etsi dissentit Thulin, *Arsskrift* cit. XV (1909) p. 26, quum propter Vegoiae, quod laudavimus, fragmentum tum propter Tusca, ut putat, vocabula *grumam* (i. e. gromam) et *acnuam*. Atqui *acnua* ad divisionem non pertinet, *gruma* pertinet quidem, sed non utique ad *agrorum* divisionem.

11) Ita Varro (Gromat. p. 27, 13—p. 28, 3 = Thulin p. 10/1); Hyginus (Gromat. p. 166, 10—17 = Thulin p. 131/2).

12) Ita Cicero, de divin. II 18 § 42.

Digitized by Google

mensor veris rigoribus humum signet [1]). Illud nihil extra concipientem, hoc requirit [2]), rectis angulis ut dividatur, gromam sive stellam; item, ut rigores ducantur, metas; item, ut spatia constent, perticas vel funiculum [3]), perpendiculum denique, ut cultelletur [4]). Est autem groma [5]) ordinata solo velut ex normalibus aequalibus binis invicem dimidiantibus figura *(croix symmétrique horizontale)*, cuius quatuor (*ex*) *corniculis extend(untur) ponderibus* fila seu nerviae [6]) non perpendendi [7]), sed in utramque partem perspiciendi causa [8]), et ponitur super hastam rectam [9]) in extremitate et velut extento brachio susti-

---

1) Parum interesse visum sit Niebuhrio necesse est, qui modo (*röm. Gesch.* II (1836) p. 177 post notam 329) agros dividit „*nach den Regeln der Himmelschau*", modo (p. 181 post notam 344) „*nach den Gesetzen der Limitation*". Similiter Cantor, *Vorlesungen* I (1907) p. 533, limitationem fieri dicit eo, *dass der Gesichtskreis durch zwei senkrecht zueinander stehende Gerade in vier Theile geschnitten werde*". Ne Varro quidem ipse (Gromat. p. 27, 13—15 = Thulin p. 10/1) satis haec distinxit (vv. *limitum prima origo ... a disciplina Etrusca, quod haruspices orbem terrarum ... diviserunt*) vel Hyginus (p. 166, 10—13 = Thulin p. 131, 10—14).

2) Utiliter legetur de gromae, metarum, perticarum usu Jordan, *Handbuch der Vermessungsk.* I (1877) § 50, 49, 52.

3) Σχοίνῳ (σχοινίῳ) utebantur Graeci (Herod. I 66) et Aegyptii (Hero, περὶ Διόπτρας § 23; Ed. Tib. Alex. (CIG. 4957) lin. 60; Pap. Amh. 95, 4. 12; 96, 8; Berol. (*BGU*) 526, 13; 586, 9/10; Genev. 66, 13; Gizeh 67151, 106/7; Grenf. I 54, 9; Oxy. 1126, 7. Cf. Wilcken, Ostr. I p. 176 not. 1 i. f.). Attamen fit mentio perticae in Apocal. XXI § 15, § 16 et apud Heronem, Geom. 4 § 11 (Hultsch 4 § 12): ποιήσεις ὀργυιὰν ἐν καλάμῳ ᾗ ... ξύλῳ· μετὰ τοῦτο ... σχοινίον ἤγουν σωκάριον δεκαόργυιαν. Cf. praeterea Revillout, *Mélanges* p. X sq.; Lyons, *cadastral survey of Egypt* p. 35 (not.). — Apud Romanos solius perticae mentio fit; cum Germanis rursus funiculus apparet (Gaupp, *die german. Ansiedl.* (1844) § 30; cf. Lamprecht, *Wirthschaftsleben im MA* I 1 (1886) p. 343; Meitzen, *Siedelung und Agrarwesen* I (1895) p. 90).

4) Gromat. p. 33, 19—34, 7 (Thulin p. 17/8); cf. *Feldm.* II p. 340; Jordan, *Handb.* cit. § 52. — Quia perpendiculus graece διαβήτης audit (praeter lexica cf. *Bull. de corr. hell.* VIII (1884) p. 326), ideo Heroni περὶ Διόπτρας § 8 etc. cultellandi ratio dicitur πρὸς διαβήτην.

5) De groma hodie inprimis consulendus est Schulten in: *Pauly's Realencyclopaedie* VII (1912) p. 1883/6, sed adhibenda praeterea exemplaris effossi imago: *Jahrb. des archaeol. Instituts* XVI (1901) p. 129, quacum convenit fere sepulcralis delineatio (ibid. tab. II).

6) Gromat. p. 32, 19—33, 2 (Thulin p. 16, 18—21). Cf. Hero, περὶ Διόπτρας § 33.

7) Schulten, l. l. p. 1886: „*wozu* (= *zum Horizontalstellen*) *sie gar nicht dienen können*".

8) Atqui Gromat. p. 288, 5 tantum de *corniculis* sermo fit, his quasi perspiciatur. Quod in errorem traxit multos.

9) Utpote ferrea supervixit. Quia groma huic parti imponitur et per eam inferiori sustentaculo, non potest definiri, sitne *ferramentum* gromaticorum (cui groma

Digitized by Google

nentis ligni, nam debet sub se habere liberum spatium quum perspiciendo tum perpendiculo *ab* ipsius *umbilico* [1]) *soli* emittendo [2]). Non debet confundi cum homonyma, quae *locis inauguratis infig(i)tur* regionum designandarum causa, quam descripsit olim in Mnemosyne [3]) Valeton. Confudit autem Rudorff, quum doceret [4]): in groma ea, qua agrimensores utantur, regiones esse designatas. Metis quoque, ut diximus, mensorem instructum esse necesse est, et item perticis. Metae sunt hastae cuiusvis longitudinis, pertica autem apud Romanos decempeda. Potest ea partibus suis incidi — quamquam curatiori paulo mensurae pura potius solet adhiberi pertica [5]) — et potest ad circulum describendum instrui, dum supra manubrio aptetur, extremitates infra habeant hastulas, quarum quum sit altera in terra posita, ipsa pertica manubrio circuagatur, altera scribet circumferentem lineam [6]). Nonne ridiculus, qui *sola* pertica territorium dividi iubet [7])? Quomodo igitur rigores ducentur; normalibus si dividetur, recti anguli capientur? Nam legitur quidem sine groma [8]), oculorum fide, veteres illos Germanos non tantum rigores dictavisse, sed etiam rectangula secuisse [9]), sed ὀλίγῳ ἐνὶ χώρῳ: alioquin tolerabilis error non

---

imponitur) inferius sustentaculum, quod probat Schulten (l. l. p. 1883), an ipsa hasta, quod probat Schöne (*Jahrb. des archaeol. Instituts* XVI (1901) p. 129).

1) Ita habetur Gromat. p. 287, 5; 288, 3, minus recte p. 285, 16: *ad umbilicum*. Cf. *Feldm.* II p. 338 cum nota 274.

2) Ostendendi causa tetrantis locum sive punctum (Gromat. p. 33, 5 (Thulin p. 17, 1/2): *tetrantis locum perpendiculus ostendat*), id est, deprehendendi causa punctum, quod sit positum ad perpendiculum sub tetrantis puncto. Quod appellant hodie *proiectare*. Apparet autem *tetrantis locum* et *umbilicum soli* idem esse.

3) XX (1892) p. 387—390.

4) *Feldmesser* II p. 337 lin. 4 (= Gromat. p. 225, 7).

5) Bauernfeind, *Elemente der Vermessungskunde* I (1879) § 205.

6) Pura pertica hodie dicitur „*Messlatte*", distributa „*Messtab*" (Bauernfeind, op. cit. § 218), ita aptata, ut scribi possit circumferens linea, „*Feldzirkel*" (ibid. § 231), sed apud Augustum Meitzen, *Siedelung und Agrarwesen* I p. 90, „*Theiltab*", „*Erdzirkel*".

7) Gaupp, *die german. Ansiedl.* (1844) § 30.

8) Meitzen, *Siedelung und Agrarwesen* I (1895) p. 285: „*dies Werkzeug .... (fehlte) dem germanischen Verfahren*".

9) Quin immo ordinarium fuisse scribunt Hansen, *Agrarhist. Abhandl.* II (1884) p. 191: „*die Gewannen wurden ursprünglich nur als rechtwinklige längliche Vierecke formirt*"; Lamprecht, *Wirtschaftsleben im Mittelalter* I 1 (1886) p. 364[4] (cf. ibid. p. 339—341). Sed contradicit utrique Meitzen, *Siedelung* etc. I p. 85.

Digitized by Google

fuisset. Multo facilius perticis carere possis, quia passibus satis accurate modus iniri potest [1]). Verum ii demum sunt ridiculi, qui *lituo* vel agros [2]) dividi iubent vel Urbem [3]); quos festive in Mnemosyne [4]) olim dimisit Valeton noster. Ceterum, ut *secundum rationem*, id est, in occasum dirigatur decumanus, adhuc gnomone opus erit [5]), qui fit e circulo in terra scripto et sciothero in puncto eius posito [6]), quia hoc *desiderium... ad verum* [7]) *nisi per umbrae momenta* (*explicari*) *non potest* [8]) interdiu [9]), aequinoctium expectare nolenti [10]), *sol* enim *quotidie ex alio coeli momento quam pridie oritur: ne quis forte ad exortum capiendam putet lineam* [11]). *Multi* tamen *ignorantes mundi rationem solem sunt secuti, hoc est, ortum et* [12]) *occasum* [13]) *mobilem* [14]), *qui* praeterea *nec potest secundum cursum suum* [15]) *ferramento* [16]) *comprehendi* [17]) *recte* [18]), *quoniam ortus et occasus signa a locorum natura varie ostenduntur* [19]). Veluti, si ferra-

---

1) Jordan, *Handbuch* I § 58: „*trotz der Veränderlichkeit des Schrittwerthes... ist das Abschreiten eine für manche Zwecke sehr geeignete Längenmessmethode*".

2) Rudorff, *Feldmesser* II p. 335.

3) Cantor, *die röm. Agrimensoren* (1875) p. 64 (ia. not. 119). Sed vitavit errorem: *Vorlesungen* I (1907) p. 535.

4) XX p. 381/2.

5) *Feldmesser* II p. 337; cf. Cantor, *die röm. Agrimensoren* (1875) p. 67 sqq.; *Vorlesungen* I (1907) p. 535/6; Ideler, *Lehrb. der Chronol.* (1831) p. 96—98, p. 201. Etiam Sinas gnomone ad dirigendum secundum rationem usos esse, testatur Cantor, *Vorlesungen* I (1907) p. 676/7.

6) Gromat. p. 188 lin. 17—189 lin. 2 (Thulin p. 152, 7—9).

7) Id est, ad veritatem.

8) Gromat. p. 184, 2/3 (Thulin p. 147, 20/1).

9) Noctu potest ad ortum vel occasum stellarum earum, quae vertuntur in aequinoctiali orbe. Quod secuti perhibentur veteres Indi (*deutsche Literaturztg.* XXIV (1903) p. 2545), sed apud Italos, quantum novimus, id incognitum fuit; quod voluerit ne dicere Weber, *Agrargesch.* (1891) p. 18 (vv. „*weil man Nachts nicht visieren .... konnte*"), nescio.

10) Exspectari potest vel ad solis cursum (Ideler, *Lehrb. der Chronol.* (1831) p. 105) vel ad fastos (ibid. p. 314, 324).

11) Plin., Hist. Nat. XVIII § 333. 12) = vel.

13) Gromat. p. 170 lin. 3/4 (Thulin p. 135, 1/2).

14) Gromat. p. 31 lin. 4/5 (Thulin p. 14, 14).

15) Gromat. p. 182 lin. 10/1 (Thulin p. 146, 11/2). Ibid. p. 170 lin. 4 (Thulin 135, 2) idem dicere voluit, sed sermo corruptus est.

16) I. e., groma.

17) Gromat. p. 170 lin. 4/5 (Thulin 135, 2/3).

18) Gromat. p. 183 lin. 14 (Thulin 147, 14).

19) Gromat. p. 182 lin. 11/2 (Thulin 146, 12/3).

Digitized by Google

mentum constitueris et mons interveniat ab occidente, necesse est, ut tibi videatur sol occidisse, quum *trans montem adhuc luceat* [1]). Ergo, qui ortum vel occasum comprehendere voluerit, licet eius diei, is curare debet, ut ferramento subiecta sit planities vel mare. Quod servavisse videntur [2]), qui duxerunt limites tractus Carthaginiensis, qui tantum declinant ab oriente ad septentrionem, quantum in illis partibus a vero oriente aestivus oriens, id est triginta *μοῖρας*, quos hodie appellant gradus eo minusve [3]), quocirca credibile est spectatum solem ex undis orientem die solstitiali aut non multo secus; ex diverso reliquam per provinciam, nam limitatam constat hodie totam [4]), quum declinent limites *μοῖρας* triginta septem, directi videntur [5]) ad occidentem brumalem intervenientibus montibus. Quae si recte habent [6]), utrubique *posita auspicaliter* [7]) *groma ... proximum* [8]) *vero ortum* vel occasum *comprehenderunt* [9]), sed minus erratum prope Carthaginem. At in agro Campano qui supersunt limites, verum ortum et occasum spectant [10]). Fuisse autem dirigendi desiderium èt gnomone èt groma antiquius, exemplo demonstratur castellorum illorum quasi lacustrium (*terremare*), de quibus supra saepe dictum est. Quorum videntur conditores oculis exortum comprehendisse [11]). Quamquam propterea sen-

1) Gromat. p. 183, 8—16 (Thulin 147, 8—16). Cf. Schulten, *Bulletin archéol.* 1902 p. 143.

2) Adolpho Schulten, *Bulletin archéol.* 1902 p. 149/50. Cf. ibid. p. 168; Barthel, *Bonner Jahrb.* CXX (1911) p. 94/5.

3) *Undetriginta* declinare facit Barthel (l. l. p. 54), sed ipsius coloniae, qui mare spectant, triginta unum et semissem ad meridiem, ubi citra isthmum lucet die brumali (p. 112/3).

4) Limitatam totam hodie constat partim limitum vestigiis in agro Carthaginiensi et Hadrumetino, partim centuriarum lapidibus, quorum notis numerisque (veluti: *ultra Kardinem CCC*) et situ (prope Tapacen) demonstratur Kardinem maximum ductum prope Thevesten, indeque decumanos ultra Tacapen. Qui lapides eduntur omnes: *Bonner Jahrb.* CXX (1911) p. 61—65 docto cum commentario Barthelii.

5) Adolpho Schulten, *Bulletin archéol.* 1902 p. 164. Cf. ibid. p. 170.

6) In maiore quidem limitatione molestum est, quod declinant 37 *μοῖρας* non decumani, sed cardines (Barthel, l. l. p. 95).

7) Cf. Valeton, Mnemos. XXI p. 419/20. 8) I. e., alienum.

9) Gromat. p. 170 lin. 5—7 (Thulin 135, 3/5). Cf. *Feldmesser* II p. 348.

10) Schulten, *Bulletin archéol.* 1902 p. 144; Barthel, *Bonner Jahrb.* CXX (1911) p. 97/8.

11) Cantor, *Vorlesungen* I (1907) p. 536: *„so bleibt uns als ältestes Italisches Verfahren kein anderes übrig als jenes .... einfache hinschauen nach der Gegend, wo die Sonne zuerst sichtbar wurde"*.

Digitized by Google

tentiam fallere putat Duhn [1]), quod castella illa strigarum instar *in longitudinem* decurrunt, id est, a septentrione in meridianum, quasi non possit ad principalem rigorem a secundario perveniri [2]). Putat praeterea [3]), ut Valeton [4]), facillimum esse *umbram hora sexta deprehendere*, etiamsi quis gnomone destitutus sit [5]). Ex diverso numquam non mortales groma usos ad capiendum exortum, Maximiliani esse videtur opinio [6]). Sunt actus, quos Romani mensores omittunt, quibus requiritur Heronica διόπτρα, groma enim πρὸς ὀλίγας παντελῶς διοπτρικὰς χρείας utilis est [7]). Διόπτρα quidem ut praestet, quod groma praestat, instruenda est [8]) ἡ δυναμένη [9]), id est, ita ut possit ἐπίπεδα πρὸς ὀρθὰς ἀλλήλοις διοπτεύειν [10]), quod quomodo fiat, aditus docebit Cantor [11]), nam apud ipsum Heronem altum est silentium, non scriptoris vitio, sed propter insignem lacunam, qua τῆς διόπτρας descriptio etiamnunc deformatur [12]). Est quidem ad hodiernam perfectionem absolutionemque ipsa Heronica διόπτρα plane rudis et paene ludicra, quocirca miraculi instar habet, quod mensores Romani groma dumtaxat usi etiam per inaequalia et confragosa longissimum quemque rigorem vel nullo vel brevissimo errore, ut factum constat, perduxerunt [13]). Quae quia res vel sic certi territorii fines non egreditur [14]),

---

1) *Neue Heidelb. Jahrb.* IV (1894) p. 151[1].
2) Cf. Valeton, Mnemos. XXI p. 422/3.
3) L. l. p. 150/1.
4) L. l. p. 422.
5) Cf. Plin., H. N. XVIII § 327.
6) *Agrargesch.* p. 13 ima.
7) Hero, περὶ Διόπτρας § 33.
8) Κατασκευάσθω ἡ διόπτρα.
9) Recte vertit Vincent: „*de manière à pouvoir*". Cf. § 8: ἡ δὲ διόπτρα (κείσθω) ἡ τὸ ἡμικύκλιον ἔχουσα. Itaque nihil mutandum.
10) Περὶ Διόπτρας § 7 (cf. ibid. § 8).
11) *die röm. Agrimensoren* (1875) p. 20: „*Besonders* hervorgehoben (l. *hervorzuheben*) *durch zwei kleine Zäpfchen ist die zur ursprünglichen Dioptrastellung senkrechte Richtung*". Paulo aliter se expedit *Vorlesungen* I (1907) p. 382: „*um eine Senkrechte zu einer gegeben Richtung sich zu verschaffen dienten senkrecht zu einander eingeritzte Gerade auf der Dioptrascheibe*".
12) Cf. Schoene in editionis (Teubner 1903) praefatione p. XIV—XVI et in ipsa editione ad p. 196, 2.
13) Cf. Barthel, *Bonner Jahrb.* CXX p. 73.
14) Maxima, quam novimus, divisio est provinciae Africae.

Digitized by Google

maria utique non transscendit [1]), quaestio superest, quibus instrumentis, an omnino, geographicam mensuram spatiorum quorumlibet ἐπ' εὐθείας [2]) antiqui egerint. Quo de actu apud Heronem haud minus altum est silentium quam apud ceteros gromaticos vel Graecos vel Latinos [3]). Itaque negat Ideler [4]) rem antiquis cognitam fuisse nec vult audire Gallicum auctorem (Fréret), qui docuerat de maximis quibusque spatiis accurate („*à une coudée près*") constare potuisse Eratostheni ex vasariis Aegyptiis, quod ut contingere posset, oportebat vasaria ista subnixa esse geographicis mensuris, etsi non bono argumento contra eum utitur: Eratosthenem vasaria Aegyptia inspecturum non fuisse („*ich zweifele, dass der Grieche die ... aegyptischen K(a)taster studiert hat*"). Adfirmat rursus de Aegyptiis Letronne, quem sequi videtur Sprenger [5]), quin docet ille [6]) non tantum, quod sit facilius, ἐπὶ μεσημβρινοῦ, sed quibuslibet regionibus veteres Aegyptios quantalibet spatia accurate [7]) dimensos esse et miratur ipse inprimis, qua ratione tantae molis opus prisci illi mortales absolvere atque perficere potuerint [8]), deinde quo genere tanta scientia diu ante Herodotum extincta et sepulta sit [9]), ad utramque porro quaestionem obmutescit [10]). De re nihilominus ut certa disputat denuntiatque

1) De flumine varando tractatus exstat Gromat. p. 285/6 (Cantor, *die röm. Agrimensoren* p. 108/9).

2) Aëriis, ut hodie vocant, lineis. Caesar: *recta regione, si nullus anfractus intercedat* (B. G. VII 46 § 1).

3) Cf. praeterea Strabo II 5 § 4: ὁ γεωμέτρης (quem mox appellat τὸν τὴν γῆν ἀναμετροῦντα) .... καταμετρεῖ τὴν μὲν οἰκήσιμον ἐμβατεύων; II 4 § 7: σταδιασμ(οὺς) .... θηρεύομεν .... δι' αὐτῶν ἰόντες.

4) *Abhandl. d. Akad. zu Berlin* (*Hist.-phil. Kl.*) *a. d. J.* 1825 p. 182: „*von (einer geodätischen Messung im Geiste der Neuern) hatten die Alten keine Ahnung*".

5) *Das Ausland* 40 (1867) p. 1019. Sequitur rursus hunc Peschel, *Gesch. der Erdkunde* (1877) p. 46; *Phys. Erdk.* I (1879) p. 143.

6) *Recherches sur les fragments d'Héron* (1851) p. 155/6, p, 280.

7) „*avec une exactitude qui ne le cède pas à celle des modernes*".

8) „*par quels moyens ont-ils obtenu des résultats si étonnants?*"

9) „*comment les profondes connaissances que supposent de semblables travaux, s'étaient-elles presque entièrement éteintes au point que du temps d'Hérodote, si l'on en juge par quelques circonstances de son récit, les Egyptiens n'étaient plus que de simples arpenteurs incapables d'exécuter les plus faciles de ces opérations?*"

10) „*Voilà des questions dont la solution est désespérée*". Non animi causa haec et superiora descripsi (omnia de pag. 280), sed quia liber est difficillimae comparationis. Exemplari usus sum, quo ante me Müllenhoff.

Digitized by Google

testimonium Herodoto [1]), refragante cui testimonium defertur [2]), quum stadia numeret utrubique [3]) τῆς ὁδοῦ. Sed respondebitur, numeros convenire intervallis ἐπ' εὐθείας dimensis [4]), quod haberet momentum, nisi, ut ratio constet, stadia dimidiata poni necesse esset [5]). Quae res neque per se habet similitudinem veri [6]), neque propterea adsumatur necesse est [7]), quod ille σχοῖνον exaequat sexaginta stadiis [8]), quia huius παρὰ τοῖς Αἰγυπτίοις ἄστατόν ἐστι .... τὸ μέτρον, itaque potest continere 120 vel 60 vel 40 vel 30 stadia [9]) et stadium suo statu manere [10]). Sic leve sic parvum est, quod pro Aegyptiis in litem adducitur. Nam Graecorum patronus iam nullus vel rarus [11]), quibus videbantur plurimum praestitisse, qui, quum cognovissent *mensuras itinerum* [12]), propter anfractus compensationem

---

1) II § 7, § 9.

2) Non diffitetur Sprenger, sed putat Herodotum rem non percepisse („(er mag) die Tragweite des Berichtes .... nicht erfasst haben").

3) Ἐς τὴν Ἡλίου πόλιν ἀπὸ θαλάσσης et ἀπὸ Ἡλίου πόλιος ἐς Θήβας.

4) Letronne, *Recherches* cit. p. 135—150. Rem refert Müllenhoff, *deutsche Altertumskunde* I p. 264[1], qui ne ipse quidem absurdum putat, spatia Herodotea ἐπ' εὐθείας dimensa esse (p. 264: „man kann dies zugeben"; p. 266/7).

5) Si quis non modum, sed numerum, dimidiet (*Klio* XIV (1915) p. 338), perinde ratio constabit, sed numerus disconveniet.

6) Müllenhoff, op. cit. I p. 262: „ein solches (*Mass*) ... kann nie ... von einem des griechischen Masses kundigen stadium benannt sein". Stadium enim qualecumque sescentos pedes habet (Nissen, *Iwan Müller's Handbuch* I (1892) p. 865), itaque non potest dimidio maius esse vel minus.

7) Necesse esse credebat Müllenhoff, op. cit. I p. 262, proinde conicit deceptum esse Herodotum ab indigenis suum aliquod μέτρον, quod dimidium stadium efficeret, stadium vertentibus Graece, quum Aegyptium stadium proprie nullum sit vel certe incognitum (p. 263: „es gibt dafür kein Zeugniss").

8) II § 6 (cf. § 9).

9) Strabo XVII 1 § 24, § 41. Alioquin computat τριακοντασταδιον τὴν σχοῖνον (XII 3 § 34), ut Hero, Geom. 23 § 20 (Hultsch: Geom. 106 § 24; Geod. 4), Ptolemaeusque, Geogr. I 11 § 3.

10) Efficiet quidem apud Herodotum dimidiatum stadium, ut huic conveniat cum Artemidoro stadia ponente ἀπό Πηλουσίου πρὸς τὴν (τοῦ Δέλτα) κορυφὴν dimidio minus (Strabo XVII 1 § 24).

11) Veluti dubitandum negat Müllenhoff, op. cit. I p. 287, quin aliquam certe partem circuli Eratosthenes dimensus sit. Perinde credulus Viedebantt, *Klio* XIV (1915) p. 214[2]. Ex diverso nihil adfirmat Peschel, *Gesch. der Erdk.* (1877) p. 45—47; non multum Nissen, *Rh. Mus.* 58 (1903) p. 238 (a Syene usque Meroen mensuram actam passibus). Minimam quamque partem Graecum dimensum negat Lepsius, *Ztschr. für aegypt. Sprache* XV (1877) p. 8, et item Peschel, *phys. Erdk.* I (1879) p. 143 ima.

12) Caesar, B. G. VI 25 § 1.

Digitized by Google

quandam vel deductionem admisissent [1]), quia τὸ σὺν τοῖς σκολιώμασι (τιθέναι) οὐ ... γεωγραφικόν [2]). Quo tamen plerumque contentus fuit Eratosthenes [3]) ἔκ τε τῆς ἀναγραφῆς τῶν σταθμῶν τῆς πεπιστευμένης μάλιστα λαβεῖν [4]), ἐπὶ τῶν πόρρω διεστηκότων προστιθ(εὶς) ... ἔστιν ὅπου τὰ ἐπ' εὐθείας μᾶλλον καὶ ἧττον [5]). Qui quum σκαφῆς [6]) ope, Cleomedi si fides [7]), ab Alexandria Syenen quinquagesimam esse sciret circuli partem, et aestimaret spatium 5000 stadiorum [8]), id est, eius dimidio, quod pertineret Alexandria Meroen [9]), facile fuit perimetron adsimulare stadiorum 250,000, quae facta sunt 252,000, ut posset sumi sexagesima eiusque sexta [10]). Quam tunc appellabant ἀναμέτρησιν γῆς [11]), nec aliter, ut videtur, Ptolemaei [12]) tem-

---

1) Peschel, *Gesch. der Erdk.* p. 53/4.

2) Strabo II 4 § 4. Etiam plus peccabant (οἱ) μὴ τὴν συντόμον καταμετρ(ήσαντες) ἀλλὰ τὴν τυχοῦσαν, ἣν ἐπορεύθη στρατηγῶν τις (Strabo VIII 8 § 5).

3) Eadem querela est de Marino apud Ptolemaeum, Geogr. I 11 § 3 (ἀπὸ τῆς ... τοῦ Εὐφράτου διαβάσεως ... μέχρι Σήρας).

4) Strabo XV 1 § 11.

5) Strabo II 1 § 41 (cf. § 26, 29, 39). Ipse quoque Strabo sic metitur longitudinem Etruriae (V 2 § 5 et 8); Umbriae (V 2 § 10); Ioniae (XIV 1 § 2; 2 § 29); Indiae (XV 1 § 11); Arianae (XV 2 § 8).

6) Est σκαφὴ hemisphaerium cavum cum sciothero eiusdem altitudinis. Quod invenisse dicitur Aristarchus Samius (Vitruv. IX 9 § 1). Exemplaris Pompejani, cui deest sciotherum, imaginem sistit Bilfinger, *Zeitmesser der alten Völker* (1886) p. 27.

7) Valde repugnat Vincent (1857) apud: Peschel, *phys. Erdk.* I p. 144/5, hoc argumento, quod, σκαφῇ qui metiatur, multo plus aberraturus sit, quam aberravit Eratosthenes.

8) Pro 5300; tot enim ipse numerat in descriptione Nili (Strabo XVII 1 § 2). Discrepantiam explicare conatur Müllenhoff, *deutsche Altertumskunde* I (1870) p. 266—270.

9) Strabo II 5 § 7; XVII 3 § 1: περὶ μυρίους. At in descriptione Nili (XVII 1 § 2) fide Eratosthenis numerat 5300 + 1200 + 5300.

10) Cf. Berger, *die geogr. Fragmente des* Eratosth. (1880) p. 141/2 iis. p. 111/2, a quo dissentit Nissen, *Rh. Mus.* 58 (1903) p. 234, 238. Prorsus aberrare videtur Viedebantt, *Klio* XIV p. 215/6 (mutat ipsam circuli partem, quae èt traditur èt in veritate est).

11) Strabo I 1 § 20; 4 § 1; II 1 § 19; 2 § 2; 5 § 2; 5 § 7. Eodem modo dicit II 5 § 9 τὸ (τῆς οἰκουμένης) μῆκος .... τὸ μὲν ὁδοῖς τὸ δὲ καὶ ναυτιλίαις ἀναμεμετρημένον. Cf. quoque II 5 § 4 (καταμετρεῖ (ὁ γεωμέτρης) τὴν μὲν οἰκήσιμον ἐμβατεύων, τὴν δ' ἄλλην ἐκ τοῦ λόγου τῶν ἀποστάσεων), ex diverso XV 1 § 11 Indiae longitudinem enarraturus distinguit (τὸ) καταμεμετρημένον, quatenus perveniat ὁδὸς βασιλική, τά (τ') ἐπέκεινα στοχασμῷ λαμβαν(όμενα) διὰ τῶν ἀνάπλων.

12) Geogr. I 11 § 2 (valde mendosa versio est viri clarissimi Peschel, *Gesch. der Erdk.* (1877) p. 47).

Digitized by Google

poribus [1]), exaequantis μοῖραν, quem nos *gradum*, quingentis stadiis, ὅ τι, φησὶ, ταῖς ὁμολογουμέναις ἀναμετρήσεσι (id est, aestimationibus) σύμφωνόν ἐστιν. Qui quod docet, si modo quaelibet pars circuli sub mensuram vocata sit [2]), ut constet de perimetro, posse reliqua omnia de coelo servari διὰ τῶν φαινομένων [3]), id est, latitudines [4]): ἀπὸ τῶν ἀστρολάβων καὶ σκιοθήρων ὀργάνων [5]), longitudines: τῶν ὑπὸ τὸν αὐτὸν χρόνον ἐν διαφόροις τόποις τετηρημένων σεληνιακῶν ἐκλείψεων [6]), ideo ad rem non pertinet, quia neque partem circuli dimensus est neque de coelo servavit quidquam. Multo vero minus, quod excogitavit ὄργανον μετεωροσκοπικὸν, quo sub eadem condicione μιᾶς μὲν ἰθυτενοῦς μόνον διαστάσεως ἐν τῇ γῇ μετρηθείσης, posset rectum duorum locorum intervallum χωρὶς ἀναμετρήσεως perpendi [7]) cognita utraque latitudine et capto alterius utrius meridiani cum transcurrente linea angulo [8]), quia angulus ultra capi non potest, quam perspicitur, velut Roma Soracte [9]) vel Praeneste [10]), quum geographia desideret multo maiora spatia velut Romam Alexandria [11]), quae sic perpendi non possunt.

---

1) Id est, circa p. Chr. 150 (Peschel, *Gesch.* cit. q. 55 not.).

2) Geogr. I 2 § 6.

3) Geogr. I 2 § 5.

4) De hoc genere loquendi dictum est supra (Mnemos. XLIV p. 126 not. 1) et laudata ipsius Ptolemaei Geogr. I 6 § 4: εἰκότως γὰρ ἂν καλοῖμεν .... τὴν μὲν ἀπ' ἀνατολῶν ἐπὶ δυσμὰς διάστασιν μῆκος, τὴν δ' ἀπ' ἄρκτων πρὸς μεσημβρίαν πλάτος.

5) Geogr. I 2 § 2. Cf. Peschel, *Gesch.* cit. p. 43/5.

6) Geogr. I 4. Cf. Peschel, *Gesch.* cit. p. 48.

7) Geogr. I 8 § 4.

8) Geogr. I 3 § 3. Cf. Hammer-Jensen, Herm. 48 (1913) p. 228/9.

9) Horat., Od. I 9, 1/2.

10) Gregorovius, *Gesch. der Stadt Rom* III (1890) p. 359.

11) Cf. Hero, περὶ Διόπτρας § 36 (35), quam novissime tractavit doctissima femina Hammer Jensen, Herm. 48 (1913) p. 224/5.

(Continuabuntur.)

Digitized by Google

ADDITAMENTA (AD CAP. CXI).

(ad vol. XLVI p. 115 not. 5 [p. 116]). Subsiciva, de quibus agitur, ideo sunt mensuralia, quia trigonon rectangulum semissem capit parallelogrammi rectanguli, trapizeum rectangulum in parellelogrammum rectangulum et simile trigonon solvi potest. Cf. huius vol. p. 423.

(ad p. 119 imam). Est quoque simile, quod apud Indos, „*when a site is selected for... a village, town or house, the ground is divided into squares...; each of (which) is... assigned to its presiding deity*" (Acharya, *Summary of the* Manasara, Diss. Leid. 1918 p. 6).

(ad p. 120 not. 4). Hodie quidem eius agri copia fere exhausta est (*Versl. en meded.* (Amst.) 5 IV (1919) p. 44, 45).

(ad p. 121). De feodis militum omnino conferendus est Round, *english histor. review* 1891 et 1892, qui sero mihi venit in manum.

(ad p. 124 not. 9). Apud Indos quoque dividitur *lineis*, aedium utique solum (Varahamihira (*translated*) 53 § 42 apud: Kern, *Verspr. Geschr.* II p. 17).

(ad huius vol. p. 5 not. 10). Similia facit castra Thilutha Libanius, or. XVIII (parent.) § 219: τεῖχος περὶ πᾶσαν ἐληλαμένον μηδὲν ἔξω καταλελοιπὸς αὐτοῦ, Homerus autem Aeoli insulam (Od. X 3: πᾶσαν δέ τέ μιν πέρι τεῖχος).

(ad p. 5/6). Catalogo Graecarum urbium forma non mensurali possunt addi: Plataeae (Leake, *Northern Greece* II (1835) *end of vol.*), Tanagra (ibid. II p. 454), Mycalessus (ibid. II p. 264), Anthedon (ibid. II p. 272), Larymna (ibid. II p. 287), Cassopa (ibid. I (1835) p. 245), Ambracia (ibid. I p. 206), Argi Amphilochii (ibid. IV (1835) p. 238), Anactorium (ibid. III (1835) p. 493), Chalcis ἡ Κορινθίων (*Archaeol. Anz.* 1916. *Beil. zu Sp.* 238).

(ad p. 6). Cetera Lesbi oppida: Methymna, Eresus, Pyrrha, Arisbe.

(ad p. 7 imam). Alia est Roma Quadrata, de qua disputat Thulin, *Göteborgs Högskolas Arsskrift* XV (1909) p. 19 (de hac nostra: p. 31). Utramque confundit Festus v. *Quadrata:.... in Palatio ante templum Apollinis (locus), ubi reposita sunt, quae solent.... in urbe condenda adhiberi, quia saxo munitus est* initio *(siliceo?) in speciem quadratam. Eius loci Ennius meminit...:* „et qui sextus erat Romae regnare Quadratae".

(ad p. 7 not. 1). Trojam quoque plurilateram fuisse, observat Thulin, *Arsskrift* cit. XV (1909) p. 31 not. 1 (i. f.).

Digitized by Google

(ad p. 32 not. 11). Eduardum Meier reprehendit Thulin, *Arsskrift* cit. XV p. 36[2].

(ad p. 33). Catalogo addatur (post *Tauchirorum*): His accedit Antiochia, quam qui divisam tradidit Libanius, idem (or. XI § 209) veterem urbem μακρὰν τετάσθαι, novam, quae tum nova erat, κύκλου μετέχ(ει)ν significat. Ergo illi per se potest fuisse forma mensuralis, etsi putat idem auctor (ibid. § 210) oppidula dumtaxat hoc recipere — (τὸ) εἶκει(ν) μιᾷ μορφῇ — quocirca (ibid. § 209), ὅστις τετραχόθεν ἴσην οἰκῶν ἀγάλλεται, τῇ μικρότητι, inquit, φιλοτιμούμενος ἴστω.

(ad p. 33 not. 5). Praeiverat Thulin, *Arsskrift* cit. XV p. 35/6. Laudabat Prienen.

INDEX GEOGRAPHICUS TOPOGRAPHICUS TOTIUS CAPITIS (CXI).

Extrinsecus adsumpsi quarundam formarum, quibus usus non sum, veluti domicilia, gratum id futurum ratus.

Numero I significatur Mnemos. vol. XLVI, numeris II et III vol. XLVII.

Aalen II 4
Acerrae II 4
Achradina II 6; 29
Admedera II 29
Adulis *Monum. Lincei* XVIII p. 513/4
Aegyptus I 119
Aeoli ins. III 439
Aezani: Texier, *Asie-mineure* I *pl.* 23
Africa prov. III 420[5]; 426; 433; 434[14]
Ager vid. Beneventanus, Campanus, Consentinus, Romanus, Viboneusis
Agrigentum II 6
Agrippina Ub. II 9; 15; 15; 18[1]; 25; 25[4]; 33
Albanum vid. Castra
Aletrium II 7
Alexandria II 6; 20; 25; 33
Allifae II 3
Alteburg II 9
Amarapura II 2
Amboglanna II 3
Ambracia III 439
America I 120; 123; II 19
Anactorium III 439
Anasartha II 13[10]
Angitia II 33
Angkor II 2; 14; 14[6]
Anglia I 121
Antemnae *Not. scavi* 1887 p. 65
Anthedon III 439
Antinoe II 4; 28
Antiochia II 18; 29; III 440
Apamea II 17; 25; 25[4]
Apollonia II 6
Apollonis II 6
Aquileja II 4; 25
Arausio II 27
Ardea II 7; 27
Aremorica vid. Neustria
Arentsburch II 10
Argentan II 9
Argi Amphil. III 439
Ariminum II 27
Arisba III 439
Arne II 5; 11
Arpinum II 7
Arretium II 8
Arsinoe II 13; 28
Arzbach II 11

Digitized by Google

Aspendos: Lanckoronski I p. 84/5 (*Plan*)
Assos II 28
Astigis III 419
Ateste II 8
Athenae II 6; 23[8]; 33; *Arch. Anz.* 1915 p. 109/10 (*Uebersichtsplan des* Kerameikos *u. d. Grabungen* 1914/5)
Attalia II 6
Aufidena II 7
Augusta Praet. II 3; 15; 25.
Augusta Taur. II 11/2; 14; 15; 21; 25; 25[2]
Augusta Trev. II 9; 26; 33
Augustodunum II 9; 21; 26; 33
Auria vid. Saturnia
Australia II 19
Ava II 2

Babylon II 4; 30; 30; 33
Baltimore II 20
Bar Hill II 4; 11
Berekât vid. *Shêkh B.*
Bibracte *Arch. Anz.* 1910, 439 sqq. (*mit Plan*)
Blera II 8
Boehming II 3[21]
Boghasköi vid. *Chatti.*
Bonna II 3
Bononia II 8: 16; 16; 25; 27; 27[4]
Borcoviccium II 3/4
Bostra II 3; 26
Bracara II 24[3]
Brixia II 27
Buch II 13
Butzbach II 12

Caere II 8; 32
Caerwent vid. Venta
Caesarea Herodis II 15; 16[9]; 29
Calleva II 9; 11; 17; 25; 33
Camarina II 6
Campania II 15; 25
Campanus ager III 428; 433
Cannatello II 23[16]
Cantia I 120[5]
Capua II 4; 16; 16; 16[8]; (25); 25[4]
Carnuntum II 9
Carthago col. II 15; 16; 16[9]; 21; 25; III 433[3]
Cassopa III 439
Castra Albana II 4
Castra Praetoria II 3
Castra Regina II 12
Castra Vetera vid. Vetera
Caulonia II 6; 16; 16[9]; 25
Ceramicus vid. Athenae
Chalcis III 439
Chaldaeorum urbes II 30[6]
Chatti II 5
Chicago II 20
Chodscho vid. Idikutschari
Chulucanas II 33[8]
Cilurnum II 4
Cnidus II 6; 26; 33
Cincinnati II 20
Colonia vid. Agrippina, Augusta, Carthago, Ostia, Traiana etc.
Comum II 27
Concordia Ven. II 15; 27
Consentinus ager III 428
Corcyra Nigra I 120
Corduba III 419
Cortona II 8
Cosa II 8
Cossyra II 6[21] (7)
Cremna II 8; 17; 25; 33
Creta II 6[21] (7)
Cumae II 5
Cyrene II 6; 26; 33

Dambach II 13
Danicae villae II 19
Darmstadt II 34
Delos II 28
Delphi *BCH* XVIII (1894) tab. IX
Dicaearchia II 16; 16[9]; (25); 25[2]
Διὸς Μαβδάχου II 13
Dobrudscha II 10
Dystros (Eub.) II 5

Eileithyiae vid. Lucinae
Emona II 3; 15; 25
Emporiae II 10[11]; 12; 25
Ephesus II 6; 27

Digitized by Google

Eresus II 7[14]; III 439
Eryx II 5
Etzina II 13[13]

Faesulae II 8
Faimingen II 3[21]
Falerii novi II 8; 27
Falerii vet. II 7
Feldberg II 11
Felsina vid. Bononia
Ferentinum: Candidi-Dionigi, *Viaggi* p. 9
Fidenae: Dennis, *Cities* I (1883) p. 48
Florentia II 3; 24; 27
Fundi II 3

Gabii *Not. Scavi* 1885 *Ottobre* tab. II; *Bull. commun.* 1908 p. 325
Gamala II 2; 27
Gamzigrad II 4
Gath II 5
Gazara II 5
Gela II 6
Gellygaer II 11
Gerasa II 6; 17; 25; 25[4]; 33
Gezer vid. Gazara
Gnotzheim II 11
Goldfield Nev. II 20

Haltern II 9
Hardknot II 11
Heiteren II 23[3]
Heldenbergen II 9; 25[9]
Heliopolis II 5
Herculaneum II 15; (25)
Herculem (ad) II 10
Hermupolis *Rundschau* 137 (1908 IV) p. 100
Hibernia I 120
Hierapolis ad M. II 26
Himera *Monum. Lincei* XVIII (Mauceri) tab. I et II
Hofheim II 9; 12; 13
Hunzel II 11

Idikutschkari (Turfan) Abhandl. phil.-phil. Kl. (München) XXIV 1 p. 8/9
India citerior II 33
India ulterior II 2; 14
Irgenhausen II 11

Jaipur II 34
Jublains II 9

Kahun II 10; 14; 24; 24[6]
Kesselstadt II 11
Kharo-Khoto II 13; 14
Khorsabad II 11
Khunasara II 13
Kladrup II 25[8]
Köngen II 11
Kösching II 13
Krotzenburg (*Gross-*) II 12
Kuban II 2
Kurgan II 13

Lachis II 5
Laconia I 120; 121; 121[3]
Lambaesis II 12; 12[2]
Langenhain II 12
Larymna III 439
Leányvár II 12
Lesbos I 120; 121; II 6; III 439
Λίμνη (ἡ) I 120; II 18
Lincoln vid. Lindum
Lindum II 12; 15; 27
Locri II 6
Lorch II 12
Luca II 3; 27
Lucinae opp. II 2

Μαβδάχου vid. Διός
Mainhardt II 12
Manchester vid Mancunium
Mancunium II 4
Mandalay II 2; 14; 34
Mantinea II 5; 23[16]
Margum II 3
Marissa II 5; 28
Marzabotto II 11[10]; (16); 16[16]; (25)
Mediolanium II 27
Megara Hybl. II 30[11]
Melos II 15; 18[3]; 28
Meroe II 2; III 437
Messene II 5; 29
Methymna III 439

Digitized by Google

Miletus II 6; 26; 30[8]; 33
Misanum vid. *Marzabotto*
Moesica castella II 9; 12.
Mogontiacum II 4; 9
Monte S. Angelo II 7
Motye II 5
Mutina II 27
Mycalessus III 439
Mycenae II 5; 31
Mytilene II 6; 18; 23[16]; 29

Nabancia II 17; 25
Narce II 7
Naucratis II 24[6]
Neapolis II 5; 15; 15; 16[9]; 21; (25); 25[2]; 30; 33
Neckarburken II 3[21]; 4; 12; 25[9]
Neustria I 121
Newstead II 4; 12
New York II 20
Nicaea II 2; 3; 14; 29
Nida II 9
Nimrud II 10; 11
Norba II 7; 25; 25[4]; 33
Novaesium II 3
Numantia II 9; 10; 17; 21; 25
Numidia III 420[5]
Nysa ad M. *Jahrb. arch. Inst., Ergänzungsheft* X (1913)

Oberaden II 9
Oberdorf-am-Ipf II 4; 13
Oberflorstadt II 11
Oberscheidenthal II 12
Oehringen II 3[21] (4); 12
Okarben II 12
Olba II 26
Olbia II 6; 18; 25
Orchomenus Arc. II 5
Orchomenus Boeot. II 5
Osterburken II 4
Ostia II 25
Oxonia II 33

Paestum II 5; 27; 31
Palaerum II 5; 17; 25
Palmyra II 24
Pannonia III 420[5]
Pantelleria vid. Cossyra
Parma II 27
Peking II 13; 14; 21; 34
Pergamum II 6; 10[4]; 15; 26.
Perge II 6
Perusia II 8
Pessinus: Texier, *Asie-min.* I *pl.* 62 (ia. pag. 168)
Pfäffikersee II (1)
Pföring II 11
Pfünz II 4; 25[9]
Philadelphia (Amer.) II 20
Philadelphia (Lyd.) II 6
Phylakopi vid. Melos.
Pilismarót vid. Herculem (ad)
Piraeeus II 6; 21; 28/9; 29; 33
Pisaurum II 3
Placentia II 27
Plataeae III 439
Pola *Jahresh.* 1901 *Beibl.* p. 169 sqq.
Pompeji II 7; 21; 28
Populonia II 8
Praeneste III 438
Priene II 6; 17; 25; 33; III 440
Pselche II 2[13]
Psinaula II 24[5]
Ptolemais (Arsin.): Fl. Petrie, *Illahun* etc. *pl.* XXXI
Ptolemais (Cyr.) II 6; 26; 33
Puteoli vid. Dicaearchia
Pyrgi II 3; 33
Pyrrha III 439

Regensburg vid. Castra Regina.
Rhodus II 23[16]; 29.
Roma II 7; 17; 22; 22[5]; 22[6]; 32; 32[11]; III 438; 439
Romanus ager II 23; III 421/2
Rueckingen II 12
Rusellae II 8

Saalburg II 12[4]; 13
Saepinum II 3; 17; 25
Sagalassus II 18; 25
Sais II 5[8]; 10
Salvia urbs II 3
Sarkamen II 11
Saturnia II 8

Digitized by Google

Savannah II 20
Saxonicae coloniae II 19
Sbeitla II 14
Scythia minor vid *Dobrudscha*
Seckmauern II 4; 12
Selge: Lanckoronski II p. 175 (fig. 144)
Selinus II 6; 17; (25); 30; 33
Serdica II 8
Sesebi II 10
Shekh Berekât II 13
Sicilia II 6^{27} (7)
Sicyon II 26; 29
Side II 6
Signia II 7
Silchester vid. Calleva
Sillyon: Lanckoronski I p. 64 (fig. 51).
Sinarum urbes II 2; 13; 14
Singan II 13; 14
Singidunum II 24^{3}
Smyrna II 15; 29
Soluntum II 17; 21; (25)
Soracte III 438
Suessa Aur. III 419^{4}
Suffetula II 14^{3}
Surrentum II 16; 16^{9}; (25); 25^{2}
Sutchen II 13^{16} (14)
Sutrium II 8
Sybaris II 29^{2}
Syene III 437
Syracusae vid. Achradina

Tanagra III 439
Tanis II 5; 5^{8}
Tarentum II 6; 29; 31
Tarquinii II 8; 27
Tauchira II 6; 26; 33
Taxila II 23^{8}
Tegea II 5
Tell-el-Amarna II 24
Tell-el-Dschudeide II 9; 22^{4}
Termessos: Lanckoronski II p. 20/1 (*Plan*)
Terremare II 2; 10; 14; 20; 21; 31; 31^{9}; III 424^{1}; 433/4
Thamugadi II 12; 15; 15; 26
Thebae Boeot II 5; 29
Theilenhofen II 13
Theodorias II 13^{10}
Thera II 28
Thessalonica II 27
Thibilis II 26
Thilutha III 439
Thurii II 29
Ticinum II 27
Timgad vid. Thamugadi.
Tiryns II 5; 7^{1}; 31.
Traiana col. II 4
Trebenna *Monum. Lincei* XXIII
Troia II 5; III 439 [p. 205/6
Trosmis II 9

Ulmetum II 9
Urbs Salvia vid. Salvia
Ursprung II 13

Veji II 8; 32
Velia II 5
Venta II 12; 15; 26
Verona II 27
Vetera II 3
Vetulonia II 8
Vibo II 5
Vibonensis ager III 428
Vielbrunn II 12
Viminacium II 25
Vindonissa II 9
Volaterrae II 8
Vulci II 8
Vulturnum vid. Capua

Waldmössingen II 3^{21} (4)
Washington II 20
Weissenburg II 13
Welzheim II 4; 12
Wiesbaden II 4; 11
Wimpfen II 9; 12
Wörth II 11.

Yucatan II 33

Zeugitana II 121
Zugmantel II 12.

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, J. J. HARTMAN, C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

K. KUIPER, J. C. NABER, M. C. VALETON, I. VAN WAGENINGEN.

NOVA SERIES.

VOLUMEN QUADRAGESIMUM OCTAVUM.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1920.

Digitized by Google

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.

Digitized by Google

INDEX

	Pag.
De Ioanne Pascolo poeta Latino, scripsit I. I. HARTMAN . .	1—33
De praetoribus Atheniensium qui victoriam reportaverunt apud Arginusas insulas, scripsit MATTHAEUS VALETON . .	34—79
Ad A. Gellii N. A. Lib. VI—X, scripsit P. H. DAMSTÉ . .	80—89
Ad Platonis convivium, scripsit I. I. H.	90
Statius Silu. III II 30, scripsit J. S. PHILLIMORE	91—93
De die quo Nero Claudius Drusus natus est, scripsit JOH. JANSSEN	94—96
Sidoniana, scripsit C. BRAKMAN	97—100
Quam aetatem significet vox quae est „puer", scripsit JOH. JANSSEN	101—102
Ad Taciti Ann. XIII, 26, scripsit I. I. HARTMAN	103—104
Ad Taciti Ann. I, 1, scripsit I. I. HARTMAN	105—107
Ad Herodoti l. I c. 91, scripsit ALBS. POUTSMA	107
Tacit. Hist. III c. 26, scripsit J. BERLAGE	107
Varia ad varios, scripsit I. I. HARTMAN	108
Silentium, elegiam composuit I. I. HARTMAN	109—112
Antonius et Petrus, narrationem Italicam in Latinum redegit carmen, I. I. HARTMAN	113—121
De Theatro antiquo, scripsit A. W. BIJVANCK.	122—151
De Versu notissimo Naeviano, scripsit I. I. HARTMAN . . .	152—153
Utrum Domitiano imperante duo bella Dacica gesta sint an unum, scripsit JOH. JANSSEN	154—156
Ad Horatii A. P. vs. 437, scripsit I. I. HARTMAN	157—161
Ad Platonis de Rep. 434 A, scripsit I. I. H.	161
Observatiunculae de iure Romano (continuantur ex vol. XLVII pag. 444), scripsit J. C. NABER	162—182
Annotationes ad Hor. Epl. I, 14, scripsit I. I. HARTMAN . .	183—188
De Manilii aetate, scripsit J. VAN WAGENINGEN	189—192
Ad Laberium, scripsit B. KEULEN	192
Ad A. Gellii N. A. Lib. XI—XX (continuantur e pag. 89), scripsit P. H. DAMSTÉ.	193—204
Ad Platonis Hipp. maiorem, scripsit I. I. H.	204

Digitized by Google

Pag.

Ad expeditionem Gai principis in Germaniam, scripsit Joh. Janssen . . . . . 205—206
Le Alexandro Euripideo, scripsit K. Kuiper . . . . . 207—221
Ad Ciceronis Or. pro Milone § 29, scripsit I. I. H. 221
Statiana, scripsit J. S. Phillimore . . . . . 222—224
Ad legem agrariam Reg. 21, scripsit J. M. Nap . . . . . 225—226
Ars critica, quid sibi habeat propositum et qua utatur ratione, scripsit I. I. Hartman. . . . . 227—238
De Pericle pacificatore, scripsit B. Keulen . . . . . 239—247
Fulmen, scripsit J. Berlage . . . . . 248—252
Lucretiana, scripsit C. Brakman . . . . . 253—259
Ad Tertulliani Apologetici Cap. VII, 11, 12, scripsit Jos. Schrijnen . . . . . 260—263
De Martialis Epigr. X, 79, scripsit I. I. Hartman . . . . 264—266
De textu Evangeliorum in saeculo secundo, scripsit A. Pott. 267—309
De quatuor locis in Horatii „de arte Poetica", scripsit I. I. Hartman . . . . . 310—312
Ad Hor. S. I. 6, 59, scripsit I. I. H. 312
Ad quosdam Tatiani adversus graecos Orationis locos, scripsit J. de Zwaan . . . . . 313—320
Ad Ovidii Metam. III, 87 sqq., scripsit I. I. H. 320
Verba sacramenti in Paulo ad Corinthios I, Cap. XI: 24, scripsit J. de Zwaan . . . . . 321—323
Carmina Britannica vartit P. H. Damsté . . . . . 324—327
Querimonia, scripsit I. I. Hartman. 328
Peerlkampiana, scripsit I. I. Hartman . . . . . 329—338
De textu Evangeliorum in saculo secundo (continuatur e pag. 309), scripsit A. Pott . . . . . 339—365
Ad Sophoclis Antigonam (continuantur e vol. XLVI pag. 367), scripsit Guilielmus Vollgraff . . . . . 366—387
Arnobiana, scripsit I. S. Phillimore . . . . . 388—391
Ad Ovidii Met. III, 75, scripsit I. I. H. 391
Lucretiana altera, scripsit C. Brakman . . . . . 392—393
Observatiunculae de iure Romano (continuantur ex pag. 182), scripsit J. C. Naber . . . . . 394—424
De arte critica, scripsit P. H. Damsté . . . . . 425—433
Ad Ovidii Met. III, 16, scripsit I. I. H. 433
Ad Ovidii Met. XIII, 133, scripsit I. I. H. 433
Quae ratio intercedat inter Lucretium et Prudentium, scripsit C. Brakman. . . . . 434—448

Digitized by Google

DE IOANNE PASCOLO POETA LATINO.

SCRIPSIT

I. I. HARTMAN.

Filiolus dormit, ramos et somniat auri,
Somniat et silvas splendentes lumine flavo;
Per noctem interea vento cyparissus opacam
Nudatur foliis, gemit et concussa procella.

Sic ego olim Latine verti versus illos Italicos qui volitant per ora hominum

Il bimbo dorme e sogna i rami d'oro,
gli alberi d'oro, le foreste d'oro,
mentre il cipresso nella notte nera
scagliasi al vento, piange alla bufera.

In quibus versibus si quis dicat totum inesse Pascolum, licet omnino vel arrogantiae vel angusti animi esse videri possit caelestem poetae mentem „definire" i. e. certis terminis, quos tuo arbitratu statueris includere et circumscribere velle, tamen a vero haud longe aberret. Arrogantiae enim certe crimine liber sit qui eiusmodi aliquid contendat de suavissima hac elegiola, qua nobis depingitur puerulus de caelesti somnians horto, de quo ei cubitum eunti mater, arborem monstrans sole vespertino splendentem narravit, dum ipsa illa arbor per obscuram noctem quatitur frangiturque procella. Annon ipse Pascolus, cum veram poetae naturam atque indolem depingere studet, ante oculos nobis ponit puerulum (ipsi quoque immortali libello nomen est „il fanciullino") adstupentem rebus quas contemplatur, easque libera et hilari mente admirantem? Neque angusti est animi censere e duabus illis strophis satis bene divinum nostrum vatem cognosci posse. Certe tribus illis *locis*,

Digitized by Google

e quibus illae constant, prae ceteris delectatum esse Pascolum sescenties apparet. Hos dico: 1) pueruli indolem lepidam amabilemque, 2) matrem tenera cura liberis suis prospicientem, 3) somniorum denique dulcedinem fallaciamque.

Lubet uno exemplo demonstrare quam praeclaram lucem quivis ex illis locis eis quoque praebeat carminibus de quibus minime illud exspectaveris.

Pulcherrimum et vere magnificum carmen est *Hymnus in Taurinos*, quem composuit Pascolus ad celebrandum diem quo ante quinquaginta annos Italia libertatem recuperaverat. Tota eius historia, magna quoque pars historiae fabulosae, ibi simul docte et facunde enarratur. Omnia bellum spirant et arma, omniaque, ut res ipsa fert, eo tendunt ut sentiatur urbem Taurinorum per tot saecula fuisse Italiae propugnaculum adversus hostem decurrentem de montibus nive tectis in planitiem urbi adiacentem. Sed maxime bellicus ille color sentitur versus finem, qui est huiuscemodi: „at nunc, o pueri et puellae, cantate Italiam illam, quae olim aliis semper fuerit obnoxia populis, iam iugum de collo excussisse, et capite erecto nullos iam metuere hostes, illam

Italiam, excubiae, quae post vos, ante, supraque est".

En dignus carminis heroici finis. Sed quam suaviter color ille bellicus lenitur et mitigatur versibus, quibus describit poeta quam bene illa urbs de tota sit patria merita alendis et educandis totius patriae orbis pauperibus et in quanto sit honore apud matres Italicas propter crustula et bellaria, quibus adeo delectentur „pupuli" sui et „passerculi" et propter quae ubique terrarum laudantur pistores Taurinenses!

Et quoniam semel de *Hymno in Taurinos* sum locutus, haud absurdum videtur simul hic mentionem facere *Hymni in Romam*. Est et hoc carmen altisonum magnificumque, quo egregie refutantur illi qui faceti videri volebant, cum, malignius quam urbanius, dubitare se dicerent utrum μεγαλόμικρος an μικρόμεγας poeta dicendus esset Pascolus. Omnia hic quoque plena sunt virtutis bellicae: in coelum tollitur caput illud regionis gloriosissimae, quae se armis in libertatem vindicavit et iam omnes fere complectitur mortales, qui iure suo

Digitized by Google

Italos se vocari volunt studentque. Hic quoque verus totius carminis color optime cognoscitur ex ultimo eius versu. Postquam poeta narravit de Euandri filio Pallante, primo illo bellatore, qui pro Italiae salute pugnans occidit, cuiusque, cum corpus eius effodiebatur, supra caput pendens inventa est lampas lucens, quae ne aqua quidem superfusa exstingui potuerit, poeta exclamat:

Roma potens, vitae potior tua tempore lampas.

Sed quam venuste ardor ille bellicus mitigatur illa ad Floram, agriculturae deam, allocutione, qua illius implorat opem miseris agricolis contra pervetustam illam *latifundiorum* calamitatem, quae ruricolas liberos ad servitutem compellit:

redde suum miseris, orbos amplectere vindex
et sibi, Flora, metat segetes, qui sevit ut olim,
cum medio in sulco linquebat consul aratrum.

Profecto, non minus bene in utrumque hymnum conveniunt mitia illa quam convenit in carmen illud, cui titulus *de pecore*, ientaculi commemoratio, quod sedula mater iam ante lucem praeparat puerulo suo ad ludum literarium ituro. Lepidissimum illud est αἴτιον, quo placide simul et graviter disserens inducitur senex, qui e rustico ludimagister, e ludimagistro rusticus est factus, de *domesticorum* animalium origine. Bovis extollens utilitatem sic ille exclamat:

hinc, matutini, mater, tibi copia lactis,
somnifugaeque fabae liquidus permulsus amaror,
et tabula loculisque gravi ientacula pupo.

En egregium exemplum quo modo antiquus ille Latinus sermo novis ornamentis ad vitam et iuventutem sit revocandus.

Mater cum filio: non est dubium quin hanc imaginem lubentissime legentibus ante oculos ponat Pascolus, sed nusquam magis ea animos nostros delenit commovetque quam uno carminis quod *Catullocalvus* inscribitur versiculo. Carmine quodam notissimo Catulli usus hic Catullum Calvumque inducit carminibus inter se respondentes certantesque. Res ipsa fert ut multa hic legantur quae et homini literarum latinarum peritissimo lectu sint paulo difficiliora. Nolite tamen propterea *doctum* atque adeo doctum potius quam poetam Pascolum

Digitized by Google

appellare. Cavit hoc ipse uno versiculo, quo nullus umquam scriptus est ad animos commovendos aptior. Unum ex illis certantium poetarum carminibus est huiuscemodi: adolescens, qui diu domo afuit, domum subito revocatur: matrem enim eius in gravem incidisse morbum. Quo vocatus est properat et, vix quidem, ad tempus tamen eo pervenit: iam moribundam invenit matrem, iam mortis frigus invasit eam. Pauca tamen etiam vocabula ex ore morientis excipit:

quin facitis ignem? pupulus meus friget.

Veri poetae, eos aio quos aequus amat Apollo, sponte omnia recte faciunt. Velut hic quam apte est adhibitus hipponacteus, versus paulo durior. Nonne enim illud:

quin facitis ignem? pupulus meus friget

animam efflantis singultus esse videtur?

Et nonne idem ille versiculus in mentem nobis revocat immortale illud carmen Italicum c. t. *l'aquilone?* Contemplatus est poeta pueros „volantibus cervis" (ut aiunt Franco-galli) ludentes, subitoque in memoriam rediit pueri, qui et ipse velut eius modi cervus Aquilone abreptus concidit in terram. Iacet, en, in lectulo; roseum illud caput albo fulcitur cervicali; cincinnos eius pectit mater, caute, ne suae doleant deliciae.

Horatianum illud „bella matribus detestanda" quam penitus sensit Pascolus: „Omnes" ait, „matres, detestantur bella, non civilia solum sed et externa; nam omnes amant adolescentulos omnes, qui nunc mutuo destinantur excidio. E tot milibus quo modo suam dignoscere possunt prolem? Dignoscunt tamen quemadmodum avis e pipiante arboris populo suos ad se vocat pupulos".

Ad *somnium* venio. Quis non poeta in deliciis habuit *locum* illum? Annon poetae cogitare atque adeo vivere est *somniare?* Sed nemo umquam melius illo est usus quam Pascolus. Quid quod semel in eo adhibendo tam fuit felix ut... ipsa felicitate paulo esset infelicior in certamine Hoeufftiano. Mira res est dignaque quae hic commemoretur.

Carminis quod inscribitur: „ecloga XI, sive ovis peculiaris" hoc praecipuum est argumentum: auscultat Virgilius duos homines inter se colloquentes amicis eius alio modo tempus terentibus, dum cena paratur in rustici, ad quem deverterunt

Digitized by Google

casa. Duo illi sunt: tugurii, ad cuius astat ostium Virgilius, incola et senex pastor qui eo confugit. Narrat hic in hunc modum: „dominus meus, qui me rus ad opus ruri faciendum amandaverat, agnum mihi morbosum languidumque dederat ad templum, ut sacrificaretur, portandum. Sed exoraveram hominem ut mihi illum dono daret. Inde in misello illo peculio omnem mihi reposueram spem salutis. *Libertatem* vocabam et tamquam filiolam meam fovebam colebamque. Vires eam recuperaturam imaginabar, lac daturam lanamque, parituram, denique satis me fore divitem ut emerem libertatem. At, eheu, nuper illa mea voluptas mortua est et ego de omnibus desperans rebus in fugam me conieci; nunc me ut fugitivum crux manet et cruciatus".

Haec omnia miser iste tam vividis enarravit verbis ut iudices (certe duo inter illos) referri hic res quae revera evenissent putarent, ergo non intelligerent cur servus ille, qui iamdudum libertatem meruisset, ad desperationem esset redactus, denique ita in tenebris versarentur ut praemium aureum carmini adiudicare non auderent.

Hunc rei eventum, minime, ut equidem opinor, mirandum nuper exposuit *Adolphus Gandiglio Fanensis*, quo vix quisquam Pascolum melius notum habet, disputatione cui titulum dedit: „la fortuna di Giovanni Pascoli", sic in memoriam legentibus revocans verba quaedam quae haud dubie ipse Pascolus saepe in ore habuit. Certe ego, qui semel tantummodo cum magno illo poeta sum congressus, ex ore eius excepi dictum quod aeterno erit patriae nostrae decori et ornamento: „quell' Accademia di Amsterdam ha fatto la mia fortuna!"

Quaerat nunc quispiam, qui in arte Pascoliana parum sit versatus, quid servo illo fugitivo factum sit. Nimirum de illo nihil porro nobis narratur. Iam parata est cena, iam vocant Virgilium amici, quo strepitu perterritus narrator aufugit: at solus aliquamdiu etiam remanet Virgilius, secum considerat tristem condicionem aratoris et pastoris glebae addicti, qui gravi labore fungitur non ut ipse sed ut alius fiat locupletior. Ergo unam hanc eclogam addet etiam Bucolicis suis, tum didacticum est scripturus carmen, cuius hoc est propositum ut legentibus curae esse incipiat magis dura miserorum illorum

Digitized by Google

sors colonorum in quacumque vivant regione et quodcumque eorum sit nomen.

Nam cantor ille de matribus filiolisque, de matrum aerumnis puerorumque doloribus, numquam non plenus est misericordiae pauperum inopumque. Ideoque semper a nostri quoque temporis amabitur hominibus. Nam nisi me fallunt omnia, mox unice admirari desinent illi *virtutem* illam Romanam fortitudinemque, quae virtutes e lucri et potentiae nascuntur amore et ad caedem rapinasque adducunt omnes. O utinam mox veniat ille dies, cuius iam quoddam allucescit diluculum! Tum prae heroibus illis Corsicano vel Varzinensi sanctus ille Propertii civis in magno erit honore.

Nam *Franciscum* illum *Asisinum* haud dubium est quin ante omnes sanctos sit veneratus Pascolus. Quid quod ipse haud pauca habet, quae illum nobis sanctum in mentem vocent. Certe, ut ille, tenerrimo amore amplectitur inopes omnes, et debiles non solum homines sed et flosculos aviculasque. Nusquam facetius venustiusque illum est testatus amorem quam suavissimo illo idyllio Italico, cui titulus:

Paolo Uccello.

Praestantissimus ille est pictor suaque contentus sorte, nisi quod uno vexatur desiderio: pulchram habere vellet aviculam cavea clausam, sed nummum quo eam emat non habet. Ergo in pariete aviculam depingit sensimque ei addit agrum arboribus consitum floribusque et herba decoratum. Quod ubi opus egregie ei successit, satanas eum invadit: conqueri incipit artifex noster de sua paupertate, qui ne unum quidem habeat nummum quo unam mercetur aviculam. Hic ei Franciscus apparet Asisinus, qui graviter eum increpat quod, cum tam sit fortunatus, sorte sua contentus non sit. Annon omnia quae oculis suis contempletur, habere artificem qualis sit ipse? Et quam esse crudelem illum cui eiusmodi aliquid sit in votis?

E poco a te quel che desii, ma tanto
all' uccellino, che tu vuoi prigione,
per che gioia a te faccia del suo pianto.

Cui non hic in mentem venit suavissimae de Bione Borysthenita narrationis cui adeo est delectatus placidus lenisque

Digitized by Google

mentium medicus ille Chaeronensis? Quondam Bio pueros vidit lapidibus petentes ranas eosque ita vituperavit: „iniuste agitis pueri! Vos nunc delectamini, at, hercle non delectantur bestiolae istae, quas ludo vestro occiditis".

Equidem non dubito quin illam quoque narratiunculam cognitam habuerit Pascolus. Nam ut totam Italiae historiam ita quidquid ad literas Latinas Graecasque attinet in promptu habebat. Certe tres illi versiculi quos Sanctum Franciscum pronuntiantem facit, in suo genere sunt disertissimi; prae ceteris enim documento sunt quanto sit amplexus amore et misericordia quidquid in terris vivit debile et misericordia dignum.

Sed multo magis legentium animos commovent exempla, quae *Pomponia Graecina* praebent et *Thallusa*, carmina illa doloris et lacrimarum plena, de quibus postea plura erunt dicenda.

Sed nunc pauca addamus de Pascolo commiserante sortem glebae addictorum, compede vinctorum.

Ista minora quidem nisi sunt maiora poeta.

Virgilius ait cum illorum miserorum condicionem describere cogitat „Instrumenta sumus" — verba haec sunt servi aratrum regentis

Instrumenta sumus ruris tua, nil nisi vox est
inter me camurasque boves et robur aratri.

alibi:

Crura boves hominum stupuere sonantia ferro.

Quae cuncta scribens de antiquis servis atque colonis Pascolus haud dubie simul cogitabat de hodiernis agricolis agrum colentibus „principis" cuiuspiam cui parum cordi est vel vita vel mors istorum famulorum quos vix nomine novit.

Nam misericordiae sensu praecipue Pascoli animus afficitur neque illud celat. Natus enim ille est e *tristitia* quae totam eius implet mentem inde a vespera qua fidus equus domum traxit patris corpus quem sicarius aliquis occiderat. Paulo post mater eius succubuit aerumnis et ipse restabat cum nidulo octo implumium pullorum, quorum ipsi incumbebat cura. Tandem supererat solus cum sola sorore fidissima Maria, quam tota sua vita tamquam deam quandam coluit.

Digitized by Google

Cognoscite hanc quibus alloquatur verbis in dedicationibus *Centurionis* et *Thallusae*. Altera est huiuscemodi:

quae nihil optasti nisi pacem, pace fruaris
una cum tristi candida fratre soror.

at altera:

me malus ille meo dixit *gaudere* dolore
tu scis ut doleant gaudia nostra soror.

Lubenter credimus. Est tamen in illo *mali* dicto haud parva pars veritatis. Annon quaedam est voluptas eaque sincerissima purissimaque eius qui cum uno unave eorum quos habet carissimos, in memoriam redit aerumnae, quam simul sunt experti?

Nulli tamen lubentius suam fatetur Pascolus maestitiam quam matri suae. Quondam videre sibi eam videtur solam ad solum ceteris relictis liberis accedentem. „O quam bene est, mater", ait, „quod iam cum sola te colloqui possum, est enim quod soli tibi narrare velim, sed lacrimare noli:

la vita, che tu mi desti, o madre tu, non l'amo".

Nihil umquam, ut opinor, simplicius magisque consuetis verbis dictum est, sed illud:

la vita, che tu mi desti, o madre tu, non l'amo,

quam bene intimas illustrat animi cogitationes!

Et potestne ulla cogitari imago ad commovendos animos aptior quam illa filii adulti cum matre adstantis, dum manu manum eius tenet loquiturque de communi dolore, immo vero tacitus eum mente volvit, sed eo vultu ut *quid* cogitet penitus sentiat mater. Unam novi equidem: coniugum grandaevorum, quorum alter in alterius deflet sinu ereptum sibi pulcherrimum coniugii sui decus et ornamentum. Hunc tamen dolorem non sensit Pascolus... cum maximo literarum detrimento.

Ecquid quae cum duabus his imaginibus componatur indigna est illa ubi poetae mater depingitur equo acclinis, collum eius amplexa eumque rogitans quis tandem percussor ille fuerit, vel potius id efficiens ex hinnitu quem edit nomine eius audito?

Mia madre alzò in gran silenzio un dito,
disse un nome... sonò alto un nitrito.

Mihi non videtur.

Digitized by Google

In omnibus Pascoli carminibus, tam in latinis quam in italicis — e supra allatis exemplis iam apparuit illud, sed hic quoque dico id et post fortasse repetam — eosdem invenimus sensus affectusque doloris et misericordiae, atque etiam — quatenus magnus poeta eiusmodi habet aliquid — eandem artem eademque artificia. Sentio quam parum accurate hic illo utar *artificiorum* vocabulo; utor tamen in praesentia, mox apparebit non rem nobis esse cum ornamentis quibusdam longe petitis, sed cum iis quae ex ipsa poetae mente nata sint atque ergo ipsa carminis flagitentur natura.

Ex eo genere unum proferam exemplum quod totam rem in clarissima ponat luce. Praebet mihi illud *Pomponia Graecina*, carmen maestitiae et maeroris plenum, de quo iam ante sum locutus. Uxor illa Pomponia Graecina Auli Plautii a Christianis descivit marito cedens qui ei est minatus se non solum eam foras vadere iussurum sed etiam unicum ei adempturum filiolum nisi pauca thuris grana arae imposuerit. Et imposuit. Quo facto domi ei remanere iam licet; tantummodo fratris filiolum Graecinum, sui filioli amiculum, ad patrem remittere debet; pater ipse statuat sitne puero an non permittendum adhaerere extraneae isti et absurdae religioni, a qua pater ille non abhorrere videtur. Neque hoc facere Graecina recusat. Ergo iam ut materfamilias domum suam regere et coli potest. Sed felix esse non potest: sentit enim se aeternae felicitatis fecisse iacturam cui brevem praetulerit voluptatem. Tandem aliquando ferre diutius non potest morsus conscientiae illos. Omnia eam attrahunt ad locum illum secretum subterraneumque, ad „coenotaphia". Novit quae via eo ducat, novit et ipsius vias labyrinthi. Quo cum advenit, forte inferiae feruntur mortuo et mortuo quidem puero. En iacet ille pelle ferina indutus et — quod e vulneribus quae in pectore habet, apparet a molossis laniatus. „Quo nomine" rogat Graecina „parvus ille fuit martyr?" Et monstrat ei fossor tabulam iamiam ante sarcophagum ponendam. Legitur ibi Graecis scriptum literis:

Graecinus in pace.

laceris membris inducitur alba
nunc stola: molle suo caput ipsum pondere nutat.

Digitized by Google

Hic oculis ambit matrem, quam saepe vocabat
et dulcem quaerit si qua est hinc inde gemellum.

Roget hic quispiam cui parum nota sit *ars* — ut eo hic utar vocabulo — Pascoliana: „et quid porro Graecina illa factum est?" Hoc nobis non narrat Pascolus, non vult narrare, idque optimo iure. An forte invito Tacito fingendum ei fuit Graecinam tunc denuo Christianam factam, inde revera expulsam domo et alia in eandem sententiam? Non vult Pascolus, satis ei est si quicunque ea omnia legit penitus sentiat ab eo inde tempore Graecinam ét saepius esse elocutam ét semper in mente habuisse id quod ipse immortali illo hemistichio:

Mortalis amor, dolor immortalis

enuntiavit.

Quonam abiit Graecina? Non hoc nobis narrat poeta, non potuerit narrare, non voluerit.

Peculiare ergo illud quod dicebam Pascolianae artis ornamentum huc redit ut in longioris carminis fine obiter legentibus rogandum aliquid relinquatur, ad quod toto sibi carmine responsum esse sentit is qui quid sibi poeta vellet iam multo ante intellexerit.

Disertissimum huius *ornamenti* (si tamen ita dicere fas est) nobis illud praebet carmen, quod „Christianorum" Pascoli carminum dicere possis primum.

Centurio inscriptum illud est, eoque vocabulo significatur ἑκατόνταρχος ille, quem tam bene propter dictum illud: „profecto Dei filius ille fuit" notum habemus. In carmine nostro *Aetrius* ei nomen est. Persequuntur eum, ut solent, pueri e ludo literario domum euntes et *narrationes* ab eo flagitant easque (id quod res ipsa fert) e senis ipsa sumptas arte: de re bellica: de victoriis, quas Romani reportaverint, de hostibus quos profligarint, de urbibus quas expugnaverint. At nunc narrator ille longe alias res cogitat: ante oculos ei stat mirus ille propheta quem in cruce vidit animam exspirantem; in cruce: o indignum illud viro forti mandatum munus tam crudele et turpe custodiendi supplicium. In cruce! Quid miser ille commiserat? Quater eum conspexerat centurio et audiverat: ad lacum Gennesareth orationem habentem ad populum indigorum humiliumque; viderat pueros ad se vocantem manus iis

Digitized by Google

imponentem monentemque populum ut illorum fieret similis; adfuerat cum tamquam imperator Hierosolyma peteret, denique in cruce viderat spiritum exhalantem et quattuor locis illis ex ore eius exceperat vocem illam, quam solam de barbarico isto sermone cognitam habebat ipse nec intellexerat umquam. Atque viderat triumphatorem illum interdum respicientem ad asinam, quae pompam sequebatur cum pullo suo, quem Ille ad se alliciebat, ne a matre aberraret. Rogare hic lubet num de industria hunc pullum e Matth. 21 huc transtulerit Pascolus ut sanctum nobis pingeret Francisci Asisini quam simillimum? Minime, minime vero! Absit a Pascolo vel levissima flosculorum Alexandrinorum suspicio! Sed ita se res habet: summae depingenti clementiae et lenitatis exemplum, *sponte* ei in mentem veniebat pullus ille Matthaei intellegebatque tam sanctum simulque tam clementem hominem non potuisse non curare animalculum illud tam debile tenerumque.

Denique, aio, prophetam vidit centurio in cruce exhalantem; tum quoque arcanam illam vocem *Pax* eum audiverat fracta proferentem voce.

Iuvat hic inserere aliam de Pascoliana arte observationem. Quattuor sunt centurionis narrationes: de Iesu sermocinante ad lacum, de Iesu pueros ad se vocante, de triumpho eius et morte. Et quattuor illae narrationes incipiunt a voce *olim*, in fine hexametri posita. Dicamusne consulto? Pascolum ita hos construxisse hexametros et divisisse quo maiorem haberent vim? Nam quid illud *olim*, quater in fine hexametri positum, efficit? Nempe ut centurio secum non ad pueros loquatur, ut puerorum illorum plane videatur immemor totusque sit defixus in illa sancti prophetae imagine. Nihil tamen hic consulto factum est; si *flosculus* hic est appellandus, e poetae mente natus est et non nasci haud potuit.

Tandem ad illam interrogationem venio. Post narrationem centurionis ceteri silent pueri, solus feneratoris Alfii filiolus rogitat etiam:

Dic etiam nobis terrarum impervius ullus
Angulus est, Aetri, quem nos non vicimus est quis?

Vidi qui sic hunc versum verteret ut ultima essent: „*quis* ille *homo* est quem nos non vicimus? Quasi vero usquam Aetrius

Digitized by Google

diserte dixerit a Romanis non victum esse Iesum. Et quam illud abhorret a praecedentibus

Dic etiam nobis terrarum impervius ullus
Angulus est?

Et quod maximum est, de Iesu iam non cogitat feneratoris filius; quae de illo sunt narrata vix audivit. Cogitat quae pueri sunt et feneratoris ideoque rogat: „si denuo legiones nostrae castra moverint, quorsum facient impetum?" Simulque, ut feneratoris filius novas sibi animo fingit provincias ubi pater suus rem facere possit.

Sed quod ad illam attinet interrogationem, iam datum est responsum estque illud huiuscemodi: „O vos magni inter homines et potentes, quam parvi estis et debiles! Magni et potentes soli sunt parvi, clementes, inopes homines. Sed maximus inter illos ille est qui Golgothae exspiravit animam!"

„Estne *bonus*, quod aiunt, *Catholicus* Pascolus?" sic quondam rogabam unum ex eius familiaribus. Et respondit ille „*bonum* esse *catholicum* affirmare non ausim, sed est... quid dicam? est... Christianus". Probetne hoc responsum dogmatice catholica sciat qui dedit: est enim ordinis, licet non Iesuitici, doctissimi tamen socius; mihi, nunc quidem certe, plane sufficit atque verum esse videtur. An Christianum fuisse negemus cum qui toties nobis in memoriam vocet Franciscum Asisinum, illum Pascolum qui tam facunde deploravit sortem miserorum inopumque, etiam eorum qui sint e finibus humanae naturae exterminati ut ille qui nefarie occidit Austriacam imperatricem? Annon suus *Pietati Michelangelicae* locus est in aede Sancti Petri?

È la pietà che l' uomo all' uomo piu deve,
persino al rè, persino à te, Lucheni.

Certant tamen quodammodo inter se Pascoli, haud cum *Petrobono*, qui nuper egregium composuit Anthologiam Pascolianam, dixerim *fidem* et *impietatem*, sed clementia et de rebus ad religionem pertinentibus opinio aut, ut rectius dicam, ea opinio quam hominis Christiani esse oportet.

Fanum Apollinis qui obiter tantum legerit hoc eius esse

Digitized by Google

putet argumentum: „bonus Christianus pagano bono non praestat". Sed verus poeta nil docet, nil demonstrat, non argumentatur aut persuadere studet legenti. Narrat hic Pascolus et egregie narrat, quomodo victrix iam Christianorum secta fanum quoddam parvum destruendum esse decreverit et dei Apollinis, qui agros defendit, iam abiecerit in maris undas signum. Nunc Pascolum miseret et se miserere haud celat lepidi illius signi, putris fani quod senex sacerdos ut potest servat sarcitque, semiferi denique montani qui huc venit ut immolando haedulo morboso atque strigoso gregem suum laborantem servet ab interitu, sed a sacerdote se exorari patitur ut miserum istud animalculum solvat et pro eo arae imponat herbas quasdam, quas e luco, qui sacello adiacet, petiverit. Ut est lenis et misericors Pascolus, ferre non potest potentes, qui superbos se durosque gerunt, quemadmodum in *Sancto Theodoro* ferre non potest arrogantiam magni sacerdotis adversus pauperculam, quae, quia lacte alere puerulum non potest, ad templum accessit opem petitura a „Sancto Romulo" et a lupa quae eum nutrivit fabulosa.

Latina Pascoli poemata plerumque constant ex idylliis, quae poeta finxit e paucis et saepe brevissimis locis Virgilianis vel Horatianis. Sed quam egregia sunt illa idyllia! Iuvat unum hic adferre quod ego semper praeter cetera sum admiratus quodque nos ceteris omnibus melius docet quomodo Pascolus auctores suos legerit et quo modo iis uti possit:

Caelo supinas si tuleris manus: cui non notum est illud de *Phidyle* carmen? Sed quis umquam paulo gravius eo est commotus? Legimus hic quaedam de rustica quadam paupere, quam Horatius admonet ut piis precibus et parvis donis iratos placet deos; miramur a paupercula illa postulari etiam *avidam porcam*, denique postquam poetam audivimus absurdum in modum nugantem de parvo sacrificio quod tamen diis sit acceptius quam sumptuosa hostia... ad finem nos carminis pervenisse gaudemus [1]).

---

1) Mihi est persuasissimum pro *avidaque porca* aliud aliquid requiri quod melius conveniat cum *thure* et *horna fruge*.

Digitized by Google

At audi nunc quam praeclarum effecerit Pascolus idyllion ex exili isto carmine Horatiano.

Post longam absentiam Horatius suum visit praedium videtque rusticam virginem, sibi bene notam, strenue opus facientem rusticum et: „quam laboriosa es Primilla — an Phidylen te appellem? Multum enim parcit qui sibi est famulus — et quam sana fortisque videris! Quam mox me ad repotia invitabis?" „Eheu" respondet illa „domine mi! profecto non instat dies ille: scis matrem meam ante paucos menses esse mortuam et scis quam fuerit illa sedula; nunc omnis omnium rerum cura in me incumbit: sororcularum et fraterculorum sarcio lavoque vestes; oves bovesque custodio mulgeoque et quid non? Nil neglego et tamen metuo omnia: bos una de nostris aegrotare videtur, parum bene se habent oves, quid vero si grando vineas nostras afflixerit! Etiam nocte pro aliis texo suoque, ut aliquam mihi comparem pecuniam qua hostiam emam ad deorum averruncandam iram — si irati sunt —".

„Ne te maceres" respondet Horatius, „mea Phidyle. Pauperculam te esse norunt omnes dii deaeque neque ullam a te exspectabunt hostiam. Satis erit si nascente luna sic manus supinas" (et monstrat ei quid illud sit) — „ad coelum tuleris".

Iam domum redit Horatius, sed in via a loco edito respicit videtque Phidylam *manibus* adstantem *supinis* et observantem iamne *nascatur luna.*

Nonne lepidissima est Phidyle illa, nonne eam in *sinu geras?* An non convenit in hunc locum eiusmodi locutio? Res enim nobis est cum Horatio et est ille poeta cuius iudicium a nostro tantopere discrepet: saepe aliquid dicit quod nobis non possit non ineptum videri. Quodsi tamen hic illic aliquid scripsit quod legentibus placere possit, subito nescioqua abreptus insania, addit aliquid quod pessumdet omnia. At ego Horatium amo et admiror neque umquam eum quidquam inepti et insani scripsisse credo. Ergo iis qui *traditis* adstupent verbis, ista *avidam porcam* et ultimam istam strophan relinquo, tum carmen relego, denique me ad Pascolianam converto Phidylen ... tum intellegere mihi videri incipio quid sibi Horatius voluerit. Quid quod nunc Italicum illud χειμήλιον in vernaculum sermonem transferre audeo ... satisque mihi placeo:

Digitized by Google

als ge maar bij 't eerste licht
van de maan uw handen richt
— 't binnenst boven, Phidyle! —
naar den hemel, heb dan vree!
Dan toch — maar strooi ook nog wat
korrels uit uw wierookvat
en daarbij op 't huisaltaar
'n beetje graan maar van van 't jaar! —
nu dan, huisvrouw, dan geeft niet
om uw wijnstok u verdriet
de Sirocco, en geen brand
tast uw koren aan in 't land;
ook uw jong en jolig vee
lijdt niet onder 't najaarswee.
Kom, van u wordt niet verwacht,
dat g' een kostbaar offer slacht,
'n stier gevoed in 't eikenwoud
sneeuwbekranst en eeuwen oud
of die eertijds vrij en blij
darteld' in d' Albaansche wei;
zulke offers zijn slechts veil
voor des Hoogepriesters bijl.
Zuinig wijfje, houd ook maar
al uw schaapjes bij elkaar.
Heusch, uw godjes zijn niet doof
als g' hen tooit met myrtenloof;
ook een takje rosmarijn
zal hun welgevallig zijn.

Quos versiculos, licet haec omnia exterorum potissimum causa latine scripserim, tamen et hic pono, si quis forte eorum Neerlandice sciat aut discere velit.

Sic auctoribus Latinis Pascolus utitur, sic iis uti potest; nam amat eos, atque quemcumque eorum locum tangit inde efficit monumentum aere perennius simulque auro splendidius, licet nihil immutet sed tantummodo *loquentes* inducat homines *de quibus* ei narraverunt. Sic reviviscunt Horatius atque etiam

Digitized by Google

Virgilius, in vitam revocante eos carissimo fidissimoque eorum amico Ioanne Pascolo.

Est certe *Phidyle* disertissimum exemplum personae quam vivam loquentemque protraxit e loco aliquo scriptoris antiqui: videmus virginem amabilem naviter labore suo rustico fungentem, audimus eam lepide garrientem de variis occupationibus quibus distrahatur, denuo eam videmus bonae spei plenam tempus exspectantem, quo rite perfungi possit omnibus quae ei bonus mandavit magister officiis.

Sed qui fit ut tam vividam eius imaginem depingere possit Pascolus? Dum Phidylen depingit, aliam cogitat virginem, qua nihil in vita vidit umquam carius: unice dilectam sibi sororculam Mariam, quam divae instar suspicit veneraturque. Cui hic non in mentem venit suavissimi odarii, cui titulus la *Cucitrice?*

L'alba per la valle nera
Sparpigliò le greggi bianche:
Tornan' ora nella sera
E s' arrampicano stanche:
Una stella le conduce.

Torna via dalla maëstra
la covata e passa lenta;
c' è un biondo alla finestra,
tra un basilico e una menta,
è Maria che cuce e cuce.

Per chi cuce e per che cosa?
Un lenzuolo, un bianco velo?
Tutto il cielo è color rosa
Rosa e oro e tutto il cielo
Sulla testa le riluce.

Alsa gli occhi dal lavoro;
Una lagrima, un sorriso?
Sotto il cielo rosa e oro
Chini gli occhi, chino il viso
Ella cuce, cuce, cuce.

Agnoscisne poetam, qui *Phidylen* cecinit?

Digitized by Google

Est haud dubie *Phidyle* splendidissimum specimen illius artis Pascolianae, qua dramatium nascitur e loco aliquo Virgilii vel Horatii. Sed et *Moretum* eius hic commemorandum, natum e iocosa imprecatione qua Horatius devovet Maecenatem, a quo eo est adductus ut sub noctem cibo illo vesceretur rusticano, allii pleno. Hic nobis ante oculos ponuntur Horatius Maecenasque cum suis *umbris* in casa rusticana, ubi ista iis est apposita cena, hilare convivantes confabulantesque.

Et cogitate *reditum Augusti* quamquam fortasse peculiare quoddam eius est carminis consilium. Videmus Horatium primo luctantem in turba civium, qui ad reditum illum spectandum affluxerunt, deinde domi anxie exspectantem Neaeram quam ad cenam invitavit. Anxius est et sollicitus iamque diu exspectavit cum subito advolat Neaera. Quae cum poetam anxium iamque tristem conspicit: „putabasne" exclamat „me tui immemorem, vetus amice?"

Latetne hic peculiare aliquod consilium? Lubenter credo. Nam quo tempore redit Augustus Horatius annum aetatis agit quadragesimum secundum, fuitque eadem aetate *Pascolus* dum illud componebat carmen.

Perpetuo gaudes aetatis flore, poëta

sed quamvis nihil eius modi hic Pascolus cogitaverit, vel sic idyllium vel dramation satis est lepidum venustumque.

Neque tamen hilares tantummodo et iucundas historiolas e suis protrahit in lucem Pascolus auctoribus, ubi haud facile aliquis de vulgo hominum eos invenerit. An quidquam cogitari potest atrocius quam quod Martialis nobis tradidit de Laureolo sacrilego? Damnatum eum dicit ut in cruce pendens a feris laniaretur bestiis. Confugientem eum Pascolus fingit ad coniuges duos haud dissimiles Baucidis et Philemonis, neque illis minus hospitales. Benigne hominem excipiunt, Virbium esse rati quo nomine Hyppolitus in eorum oppidulo Aricia pie colitur ab omnibus incolis sed maxime ab ipsis, quemque non minus quam illum sonitus terret equorum. Quo excitus postquam aufugit hospes, pateram auream a fugiente relictam donum esse putant quo hospes suam sit remuneratus benignitatem. Sic cruenta veritas idyllio includitur peramoeno.

Quis numquam audivit de Iugurtha, in obscuro carcere frigore,

Digitized by Google

fame siti absumpto? Sed quotus quisque est qui eiusmodi mortem sibi probe sit imaginatus? Ante oculos eam nobis ponit Pascolus totamque rei atrocitatem vividis depingit coloribus.

En, hoc est vertere, sed ita vertere ut vertit qui rem ipsam persensit animo!

Neque absurdum videtur hic mentionem facere carminis, cui nomen *Chelidonismus*. Plenum illud est rerum, legentem delectat, detinet, commovetque, praesertim ultimo versu. Videmus ibi Tiberium in insula Rhodo, cum perito harum rerum Thrasyllo de caelo servantem. Probe astutus ille astrologus, quam sibi sortem paret obscurus iste „princeps iuventutis", intellegit et callido eam fugit consilio. En adest celox, nuntium afferens imperatorem proclamatum Tiberium, qui nunc ... maeret sibi otium rusticum mutandum vita urbana principis, plena molestiarum curarumque

dixit, at ex animo dixisset necne, nec ipse
norat qui norat fatum caelumque Thrasyllus.

Et exhilarantur tristia haec suavissima cantilena puerorum reditum veris salutantium. Atque est totum hoc carmen tam varium, quod tot res uno complectitur corpore, natum e paucis Suetonii verbis ad illam historiae partem pertinentibus.

Supra exposui quam lepide Pascolus saepe concludat carmen — omittenda clausula eaque relinquenda legentibus, qui nunc ipsi respondere debent ad quaestionem quam ipse in fine carminis ponit.

Audite nunc duos versus quibus ipse poeta apte simul et facunde carmen suum concludat et omnia, quae antea iacebant dispersa, comprehendat.

Novimus omnes Horatii *iter Brundusinum*, cuius pars magna est altercatio Sarmenti et Cicirri, quas umbras secum adduxerunt Horatius Maecenasque. Hanc postquam narravit altercationem, haec addit etiam Horatius:

Prorsus iucunde cenam produximus illam.

Sed *quomodo* illam cenam produxerint patroni non narrat Horatius sed narrat Pascolus. Nempe de bonis literis sunt collocuti patroni deque carminibus quae sint composituri

Digitized by Google

Interea sonitus tacitis ferit omnibus aures
Sarmenti stertentis humi Messique Cicirri.

Dum docte confabulantur Musarum cultores, isti homunciones, quos et somnus et vinum obrepsit, obdormiverunt. Nimirum haud curant ea quae literatis hominibus curae sunt.

Prorsus ex eodem genere est clausula carminis cui titulus *Fanum Vacunae*, quo nullum disertius nobis Horatianum describit ingenium omnium bonarum rerum plenum omnibusque vulnerabile cogitationibus vèro homine dignis. Postquam poeta omnes sui praedii partes pererravit, ad *fanum putre Vacunae* accedit; hederae ramum decerpit quo caput circumdat:

Hic hederas ubi, Quinte, manu te cernit habentem,
„Fert ager hic hederas, non", inquit vilicus „uvam".

Poetae praedium suum non, ut servo urbano, nihil est nisi uber agri largum ferens reditum.

Admonet me hic locus ut pauca quaedam addam de Pascolo Christiano. Nullam esse opinor virtutem quam maiore iure Christianam vocare possumus quam virtutem hominis *ad ignoscendum* parati. Quam qui et facunde et graviter commendat, hunc equidem *Evangelistam* vocare haud dubitaverim. Ergo Christianam invenimus praedicationem in carmine illo ad movendas lacrimas aptissimo cui nomen *Gladiatores* de quo post plura erunt dicenda. Gladiatores illi qui sint ipsum monet vocabulum illud. Sunt gladiatores Spartaci, qui tandem aliquando gladium strinxerunt, non ut inter se depugnarent sed ut a saevis dominis sumerent poenam. Audite eorum unum de communibus declarantem hostibus:

Non hostes reor esse mihi nil morte minantes
Tristius optanti, nil morte beatius ipsa.

Et audite alterum narrantem de tenero quo fuerit affectus sensu, cum in solitudinem defugisset ad vitandam domini iram et crudelitatem:

Dixissem placidus cuivis: „mortalis, haveto"
et cuivis scriptam posuissem ad pectora frontem.
Ut quando pueros media inter proelia mater
Rixantes pugnis et secto oppresserit ungui,
Una tum solos cubitum discedere iussos
Lectus ut excepit flentes animoque tumentes,

Digitized by Google

Iam falsis tenebrae vacuae terroribus implent,
Nec iam singultant, lacrimis moderantur et irae.
Mox placidis sensim pugnacia brachia circum
Dant collis et corda premunt oblita furoris.

Notissimus hic locus e carmine, omnium ut opinor celeberrimo Italico Pascoliano, ubi duo fraterculi post saevissimam rixam a matre lecto impositi, mox obdormiscunt alba tecti veste et candidis brachiolis inter se colla amplexantes, atque sic poetae praebent facultatem exclamandi: „mortales, iam nunc pax sit inter vos: mox veniet tempus, cum omnes iacebitis sub candido velamento mortis!"

Sic Pascolus fidem suam non certa aliqua formula comprehendit sed una imagine vitae plena.

Et cui hic non in mentem venit carminis illius praeclari, quod numquam satis pro meritis laudabitur, *Paedagogium* dico. Ibi Alexamenos Syrus fidem suam non profitetur, sed rebus factisque ostendit. Commilito eius Kareius ardenti mente Scotus ira incensus pilam ei in caput iniecit; iamque in adversarium facturus erat impetum Alexamenos cum in tempore a paedagogo prohibetur. Cubitum eunt pueri omnes sed ultimus omnium Kareius qui poenae causa aliquamdiu carcere fuit clausus. Qui ubi cubiculum intrat, commilitonem istum Syrum, quem adeo despicit, audit precantem iracundiae suae veniam, precantem etiam pro Kareio adversario. Graviter commotus ad eum accedit Kareus fitque inter pueros colloquium, quo Alexamenos adversario multa narrat auditu suavia illique ignota, e sacris Christianorum libris sumpta. Quae puerilis praedicatio quem habuerit effectum cetera Pascoli docet narratio. Kareius enim in parietibus carceris ludicram pinxerat imaginem, bene notum illud „graffito", quod e ruderibus Palatii effossum postea nusquam inventum est. Videmus ibi asinum cruci affixum, ad quem homo manus tollit. Subscriptum est Graece — sed pueri ea Graecitas —: „Alexamenos deum suum veneratur". Sic inscius et invitus Kareius commilitonem suum indicaverat. Iamque adest severus magistratus Alexamenon interrogaturus. Qui tantum abest ut quidquam neget ut palam abiuret deos patrios.

Digitized by Google

Ergo *abire* eum magistratus iubet; quo eundum sit reo facile intellegimus. Sed non abit solus. Nam dum iudex gravem hanc pronuntiat sententiam: „abi hinc tu, scholae nostrae solus corruptor, solus inter omnes miserae illius sectae qui es socius" sic eum interpellat Kareius „non solus" et novum amicum sequitur.

Haud dubie prima sunt fidei Christianae elementa quae ab Alexameno accipit Kareius haud diversa ab illis quae Pomponia Graecina filiolum suum docuit: pauca parabola eaque maxime pervulgata: de filio perdito, de bono pastore, de nummo qui quaeritur. Nam et Alexamenos a matre Christianus factus est. Christianis Pascoli carminibus haud dubie adnumerandum est illud cui titulus: *ultima linea*, licet hic religio Christiana strictim tantummodo tangatur.

Horatius post multos annos urbem perambulans maesto est animo. Vidit quidem monumentum illud ad Tiberim ingens, quod servat memoriam ludi saecularis, ante novem annos celebrati, legitque inscriptionem:

Carmen composuit Q. Horatius.

Sed quod tam multa conspicit nova, quod tam multos amicos desiderat caros mentem eius reddit tristem. Hic ei vetus occurrit sodalis notus ille derisor Aristius Fuscus. Multa hic ei narrat quae vaticinantes audivit Iudaeos, quibus uti solet: „nova aderit aetas, agnus cum lupo conversabitur, leonum pulli ambulabunt inter armenta gregesque, omne mox abibit malum, etiam de morte ipsa mox actum erit". „At non" Horatius ait „ante me de morte actum erit: iam in venis eam sentio. Pulchra ista omnia tu fortasse videbis, ego iam senex videre eam mihi videbar. Vale".

Modum excedat, haud diffiteor, qui *fidei* hanc vocet *confessionem*. Si iam confessio est illa, est confessio eius qui fidem abiurat, idque, si quid video, fidem paganorum. Contentus non est neque se contentum esse posse sentit Horatius praeceptis philosophicis, in quibus hactenus acquievit, neque caerimoniis et sacrificiis quibus ante sibi averruncare posse visus est deorum iram. Aliud quid et venire debere et mox venturum sibi habet persuasum. Sed quale illud erit? Aliquid simile eorum, quae Aristius ex ore Iudaeorum excepit?

Digitized by Google

Atque sic paganus ille, qui de omnibus rebus dubitat, legentes solos relinquit cum quaestione ad quam in praecedentibus quodammodo iam datum est responsum: „venire debebat Dominus Dominorum et tunc venire debebat, qui mortales anxie quaerentes consolaretur atque afflictis eorum mentibus quietem redderet confidentiamque".

De *latino* poeta Pascolo me scripturum promiseram: Ecquid ab illo aberravi argumento? Haud opinor. Etiam in ultimis hisce, atque adeo hic potissimum, Pascolum descripsi tamquam poetam novarum, atque ut ita dicam „haud classicarum" opinionum, sententiarum, affectuum. Atque haec omnia latine enuntiat.

Quaerat quispiam: „cur, obsecro, latine?" Eodem iure atque adeo eadem iniuria rogare possit, cur pictor pingat, non sculpat, cur musicus non sua ad cantandum voce utatur sed fidibus, cur poeta faciat carmina, non brevibus sententiolis atque pedestri sermone ea enuntiet quae pectore habeat clausa.

Latine scribit Pascolus: eum enim in deliciis habet sermonem atque omnes eius difficultates superavit.

Sed hic memet ipsum reprehendo: sentio enim istud „superavit difficultates" quam sit indignum tanto artifice quantus fuit Pascolus. Nullum ille in latine scribendo sentit laborem, non *paret* grammatices metricesve legibus, sed leges sibi fert ipse; quidquid scripsit ille legis instar est. Raro quidem sed tamen hic illic deprehendi aliquid quod mihi vitiosum videretur, semperque Pascolus, homo ab omni alienus arrogantia, meis est usus observationibus. Sed in editione Zanichelliana ad certum quendam versum annotatum video: „heptametrum, quem prius hic posueram, poteram non mutare: peculiarem enim et minime absurdum toti loco praebet colorem". Ita est: Pascolo a norma Virgiliana recedere licet; raro id facit, sed tum pro sua potestate ultro immutat normam.

„Ain tu?" exclamet qui haec legit „*doctumne* tu fuisse negas poetam Pascolum? Et sunt qui etiam eius carmina italica *iusto doctiora* dicant". Ita est: nihil non novit Pascolus, sed revera *novit;* ut me intra poeseos latinae leges, et quid-

Digitized by Google

quid ad poesin latinam pertinet, historiam Romanam, antiquitates Romanas, archeologiam dico, contineam, in promptu atque parata habet haec omnia. Atque ut dominus haud parcus e suo thesauro promit quidquid res ipsa postulat, non reputans semper haud esse omnibus qui legunt aeque atque ipsi nota et perspicua illa. An legenti licet eo scriptorem poetamve accusare crimine quod quae ignoret ipse ille noverit?

An umquam doctrinae ostentat Pascolus copiam? Ut quam disertissime demonstrem quam fuerit ille ab hac suspicione remotus, e pulcherrimo eius carmine locum protraham ubi tamen maxime ab hac parte peccare *videatur*. Pulcherrimum Pascoli carmen quodnam est? Ut nunc mihi videtur — nam postea fortasse mutabo sententiam — *Thallusa* illud est. Hoc quotiescumque relego: „hoc ceteris omnibus praestat" exclamo:

Flet Thallusa canens, aeque memor, immemor aeque.

Thallusa misera est illa serva, immo miserarum miserrima. Maritus eius a crudeli domino est occisus et suus pauculorum mensium infans parentibus est creptus. Nunc apud novos dominos sola domi est, invidiae iraeque in illos plena; sed subito infantulus, cuius est Thallusae commissa curae, lacrimare incipit. Statim accurrit Thallusa videtque materna ei esse cura opus. Hanc ei Thallusa praebet, tum cunis adsidens cantat ut parvulo obrepat somnus. Et cantat eandem cantilenam qua olim suum placavit infantulum. Cantat ergo et bene cantat, sed simul maeret; hoc se olim suo cantare filiolo probe meminit, sed non cogitat non suum esse infantulum cui nunc adsidet.

Et cantat metro Saturnino, quo olim usi sunt semiferi antiquae Italiae incolae. Aliusne quisquam recentioris aevi poeta eo metro usus sit ignoro, sed si usus est, usus est ut vir doctus, non ut poeta. At Pascolus totam suam mentem in Thallusae mentem convertit, ergo dum eam cantantem inducit sponte ei in mentem metra veniunt, quibus verae sunt usae Thallusae.

Mirum est poetarum genus. Nemo ineptire potest magis quam qui eos ad certas redigere studet normas. Tamen hac aetate multi tum demum vere docti sibi videntur, si quam maxime hanc ineptiarum gloriolam appetant.

De *Thallusa* post plura erunt dicenda; nunc iis quae dicta iam sunt hoc addo: amat novi domini pueros et ab iis reda-

Digitized by Google

matur. Sed nihil eam ipsi curant domini; ille eam modo vendidit neque obstitit illa, nunc quidem illius sola conscia crudelitatis.

Numquid ergo ego omnia quae scripsit Pascolus plane intellego? Eo me perventurum esse haud opinor, licet ad Nestoris pervenerim senectutem. Non est ullum carmen, ne simplicissimum quidem, ex eo rerum genere quas in arcam tuam recondas, certus te, si quando opus fuerit id inde prompturum quo opus est cum indice adiecto, qui nihil quaerendum relinquat. Bonum poema iterum iterumque legendum est variis temporibus et variis mentis vitaeque condicionibus, tum semper nova invenies decora et ornamenta. Ergo nolo ad istam quaestionem tantummodo idque ex animi sententia respondere: „profecto, non omnia", sed addo: „plus tamen molestiae mihi Italica eius praebent carmina. Et causa quidem eius rei est quod Italici sermonis etiam sum imperitior quam latini, sed non sola haec causa est, ne gravissima quidem. Gravissima ea est quod sermone latino ipse Pascolus multo potest uti facilius quam Italico. Est enim ingenium eius longe diversum a ceterorum omnium; semper Pascolus est, sed secum fert inexhaustam poeseos copiam, quae omnibus quas videt rebus in infinitum augetur et locupletatur. Atqui eiusmodi ingenium interdum fit paulo non obscurius sed paulo perspicuum minus: aberrare potest, saltus facere, omittere transitiones, neque quidquam illorum sentire — quamdiu vulgari aequalium utitur sermone. Sed sermonis latini immutabiles de re metrica grammaticaque leges cogunt eum se intra certos continere terminos et magis alios curare homines quam tum curandos eos putat donec illorum ipsorum loquitur lingua. Hic quoque vero poetae certa aliqua artis norma non obstaculum est sed incitamentum firmamentumque. Quod autem ad Thallusam pertinet: credo atque adeo persuasum mihi habeo multa quae sint summa admiratione digna me latere, tamen illud legenti carmen omnia mihi luce clariora videntur. Quae tandem eius rei causa est? De aliis Pascoli carminibus minime affirmaverim illud. Fuit cum putarem: „nimirum ipsa exercitatio poetam fecit perspicuum". At eodem modo res se habet in *Paedagogio* et

Digitized by Google

Phidyle quae tamen carmina tot annis *Thallusam* praecedunt. Latina pangendi carmina artem semper calluisse videtur Pascolus atque adeo ab initio ad finem aeque bene calluisse semper, aeque levem illum ei fuisse laborem dixeris. Non ergo est quod miremur ei cum intimos e pectore promeret sensus, non minus bene ei rem cessisse latine quam Italice canenti. Immo vero paene dixerim tum praesertim latinum sermonem utilem ei fuisse habilemque, cum id, quod ipsius mentem maxime commoveret verbis enuntiaret latinis. Uno utar exemplo. Verba illa, quae e matris morientis ore excipit filius:

Quin facitis ignem? pupulus meus friget

num minus animum nostrum tangunt quam si vel Pascolus ipse idem Italice dicentem moribundam illam fecisset?

Atque idem asseverare ausim de tribus vocabulis quibus suavissimum illud ad Pistellum clauditur epistolium.

Pistellus ille quis sit nemo ignorat qui Pascolum novit. Est eius amicus fidissimus, qui adiuvante Maria carmina eius omnia edenda curavit idque labore indefesso. Declarat ibi poeta se paucis vivere contentum. Tritus hic locus. Poeta quid cupiat, quid spernat iam Archilochus nos docuit versibus illis

οὔ μοι τὰ Γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει κ. τ. λ.

At proprium eumque Pascolianum colorem habent ultima haec: mihi satis erit cum silentibus sub terra degentibus colloqui posse atque e matris ora haec excipere:

macte puer, puer.

Haud dubie et Neerlandice idem eleganter dici possit. Neque hoc dubium quin venuste idem dicturus fuisset Pascolus, si Italico fuisset usus sermone. Neque tamen quisquam illo *macte puer*, *puer* libenter caruerit. Unus est homo Pascolus latinus et Pascolus Italicus. Haec est causa cur hactenus duo illa carminum genera omnino secernere *non potuerim*. Saepe latinus Pascolus italicum illustrat, saepe italicus latinum. Sed nunc separatim agam de arte Pascoli latina. Atque hic primum repeto quod dixi iam antea: nullum latine cum cantaret Pascolus sensisse videtur laborem ideoque apud illum ne levissimum quidem apparet vestigium ornamenti longe aut de industria petiti. Sponte illa omnia in poetae sunt mente nata. Maxime in hoc genere admirati sumus illud quater in fine versus

Digitized by Google

positum *olim*, unde narrationem incipit centurio, sed similia quavis inveniuntur pagina. Confidenter ergo affirmare possumus, sicubi verborum usus nobis paulo videatur insolentior, hunc ordinem solito praetulisse poetam ut aliquid peculiare et illi loco quam aptissimum significaret. Prae ceteris illud competit in illud urbanissimum distichon, quo competitorem in certamine Hoecufftiano quendam sic alloquitur (praecedit illius competitoris nomen spondaicum)

... non vinci, magis est vicisse pudori,
cum victor victi carmina saepe lego.

A suo aberrasse illud *saepe* videtur, revera tamen totius urbanitatem distichi mirum in modum auget.

Sed clarius etiam poetae consilium declarat ultimus *Hymni in Romam* versus. Narravit poeta de Pallante, qui primus pro Roma pugnans occidit supraque cuius caput est inventa lampas, que exstingui non potuerit. Hinc poeta exclamandi sumit causam:

Roma potens, vitae potior tua tempore lampas.

Admodum mirus est hic verborum ordo. Sed dubium non est, quin magna ex parte ultimus inde carminis versus traxerit grave, solemne et paene dixerim sacrum illud, quod tam bene toti carmini grandisono convenit.

Et, ut opinor, eodem modo se res habet in illa Pascoli „difficultate", quam toties vituperarunt homines. Nusquam disertius illa pronuntiata videtur quam in iudicio Hoecufftiano de Myrmedone, egregio illo *de formicis* carmine didactico. Est illud huiuscemodi: „tamen non possumus non confiteri, item ut iam ante paucos annos, omnia nos non bene intellexisse et bis vel ter in mentem nobis venisse illud: *si non vis intellegi non vis legi*. Velut ne nunc quidem perspicimus quid sibi duo illi velint versus a quibus fit initium:

Vir tibi me sapiens formicae iure magistrae
frigoris in cautum metuenti tradit inertis".

Non sprevit hanc observationem Pascolus, sed sic correxit:

Vir tibi me sapiens tradit, formica, magistrae
„Vade" ait et duce formica, piger, utere parva.

Quod certe ad „construendum" multo est facilius vertendumque. Tamen mihi prior lectio minime videtur contemnenda:

Digitized by Google

dixerim hic lepide significari quam mira videatur loquenti Salomonis illa sapientia.

Et quamvis haud dubie legenti liceat leviter indignari, si quando perplexa vocabulorum dispositione in errorem inducatur, at non irasci ei licet si poeta penitus se cognitum habere quod numquam qui eum legit didicit certum dat documentum. *Videtur* interdum Pascolus sua ornamenta petivisse e latebris obscuris longeque remotis. Revera ea repetit e sua ipse mente, ubi iam per multos annos tuta iacuerunt et ita ut quis esset dominus ambigi non posset.

Iam locutus sum de lepidissimo illo *αἰτίῳ de Pecore*, ubi senex agricola placide lepideque disputat quo modo domestica animalia pervenerint ad hodiernum statum victumque, et observabam rusticanum illum philosophum non posse non in mentem revocare Chaeronensem mentium medicum. In eo carmine quid sit illud quod porcus dicatur animal *anima salitum* pauci, ut opinor, philologi, quamvis eruditi, statim dicere poterunt. At qui in Plutarcho paulo sit versatior lepidissimi huiusce continuo fiet memor loci: „pater meus deridere solebat Iudaeos, qui carne suilla abstineant, cum tamen illa caro vel maxime legitimum sit hominis nutrimentum. Etenim illud animal totum culinae est destinatum; salis instar ei inspersum est animae paululum". Non infitias eo potuisse Pascolum ex aliquo de historiae philosophiae Graecae, cuius fuit peritissimus, libro in suum usum hunc locum convertere, sed verisimilius est eum e Plutarcho, quem ei mente fuisse cognatum iam antea dixi, hoc quoque in suum carmen transtulisse ornamentum. Quocumque se modo ea res habet, praebuit ille locus Pascolo facultatem lepidissimos hosce pangendi versiculos:

> Nunc pingues reptat grunditus ingeminans sus,
> addictus lanio nascens animaque salitus,
> ne vitiaretur, petaso merus

a quibus incipit philosophi rustici de porco disputatio.

Nolite tamen putare vel hic vel alibi doctrinam ostentare vel *ἀκριβείας* philologicae affectare gloriolam poetam nostrum. Quod bonum decet poetam facit: ut ea colligat quae carminibus suis decori esse possint, excerpit ea quae carmen scribenti molesta sint futura. Dabo luculentum exemplum. Narratiun-

Digitized by Google

culam de Palladis lampade ipse se invenisse declarat in chronico *Ioannis Malmesburensis*. Ibi tamen et hoc additur: invento Pallantis corpore astutum quendam hominem acu perforasse lanam luciferam, tum statim lumen esse exstinctum. Quo additamento tota narratio poetae fit inutilis: apage ergo!

Atque hac ratione carmen quoque didacticum, quod genus vix poetae tractabile videtur, Pascolo ad eum laborem se accingente pura puta poesis fit, in qua ipsum cor palpitat illius, ea quae poetae maxima sunt in deliciis nobis indicans.

Documento hic mihi est carmen illud de formica nomine Myrmedon quod iudicibus Amstelodamensibus iusto visum est „difficilius".

Haud dubie zoologica hic multa leguntur atque adeo multa quae solis zoologis nota sunt, non tamen iusto plura sed ea ipsa quae requiruntur ab eo qui vult delectari: quam tenera cura mortuis suis prospicit formica

Sentit enim solido vulsam de corpore partem,
Atque datum leto dolet urbs infirma Quiritem:
Saepius hinc longo spatiari funere pompam
Et scatere atriolum videas lictoribus atris.

Hic formicae parvi fiunt homunculi operi suo intenti. Cum vero nobis Pascolus narrat quam bonos se praebeant parentes erga ova sua pullosque, parum abest quin totius carminis hoc esse argumentum credamus: formicae et omnino omnia animalia praestant hominibus, cui sententiae non oblocuturum ipsum Pascolum probe novimus. An non hi sunt eius de alauda versus:

la lodoletta, che ben sai che becca
due grani in terra e vola in ciel' e canta?

Duo si invenit alauda grana, contenta est; immo vero exsultat gaudio et naturam illam largam amoenissimo suo remuneratur cantu.

Neque multum hinc distat suavissimum carmen Italicum „la quercia caduta". Delapsam quercum omnes qui praetereunt admirantur: hic truncum admiratur et „quam fuit magna" ait, ille ramorum foliorumque adstupet tecto et „quam fuit benigna et benefica" exclamat. Omnes tamen quantum possunt abscindunt domumque portant, una ex animi sententia deplo-

Digitized by Google

rat mortuam, frustra nidum suum quaerens „capinera" avicula.

Aetiologico illi carmini *De pecore* cognatissimum est illud cui titulus *Canis*. Praestantissimum est et hoc sed paulo minus varium coloribus. Canis quomodo sit factus *domesticus* hic nobis narratur; nunc statim quivis intellegit quid sit in ea demonstratione primarium: quam egregium illud sit animal hinc potissimum apparere quod domini sepulcrum et quod erilis filii custodiat cunas.

Apud Pascolum semper in unum coaluerunt: perfecta rerum scientia et sincerus amor. Naturam penitus cognitam habet quia eam amat, et amat eam quia penitus habet cognitam. Perfectus est agricola Pascolus quia cordi ei est sors agricolae et pastoris et omnino totius humanitatis.

Audite quam praeclaram cogitationem ei subiiciat canis: tibi, o fidissime venatoris comes, acceptum referimus quod homo nullum iam habet hostem praeter hominem, non tamen hoc tibi fuit propositum ut, quod nunc fit, homo hominem occideret. Potentior armis populus in meliorem populum facit impetum — nonne iuraveris scripta haec anni 1914 mense Augusto? — at tu, fidele caput,

ovi iussisti parcere captae
tutaque pro tepida concedere pabula lana.

„Sola vera atque homine digna est vita agricolae". Hoc Pascolus cum dicit, non est *locus communis*, sed ipsius opinio, quam penitus menti habet infixam, quaeque ei subiicit imagines novas, inexspectatas, lepidas. Quam venustum est illud idyllium de sene Corycio, nunc agricola, at olim pirata Cilice. Felix nunc est, certe felix in serendo arandoque et in floribus colendis, sed maiorem novit felicitatem, eam qua fruitur nauta pererrans maria et nunc hanc nunc illam visens regionem. Ideo Virgilio vicino invidet, quem toties — lepidissimus hic iocus! — verbis quae sunt *vela pandere* utentem audivit. His Virgilius significaverat poetae laborem latiorem suae arti quaerentis campum, sed putabat vetus praedo eum cogitare de vero nauta, nunc huc, nunc illuc iter flectente.

Neque minus est venustum idyllium illud — simulque est lectu facillimum — de *Veianio*, emerito illo gladiatore, nunc rustico, qui diem celebrat quo ante multos annos rude est

Digitized by Google

donatus. Et ille felix est, sed inquietat eum saepe prioris vitae recordatio. Nam, dum in umbra obdormiscit, somniat — en iterum somnium! — se pristino suo fungi officio. Nunc tamen non plaudit ei populus, sed ille toties victor plagam exspectat letalem, qua iamiam mactaturus eum est adversarius.

Cogitatio de rure et vita rustica efficit ut Pascolus αὐτός fiat ἑαυτοῦ δεινότατος. Haec facit ut personae, quas in scenam introducit, praestantissimis atque celsissimis impleantur sensibus sententiisque. Praestantissimum eius rei exemplum est episodium illud magni et magnifici carminis, cui titulus *Gladiatores*. Tres ibi e miseris illis, qui iam praesagiunt crudelem sibi instare finem, dum excubias agunt de vita sua priore inter se narrant. Et narrat fugitivus, qui antea servus fuerat domesticus, se in alta viventem arbore, ut cibum haberet avem sagitta percussisse, sed cum summo intellexisse dolore victimam illam esse vicini niduli matrem. Tum se eo erepsisse, nidum detulisse, ad suam portasse habitationem et pipiantes educavisse incolas. Quod dum faceret et dum cotidie *familiam* illam contemplaretur, mollioribus se esse impletum cogitationibus, tunc se animo tam mitigatum esse ut cuivis homini voluisset ad pectus signatam ponere frontem eumque hac voce compellare: „pax sit inter nos, homines enim sumus". Quam suaviter hoc episodium discrepat a cetero dramate cruento, praesertim ab illa alterius excubitoris narratione, adfuisse se cum castra Romana a fugitivis expugnarentur, qui tum cives Romanos eosque nobilissimos coëgerint gladios stringere et verorum gladiatorum instar in incertum rei eventum pro salute dimicare!

Clementia, mansuetudo, lenitas, hae sunt virtutes quas quodvis carmen Pascolianum clara praedicat voce, nam ipsius cor plenum earum fuit semper. Has praeter ceteras virtutes laudat; hae enim ei praebent facultatem cogitandi de domo paterna, de fraterculis sororculisque atque, quae est ei maxime in deliciis imago, de matre cum lactente infantulo. Audite eum in carmine didactico *de pecore* loquentem ad ovem et de ove:

est vita misellis
servitium, nec oves haec umquam fata latebant;
scitis oves, ideoque animos ut flectat heriles

Digitized by Google

vox puerum sonat et balbas imitata querelas
duplicat et teneras tantillo momine cunas.

Revera sonitus cunarum vel essedulae, qua pueri vehuntur, non ita multum differt a balatu tenerrimi agnelli vel haeduli; neque dubito quin apud rusticos Italicos eodem modo se res habeat.

Vita domestica simplicitas et abundantia rusticana! Haec lux tam multa carmina illustrat Pascoliana, bucolica praesertim, inter quae et *Castaneae* facienda mentio, amoenissimi carminis de Sancti Martini feriis. An potius *bucolicum* illud dicendum est carmen, quod ob eam solum causam paulo difficilius est dicendum, quod tota eius dulcedine solus is perfrui potest, qui unam certe hiemem toto pectore et animo cum rusticis vixit Italicis. Hic quoque otium domesticum et *abundantia* legenti ponuntur ante oculos. Et tamen abundantiam illam Pascolus non vidit puer et iuvenis ab eo tempore cum toti eius nidulo („il nido di farlotti") demigrandum fuit e villa „principis". Sed poetae opus non est suis vidisse oculis omnia quae describat, est quaedam et *imaginandi* atque *de nihilo fingendi* vis!

„Ergone tibi" sic me hic vel ille interpellet „summus videtur huius aetatis poeta Pascolus". Neque urbane, o bone, haec rogas neque prudenter. Robur et scientiam metiri potes et ponderare, sed hic quaestio non est quid sciat aliquis aut quid possit sed quid sentiat. Nemini mortalium decernendi ius datum est odam aliquam Pindari praestare Horatianae ad Phidylen, tragoediam aliquam idyllio. Sed confidenter declarare audeo summum fuisse (ut novicio utar vocabulo) latinistam Pascolum. Si quidquam est quod admirationem moveat hoc est. Nam ut nunc mores sunt, is demum verus „latinista" videtur qui latine nescit. Eiusmodi „latinista" sermone numquam utitur Latino sed Germanico, unde se extricare possit nemo, despicit eum qui unam paginam eleganter latine scribere vel qui — pro pudor — distichon componere latinum possit... scit enim se numquam eo perventurum. Quaecumque a scriptoribus vel poetis latinis scripta sunt in hominum adducere studet contemptionem, neque ei sermo latinus carior est vel sanctior quavis dialecto barbarica cuius pauca tantum supersunt vocabula.

Digitized by Google

Haud dubie non fuit ex illo „latinistarum" genere Pascolus, sed sermonem latinum quia amabat norat, quia norat amabat. Quemadmodum bonus pictor humanam faciem, sic Pascolus ipsam Virgilii Horatiique mentem ... recreavit si hac voce sic uti licet. Sermonem eorum atque adeo ipsos ad novam revocabat vitam.

Horatius et Virgilius sic sunt locuti ut loquentes eos inducit Pascolus, simulque aliter. Est et ipsorum is sermo quo utuntur et est sermo Pascolianus, sunt qui fuerunt simulque sunt Pascoli aequales et amici. Phidyle cum hoc dicit:

est si quis festo prodegit egere profesto

purissimo utitur sermone latino et tamen illud adagiolum sororem illam deceret quae

cuce, cuce, cuce

si subito transferretur in Horatii vitam tempusque.

Virgilium cunctabundum illum cum sic derident amici:

desperare soles ab aperto carcere calcem

et:

decurso spatio creta cunctaris in ipsa

ante oculos habemus Pascolum in rheda fumosa colloquentem cum Pistello et Francisco Xaverio Reuss ... latine, sed ea latinitate quae Virgilii fuit Horatiique.

Virgilium Horatiumque novit Pascolus sed novit et Spartaci socios, etiam Laureolum sacrilegum, et rusticos rusticasque denique et servos servasque, quales Romae fuerunt libera republica et post amissam libertatem, atque omnes illos e sepulcro ad novam revocat vitam.

„Ultimum Virgilii filium" Pascolum vocavit d' Annunzio, facunde quidem sed parum accurate. Sit filius Virgilii Pascolus, sed est eius filius adultus, qui sua ambulat via et novas semper vias invenit.

Certe non est *ultimus* Virgilii filius. Quamdiu amabitur Phidyle omnesque praeterea vivae illae Pascoli personae, quamdiu Pomponiae Graecinae lamentatio

mortalis amor, dolor immortalis

quid sibi velit intellegetur, quamdiu *Thallusae* illud

flet Thallusa canens, aeque memor, immemor aeque

lacrimas movebit legentibus, semper hic illic unus homo, cuius

Digitized by Google

viva vox est, quia vox est in omne duratura tempus, aliquam sententiam quae ei praecipue cordi est latine enuntiare conabitur.

Volumen illud splendidum Zanichellianum non ostentationis solum causa paratum est. Legetur, non a multis — hoc opus non est et ne optandum quidem est — sed a paucis dignis qui in manus sumant illud. Et nunc hic nunc ille se latinum praebebit poetam Pascoli similem, Pascolo haud imparem. Ut ipse immortalis est Pascolus, ita literas latinas reddidit immortales, immortales atque florentes vigentesque in omne aevum.

ERRATUM.

Pagina proximi voluminis 417 l. 29 legitur: *tibicen*, legatur *tubicen*.

I. I. H.

Digitized by Google

DE PRAETORIBUS ATHENIENSIUM QUI VICTORIAM REPORTAVERUNT APUD ARGINUSAS INSULAS.

SCRIPSIT

MATTHAEUS VALETON.

Caput I.

De praetorum qui apud Arginusas insulas vicerunt nominibus.

§ 1. Praetores qui Alcibiadi eiusque collegis successerunt, cur non omnes eidem fuerint qui vicerunt apud Arginusas insulas.

Praetores Atheniensium qui apud Arginusas proelium fecerunt, Diomedontem Periclem Erasinidem Aristocratem Protomachum Thrasyllum Aristogenem Lysiam, Xenophon auctor est, uno Lysia excepto in numero fuisse eorum qui Alcibiadi eiusque collegis non multo post cladem Notiensem in magistratum successerint [1]); inter hos fuisse praeterea Cononem Archestratum Leontem [2]). E quibus eodem auctore Conon quo tempore apud Arginusas pugnatum est, Mytilenae inclusus tenebatur [3]), Archestratum ibidem tunc iam perisse Lysias orator tradit [4]), Leon videtur captus fuisse ab hostibus; etenim Xenophon de Archestrato nulla iam mentione facta — quem verisimile est ut ideo neglexerit,

1) Hell. I 5. 16, 6. 29 sqq.

2) Hell. I 6. 16, Cobet v. cl. in ed. Hell. auctoritate fretus Diodori (XIII 74. 1) pro Leonte substituit Lysiam. I. M. J. Valeton v. cl. („de numero praetorum a. 406 condemnatorum" in Serto Naberio, Brill 1908 p. 389) Xenophontem putat per imprudentiam Leontem appellasse pro Archestrato. Verum coniectura nihil opus est, omnia enim ostendemus optime quadrare; Diodori autem i. e. Ephori auctoritate solam non sufficere ad Xenophontem redarguendum satis constat.

3) Hell. I 6. 36 sqq. 4) XXI 8.

Digitized by Google

quod is occiderit in proelio a Spartanis cum Atheniensibus Mytilenam fugientibus in portus introitu commisso — Leontem et Erasinidem una fuisse ait cum Conone [1]), hunc autem terra marique obsessum, uno die duas triremes Athenas misisse ad auxilium petendum, quarum unam pervenisse in patriam, alteram interceptam esse ab hostibus [2]); cumque illi eum praefecisse appareat Erasinidem [3]) — nam quomodo alioqui hic adesse potuit in pugna ad Arginusas facta? — alteri Leontem praefuisse patet, quem Xenophon non amplius commemorat. Atqui si reputamus de Archestrati morte Erasinidem cum Athenas venisset, Athenienses haud dubie certiores fecisse, de Leontis fortuna eos tum temporis prorsus incertos fuisse, perspicuum est in Archestrati locum suffectum esse Lysiam [4]), quem solum e praetoribus qui apud Arginusas pugnaverunt, non fuisse vidimus in numero eorum qui Alcibiadi eiusque collegas succederent.

§ 2. Quinam ex iis statim naves conscenderint, quinam primo copias terrestres duxerint.

Classi praefectos esse statim cum creati essent Cononem, qui priore anno Alcibiadis collega fuerat, Archestratum Leontem Erasinidem, intelligitur ex eis quae modo disseruimus, inque eadem causa fuisse Diomedontem apparet, quoniam apud Xenophontem legimus [5]), eum cum duodecim navibus Cononi auxilio venisse, antequam huius angustiae Athenis nuntiatae essent. Decem navibus amissis eum discessisse Xenophon auctor est [6]), Athenas autem revertisse apparet quoniam proelio apud Arginusas interfuit. Pericles Aristocrates Protomachus Thrasyllus Aristogenes, qui quid egerint ante proelium nusquam invenimus, tum demum naves conscendisse videntur cum instrueretur classis

---

1) Hell. I 6. 16. 2) Hell. I 6. 19 sqq.

3) Primus hoc vidit Herbst v. cl. (die Schlacht bei den Arginusen 1855. p. 17 in ann. 26).

4) Primus hoc vidit Buechsenschütz v. cl. (in Ed. Hell. ad I. 6. 10) et repetivit Beloch (Gr. Gesch. II² 2 p. 251 in anm. et p. 268). Neque igitur erat cur. Ed. Meyer scriberet (Gesch. d. Altert. IV p. 649) „An Leons Stelle erscheint fortan Lysias; wie das zu erklären ist, wissen wir nicht.') Et minus recte etiam Francken v. cl. (Comm. Lys. p. 155) Lysiam in Leontis locum suffectum esse censet.

5) Hell. I 6. 22 sqq. 6) Hell. I 6. 23 sq.

Digitized by Google

Cononi auxilio ventura, antea iussi terrestres ducere copias quibus defenderetur Attica.

Caput II.

Comitiis ordinariis Martiis praetores qui Alcibiadi eiusque collegis successerint creatos esse.

§ 3. Iniuria nonnullos viros doctos censere Alcibiadem magistratu pulsum esse.

Praetores omnes qui Alcibiadi eiusque collegis successerint, comitiis extraordinariis creatos esse, censuere Grote et Busolt vv. cll. [1]), idque propterea quod Alcibiadi intra annui magistratus spatium imperium abrogatum sit. Ed. Meyer v. cl. hac in re eis assentiens tamen comitiis ordinariis Martiis — nam mense Anthesterione exeunte vel Munichio ineunte, i. e. mense Martio nostro ineunte vel medio praetorum comitia ordinaria Athenis haberi solita esse compertum est [2]) — eos creatos esse putat [3]), haud dubie ita ratiocinatus, Alcibiade solo magistratu pulso, eius collegas in munere restitisse dum tempus legitimum exisset.

Verum Buechsenschuetzio [4]) et Belochio [5]) vv. cll. dandum puto Alcibiadi non abrogatum esse magistratum, sed quemadmodum eius collegis praeterquam Cononi et Aristocrati, non

---

1) Grote hist. of Greece 1869 Vol. VII. p. 400 „The Athenians simply voted that he should be dismissed from his commando", p. 402 „Apparently about the same time that Conon superseded Alkibiades, that is about Dec. 407 or Januari 406", sqq. Busolt Gr. Gesch.[2] p. 1578 in ann. „die Wahlzeit lässt sich nicht näher feststellen da das Datum der Schlacht bei Notium nicht genau zu bestimmen ist".

2) Luculenter hoc ostenuit H. Swoboda (Ueber den Proc. des Perikl. Hermes 28. 1893 p. 544 sqq.).

3) l.l. p. 635 sqq. In hac quoque re errat Meyer (p. 636), quod contendit summam imperii cui praefuerat Alcibiades (Hell. I 4. 20), delatum esse ad cunctos praetores qui ei eiusque collegis succederent. Ad unum Cononem id delatum esse inde apparet, quod cum hic post comitia habita Atheniensium iussu cum viginti navibus Andro navigasset Samum ἐπὶ τὸ ναυτικόν (Hell. I 5. 18) et nautas offendisset animo demisso, suo Marte naves septuaginta complevit pro prioribus plus centum (Hell. I 5. 20), quodque aliquanto post, quamvis una cum eo essent Leon et Erasinides, ipse omnia egit quae pertinerent ad classem administrandam (Hell. I 6. 19). Consentit Diodorus (XIII 74) ἐκ δὲ τούτων (i. e. e decem praetoribus modo creatis) προκρίνας Κόνωνα ταχέως ἐξέπεμψεν (ὁ δῆμος) παρ' Ἀλκιβιάδου τὸ ναυτικὸν παραλημψόμενον, ad quem locum sine ullo iure Meyer: „das ist aber falsch: Konon wird als amtirender Feldherr entsandt". Convenit etiam Callicratidae dictum (Hell. I 6. 15) ὅτι Κόνωνα παύσει μοιχῶντα τὴν θάλατταν.

4) l.l. ad I 5. 16. 5) l.l. p. 417.

Digitized by Google

esse continuatum. Xenophon (Hell. I 5. 16) *οἱ δ' οἴκοι Ἀθηναῖοι* inquit *ἐπειδὴ ἠγγέλθη ἡ ναυμαχία* (i. e. pugna apud Notium commissa) *χαλεπῶς εἶχον τῷ Ἀλκιβιάδῃ οἰόμενοι δι' ἀμέλειάν τε καὶ ἀκράτειαν ἀπολωλεκέναι τὰς ναῦς καὶ στρατηγοὺς εἵλοντο κ.τ.λ.* Diodorus (XIII 74) *ὁ δὲ τῶν Ἀθηναίων δῆμος ὑφορώμενος τὴν τοῦ ἀνδρὸς* (i. e. Alcibiadis) *τόλμαν δέκα στρατηγοὺς εἵλετο.* Plutarchus in vita Alcibiadis c. 36): *οἱ δ' Ἀθηναῖοι πεισθέντες ἑτέρους εἵλοντο στρατηγοὺς ἐνδεικνύμενοι τὴν πρὸς ἐκεῖνον ὀργὴν καὶ κακόνοιαν.* In his nihil est, unde aliud quid efficias nisi hoc Alcibiadem non refectum esse.

§ 4. Ne Lysiam quidem id dicere, quem non intellexisse qui Plutarcho et Nepoti auctores fuerunt.

At Lysias orator (XXI 7) *ἐπειδὴ δ' ἐκείνους μὲν ὑμεῖς ἐπαύσατε τῆς ἀρχῆς, τοὺς δὲ μετὰ Θρασύλου δέκα εἵλεσθε κ.τ.λ.* Hoc miror Meyerum qui saepe multus fuit in accusanda veri incuria oratorum Atheniensium et praecipue Lysiae, hunc testem afferre contra Xenophontem. Accedit quod *ἔπαυσαν αὐτοὺς Ἀθηναῖοι* negligentius etiam de eis dici potuit quorum imperio sic finis factus esset ut non continuaretur, idque revera nostrum voluisse suspicor. Nam *ἐκείνους* dicens, et „illis" opponens *τοὺς μετὰ Θρασύλου δέκα*, significare videtur ad Alcibiadem non solum sed una cum omnibus collegis pertinere *τὸ ἐπαύσατε* neque tamen potuit velle cunctis magistratum abrogatum esse e quibus Conon et Aristocrates etiam refecti sunt. Si vero quis reponat ob ipsam hanc causam *τὸ παῦσαι* hic ne recte quidem se habere si valeat „imperio finem facere", id tamen ferri posse credo cum collegii universitas non refecta sit.

Sed totidem verbis Plutarchus in vita Lysandri (c. 5) *ἐπὶ τούτῳ τὸν Ἀλκιβιάδην ὁ μὲν ἐν ἄστει δῆμος ὀργισθεὶς ἀπεχειροτόνησεν*, Nepos (Alc. c. 7) „quibus rebus factum est ut absenti (Alcibiadi) magistratum abrogarent". Puto hos scriptores sive potius eos qui his auctores fuerint, censuisse verba Lysiae sibi corrigenda esse, etenim intellexisse ea quae modo demonstravimus, neque vidisse *τὸ παῦσαι* hic universe stare pro eo quod est: imperio finem facere".

Ceterum Busolt temere coniecit [1]), praeter Alcibiadem etiam

1) l.l. p. 1578.

Digitized by Google

Thrasybulum et Adimantum imperio pulsos esse, e quibus tamen Thrasybulus anno insequenti trierarchus fuit [1]), Adimantus uno anno post iterum praetor [2]).

§ 5. Xenophonte Diodoro testibus Cononem non ante comitia praetoria habita Samum missum esse.

Postremo Busolt [3]) et Meyer [4]) sententiam suam eo confirmari putant, quod Conon statim post cladem Notiensem Athenas allatam, Samum missus sit ut classem ab Alcibiade acciperet. Sed revera Xenophon et Diodorus qui soli de ea re referunt Cononem missum esse statuerunt post demum comitia praetoria habita; quorum ille (Hell. I 5. 18) μετὰ δὲ ταῦτα (i. e. post comitia quorum mentio facta erat I 5. 16) Κόνων . . . εἰς Σάμον ἔπλευσεν, hic (XIII 74) ἐκ δὲ τούτων (i. e. e praetoribus qui Alcibiadi eiusque collegis successerunt) προκρίνας Κονωνα ἐξέπεμψεν (ὁ δῆμος) παρ' Ἀλκιβιάδου τὸ ναυτικὸν παραλῃψόμενος.

§ 6. Alcibiades quamvis magistratu non pulsus sit, cur in exilium ierit.

Alcibiadem quamvis magistratu non pulsus esset, cognito comitiorum eventu neque ignarum se male audire (Hell. I 5. 17, Diod XIII 74) sponte in exilium isse, verentem ne reus fieret [5]), non est quod miremur; munus eum iam deseruisse Cononis adventu Xenophon auctor est (Hell. I 5. 7, 18), cum Diodorus tradat (l. l.) Cononem ab eo accepisse classem.

Caput III.

Praetores qui Alcibiadi eiusque collegis successerint creatos esse comitiis anni 406 *a Chr.*

§ 7. Alcibiadi praetores qui successerint, neque omnes refectos esse, neque eorum imperium esse prorogatum.

Cum autem iam constet Cononem ceteros qui Alcibiadi eiusque collegis in praeturam successerint, creatos esse comitiis praetoriis ordinariis, considerandum iam est, quo anno haec comitia

1) Hell. I 6. 25.
2) Hell. I 7. 1.
3) l.l p. 1580 in nun. 3.
4) l.l. p. 635 sq.
5) Huc pertinet quod legimus apud Himerium 36. 16 (Phot. Bibl. p. 377 a. 18) Cleophontem id egisse ut eum accusaret („Κλεόφων Ἀλκιβιάδην ἐγράφετο").

Digitized by Google

habita sint. Habita enim esse anno 407 perhibent Meyer [1]) Busolt [2]) Kahrstedt [3]) ne alios afferam [4]), anno 406 statuerunt Buechsenschuetz [5]) et Beloch [6]). His assentiendum esse nunc demonstrabo, idque diversis rationibus.

Et primum quidem — ut mittam quod Xenophon si vera contendunt Meyer et qui cum eo faciunt, comitia anni 406 non memoravit, quod apud eum cum non sine exemplo sit, parvi facio — tenendum est, id de quo nemo dubitat neque dubitare potest, pugnatum esse apud Arginusas Callia archonte idque non ante mensem Sextilem anni 406 [7]), itaque praetores nostros si anno 407 creati sint, anno 406 aut omnes refectos esse, aut iis — id quod volunt Meyer Busolt Kahrstedt, quamvis alii creati essent, imperium maritimum tamen esse prorogatum. Utrumque prorsus inauditum esse negari nequit, cum praeterea hoc ne verum esse credatur, obstant verba Xenophontis (Hell. I 7. 1) *πρὸς δὲ τούτῳ* (i. e. Κόνωνι) *εἵλοντο Ἀδείμαντον καὶ τρίτον Φιλοκλέα*. Narratur his verbis, quid Athenienses fecerint pulsis magistratu praetoribus qui apud Arginusas pugnaverant, atque hoc haud dubie significari nobis videtur, duos praetores suffectos esse qui cum Conone classem administrarent, donec anni 405 comitia praetoria habita essent. Verum si quis putat comitiis anni 406 alios praetores creatos esse quam qui apud Arginusas pugnaverint, is non dare potest horum loco quemquam suffectum esse, neque enim opus erat si alii iam creati essent, qua propter Meyer [8]) — nam Busolt hac difficultate supersedet [9]), Kahrstedt rem omnino non attingit — locum nostrum ita interpretatur, ut e praetoribus illis quos creatos esse Xenophon tacuerit, duos electos esse dicat qui cum Conone praeessent navibus. Ex aëre haec suspendi quis non videt?

---

1) l.l. p. 635.
2) l.l. p. 1529 in ann. 1.
3) Forsch. z. Gesch. des ausgeh. 5° und eingeh. 4° Jhrdt. Berl. 1910 p. 162—175.
4) Recensionem omnium scriptorum qui de ea re egerunt vide apud Bus. l.l.
5) Philol. 14 (1859) et in Ed. Hell., Einl. p. 9.
6) Philol. 43 (1884) p. 260—290.
7) Meyer l.l. p. 643, Busolt l.l. p. 1591, Beloch Gr. Gesch. II² 2. p. 242.
8) l.l. p. 644, 647.
9) l.l. p. 1598.

Digitized by Google

§ 8. Locum qui est Hell. I 4. 22 non recte interpretari Meyerum et Busoltium.

Est sane alius Xenophontis locus qui ea quodammodo credibiliora faceret, si ita esset accipiendus atque volunt Meyer et Busolt. Sed non recte eum interpretantur. Nam quod scripsit Xenophon (Hell. I 4. 22) *καὶ μετ' αὐτοῦ (Ἀλκιβιάδου) Ἀριστοκράτης καὶ Ἀδείμαντος ὁ Λευκολοφίδου συνεπέμφθησαν ἡρημένοι κατὰ γῆν στρατηγοί* ita id vertunt: „et cum eo missi sunt Aristocrates et Adimantus electi ut praeessent copiis pedestribus" [1]). At ita vertendum erat: „missi sunt A. et A qui primo — i. e. comitiis praetoriis a Xenophonte commemoratis Hell. I 4. 10 [2]) — creati erant ut

---

1) Meyer l.l. p. 627 „ebenso erhalten nachher Aristocrates und Adeimantos (die natürlich beide Strategen sind) auf Alkibiades' Wunsch die Specialcompetenz als *κατὰ γῆν στρατηγοί*, Busolt l.l. p. 1566 „für die Landoperationen waren ihm auf seinen Wunsch die Strategen Aristocrates und Adeimantos beigegeben worden".

2) Inter praetores his comitiis creatos Xenophon Aristocratis et Adimantis mentionem non facit, tantummodo Alcibiadem Thrasybulum Cononem appellat. Qua re adductus Meyer (l.l. in ann.) „Mit Xenophons Angabe I 4. 10 kann nicht, wie man meist annimmt, die regelmäszige Wahl der zehn Strategen dieses Jahres — das wäre so ganz absurd ausgedrückt — sondern nur die Wahl zu Oberfeldherren gemeint sein" et (l.l. p. 636 in ann. eodemque modo Busolt l.l. p. 1561 in ann.) „[Das Obercommando war] zuerst an Alkibiades Thrasybul und Konon zusammen (wie bei der Sicilischen Expedition) dann an Alkibiades allein verliehen". Iam vero ad ducendam expeditionem in Siciliam missam e numero decem praetorum tres electi sunt, quo nihil est simplicius, sed haec res prorsus alia est atque id quod ei comparat Meyer: tres duces *ceteris praepositos* esse, quod sine exemplo est. Non tres sed unum ceteris praeponere antiqui moris erat neque fontes nostri cuiquam nisi Alcibiadi id tum obtigisse tradunt ut ceteris praeesset (cf. Hell. I 4. 20, Diod. XIII 69). Denique quod Meyer animadvertit (p 636 in ann.) „Nach der Arginusenschlacht wird es [das Obercommando] dann wieder auf drei Strategen beschränkt (Hell. I 7. 1) denen im Sommer 405 drei weitere beigegeben werden (Hell. II 1. 16)", de loco qui est Hell. I 7. 1 quid censendum sit supra (§ 7) ostendimus, quae vero Xenophon tradit loco qui est Hell. II 1. 16 *στρατηγοὺς πρὸς τοῖς ὑπάρχουσιν* [*Ἀθηναῖοι*] *προσείλοντο Μένανδρον Τυδέα Κηφισόδοτον*, de quo loco Busolt (p. 1616 in ann. 2) „es handelte sich also um eine auszerordentliche Ersatzungswahl. Der gewöhnliche Wahltermin in der 7 Prytanie (März) war längst verstrichen", vide ne negligentius Xenophon haec eis quae praecedunt adiunxerit. Narravit enim in superioribus, Athenienses Samo proficiscentes regis fines vexasse, Chium et Ephesum petivisse, pugnam navalem paravisse, quae omnia pertinent ad Athenienses qui in classe militabant, addens vero eos creavisse tres praetores, manifesto spectat populum Atheniensem in patria comitia habentem. Nullo modo igitur cogimur creationis tempus pro eodem habere atque expeditionis in Asiam quae haud dubie peracta est aestate anni 405, sed nihil prohibet id referre ad comitia Martia eiusdem anni de quibus ceteroquin tacet Xenophon. Atque vix dubitare licet quin Athenienses post quadringentorum virorum domina-

Digitized by Google

in patria praeessent copiis pedestribus". Nam et Xenophon si illud voluisset, non scripsisset ἠρημένοι sed αἱρεθέντες et inauditum est Athenienses, quos praetores in naves imponerent cum copiis pedestribus, tantummodo his praefecisse non vero ipsis navibus et nautis. An ab altera parte Alcibiades qui tamen classi praefuit, non duxit copias pedestres impositas in illam? Ceterum Diodorus scribens (XIII 69) Εἵλοντο δὲ (οἱ Ἀθηναῖοι καὶ στρατηγοὺς ἑτέρους, ἐκεῖνος (i. e. Alcibiades) οὓς ἤθελεν Ἀδείμαντον καὶ Θρασύβουλον, confudisse videtur populi scitum quo Aristocrates et Adimantus cum Alcibiade missi sunt (Hell. I 4. 32) et comitia aliquot mensibus ante habita quibus praetores creati sunt Alcibiades Conon Thrasybulus Aristocrates Adimantus quinque alii a Xenophonte non commemorati.

§ 9. Inter Thrasylli in Asiam expeditionem et praetores qui Alcibiadi successerunt creatos, interesse spatium trium annorum.

Nunc alia afferam. Nam ut statuatur quo anno praetores creati sint qui Alcibiadi eiusque collegis successerunt, maximi momenti est scire, quo anno Atheniensium classis Thrasyllo duce profecta sit in Asiam. Constat enim inter omnes, tres prope annos explere belli Peloponnesii eventus qui intercedunt inter Thrasylli profectionem solventis initio aestatis [1]) et comitia Martia de quibus agimus; quarum rerum capita sunt pugna Abydena qua Pharnabazus profligatus est [2]), urbes Calchedon et Byzantium hieme intermissa petitae [3]) et deinceps expugnatae [4]), Atheniensium legati hiemem insequentem Gordii degentes [5]), comitia

---

tionem republica restitnta ad antiquum morem denos creandi praetores annuos redierint, quemadmodum decem praetores ad Arginusas eorum classem duxisse e Xenophonte constat. Inter praetores autem anni 405 erant Conon Philocles Adimantus, quos legimus (Hell. II 1. 28 sqq.) praefuisse classi apud Aegospotamum profligatae, apparetque continuatos esse — nam Conon anno 406 praetor erat quo tempore apud Arginusas pugnabatur, Philocles et Adimantus suffecti erant — (Hell. I 7. 1), tum Menander Tydeus Cephisodotus quos ob ipsam eam causam quod Conon Philocles Adimantus contiuuati erant, Athenienses προσελέσθαι πρὸς τοῖς ὑπάρχουσι dicit Xenophon. Quatuor praetores qui restarent propterea neglexisse Xenophontem puto quod naves non conscenderint. Nostro autem loco qui est Hell. I 4. 10 videmur eandem habere negligentiam, ei soli qui classi praeficiebantur appellari videntur, ceteri omitti.

1) Hell. I 2. 1. 2) Hell. I 2. 16. 3) Hell. I 3. 1 sq.
4) Hell. I 3. 8. 5) Hell. I 4. 1.

Digitized by Google

quibus Alcibiades Conon ceteri creati sunt praetores [1]), Alcibiades Athenas reversus [2]), inde rursus in bellum profectus [3]), pugna Notiensis commissa paulo ante sequentis anni comitia praetoria [4]).

§ 10. Thrasyllum anno 409 a. Chr. in Asiam profectum esse inde apparere, quod neque Agis excursionem in Atticam fecerit neque Clearchus in Asiam profectus sit ante aestatem anni 410.

Thrasyllum Athenis profectum esse anno 409 sic demonstrare licet. Legimus apud Xenophontem (Hell. II 1. 1) Τῷ δ' ἄλλῳ ἔτει . . . Θράσυλλος . . . ἐξέπλευσεν ἀρχομένου τοῦ θέρους. Meyer et Busolt optimo iure contendunt [5]) quemadmodum Thucydidem sic Xenophontem annos belli Peloponnesii numerare ex initiis aestatum. Sed ea quibus proxime narratis Xenophon transit ad novum annum et Thrasylli expeditionem, fieri non potest ut ante aestatem anni 410 evenerint. Pugnam Cyzicenam (Hell. I 1. 14 sqq.) nemo unquam statuit ante mensem Martium anni 410 commissam, revera non ante idus Maias eius anni evenisse puto [6]). Sed fac mense

---

1) Hell. I 4. 10. 2) Hell. I 4. 11 sqq.
3) Hell. I 4. 21 sq. 4) Hell. I 5. 12 sqq.
5) Meyer l.l. p. 617, Busolt l.l. p. 699.
6) Ei proelio interfuit Theramenes (Hell. I 1. 12) qui Diodoro auctore (XIII 6. 8, 49. 1. 3) priusquam eo proficisceretur Chalcidem navigavit ut prohiberet Eretrienses Euripum explere, id quod sane non coeperunt ante hiemis finem, deinde Parum contendit, porro in Macedoniam, ubi regi Archelao in obsidenda Pydna auxiliatus est, tum χρονιζούσης τῆς πολιορκίας in Thraciam, postremo simul cum Thrasybulo ad Hellespontum, quibus in rebus fieri non potest quin amplius tres menses consumserit. Meyer contra (l.l. p. 608) „Das Datum der Schlacht wird durch Diodoros 49 bestätigt, wonach Mindaros ἤδη τοῦ χειμῶνος λήγοντος also Anfang März gegen Sestos vorgeht, die Schlacht bei Kyzikos ist kurz nachher erfolgt". Verum Diodorus non id tradit, Mindarum τοῦ χειμῶνος λήγοντος petivisse Sestum, sed hoc ὁ δὲ Μίνδαρος ἤδη τοῦ χειμῶνος λήγοντος συνήγαγε τὰς πανταχόθεν τριήρεις, quod intra spatium paucorum dierum fieri non potuit. Praeterea e Xenophonte efficere non licet, paulo post Mindari adventum pugnam apud Cyzicum commissam esse, tradit enim (Hell. I 1. 11) Atheniense Sesti degentes Mindari adventu cognito Chersonnesum circumvectos Cardiam se contulisse, deinde Alcibiadis iussu rursus Sestum, inde Parium inde Proconnesum inde Cyzicum. Alcibiades initio hiemis Abydum venit (Hell. I 1—8 cf. I 1. 2). Post victoriam ibi reportatam Atheniensium naves maximam partem in diversas partes abierunt ad pecunias colligendas extra Hellespontum (Hell. I 1. 8), qua in re quot menses consumserint non addit Xenophon. Posthac, ita pergit (I 1. 9), Tissaphernes ad Hellespontum venit, sed quanto post, nihilo magis discimus. Ad quem profectus Alcibiades ab eo comprehenditur, sed post triginta dies Clazomenas effugit, naves sex comparat, quam ad rem manifesto rursus aliquanto temporis ei opus fuit, cumque his Sextum venit cum Atheniensium classis Cardiam circumvecta esset

Digitized by Google

Martio, id quod volunt viri docti supra laudati. Paulo post in exilium missi sunt (Hell. I 1. 27 sqq.) duces Syracusani Hermocrates eiusque collegae, et intermisso temporis spatio satis magno advenerunt Demaratus alii qui eis in imperium succederent. His narratis Xenophon sic pergit: (Hell, I 1. 32), „Hoc tempore — κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον — seditione Thasi orta eiecti sunt qui favebant rebus Spartanorum". In promptu est haec referre ad tempus quo Demaratus accepit naves Syracusanorum. Quae deinde inseruntur (l. l.) de Pasippida atque Cratesippida dandum est παρενθέτως stare iisque praecipi annos insequentes. Itaque ubi pergit Xenophon (Hell. I 1. 33): „Circum haec tempora Agis Atheniensium muris appropinquavit" censendus est spectare seditionem Thasi factam. Sed parum veri similiter Meyer et Busolt Agidis incursionem, quam legitur fecisse προνομὴν ποιούμενος, hic primo vere [1]) ille etiam sub finem anni 411 [2]) i. e. ante pugnam Cyzicenam factam esse volunt, cum praesertim aut frumentum in agris maturum nondum esset aut ne pabulum quidem; res ipsa fert ut cogitemus mensem Maium vel Iunium. Sed ut etiam hoc mittamus, ea quae sequuntur rem conficere puto. Narrato enim Agidis discessu, Xenophon commemorat eius querelas conspicientis naves quae commeatum Athenas ferrent et lamentantis irritam urbis obsidionem (Hell. I 1. 35). Eum censuisse ut Clearchus mitteretur Calchedonem et Byzantium, quod cum ephoris placuisset collectis e sociis quindecim navigiis profectum hunc esse, sed novem ex iis in Hellesponto ab Atheniensibus esse mersas, cum ceteris eum effugisse Sestum et inde Byzantium (Hell. I 35 sq.). Cum autem Byzantium et Calchedon anno 411 ad Lacedaemonios defecissent [3]), Hellespontus clausus erat navibus Athenas navigantibus, donec Alcibiades duobus fere mensibus post victoriam Cyzicenam [4]) occupavit oppidum Chryso-

et Mindarus cum Lacedaemoniorum classe Sesto discessisset Cyzicum (Hell. I 1. 11). Itaque minime credere vetamur Mindarum non multo ante Kalendas Maias Sestum venisse.

1) Bus. l.l. p. 1528 sqq. 2) Meyer l.l. p. 608.

3) De Byzantio cf. Thuc. VIII 80. 3, Calchedon nusquam defecisse commemoratur, apparet tamen ex eis quae tradit Xenophon Hell. I 3. 1.

4) Xenophon auctor est (Hell. II 1) Athenienses pugna apud Cyzicum commissa, postero die Cyzicum cepisse, Alcibiadem ibi viginti dies mansisse, inde

Digitized by Google

polin in Calchedoniorum agro situm (Hell. I 1. 22), neque profecto urbes quae solebant cum Atheniensibus mercaturas facere, id cognoscere et naves parare eaeque Athenas venire poterant intra unius mensis spatium; cumque rursus uno saltem mense opus esset, quo naves e sociis colligerentur et Clearchus Byzantium perveniret, sequitur ut etiamsi Meyero assentiaris apud Cyzicum mense Martio pugnatum esse, tamen non ante Idus Sextiles, si vero nobiscum mense Maio, non ante Idus Octobres id evenerit [1]). Nullum igitur relinquitur dubium quin Xenophon cum scriberet Thrasyllum profectum esse initio aestatis anni insequentis, voluerit annum 409 a. Chr. n.

§ 11. Idem apparere cum Selinusii quorum urbem constet deletam esse a. 409 a. Chr. n., Ephesiis contra Thrasyllum auxiliati, ab his in civitatem recepti sint.

Praeterea idem sic apparet. Inter omnes viros doctos hodie constat, id quod etiam Meyer et Kahrstedt sumunt, urbem Himeram a Carthaginiensibus captam esse anno 409 a. Chr. n., locum vero qui est Hell. I 1. 37, ubi res adscribitur anno 410, esse interpolatum [2]). Nam sive Thrasyllum aestate eiusdem anni sive anni sequentis in Asiam profectum putas, tamen si locus ille genuinus esset Xenophon traderet eas urbes iam captas esse antequam Thrasyllus proficisceretur; sic enim legitur *ὁ ἐνιαυτὸς ἔληγεν ἐν ᾧ Καρχηδόνιοι ... αἱροῦσιν ἐν τρισὶ μησὶ δύο πόλεις Ἑλληνίδας, Σελινοῦντα καὶ Ἱμέραν* et deinde (Hell. I 2. 1) *τῷ δ' ἄλλῳ ἔτει .... Θράσυλλος ἐξέπλευσεν κ. τ. λ.* Atqui Diodorus quem in rebus Siciliae tradendis ex optimo fonte hausisse constat [3]), Syracusanorum copias navales quae cum Lacedaemoniorum classe in

---

Perinthum et Selymbrium profectum esse, Perinthios exercitum in urbem recepisse, Selymbrianos pecuniam dedisse; inde eum Chrysopolin pervenisse, ibique stationem collocasse. Omnibus his rebus vix minus duos menses suffecisse puto.

1) Kahrstedt (l.l. p. 164 sq.) „Auch ist noch schärfer als bei Busolt (p. 1531) zu betönen dasz die Unternehmung des Agis gegen Athen, und die Entsendung des Klearch an die Meeresenge um die Getreidetransporte zu beunruhigen nicht, wie Beloch will, in den Herbst gehören kann, dann haben ja die Getreidetransporte gerade aufgehört". Naves frumentarias quas Agis conspexit, aliter quam Beloch media aestate Athenas venisse puto. Sed Clearchus manifesto missus est ut Byzantii vel Calchedone castris navalibus positis, inde oppugnaret naves quas Athenienses Chrysopolide in statione habebant ad commeatum sibi vindicandum.

2) Meyer l.l. p. 616 s. f. Kahrstedt l. l. p. 169.

3) Auctorem ei fuisse Timaeum scriptorem Siciliensem apparet l.l. 55. 8.

Digitized by Google

Asia essent, in patriam ait redisse (XIII 61. 1) ante Himeram expugnatam, Xenophon autem narrat (Hell. I 2. 8) eas una cum Lacedaemoniis apud Ephesum pugnasse adversus Thrasylli milites. Itaque Himerae expugnatio temporis ordine posterior erat Thrasylli expeditione, quocum convenit quod Diodorus (l. l. 54. 1) eam tribuit anno Dioclis Atheniensium archontis i. e. anno a. Chr. n. 409. Iamvero eidem anno tribuit Selinuntis excidium quo deleto Carthaginienses continuo Himeram aggressos esse, ut etiam interpolator de quo modo vidimus utramque tradit urbem intra trium mensium spatium esse captam. Atqui Selinus iam deleta erat cum apud Ephesum pugnaretur, e Xenophonte enim discimus (Hell. I. 2. 10) Selinusios qui una cum Syracusanis fortissimos se praebuissent ab Ephesiis civitate donatos esse ἐπεὶ ἡ πόλις ἀπωλώλει [1]). Veri simile igitur est ut legati Syracusanorum qui cives suos cum navibus revocarent, in Asiam venerint cum maxime apud Ephesum pugnaretur et nuntiaverint cladem Selinuntis [2]); sed quoquomodo id se habet, hoc certe sequitur ut Thrasyllus anno 409 in Asiam profectus sit.

§ 12. Inde quod intra annum 411 a. Chr. n. et pugnam Notiensem nonnisi quatuor Lacedaemoniorum nauarchi fuerint, non recte effici eam pugnam anno 407 commissam esse.

Contra afferunt fieri non posse quin comitia quibus Alcibiadi eiusque collegis successores crearentur, habiti sint anno 407; etenim Mindarum, id quod e Thucydide constet, magistratum annuum inisse aestate 411, ei successisse Pasippidam, huic Cratesippidam, illi Lysandrum, post cuius victoriam Notiensem mox ea comitia habita esse nemo neget. Audio, sed credere nihil vetat post Mindari exitum Lacedaemonios totum annum praetermisisse antequam Pasippidam mitterent [3]), quod non mirabitur qui reputabit *omnes*

1) Si Xenophon voluisset Selinusios non statim post proelium civitate donatos esse tum nondum deleta eorum urbe, scripsisset ὅτ' ἀπώλετο.

2) Apud Xenophontem legimus (Hell. I 2. 12), paulo post pugnam Ephesiam Thrasyllum Methymnae in urbe Lesbi morantem, vidisse naves Syracusanas Epheso venientes. Epheso qui recta in Siciliam navigant, Lesbum sane cursum non dirigunt. Sed prorsus nescimus quae causa iis fuisse potuerit prius Hellespontum petendi.

3) Revera Pasippidam Lacedaemoniorum classi praefuisse quamvis nusquam legatur, eo apparet èt quod naves e sociis collegise èt quod naves speculatorias in

Digitized by Google

eorum naves una perisse cum Mindaro (Hell. I 1. 18, 23), milites et nautas a Pharnabazo collocatos esse in oppidis maritimis eius Satrapiae, Mindari legatum Hippocratem — *τὸν ἐπιστολέα* (Hell. I 1. 23) — harmosten Calchedonis factum (Hell. I 3. 5). Accedit quod proelium apud Arginusas commissum, quo Callicratidas Lysandri successor interfectus est, nemo evenisse censet ante mensem Sextilem anni 406, equidem etiam duobus mensibus post. Ii igitur qui cum Meyero Busoltio Kahrstedtio faciunt, obisse Callicratidam censent sub finem temporis legitimi eius imperii. At qui post eum navibus praefuit, Aracus sive potius Lysander iterum, Xenophonte teste (Hell. II 1. 13) non ante aestatem anni 405 naves accepit. Annus ergo fuit sic quoque quo Lacedaemonii nauarchum creare omiserint [1]), idque multo ineptius quam post cladem Cyzicenam, neque enim quemadmodum tunc, classis prorsus deleta erat, sed e navibus centum et viginti (Hell. I 6. 26), superfuerunt fere quinquaginta (Hell. I 6. 34) praeter alteras quinquaginta quae Mytilenae restiterant (Hell. I 6. 26). Nostra vero sententia Callicratidas extinctus est nisi parva parte imperii temporis peracta, neque alium suffectum esse haud mirum videtur Eteonico legato ducente classis reliquias.

§ 13. Callicratidam nauarchum Spartanum non mense Aprili anni 406 sed mense Sextili eius anni ad classem venisse.

At, inquiunt, Xenophon tradit Callicratidam ad classem venisse mense fere Aprili anni 406 Lysandri imperio usque eo prorogato, legimus enim (Hell. I 6. 1) *Τῷ δ' ἐπίοντι ἔτει ᾧ ἡ σελήνη ἐξέλιπεν ἑσπέρας . . . οἱ Λακεδαιμόνιοι τῷ Λυσάνδρῳ παρεληλυθότος ἤδη τοῦ χρόνου ἔπεμψαν ἐπὶ τὰς ναῦς Καλλικρατίδαν*, compertum autem

Hellesponto reliquisse eum tradit Xenophon (Hell. I 1. 32, 3. 17). Sed iam tunc eum nauarchum fuisse cum paulo post puguam Cyzicenam adiuvaret Thasios coniurantes in Eteonicum harmosten Spartanum (Hell. I 1. 32), neque necesse est credamus neque sane veri simile, quandoquidem eum Xenophon id commememorans Laconem appellat, non vero nauarchum. Hanc autem proditionem post complures annos demum Spartae animadversam esse, inde apparet quod etiam biennio post Calchedonem receptam ab Atheniensibus (vide supra § 9), legationem obiit ad regem Persarum (Hell. I 3. 13).

1) Sine ullo iure Kahrstedt contendit (l.l. p. p. 148) anno 406/5 nauarchum fuisse Eteonicum. Repugnat quod Lysander cum iterum classis Lacedaemoniorum imperium iniret, eum Chio „arcessivisse" ait Xenophon (Hell. II 5. 10). Qui summa imperii defunctus est, a successore non „arcessitur" (cf. Hell. I 6. 3).

Digitized by Google

est, lunam defecisse a. d. VII K. Maias anni a. Chr. n. 406. Defectum lunae non ab ipso Xenophonte commemoratum esse sed ab eodem interpolatore de quo supra egimus (§ 11) persuasum habeo. Fac vero ab ipso Xenophonte, nullo modo cogimur credere, id quod censere videntur Meyer Busolt Kahrstedt [1]) Callicratidam ad naves missum esse tum fere cum luna deficeret. Contra cum Xenophon scribat Callicratidam ad naves venisse quo tempore Lysandro legitimum tempus nauarchiae iam praeterierat (i. e. paulo postquam praeteriit), sequitur ut non ineunte anno Thucydideo [2]) i. e. initio aestatis sed aliquanto post mediam aestatem mense fere Sextili id usu venerit [3]).

§ 14. Nullo iure negari sic satis spatii relinqui ad capiendas Callicratidae res gestas.

Iam vero negant sic satis spatii relinqui ad capiendas Callicratidae res gestas. Nullo iure puto. Apaturia agebantur Athenis mense Pyanepsione, dies festi quoti fuerint mensis non prorsus constat, sed perquam veri simile est eos fuisse inter ultimos [4]), itaque diem festum medium fere Idibus Novembribus actum esse. Anni autem 406 Apaturia acti esse videntur fere triginta diebus post pugnam apud Arginusas factam. Nuntius enim de victoria missus biduo post pugnam eo advenire potuit. Mox populus octo praetoribus magistratum abrogavit et duos extra ordinem creavit qui cum Conone bellum administrarent [5]), sed populi scitum de eis rebus factum, cum senatus auctoritas — „*προβούλευμα*" — antecedere deberet, vix ante septimum vel

---

1) Meyer p. 639 sq., Busolt l.l. p. 1584 in ann. (3), Kahrstedt p. 177.

2) Vide supra § 10.

3) Tempus legitimum Lacedaemoniis creandi nauarchos fuisse aestatem mediam, optimo iure sumunt Meyer l.l. p. 619 et Busolt l.l. p. 1429 ann. 3. Kahrstedt copiose agens de ea re maluit autumnum, quod constet plures nauarchos Lacedaemoniorum autumno ad naves missos esse quam media aestate (l.l. p. 202). Sed nihil mirum complures nauarchos ad naves missos esse uno vel duobus mensibus postquam creati sint; contra absurdum, uno vel pluribus mensibus ante tempus legitimum creandi eos. Quod frustra vir doctus excusare conatur.

4) Cf. A. Mommsen, Heortol. p. 304 „Lassen sich also ... empfehlende Gründe für die *τετάρτη*, *τρίτη* und *δευτέρα φθίνοντος* beibringen um die Apaturien daselbst an zu setzen? Die Apaturien und ihre Schmause Ende Pyanepsion angesetzt, erhalten eine den Panathenäen verwandte Monatstellung und werden den Chalkeen (*ἕνη καὶ νέα* des Pyanepsion) eng angeschlossen. Beides scheint mir günstig."

5) Hell. I 7. 1.

Digitized by Google

octavum diem fieri potuit. Novem vel decem diebus post, quibus interea et ipsi praetores cum classe quae apud Arginusas pugnaverat, et Conon qui Mytilenae inclusus fuerat Samum venerant, praetores Athenas venire poterant. Ibi rationes pecuniae publicae iis dandae erant et a logistis examinandae [1]) quae res Archedamo causa fuit multae irrogandae Erasinidi, isque in vincula coniectus est [2]). Deinde praetores in senatu interrogati sunt, omnesque Timocrate eorum nomina ad senatum deferente, a senatu vincti sunt [3]). Hoc igitur quinto vel sexto die postquam domum venerunt factum esse veri simile est. Deinde populi concilium est habitum in quo eos accusavit Theramenes alii et illi causam dixerunt [4]). Tum Apaturia sunt habita. Nihil igitur vetat sumere victoriam apud Arginusas reportatam esse fere Idibus Octobribus. Nam quod Xenophon dicit (Hell. II 1. 1) post eam pugnam Eteonici milites in agris mercede victum quaesivisse ἕως θέρος ἦν, non est quod moremur; autumnum enim a Graecis pro parte aestatis habitam esse quam vulgo dicerent τὸ μετόπωρον, notissimum est idque nostro loco confirmatur cum sic pergat noster ἐπεὶ δὲ χειμὼν ἐγένετο.

Dies autem triginta, Xenophon auctor est (Hell. I 6. 24) Athenienses consumsisse in comparanda classe quae pugnavit apud Arginusas, quod ita potuit si nuntius angustiarum quibus Conon a Callicratida tenebatur — quem Erasinidem fuisse ostendimus [5]) — fere Idibus Septembribus Athenas advenit [6]). Atque res antehac a Callicratida gestas: supplementum classi

1) Gilbert, Handb. der Griech. Staatsalterth. 1² p. 251 sqq.
2) Gilbert l.l. p. 252, Lipsius Att. Proc. p. 454.
3) Hell. I 7. 3. 4) Hell. I 7. 4.
5) Supra § 1.
6) Non mense Septembri sed ante Kal. Quinctiles hoc evenisse inde Meyer efficit (l.l. p. 643), quod Hellanicus et Philochorus tradunt (Phil. fr. 120) archonte Antigene qui pridie Kal. Quinctiles magistratu abiit, ex aureis signis Victoriae pecuniam conflatam esse. Sed quamvis hoc, si nihil obstaret, veri similiter referretur ad consilia inita auxilium ferendi Cononi a Callicratida obsesso, tamen nihil vetat credere, id iam prius placuisse. Nam Callicratidas ubi primum classi praefuit e sociis eam auxit quinquaginta navibus (Hell. I 6. 3), idque Athenienses cognovisse poterant (cf. etiam Hell. I 5. 20). Quod vero Meyer perhibet, Hellanicum tradere eodem Antigene archonte multos servos qui apud Arginusas pugnavissent, manu missos esse, errat vir doctus, neque enim Hellanicus appellat Antigenem, neque Meyer ipse hoc archonte ad Arginusas pugnatum esse sumit, sed archonte Callia Antigenis successore (l.l. p. 643 s. f.). Archonte Callia vasa argentea quae in vestibulo aedis Minervae servarentur, conflata esse docet C. I. A. 1. 140. Ceterum quae monet

Digitized by Google

e sociis comparatum (Hell. I 6. 3), conventus habitos Ephesi et Mileti, iter inter hos ad Cyrum factum (Hell. I 6. 4 sqq.), Methymnam urbem primo impetu expugnatam, Cononem mari pulsum et Mytilenae inclusum, non opus est censere plus mensem sesquialterum complevisse.

§ 15. Neque morandum esse, quod nescimus quid usque ad aestatem anni 409 Alcibiades egerit abinde autumno anni 410, Thrasyllus abinde hieme anni 411.

Porro contendunt intellegi non posse, si Thrasyllus aestate anni 409 demum expeditionem in Asiam duxerit, Alcibiades, postquam occupata Chrysopolide ibique instituta custodia medio fere mense Sextili anni 410 in Hellespontum profectus est [1]), quid egerit donec Thrasylli copiis sibi adiunctis in hiberna Lampsacum proficisceretur (Hell. I 2. 15), ipsumque Thrasyllum incredibile esse, media hieme anni 411 Athenas profectum ut copias compararet (Hell. I 1. 18 cf. I 1. 2), usque ad initium aestatis anni 409 ibi resedisse. Verum tenendum est de proeliis navalibus iam propterea non potuisse sermonem fieri, cum Lacedaemoniorum classis deleta esset, ad oppugnanda oppida maiora qualia essent Calchedon et Byzantium Alcibiadis fortasse copias non suffecisse priusquam Thrasyllus supplementum adduxisset, ideoque satis eum habuisse huc illuc mare pervagari ad pecunias exigendas a civitatibus quae ad hostes defecissent. Ipsi autem Thrasyllo ecquis scire potest an fuerit necessitas morandi aliqua quam Xenophon omiserit?

§ 16. Nihil argumenti inde peti posse, quod Xenophon non distinxerit finem anni belli qui desiit in ver anni a. Chr. n. 411, et initium anni sequentis.

Postremo quod nonnulli afferunt, si Xenophon voluerit Thrasyllum anno 409 in Asiam profectum esse, nusquam ab eo distingui finem anni belli qui desiit in ver anni a. Chr. n. 411 et initium anni insequentis, verissimum hoc est,

---

Busolt (p. 1532 in ann.): „Endlich zeigt die Abrechnung der Schatzmeister C. I. A. 189 a, die sicher in das Jahr 407/6 gehört (B. Keil, Hermes 1894. Bd. 29 s. 40) dasz in der 2 Prytanie 407 in der Kasse eine so grosse Ebbe herrschte, wie sie unmöglich bald nach der Rückkehr des Alkibiades der 100 Talente mitbrachte (Xen. I 4. 9, 11) bestanden haben kann. Die Rückkehr fällt also in das Jahr 408", neutiquam recte disputata esse puto. Nam non tantum — id quod etiam Busolt refert (p. 1564) — Alcibiadi triumphanti res familiaris anno 415 publicata, reddita est, sed etiam classem ei Athenienses comparaverunt centum navium, quibus in rebus facile credimus centum ea talenta magnam partem consumta esse.

1) Vide supra § 10.

Digitized by Google

sed ab altera parte, si comitia quibus creati sunt Alcibiadis eiusque collegarum successores habita sunt anno 407 a. Chr. n., sequitur ut denotare omiserit finem anni belli qui desiit in ver anni 407 a. Chr. n. et initium anni qui huic successit. Qua de re Meyer v. cl. (l. l. p. 617) „Unbezeichnet ist in unserm Text nur der Jahreswechsel zwischen der Rückkehr des Alkibiades und der Schlacht bei Notion, dieser aber ist durch die übrigen von Xenophon gegebenen Daten so deutlich indicirt, dass über ihn kein Zweifel besteht". At aequo iure idem dicere licet de altero illo termino a Xenophonte neglecto, nam non minus facile statuitur post verba *ἀπέδρασαν εἰς Κλαζομένας* (Hell. I 1. 10) [1]).

Caput IV.

Quae fuerint Theramenis partes in causa capitali praetorum qui vicerunt apud Arginusas.

§ 17. Theramenem cum praetorum litteris Athenas missum, victoriae ad Arginusas reportatae primum attulisse nuntium.

Iam tractaturus praetorum qui apud Arginusas vicerunt causam capitalem, primum pauca disseram de partibus in ea actis a Theramene. Scribit Diodorus (XIII 101. 1 sqq.), praetores cum Thera-

1) Quod scribit Meyer (l.l. p. 617) „Dabei" (i. e. si censes èt apud Notium èt apud Arginusas anno 406 pugnatum esse) „ist die Voraussetzung das auch die Bezeichnungen eines Jahrwechsels in Xenophons Text *καὶ ὁ ἐνιαυτὸς ἔλαγεν .... τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει* Hell. I 1. 37 f., 2. 19 f. 5. 21 f. II 2. 24 f. interpolirt sind; denn eine dieser Angaben (I 5. 21 f.) steht zwischen der Schlacht bei Notion und der bei den Arginusen", nihil id esse concedet quicunque reputabit — id quod hic vir cl. oblitus esse videtur quamquam paulo post in eadem pagina scribens „Xenophon hat in der That die Absicht gehabt das Jahrschema des Thukydides mit seinen scharfen Einschnitten festzuhalten" rem recordatur — Xenophontem quemadmodum Thucydidem annos belli Peloponnesii numerare ex initiis aestatum. Nam pugna Notiensis, id quod ipse statuit Meyer (l.l. p. 633 sqq.), ante Atheniensium comitia Martia praetoribus creandis facta est, pugna apud Arginusas commissa non est ante anni 406 aestatem mediam (Meyer p. 643), idque si nobiscum facis non ante Idus Octobres (vide supra § 14). Quid vero? Vir clarissimus èt proelium Cyzicenum èt Thrasylli expeditionem eidem anno 410 tribuit (p. 607 sq., p. 618) quamquam Xenophon hanc narraturus sic incipit „*τῷ δ' ἄλλῳ ἔτει .... Θράσυλλος ἐξέπλευσεν ἀρχομένου τοῦ θέρους*. — Atque etiam hac in re errat Meyer (l.l. p. 614) quod Xenophonti vindicaturus verba *ὁ ἐνιαυτὸς ἔλαγεν* ita disputat: „Ausschlaggebend ist hier Busolts Nachweis Hermes (XXXIII p. 661)

Digitized by Google

menes et Thrasybulus Athenas anteissent, suspicatos ab his sibi apud populum maledictum esse, quippe qui victoriam probasset, sed aegre ferret mortuos inhumatos mansisse, deinde litteras misisse ad populum quibus patefacerent, se ipsis Therameni et Thrasybulo mandasse ut mortuos tollerent; his litteris recitatis vehementer populum suscensuisse Therameni, sed hic cum crimen defendisset, iram esse conversam in praetores. Theramenem et Thrasybulum ante quam praetores Athenas venisse non refert Xenophon, sed Theramenem venisse intelligitur ex eis quae refert. Nam apud eum legimus (Hell. I 7. 4), Theramenem adfuisse in eo populi concilio, quod habebatur paulo postquam praetores domum redierunt, cum tamen classis post pugnam Mytilenam inde Chium inde Samum navigasset ibique restitisset (Hell. I 6. 38 II 1. 12), neque ulla esset causa cur Theramenes eam reliquisset simul cum praetoribus qui imperio abacti domum redirent [1]). At senatus eum arcessivisse potuit. Audio. Sed non minus facile, cum ipsa res ferat ut praetores quam primum victoriam Athenas nuntiaverint, statim Theramenem ab iis missum credimus. Idque propterea

---

dasz die Interpolation der Olympiaden und Archontendaten die oben aufgezählten *καὶ ὁ ἐνιαυτὸς ἤλαγεν* cet. voraussetzt, diese also dem echten Text angehören". Nam dumne verba *τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει* vel *τοῦ ἐπιόντος ἔτους* vel *τῷ ἄλλει ἔτει* Xenophonti deneges, res a Busoltio commemorata, etiamsi nobiscum verba, *ὁ ἐνιαυτὸς ἤλαγεν ἐν ᾧ*, quaeque cum his cohaerent spuria putas, prorsus eodem loco manet.

1) Diodorus scribit (XIII 101. 5) *Θράσυλλος δὲ καὶ Καλλιάδης, ἔτι δὲ Λυσίας καὶ Περικλῆς καὶ Ἀριστοκράτης μετὰ τῶν πλείστων νεῶν κατέπλευσαν εἰς τὰς Ἀθήνας*, Diomedontem et Erasinidem omittens pro quibus habet Calliadem. Haec forsitam fuerit librariorum culpa. Sed parum veri simile est plerasque naves domum redisse cum illis viris qui magistratu abacti, qui igitur privati erant (cf. infra § 21), repugnatque quod ipse noster proxime ante scripsit, populum iussisse eos Cononi copias navales tradere. Accedit quod, cum apud Arginusas centum quinquaginta navibus pugnatum sit, e quibus quinque et viginti perierunt (Hell. I 6. 25, 34), anno insequenti classem habuerunt Athenienses navium centum octoginta (Hell. II 1. 20), quod vix potuit si magnus numerus nautarum dimissus esset. Atqui intellegi nequit cur in patriam redierint nisi ut dimitterentur. Veri simile puto Diodorum, cum apud Xenophontem legisset (Hell. I 7. 6) praetores in concilio populi causam dicentes, gubernatores multosque nautas qui cum eis navigassent, testes advocasse, inde effecisse ea de plurimarum navium reditu; addit enim ois quae supra attulimus *ἐλπίζοντες τοὺς ἐν ταῖς ναυσὶ πολλοὺς ὄντας βοηθοὺς ἕξειν ἐν τῇ κρίσει*. Sed e Xenophontis verbis non necessario sequuntur ea quae Diodorus inde effecit. Ille enim cogitare potuit de gubernatoribus nautisque navium praetoriarum.

Digitized by Google

potius habendum est, quod fieri vix potuerit, ut praetores absentes magistratu pellerentur, nisi antea de pugna deque omnibus rebus quae ad eam pertinerent, senatum populumque certiorem fecisset nuntius certus atque gravis, idoneus qui ea cognovisset et de eis iudicaret, quod in nullos nisi in duces cadebat [1]). Accedit quod Xenophon non obscure significat (Hell. I 7. 4 sqq.), Theramenem praetores accusasse antequam ab iis accusaretur [2]), quod cur fecerit ante eos in patriam reversus mox ostendemus, ceteroquin intellegi nequit.

Diodorus autem vix dubium, quin falso Thrasybulum adiecerit, in errorem adductus quod in praetorum causa eius nomen apud Xenophontem saepius cum Theramenis coniunctum vidisset, cum tamen nusquam ille significet eum tum temporis Athenis adfuisse, contrarium inde efficere liceat, quod èt ceteroquin vix silere potuit in populi concilio ubi rei causam dicerent, Theramenes alii eos accusarent, èt si verba fecisset sive ad accusandum sive ad defendendum vix id omisisset Xenophon [3]).

Litteras, praetorum verbis, senatui populoque Athenien̄sium dedisse Theramenem, consentaneum est et a Xenophonte confirmari vidētur, cum tradat (Hell. I 7. 4) Theramenem in

---

1) Parum veri similiter Busolt (l.l. p. 1598) alii, rumoribus litteris privatis sermonibus nautarum confisum populum praetoribus imperium abrogasse volunt.

2) Sine iusta causa Grote (l.l. p. 429) Gilbert (Beiträge zur inn. Gesch. Ath. p. 373) Busolt (l.l. p. 1601) Beloch (l.l. p. 423 in ann.) censent praetores ante quam Theramenem accusandi initium fecisse. Quod ita Xenophonte teste (Hell. II 3. 35) Theramenes causam dicens apud senatum rem proposuisse videtur, manifesto hic nullius momenti est. Quod tamen quomodo cum ceteris congruat, infra (§ 19 p. 56) demonstrabimus.

3) Grote l.l. p. 434 „That Thrasybulus concurred with Theramenes in accusing the generals is intimated in the reply, which Xenophon represents the generals to have made (I 7. 6) *καὶ οὐχ ὅτι γε κατηγοροῦσιν ἡμῶν, ἔφασαν, ψευσόμεθα φάσκοντες αὐτοὺς αἰτίους εἶναι, ἀλλὰ τὸ μέγεθος τοῦ χειμῶνος εἶναι τὸ κωλῦσαν τὴν ἀναίρεσιν.* The plural *κατηγοροῦσιν* shows that Thrasybulus as well as Theramenes stood forward to accuse the generals though the latter was the most prominent and violent". Addere potuit vir doctissimus verba Eurytolemi pro praetoribus verba facientis *ἀντὶ τῆς τότε φιλανθρωπίας ὑπ' ἐκείνων (Θεραμένους καὶ Θρασυβούλου) καί τινων ἄλλων ἐπιβουλευόμενοi κινδυνεύουσιν ἀπολέσθαι.*. Ex his non utique sequi opinor Thrasybulum praesentem praetores accusasse; forsitan Theramenes utriusque verbis locutus sit. Neque tamen nego fieri posse ut senatus praetoribus interrogatis (Hell. I 7. 3) enim arcessiverit, tam eius quam Theramenis testimonium auditurus.

Digitized by Google

populi concilio mentionem fecisse de litteris a praetoribus ad senatum populumque missis. Fieri enim non potest ut Xenophon hic spectet eas litteras, quas Diodorus perhibet ad populum a praetoribus datas cum suspicarentur sibi a Theramene et Thrasybulo maledictum esse. Has enim litteras idem est auctor infenso in eos animo — κατ' αὐτῶν — composuisse praetores, ostendentes se iis mandasse ut naufragos tollerent, litteris vero quas Theramenem apellare tradit Xenophon, dicentem hunc facit eos neminem accusasse, contulisse culpam in solam tempestatem. Atque de eisdem litteris Euryptolemum cogitasse noster haud dubie significat ubi eum accusantem facit e praetoribus Periclem et Diomedontem, quod collegas suos quibus in animo esset ad senatum populumque scribere se Therameni et Thrasybulo mandasse ut septem et quadraginta triremibus naufragos tollerent, sed eos mandata non exsecutos esse, in aliam adduxissent sententiam. Nam in promtu est conicere Periclis et Diomedontis collegas tamen addere voluisse de vi tempestatis, et ab iis permotos esse non ut omnino nihil scriberent verum ne scriberent de Theramene et Thrasybulo [1]).

Quid igitur? Credimus binas litteras a praetoribus datas esse, quarum alteras Xenophon, alteras Diodorus commemoraverit? Parum est veri simile. Etenim apud Xenophontem (Hell. I 7. 6) usque ad finem praetores placato animo sunt erga Theramenem et Thrasybulum. Ubicunque Diodorus a Xenophonte discrepet, huius fidem maiorem esse iam pridem apud omnes constat [2]). Praeterea ne id ipsum quidem credibile est, praetores non veritos esse intra paucos dies litteras inter se contrarias ad senatum populumque mittere. Sed Diodorus, vel

1) Breitenbach (in Ed. Hell. ad I 7. 17) cui assentitur Busolt l.l. p. 1598: κατηγορῶ μὲν οὖν αὐτῶν ὅτι ἔπεισαν [μετέπεισαν Cob.] τοὺς συνάρχοντας βουλομένους πέμπειν γράμματα τῇ τε βούλῃ καὶ ὑμῖν, ὅτι ἐπέταξαν κ. τ. λ. Das kann unmöglich heissen, sie wollten in das Schreiben (die ἐπιστόλη die den Schlachtbericht enthielt I 7. 4) eine Stelle des Inhaltes aufnehmen dasz — sondern nur: sie wollten ein Schreiben des Inhaltes absenden". Quod viri dd. incredibile putant neque si rem per se spectas incredibile puto et si confers locum qui est Hell. I 7. 4 unice veri simile.

2) Diodorus saepius plus habet quam Xenophon, sed vana et inania. Sic narrat haruspices Lacedaemoniorum ex extis collegisse Callicratidam periturum, et haruspices Atheniensium, septem e praetoribus pugnam perniciei fore (XIII 97. 5 sqq.), tum, Callicratidam de victoria desperantem petivisse mortem (XIII 99. 3 sq.).

Digitized by Google

potius Theopompus qui ei auctor fuit, cum apud Xenophontem legisset, Theramenem in populi concilio praetores accusasse (Hell. I 7. 4), paulo post cum Apataria agerentur, homines comparasse atratos, qui concilium adirent quasi consanguinei essent naufragorum, Callixeno e senatoribus persuasisse ut eos accusaret (Hell. I 7. 8), huius rationis causam e Xenophonte non satis intellegi ratus, litteras suas e nihilo finxisse videtur quo sibi et lectoribus suis rem explicaret.

§ 18. Quid post victoriam a praetoribus factum sit.

Quid autem Theramenes sibi voluerit, tentandum est e Xenophonte coniectura assequi.

Et primum quidem consideremus, quid apud Arginusas post pugnam a victoribus factum sit. Non cum tota classe — nam ad rem expediendam tres triremes e cuiusque praetoris decuria, praeterea decem triremes taxiarchorum qui dicebantur, decem Samiorum, tres e reliquis sociis destinaverant (Hell. I 7. 30) [1]; — non statim — nam longae deliberationes anteibant (Hell. I 7. 29), et praeterea, quod maximum erat, haud dubie naves quae rem expedirent non sine magno temporis detrimento ex omni numero propter proelium permixto et disperso conquiri et eligi poterant; — non ipsi, sed per duces navium singularum, quibus vix satis auctoritatis erat ad suarum navium nautas, nihil ad ceterarum navium nautas vel duces, si qui dicto non audientes essent, ad opus destinatum cogendos, praetores naufragos tollendos curaverunt. Ecquis negat eos gravem culpam in se admisisse? Non agebantur tantum, quemadmodum Diodorus (XIII 101. 1) rem nobis proponit, exsequiae mortuorum, agebatur, id quod Xenophon nos docet (Hell. I 6. 34), salus multorum virorum optime meritorum de patria. Nam viginti quinque naves cum ipsis nautis, paucis exceptis, perierunt (Hell. l.l.), sed duodecim ex iis quamvis fractae essent, tamen cum proelio finis esset factus mare nondum hauserat [2]), et quoniam quaeque

1) l.l. legimus τὰς τῶν ναυάρχων τρεῖς sine pluribus, sed collato loco qui est Hell. I 6. 29 αἱ τῶν ναυάρχων τρεῖς καὶ εἴ τινες ἄλλαι ἦσαν συμμαχίδες, apparet nauarchos illos fuisse duces sociorum.

2) Recte Busolt (l l. p. 1596 ann. 1) „Xen. I 6. 34 sagt am Ende der Schlacht bei der Angabe der beiderseitigen Verluste: ἀπώλοντο δὲ τῶν μὲν Ἀθηναίων νῆες 25 αὗτοῖς ἀνδράσιν ἐκτὸς ὀλίγων τῶν προς τὴν γῆν προσενεχθέντων (über Leute, die sich retten konnten vgl. I 7. 11, 32). Das ist der Thatbestand, der sich daraus

Digitized by Google

navis homines plus quinque et septuaginta capiebat, forsitan duo milia vivorum in navium reliquiis per mare fluitaverint, quorum omnium salus in celeritate auxilii allati posita erat; non tantum enim quo diutius iactabantur eo magis metuendum erat ne aut ligna quibus adhaerebant aut vires eos deficerent, sed etiam èt nox interveniens èt tempestas, quam constat non nisi aliquanto post pugnam gravem esse factam — nam e Xenophonte cognoscimus classe Lacedaemoniorum profligata, celocem eorum publicam Mytilenae portum potuisse intrare, relinquere, denuo intrare, potuisse mercatores ibi morantes Chium navigare vento secundo (Hell. I 6. 36 sqq.), ne navigare quidem potuisse ob mare turbidum qui iussi essent naufragos tollere (Hell. I 6. 35, 7. 6 II 3. 35), — mox nautarum animus a labore periculoso alienus non poterat non impedire operam debitam. Perniciosissimum autem erat, si qui quererentur sive duces sive nautae se delectos esse ad opus ingratum — id quod caveri potuit si res tota classe suscepta esset — non satis auctoritatis ducibus officiosis inesse ut contumaciam cohiberent.

§ 19. Quid Theramenes sibi voluerit, cum praetores suos accusaret.

Nunc vero videamus quid sequi necesse fuerit, cum Theramenes praetorum litteras ad senatum attulisset. Fac eum litteras tradidisse, nihil ipsum addidisse. Tamen res ferebat ut de tempestate, quam praetores scriberent tantae calamitatis solam causam fuisse, in senatu interrogaretur. Quid responderet? An mentiretur quemadmodum praetores mentiti erant, solam tempestatem effecisse ut nihil peragi posset? Sed cur mentiretur? Periculosum erat mentiri. Nam si tamen rei veritas patefieret, quam aliquando patefactum iri non poterat non persuasum habere, cum praesertim nautae quos secum Athenas duxerat non haberent cur de re tacerent — ut revera apud Xenophontem legimus in populi concilio paulo post habito aliquem prodisse qui diceret, sibi in culleo frumentario servato mandasse eos qui perirent ut populo enuntiaret, praetores non sustulisse eos qui optime de patria meriti essent —,

---

ergab, dasz die Schiffbrückigen nicht gerettet wurden. Die Angabe ist in dieser Weise mit den darauf folgenden Stellen zu vereinigen, denen zufolge am Ende der Schlacht 12 Wrachs mit Mannschaften auf dem Meere trieben, I 6. 35; 7. 30; vgl. II 3, 32. 35".

Digitized by Google

videretur mentitus esse quo propriam culpam occultaret. Contra si verum diceret, facile se purgare poterat propter tempestatem quae tum cum mandata exsequenda essent aut iam superari non posset, aut quam saltem superari non posse qui contenderent, eorum contumaciam ut frangeret non satis haberet auctoritatis. An tamen mentiretur ut servaret praetores suos? An cum proprio vitae periculo? An quamvis, id quod credere nihil vetat, ipse commilitonum fortunam commiseraretur et moleste ferret, atque praetoribus suscenseret propter eorum incuriam et fastum, quod mandassent quae perfici iam nequirent? Nullo modo mirum, eum non dubitasse quin vera diceret.

Mox praetores magistratu moti sunt (Hell. I 7. 1); domum autem reversi, cum de pugna deque tempestatis violentia in senatu retulissent neque satisfacere eum potuissent, in vincula sunt coniecti (Hell. I 7. 3). Secutum est populi concilium in quo Xenophon auctor est et alios et ante omnes Theramenem eos accusavisse (Hell. I 7. 4). Quod vix aliter potuit. Theramenes enim haud dubie testis evocatus a magistratibus, quid aliud diceret nisi idem quod primo in senatu interrogatus? Sibi non videri tempestatem sufficere ad probandum naufragos tolli non potuisse. Quodque addit Xenophon, eum dixisse hac de re rationem esse reddendam praetoribus non sibi, quippe quem ipsi nulli culpae obnoxium iudicassent tempestatem solam accusantes (Hell. I 7. 4), manifesto prorsus convenit.

At tamen negasse videtur Theramenes, Xenophonti si creditur, se praetores accusasse antequam ab iis accusaretur. Videtur sane, nam dixisse eum legimus: (Hell. II 3. 35) „Equidem initium non feci dicendi contra praetores, illi vero contenderunt me non sustulisse naufragos a se iussum". Quibus verbis si voluit Theramenes se praetores non accusasse antequam se accusarent, Xenophon fieri non potest quin censuerit eum mentitum esse, nam neque ipse usquam tradit praetores accusavisse Theramenem et Thrasybulum, et praetores ipsos id negantes facit (Hell. I 7. 6). Potius credam nec mentitum esse Theramenem nec censuisse id Xenophontem, sed argutius et contortius illum locutum esse quae vera essent. Quid enim? „Equidem" inquit „initium non feci dicendi contra praetores". Non inde necessario sequitur ut voluerit praetores

Digitized by Google

fecisse initium dicendi contra se; potest voluisse quamvis non significet, senatores cum se interrogassent et a se audissent quid re vera evenisset, praetores accusasse, se satis habuisse illorum quaestionibus respondere". Tum: „praetores contenderunt me non sustulisse naufragos a se iussum". Non addit neque tamen negat eos concessisse propter vim tempestatis iussa peragi non potuisse. Pergit: „ego defendens, me propter tempestatem non potuisse navigare nedum miseros tollere, populo recte dicere videbar". Cur ei licebat tempestatem excusare, non licebat praetoribus? Quia his, non ipsi, licuit naufragos tollere priusquam tempestas prohiberet. Idque designat postremis suis verbis: „Praetores ipsos se accusare, perhibentes enim fieri potuisse ut viri servarentur, avectos tamen exitio eis prodidisse". Quando illud perhibuerant? Cum in concilio ducum decreverant naufragos tollendos esse. Sed iustam operam rei non dederant.

Apparet igitur Theramenis dicta ita explicari posse, ut prorsus conveniant ad ea quae supra exposuimus; in his autem patet nihil esse viro honesto indignum.

§ 20. Cur non credibile sit malo dolo usum esse Theramenem.

At vero inquiunt, Xenophon tradit, (Hell. I 7. 8) Theramenem in praetores malo dolo usum esse, comparasse homines, qui veste atra induti capitibus tonsis adirent populi concilium, quasi essent mortuorum propinqui, incitaturi scilicet animos. Rem parum veri similem! Vidimus fere quatuor milia hominum in navibus demersis perisse. Quinam ex his iam in proelio interfecti essent, quinam proelio superstites deinde praetorum culpa interissent, nullo modo sciri poterat; praeterea utrisque commune erat quod sepultura caruerant. Omnium igitur cuncti propinqui praetoribus infensi erant [1]). Quid igitur

---

1) Subridicule Busolt (l. l. p. 1603): „Sie (Theramenes und Genossen) stifteten eine Menge der in Trauergewändern Erschienenen an, in der Volksversammlung zu erscheinen als Verwandte der Umgekommenen. Das waren sie wirklich, aber lange nicht alle waren Verwandte der Schiffbrückigen um die es sich bei dem Processe handelte".

Rectissime Grote l.l. p. 435 „What can be more improbable, than the allegation, that a great number of men were hired to personate the fathers or brothers of deceased Athenian citizens all well known to their really surviving kinsmen?

Digitized by Google

opus erat, praeterea homines comparare qui simularent se esse in propinquorum numero? Nonne sufficiebat ipsos propinquos incitare? Itaque qualem eam Xenophon tradit, vix fieri potest ut res se habuerit. At veros propinquos incitaverit Theramenes. Num hoc opus? An illi non ultro omnes vires intenturi erant, quo praetores ulciscerentur? [1]) Unde vero rem cognovit Xenophon? Ecquis putat tum temporis annum fere vicesimum agentem, cum multis annis post eam scripto mandaret, certis testimoniis eum niti potuisse? [2]) Haud dubie inconsultius retulit rumores a Theramenis inimicis quos multos habebat postea sparsos.

At etiam hoc Xenophon tradit (Hell. I 7. 8), Theramenem permovisse Callixenum quemdam ut in senatu praetores accusaret. Ex eodem turbido fonte id haustum esse atque ea de atratis veri simile puto. At fac aliter rem se habere et vera tradidisse Xenophontem; non generose egit Theramenes neque tamen res eiusmodi est ut excusari nequeat. Metuendum ei erat nisi senatui placeret ut praetores rei fierent, ne quis ipsum ceterosque navium duces qui iussi erant naufragos tollere, capitis postularet, populusque damnaret, ne mortui inulti manerent. Ceteri autem navium duces si accusarentur, procul tamen erant in classe, in exilium ire poterant; ipse solus Athenis aderat, solus de vita esset periclitaturus. Adde quod modo monui, quod multos habuit inimicos. Saepius de patria bene meritus erat, sed videtur fuisse vir putidus; κομψός ab Aristophane dicitur

---

What more improbable than the story that numbers of men would suffer themselves to be hired, not merely to put on black clothes for the day, which might be taken off in the evening, but also to shave their heads, thus stamping upon themselves an ineffaceable evidence of the fraud until the hair had grown again?

1) Sic Diodorus XIII 101, cuius auctoritas quamvis vix ullius momenti sit, veri similiter tamen rem proponit.

2) Xenophontis natales referendos esse ad Ol. 88 luculenter ostendit I. I. Hartman v. cl. (Analecta Xenoph. p. 6). Demonstravit autem I. M. J. Valeton v. cl. (Sertum Naberium p. 388), Xenophonti quo tempore conscriberet librum primum Hellenicorum cognitum fuisse praetores anno 406 a populo condemnatos octo fuisse numero, necatos esse sex (Hell. I 7. 34), id eum ignorasse Commentarios Socraticos edentem (cf. Comm. I 1. 18); itaque cum Commentarios ederet, materiem quam in libro I Hellenicorum tractaturus esset nondum collegisse; atqui constare Commentariorum libri III c. 5. §§ 1—5 scriptas esse inter annos 370 et 362, unde sequi ut Commentarii non ante annum 368 a Xenophonte editi sint,

Digitized by Google

(Ran. 967) [1]), cothurno ei cognomen erat, quod quamquam postea Critias facete ita explicavit (Hell. II 3. 30) ut esset „ἀλλοπρόσκλλος" ὅτι ἀμφοτέρσις ποσὶν ἁρμόττει ὁ κοθορνός, veri similius tamen — infidus enim nullo iure dici poterat Theramenes, ne propterea quidem, quod quadringentorum illorum dominationi, cum patriam prodituri essent pro virili parte obstitisset — idcirco datum esse videtur quod habebatur arrogans et insolens, „grandibus cothurnis" non soleis incedens, Alcibiadis exulantis amicus, multitudini neque acceptus neque cupiens. Lysia teste (XIII 10) Theramenem anno 405 a. Chr. n. praetorem creatum populus hoc munere indignum censuit. Nequaquam vero Lysias contendit id factum esse quod perfide egisset; iudices allocutus ἀπεδοκιμάσατε inquit οὐ νομίζοντες εὔνουν τῷ ὑμετέρῳ πλήθει. Pocnituisse mox populum iudicii de praetoribus lato e Xenophonte cognovimus (Hell. I 7. 35), satis igitur erat ad invidiam Therameni faciendam, quod contra praetores testatus erat.

Caput V.

Cum praetoribus qui apud Arginusas vicerunt pessime actum esse, non violatum esse ius strictum quod dicitur.

§ 21. Praeturam apud Athenienses imprimis post tempora Periclis obnoxiam fuisse populi invidiae.

Inhumane in praetores qui apud Arginusas vicerunt saevitum esse, quis negat? Nec minus stolide, id quod aevi recentioris vir politicus etiam peius esse declaravit. Impotenti iracundia ablatus Atheniensium populus praetorum suorum culpam, nulla ratione habita eorum erga patriam meritorum, iniusto iudicio extrema poena vindicans, in summo salutis discrimine ducibus peritis et fortibus ipse se privavit.

Attamen aequum hac de re iudicium nos recentiores non feremus, nisi duas imprimis res tenebimus. Quarum prior haec est, Graecis antiquis, imprimis Atheniensibus, moris fuisse, viris

1) Quod addit poeta (l.l. p. 968 sqq.) σοφὸς δ' ἀνὴρ καὶ δεινὸς ἐς τὰ πάντα, ὃς ἦν κακοῖς που περιπέσῃ καὶ πλήσιον παραστῇ, πέπτωκεν ἔξω τῶν κακῶν perfidum his verbis non arguit, sed submorose ridet virum qui caute periculum instans avertere sciverit.

Digitized by Google

principibus quibus de re publica committerent, quodque delictum crimini maiestatis tribuere, cum praesertim post Periclis mortem aliter quam antea, plerumque alii praetores essent alii oratores populares, hi vero assuescerent, illis praecipue obtrectare, metuentes ne aura popularis quam rebus illi bene gestis sibi pararent, suae gratiae apud populum officeret. Quam periculosae aleae plena ex hoc tempore fuerit praetura, cum multis exemplis demonstrari possit, tantummodo moneo Phormionem reportata clarissima apud Naupactum victoria, multam commisisse quam solvere non posset, Pachetem qui Mytilenaeorum defectionem vindicasset, peculatus reum factum sibi ipsum mortem conscivisse, Lachetem qui apud Mylas vicisset et Messanam recepisset a Cleone accusatum aegre damnationem evasisse [1]).

§ 22. Praetoribus qui apud Arginusas vicerunt per apochirotoniam magistratum abrogatum esse.

Altero autem loco concedendum esse videtur, in praetorum causa ut aequitatis ratio non sit habita, ita ius strictum, quod dicitur, non violatum esse, de qua re cum a multis viris doctis aliter iudicatum esse videam, cur non possim iis assentiri demonstrabo. Omnia igitur quae post nuntium pugnae acceptum Athenis evenerint ex ordine consideremus.

Et primum quidem praetoribus excepto Conone imperium abrogatum est [2]). Idque minime dubium est quin factum sit per apochirotoniam quae dicitur. Athenienses enim Pollux auctor est *καθ' ἑκάστην πρυτανείαν ἐπερωτᾶν εἰ καλῶς ἄρχειν δοκεῖ ἕκαστος (τῶν στρατηγῶν), τὸν δ' ἀποχειροτονηθέντα κρίνουσι* [3]), illud autem institutum, quod Demosthenes significat *ἐπιχειροτονίαν* appellatum esse [4]), alio loco nos docens *ὅταν ἀποχειροτονηθῶσί τινες τῶν ἐν τοῖς ἀρχαῖς, παραχρῆμα πέπαυνται ἄρχοντες* [5]), nullo usu esset, si alia quoque ratione, oratoribus scilicet ad populum ferentibus, imperio abrogari possent. Itaque quod

1) Cf. Meyer l.l. IV p. 378 sqq.

2) Hell. I 7. 1 *οἱ δ' οἴκοι τοὺς στρατηγοὺς ἔπαυσαν πλὴν Κόνωνος.*

3) Pollux Onom. H. 87.

4) LVIII 27 „*αὐτὸς* (*Θεοκρίνης*) *ἀπεχειροτονήθη τῶν ἐπιχειροτονιῶν οὐσῶν*". Ceterum de epichirotonia vide I. M. J. Valeton. v. cl. in hac bibliotheca XV p. 370 sqq.

5) XXVI 5.

Digitized by Google

nostro loco Xenophon παύειν dicit, idem est quod vulgo apud scriptores dicitur ἀποχειροτονεῖν [1]).

§ 23. Domum reversos, isangelia iis intenta, a senatu vinctos, suadente senatu ut de cunctis singula suffragia ferrentur, capitis damnatos esse.

Domum reversi sex e praetoribus, Leontem enim vidimus ab hostibus captum esse [2]), Protomachus et Aristogenes causae suae diffidentes Athenas non redierant (Hell. I 7. 1), in senatu interrogati, deinde postulante Timocrate quodam ut vincti populo traderentur a senatu vincti sunt (Hell. I 7. 3 sq.). Εἰσαγγελία igitur, quae dicebatur, eis a Timocrate intenta est, qua nominis delatione ad senatum facta, hic si nomen reciperet reumque videri contra rem publicam fecisse censeret, populo causam tradere debebat [3]), idque fecisse senatum ostendit

---

1) Quod autem dicit Pollux l.l. τὸν δ' ἀποχειροτονηθέντα κρίνουσι, haud dubie id ita accipiendum est ut *vulgo* magistratus ἀποχειροτονηθέντες rei facti sint, non ut ex ipsa apochirotonia id sequi debuerit. Nam quamquam certa exempla desunt magistratuum Atheniensium loco motorum qui non deinde rei sint facti — nam quod Nepos tradit (XI 3. 3) Iphicratem causam capitis *semel* dixisse idque bello sociali, cum tamen apud Demosthenem legamus (XXIII 149) eundem multis annis ante in Thracia bellum gerentem magistratu abactum esse, fieri potest ut tunc ei multa certanda fuerit — tamen eo ipso quod per apochirotoniam imperium non reprimitur ad tempus sed adimitur, isque qui praetor fuit fit civis privatus — ἀποστράτηγος (Dem. l.l.) — et manet civis privatus donec denuo populus, si ita placet, eum praetorem creat, ut Timotheus, praetor anno 370, apochirotonia notatus, deinde a Callistrato et Iphicrate eiusdem delicti accusatus quapropter iam magistratu pulsus erat, a populo absolutus, nihilo minus privatus inde fuit; dicit enim Demosthenes eam rem referens (IX 9 sq.) μόλις μὲν ἐπείσθητε ἀφεῖναι, στρατηγὸν δ' αὐτὸν ἐπαύσατε, apparet apochirotoniam esse *poenam*, in sola quidem constantem ignominia, attamen poenam, eiusque, in quem usurpatur, causam non integram esse sed iudicatam, etiamsi, ubi iu absentem usurpatur, ut in praetores nostros, causa eius indicta fuerit. Qui vero fieri potest ut *necesse* sit, cuius causa iudicata sit, qui damnatus sit, eum accusari eiusdem delicti cuius fuerit damnatus? Itaque quotiens legimus aliquem qui magistratu pulsus sit, deinde in iudicium vocatum esse, cogitandum est fuisse inter eius cives qui censeret, ignominiam qua ille affectus esset non satis poenae esse, graviorem eum mereri poenam, et propterea multam ei irrogaret vel capitis eum postularet.

2) Supra § 1.

3) Gilbert Griech. Staatsalterth. I² p. 340 sqq. Lipsius das Att. Recht I p. 195 sqq. Vocabatur εἰσαγγελία etiam nominis delatio ad senatum facta propter magistratuum vel civium privatorum publice aliquo munere fungentium, legum migrationes peculatus delicta leviora. Quae ultro quoque senatus persequi poterat. His in rebus senatus erat ius multae dicendae non amplius quingentarum drachmarum; si gravior poena requireretur causa tradenda erat heliastarum qui dicebantur consilio alicui, cf. Gilbert, Lipsius l.l. l.l. — Verum frustra me iudice Swoboda (l.l. p. 569)

Digitized by Google

Xenophon, cum narret mox populi concilium habitum esse apud quod praetores accusarentur et se defenderent (Hell. I 7. 4 sqq.), populumque iussisse senatum consuli ὅτῳ τρόπῳ οἱ ἄνδρες κρίνοιντο (Hell. I 7. 7); populo scilicet, si ipse quoque reorum nomina reciperet, nihil porro nisi senatu consulto de eis decernere licebat; rogatus autem a Praefecto placeretne senatum consuli — προβουλεύειν — de modo atque ratione iudicii de reis exercendi, rogationem accipiens eo ipso significabat se eorum recipere nomina, antiquans eos dimittebat. Altero autem populi concilio opus erat ad disceptandam senatus sententiam, in quo nisi populus iuberet senatus consultum integrum accipi, unicuique e civibus licebat omnia alia suadere atque senatus censuisset, populoque ineundum erat suffragium de diversis sententiis, quo etiam hoc statuere debebat, utrum ipse de reis iudicium esset facturus, an mitteret in heliastarum qui dicebantur consilium aliquod [1]). Praetores auctore Callixeno senatui placuit universum populum cunctos uno suffragio aut capitis damnare aut absolvere, idque iussit populus repudiata Euryptolemi sententia censentis populo de singulis reis singulis suffragiis decernendum esse. Deinde populus cunctos reos qui in vinculis aderant et praeterea Protomachum et Aristogenem capitis damnavit (Hell. I 7. 34).

Quod Xenophon narrat senatum praetores vinxisse, cum iure iurando senatorio caveretur ne senatus quemquam vinceret qui tres vades eiusdem census dare posset, exceptis qui tenerentur proditionis rei publicae vel coniurationis adversus populi libertatem [2]), dubium autem non sit quin satis facile praetores ternos vades nacti fuerint, quippe quibus paulo post in populi concilio, ultro multos se obtulisse testetur Xenophon (Hell. I

Thalheim (Hermes XXXVII 1902 p. 349) Lipsius (l.l. p. 184) e senatus consulto in Antiphontem facto (cf. Plut. Vit. X oratorum 22) efficere conantur, fieri potuisse ut in causa maiestatis senatus ipse rem traderet heliastarum consilio sive a populo iussus sive sine iure id sibi arrogans. Nihil vetat credere nos hic habere senatus auctoritatem quae προβούλευμα dicebatur.

1) Gilbert l.l. p. 342 s. f., sq. Lipsius l.l. p. 182.

2) Dem. 24. 144 οὐδὲ δήσω Ἀθηναίων οὐδένα ὃς ἂν ἐγγυητὰς τρεῖς καθιστῇ τὸ αὐτὸ τέλος τελοῦντας πλὴν ἐάν τις ἐπὶ προδοσίᾳ τῆς πόλεως ἢ ἐπὶ καταλύσει τοῦ δήμου συνιὼν ἁλῷ cf. 147 τοῦτο τὸ γράμμα... ἐν τῷ ὅρκῳ τῷ βουλευτικῷ γέγραπται.

Digitized by Google

7. 7), Breitenbach (in Comm. ad Hell. I 7. 3) senatum ius suum excessisse putat. Sed hoc si rem per se spectas minus veri simile. Busolt rem expedire sibi videtur perhibens proditorum loco praetores vinctos esse [1]). Neque tamen praetores accusatos esse proditionis rei publicae apparet èt quod neque Timocrates neque Callixenus eius rei mentionem fecit, sed huic placuit eos quibus viderentur praetores male fecisse — ἀδκεῖν — οὐκ ἀνελόμενοι τοὺς νικήσαντας ἐν ναυμαχίᾳ, εἰς τὴν πρστέραν (ὑδρίαν) ψηφίσασθαι — nam duae urnae positae erant — ὅτῳ δὲ μή, εἰς τὴν ὑστέραν, èt quod Euryptolemus pro reis verba faciens populo suasit ut aut secundum populi scitum olim auctore Cannono factum de eis qui contra rempublicam fecissent, aut secundum legem quae erat de sacrilegis et proditoribus, de reis exerceret iudicium. Atqui Cannoni populi scitum posthac demonstrabimus [2]) non eiusmodi fuisse quo populus teneretur, sed lege quae de sacrilegis et proditoribus erat haud dubie tenebatur populus, itaque si proditionis accusati essent praetores, nullo modo fieri potuit ut de eis iudicaretur secundum illud populi scitum [3]). Potius igitur quam Busoltio assentior Lipsio, sumenti ea de vadibus postea demum iuri iurando senatorio inserta esse [4]).

---

1) Sic etiam Thalheim v. cl. l.l. p. 343 sq. cf. nos infra § 27.

2) Infra § 30.

3) Euryptolemus (Hell. I 27. 33) voce προδοσία manifesto eo utitur sensu quo iis obicitur qui suos in periculo deseruerunt; cf. infra § 28.

4) Lipsii sententiam veri similiorem puto quam Thalheimii et Busoltii. Nititur tamen coniectura neque conficitur res eis quae affert Lipsius. Quae haec sunt (das Att. R. p. 46): „In späterer Zeit wurde die Strafgewalt des Rates noch weiterer Beschränkung unterworfen... Auch sein Recht einen Bürger in Haft zu nehmen, wurde an engere Schranken gebunden. In den Thesmophoriazusen des Aristophanes (929 sqq) vom Jahre 411, darf ein Prytanis in Namen des Rates auf Grund einfacher Anzeige den Mnesilochos sofort in den Block spannen, und die Befugniss zur Annahme von Apagoge und Endeixis, die ein nach der Amnestie des Jahres 403 in den Buleuteneid eingeschobener Passus (Andok de Myst. 91. S. 44. 4) erweist, schliesst die Berechtigung zur Verhaftung ein. Aber die Fassung, die dieser Eid ein halbes Jahrhundert später angenommen hat, sichert jeden Bürger vor Haft, sobald er drei Bürgen derselben Steuerklasse stellt, mit alleiniger Ausnahme etc." — Inde quod senatus etiam post annum 403 a. Chr. n. ius prehensionis habebat, non sequitur ut tunc ea de vadibus nondum fuerint in iure iurando senatorio.

Digitized by Google

§ 24. Iniuria Xenophontem queri, reis copiam causae dicendae non secundum legem datam esse.

Nunc accuratius agemus de populi conciliis supra commemoratis.

In priore horum reis, ut par erat, copia est facta defendendi se contra crimina cum ab aliis tum a Theramene iis illatis. Quod autem Xenophon dicit (Hell. I 7. 5) *οἱ στρατηγοὶ βραχέα ἕκαστος ἀπελογήσαντο, οὐ γὰρ προὐτέθη σφίσι λόγος κατὰ τὸν νόμον*, primum monendum est de lege scripta hic non cogitandum esse. Satis enim apparet ex antiquis scriptoribus, certum aliquod tempus defendendi se reis nullo praescripto publico constitutum esse; moris vero fuisse in plerisque iudiciis neque tamen in omnibus tempus loquendi accusatoribus et reis ad clepsydram metiri; fuisse enim tam *δίκας χωρὶς ὕδατος* quam *πρὸς ὕδωρ* [1]). Quomodo autem haec res se habuerit in populi iudiciis nescimus, neque igitur licet statuere in praetorum causa sine more actum esse, quod ne veri simile quidem videtur. Nisi forte opinaris apparere id e Xenophonte. At nemo nescit ex usu Graeci sermonis *οὐ κατὰ τὸν νόμον* et *παρὰ τὸν νόμον* non modo id esse quod contra legem factum sit, sed etiam id quod cum de eo non extet lex vel mos, repugnet principiis unde leges et mores boni prodierint, iustum et aequum volo [2]).

Verum enim vero ne aequitatem quidem hac in re adversus praetores laesam esse puto. Perspicuum enim, non multum temporis eis ad loquendum praeberi potuisse, cum ante eos ita multi prodissent ad accusandum, ut Xenophonte teste ad suffragium ineundum, de qua re mox videbimus, vix dies sufficeret. Atque dubito an magno temporis spatio non eguerint. Nam primum quidem, de re ipsa quae crimini dabatur disceptandum non erat; naufragos non sublatos esse inter omnes constabat. Tum populum antequam praetores magistratu moveret, lectis eorum litteris a Theramene allatis, de singulis inquisivisse quae pertinerent ad tempestatem praetorumque rationes

1) Plura de his vide apud Lips. (Meyer et Schoem.[3]) der Att. Proc. II p. 927 sqq.

2) Cf. Hell. III 4. 8 *ὡς παράνομα ποιοίη Λύσανδρος τῆς βασιλειάς ὀγκηρότερον διάγων*. Cf. etiam Alcibiadis facetas argutias (Mem. I 2. 40 sq.), quibus Periclem circumvenit, vocis *νόμος* duplicem vim qua et ius strictum et aequitas significatur non distinguentem. Cuius rei apud Platonem quoque aliosque multa exempla proferre liceat.

Digitized by Google

pro certo statuere oportet, ita ut ne causae quidem coniectione iam opus fuerit. Unum hoc igitur restabat, ut ea repeterent quae utilia putarent ad se purgandos. Quorum nihil deest in oratione quam paulo post Euryptolemus pro iis habuit [1]), hanc autem intra decimam horae partem recitare licet.

§ 25. Iniuria nonnullos viros doctos contendere, nomina reorum non rite a populo recepta esse.

Populi scitum quod in priore concilio est factum quo populus iussit senatum consuli (Hell. I 7. 7), nonnulli viri docti non rite suffragio inito sed tumultuario quodam modo factum esse contendunt. Qua in re eos errasse facile apparebit, simul atque erroris causam ostenderimus [2]). Xenophon enim postquam narravit paucis praetores se defendisse et testes protulisse gubernatores aliosque multos e nautis suis, deinde ita pergit (Hell. I 7. 7) *τοιαῦτα λέγοντες ἔπειθον τὸν δῆμον· ἐβούλοντο δὲ πολλοὶ τῶν ἰδιωτῶν ἐγγυᾶσθαι ἀνιστάμενοι· ἔδοξε δ'ἀναβαλέσθαι εἰς ἑτέραν ἐκκλησίαν· τότε γὰρ ὀψὲ ἦν καὶ τὰς χεῖρας οὐκ ἂν καθεώρων· τὴν δὲ βουλὴν προβουλεύσασαν εἰσενεγκεῖν ὅτῳ τρόπῳ οἱ ἄνδρες κρίνοιντο.* Gilbert v. d. verbis *τότε γὰρ ὀψὲ ἦν καὶ τὰς χεῖρας οὐκ ἂν καθεώρων* repugnare inquit [3]), quod tamen Xenophon suffragium tradat esse initum. Quid vero? Xenophon dicit lucem non fuisse suffecturam si *de vadibus* suffragium esset initum [4]). Et merito quidem. Nam veri simillum est a singulis reis ternos vades dari necesse fuisse [5]). Sed fac non

1) Hell. I 7. 16 sqq.

2) Primus rem expedivit I. M. J. Valeton v. cl. in Sylloge comment. oblat. Constant. Conto (1893 Brill, Lugd. Bat.) p. 107—111.

3) Beiträge z. innern Gesch. Ath. p. 377.

4) Gilbert ea de vadibus omittens omnia conturbat. Quod ut intellegatur satis est verba viri doctissimi describere. Quae sunt haec: „Die Ekklesie hatte nun bei einem ordnungsmässigen Verlauf derselben zu entscheiden, ob die Eisangelie an zu nehmen oder zu verwerfen sei. Da es jedoch zu spät war, um bei der Dunkelheit noch das Resultat der Abstimmung feststellen zu können, so beschloss man dieselbe auf eine andere Ekklesie zu verschieben. Diesen offenbaren Wiederspruch in den Angaben des Xenophon, da ja doch auch für diesen letzten Beschluss ordnungsmäszig eine cheirotonie nothwendig war, wird man sich so zu erklären haben, dass es zu einer ordentlichen Abstimmung gar nicht gekommen ist, dass man vielmehr die dem Volke gemachten Vorschläge als angenommen betrachtete und darnach verfuhr".

5) Tres vades qui daret eiusdem census atque ipse esset, eum se non vincturos, senatores iurasse Demosthenis temporibus supra vidimus (§ 23). Suspicari licet

Digitized by Google

ternos, fac non plus singulos. Sex saltem vades requirebantur, qui singuli evocandi diiudicandi suffragio populi probandi essent. Quodsi lux iamiam deficiens prohibebat hunc laborem obire, non inde sequebatur ut ne bis quidem populus in suffragium mitti posset, prius de vadum constitutione differenda, deinde de consulendo senatu. Ab altera parte propter id ipsum, ne tenebris obortis prohiberetur suffragium de senatu consulendo quod utique habendum erat, consentaneum erat de vadibus differre.

Nullo iure igitur Gilbert [1]): „repugnantia ita tollenda est ut populus sumatur sine suffragio rogationes pro acceptis habuisse," quod quomodo fieri potuerit non intellegitur. Busoltium autem cum contendat, populum senatum consuli iubentem praecepisse nominum reorum receptionem de qua suffragium non esset initum [2]), manifesto fugit, quod supra monuimus [3]), populum eo ipso quod senatum consuli iuberet, nomina praetorum recepisse, quos si dimitti voluisset, antiquasset rogationem de senatu consulendo.

§ 26. Cur senatus populusque Atheniensium iure dicatur de praetoribus suis tulisse iudicium iniustum et inhumanum.

Ex iis quae demonstravimus sequitur ut in priore populi concilio nihil factum sit, non modo contra ius strictum, sed ne contra aequitatem quidem. Nam vadimoniorum intermissionem quamquam nemo negabit maximo reis detrimento fuisse, nullo tamen iure malae fraudi quis tribuat. Sed senatus auctoritas — προβούλευμα — de modo iudicii de reis habendi, in Callixeni

---

antea quoque ubi in rebus capitalibus copia vadimonii daretur, trium vadum numero opus fuisse.

1) Cf. ann. 4 in pag. superiorem.

2) l.l. p. 1602 „Das Volk beauftragte den Rat ... ein Gutachten vor zu legen, auf welche Weise die Männer gerichtet werden sollten. Wie dieser eilfertige Beschluss zu Stande kam, ist unbekannt. Er schien nur die formelle Behandlung der Angelegenheit zu betreffen, griff jedoch der Entscheidung darüber vor, ob die Eisangelie überhaupt angenommen werden sollte. Erst nach der Annahme konnte der Rat mit einem Gutachten über die Art des Verfahrens gegen die Angeklagten beauftragt werden. Allerdings hätte der Rat den Auftrag erhalten können, für den Fall der Annahme ein Probuleuma zu fassen, allein die Eventualität wurde bei Seite gelassen, alsob die Annahme bereits beschlossen wäre". A Gilbertii et Busoltii sententiis vix discrepant Herbst (Schlacht bei den Arginusen 47), Breitenbach (in Comm. ad Hell. I 7. 8) Curtius (Gr. Gesch. II p. 789). 3) p. 62.

Digitized by Google

sententiam edita iniustissima erat idque duplici ratione, èt quia senatus populo suasit ut cunctos praetores uno suffragio aut damnaret aut absolveret, èt quod senatui placuit universum populum sententiam de reis ferre eamque si damnarentur capitalem. Festi Apaturiorum dies quibus propinquorum habebantur conventus, memorabantur eorum prospera adversa dies natales iuvenes in civitatem adscripti nuptiae funera, continuo post prius populi concilium intercedentes maerorem et iram incenderant; turpiterque senatus officio suo defuit, quod tantum aberat ut multitudinis impetum sedaret ut turbatoribus suis morem gereret in ea exitanda.

Neque tamen universus Atheniensium populus ullo modo culpa vacat, qui ex Euryptolemi oratione, si minus ante ex ipsa praetorum causae dictione probe cognoscere poterat, non omnium reorum causam eandem esse, Erasinidem solum in consilio censuisse tota classe hostes persequendos esse naufragorum nulla ratione habita, ab altera parte Diomedontem et Periclem nihil antiquius habuisse naufragorum salute, praeterea committere non debuit ut de viris fortissimis quibus patriae salus deberetur, propter negligentiam et levitatem qua peccassent victoria reportata, nonnisi extremam poenam repetendi daretur eopia.

Si res reiecta esset ad heliastarum consilia — quod item senatum potuisse suadere, populumque iubere etiamsi senatus suasisset alia omnia, supra monuimus — praetoribus non magnum periculum fuisset, non dicam ne damnarentur verum ne capitis damnarentur. Aliquot dierum mora interposita esset; magnus irarum aestus suas vires consumsisset et decrevisset; reis denuo causam dicere licuisset iudicum auribus minus aversis, qui praesertim iurati iudicium exercuissent moremque secuti de singulis sententiam tulissent; litis aestimatio — τίμησις — vix denegata esset reis, ita ut pro supplicio ab accusatoribus postulato multam sibi irrogavissent quae iudicibus videretur sufficere.

§ 27. Neque tamen migratam esse legem quae dicitur νόμος εἰσαγγελτικός quippe quae postea demum facta sit.

Cur tamen dissentiendum esse putem ab iis qui contendant, a senatu cum populo proponeret ut de reis nulla amplius facultate data defendendi se cunctis unum iniret suffragium, nec minus a

Digitized by Google

populo cum in senatus sententiam discederet, ius strictum violatum esse, ex eis quae nunc demonstrabo perspicuum erit.

Et primum quidem rogabo, quam igitur legem Athenienses migravisse censendi sint. Respondet Thalheim quem sequitur Busolt (p. 1538 p. 1600): eam legem cui nomen *νόμος εἰσαγγελτικός*. Sed ostendere licet hanc legem anno 406 a. Chr. n. nondum extitisse. Legis verba quae nobis servavit Hyperides [1]) haec sunt: *ὑπὲρ τίνων οὖν ἄιεσθε δεῖν τὰς εἰσαγγελίας γίγνεσθαι; τοῦτ' ἤδη καθ' ἕκαστον ἐν τῶι νόμωι ἐγράψατε, ἵνα μὴ ἀγνόηι μηδείς. — ἐάν τίς, φησι, τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων καταλύηι — ἢ συνίηι ποι ἐπὶ καταλύσει τοῦ δήμου ἢ ἑταιρικὸν συναγάγηι, ἢ ἐάν τις πόλιν τινὰ προδῶι ἢ ναῦς ἢ πεζὴν ἢ ναυτικὴν στρατιάν, ἢ ῥήτωρ ὢν μὴ λέγηι τὰ ἄριστα τῶι δήμωι τῶν Ἀθηναίων χρήματα λαμβάνων.* Ex his tantum apparet quae fuerint delicta quibus ea nominis delatio quae *εἰσαγγελία* audiret intendenda esset. Sed legem nonnisi pro parte his verbis contineri et praeterea constituisse, quo modo de reis illorum delictorum iudicium agendum esset, non sine iure colligi videtur e lege quam refert Demosthenes [2]) a Timocrate quodam latam, his verbis: *ὅπόσοι Ἀθηναίων κατ' εἰσαγγελίαν ἐκ τῆσ βουλῆς ἢ νῦν εἰσιν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ἢ τὸ λοιπὸν κατατεθῶσι καὶ μὴ παραδοθῇ ἡ κατάγνωσις αὐτῶν τοῖς θεσμοθέταις ὑπὸ τοῦ γραμματέως τοῦ κατὰ πρυτανείαν κατὰ τὸν εἰσαγγελτικὸν νόμον. κ.τ.λ.*"

Verum quae affert Thalheim ad probandum hanc legem ante annum 406 factam esse, nullius pretii sunt. Perhibet enim vir doctus [3]), Lysiam cum anno 410 a. Chr. n. in oratione Polystrato composita scriberet (§ 10) *Δεινὸν δέ μοι δοκεῖ εἶναι εἰ τοῖς εἰποῦσι περὶ τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον μὴ τὰ ἄριστα, ὁ μηδὲν εἰπὼν ταὐτὰ πείσεται* et (§ 13) *καίτοι οὐχ οἱ ἂν πλείους τοὺς πολίτας ποιῶσιν οὗτοι καταλύουσι τὸν δῆμον* eam cognovisse, itemque Euryptolemum cum pro praetoribus nostris contionans (Hell. I 7. 16 sqq.) cives suos sic alloqueretur *δεινὰ δ' ἂν ποιήσαιτε εἰ Ἀριστάρχῳ μὲν πρότερον τὸν δῆμον καταλύοντι, εἶτα δ' Οινόην προδιδόντι Θηβαίοις πολεμίοις οὖσι* et sic (33) *προδοσίαν καταγνόντες*

1) *ὑπὲρ Εὐξενίππου* Col. XXII 15 sqq.
2) XXXIV 63, cf. Lips. Das Att. Recht p. 202. 3) l.l. p. 342 sq.

Digitized by Google

ἀντὶ τῆς ἀδυναμίας, quasi antequam illa lex data esset, fieri non potuerit ut quis eiusmodi usurparet dicta, qualia sunt „καταλύειν τὸν δῆμον" „μὴ τὰ ἄριστα εἰπεῖν περὶ τὸ πλῆθος" „προδοῦναι" [1])!

Ab altera parte si ratio iudicii de praetoribus exercendi lege statuta esset, quomodo populus senatum consulere potuit ὅτῳ τρόπῳ οἱ ἄνδρες κρίνοιντο? An id quoque contra legem factum? Absurdum sane; sed tum? qui potuit Euryptolemus populum rogare κατὰ τὸ Καννώνου ψήφισμα κρίνεσθαι τοὺς ἄνδρας· δίχα ἕκαστον [2]), si de ea re propria lex extaret? Cur non, quod hanc neglegerent cives suos reprehendit, hanc ut observarent eos monuit?

§ 28. Neque violatum esse Cannoni quod dicebatur populi scitum, neque legem quae esset de rei publicae proditione, cuius praetores ne accusati quidem essent.

Rogandum igitur est, quo alio modo ius strictum Athenienses violaverint, cum praetores suos singulis suffragiis capitis damnarent ne facultate quidem data amplius se defendendi. Lipsius [3]) Ed. Meyer alii migratum esse censent po-

---

1) Ut locum qui est Hell. I 7. 33 in suum usum convertere possit vir doctus sic argumentatur (l.l. p. 344): „eine andere Aeusserung des Euryptolemus (§ 33) προδοσίαν καταγνόντες ἀντὶ τῆς ἀδυναμίας ergiebt, dass man thatsächlig gegen die unglücklichen Feldherren die Anklage auf Verrath erhoben hatte, wenn auch in dem Probuleuma des Kallixenos (§ 9) nur von ἀδικεῖν die Rede ist. Wie war das möglich ohne eine Erklärung des Begriffes der προδοσία, die zur Noth diese Anwendung verstattete? Eine solche aber findet sich in dem Eisangeliegesetze ἐάν τις πόλιν τινὰ προδῷ ἢ ναῦς ἢ πεζὴν ἢ ναυτικὴν στρατιάν". Nihil magis praeposterum, vide infra § 28 et supra § 23 s. f. Ceterum, ne ante medium quidem saeculum quartum ante Chr. n. ullum est documentum unde efficere liceat, iam extitisse legem nostram. Solus enim locus quem affert Th. huc pertinens, qui legitur apud Lysiam in oratione contra Philonem anno 399 a. Chr. scriptam, non aliter se habet atque loci de quibus egimus; est enim hic „εἰ μέν τις φρούριόν τι προϊδώκειν ἢ ναῦς ἢ στρατόπεδόν τι ἐν ᾧ μέρος τι ἐτύγχανε ὄν, ταῖς ἐσχάταις ἂν ζημίαις ἐζημιοῦτο. — Recte iam Swoboda (Ueb. den Proc. des Pericl. Hermes XXVIII 1893 p. 373) „Das älteste Zeugniss für die Anwendung des späteren Eisangeliegesetzes ist die Klage des Hyperides gegen Philokrates aus dem Jahre 343 (Hyp. pro Euxenipp. c. 39. 40) deren Inhalt sich ausdrücklich auf die Vorschriften derselben stützt". Eodem modo Lipsius (das Att. Recht p. 191 sqq). Uterque vir doctus diversis argumentis ostendit legem vix multo ante factam esse.

2) Hell. I 7. 34. cf. I 7. 20 sq.

3) Das Att. Recht p. 185 sqq. Lipsius non totidem verbis perhibet Cannoni populi scitum neglectum esse „Die Gesetzwidrigkeit" inquit „lag vor allem in dem was von Platon und Xenophon als Grund zu Sokrates Weigerung angegeben wird, dass in einer Abstimmung über alle Feldherren zugleich entschieden werden sollte,

Digitized by Google

puli scitum auctore Cannono quodam olim datum, quod iuberet si qui fecissent contra rem publicam, separatim [1]) eos causam dicere et iudicium subire. Sed rursus rogandum est, si hoc ita se haberet, qui potuit senatus consuli ὅτῳ τρόπῳ οἱ ἄνδρες κρίνοιντο? qui potuit dicere Euryptolemus [2]) per se licere, sive populus mallet secundum illud populi scitum agi, sive secundum legem quae esset de sacrilegis et proditoribus? Sequitur utique ut populus populi scito illo non astrictus fuerit, ceteroquin oratori id nihilque nisi id in ore fuisset.

Sed Meyer etiam „ius Solonicum" violatum esse ait [3]), quod quamquam non diserte explicat, significare tamen videtur legem

---

während das Gesetz gebot jeden einzeln zu rechten (*δίχα ἕκαστον κρίνειν*)". Quae ea „lex" fuerit, non significat sed intellegi non potest quid velit v. d. nisi illud populi scitum. Nam ne eam quidem legem eum velle quae erat de sacrilegis et proditoribus, nedum eam quae appellabatur *νόμος εἰσαγγελτικός*, apparet ex eis quae disputat p. 187.

1) Hell. I 7. 20 *τὸ Καννωνοῦ ψήφισμα ... κελεύει, ἐάν τις τὸν τῶν Ἀθηναίων δῆμον ἀδικῇ διειλημμένον ἀποδικεῖν, καὶ ἐὰν καταγνωσθῇ ἀδικεῖν κ. τ. λ.* Libri mss. h. l. habent *δεδεμένον* pro quo scribendum esse *διειλημμένον* „separatim" vidit Rose (Commentat. philolog. München 1891). Bamberg (Hermes XIII 1878 p. 510) voluit *διαλελημμένον*, sed quamvis populi scitum nostrum habuisse formam vetustiorem ex Aristophane (Ecclesiazus, 1089) cognovimus, Euryptolemum usurpasse alteram eius temporibus usitatiorem veri simile est. Desiderari *τὸ* „separatim" in Eur. verbis nullo modo potest, quippe quo eius oratio unice tendat. Aristophanis verba haec sunt *τουτὶ τὸ πρᾶγμα κατὰ τὸ Καννώνου σαφῶς ψήφισμα, βινεῖν δεῖ με διαλελημμένον*; iocus autem eo continetur quod *τὸ* „*διαλάμβανεσθαι*" in populo scito pertinens ad eos qui „*κρίνονται*" hic refertur ac eum qui *κρίνει* sive potius *βινεῖ*. Apte ad locum nostrum v. Leeuwen (Arist. Eccl. cum Prol. et Comm. Lugd. Bat. Sijthoff 1905) „Cannoni decreto multis annis ante perlato cavebatur ne de pluribus reis simul et veluti per saturam ferrentur sententiae, sed *δίχα ἕκαστον κρίνεσθαι* iubebat. Ipsa autem illius decreti verba et priscae dictionis vestigia noster locus servat, nam *διαλελημμένος*, ut supra vs. 58 *διαλελεγμένος* est linguae vetustioris, quotidianae sunt *-ειλημμένος* et *-ειλεγμένος*. Nunc iuvenis ad se ipsum referens illud „divide" quod in iudiciis fieri debebat, decretum veretur ne mox „corpus secaturae" vel potius „divulsurae" sint inmites hae harpyiae nisi ex asse satisfaciat utrique" (re vera *tres* anus eum venabantur) „*οἴμοι οὐ κρίνειν διαλελημμένους με χρὴ νῦν ἀλλὰ βινεῖν, δίχα*" (potius *τρίχῃ*) „*γὰρ διαληφθήσομαι τάχα*".

2) Hell. I 7. 20 sq.

3) l.l. p. 648 „Das (Eisangelie verfahren ... bei dem das Volk ... in einer einzigen Abstimmung solle ... über alle Angeklagten das Urteil sprechen) war durchaus ungesetzlich; sowohl das Solonische Recht, wie ein Psephisma des Kannonos, das neuerdings das Verfahren in Hochverratsachen ganz in Demokratischen Sinn geregelt hatte, schrieben ausdrücklich bei mehreren Angeklagten gegen jeden ein gesondertes Verfahren vor.

Digitized by Google

illam de sacrilegis et proditoribus [1]). At vero quomodo ius strictum eo violabitur, quod cum iis qui proditionis rei non sunt, non agetur quasi sint? An forte praetores accusati erant proditionis? Supra iam ostendimus [2]) praefracte id negandum esse. Timocrates de proditione ne verbum quidem edidit; senatus Callixeno auctore accusationem sic concepit ut rei dicerentur malefecisse — „ἀδικεῖν" — non succurrentes eis qui in proelio navali vicissent [3]); Euryptolemus lege de proditoribus quae esset si rei tenerentur, nihilo magis optionem dare populo de modo iudicandi potuit, quam si Cannoni populi scitum in eos caderet. Ille vero cum pro eis contionans cives suos moneret [4]), ne adversa sibi a deo parata impie ferrent προδοσίαν καταγνόντες ἀντὶ τῆς ἀδυναμίας, manifesto eo sensu utebatur voce „προδοσία" quo de iis dicitur, qui deseruerunt suos laborantes, quo sensu sescenties invenitur apud scriptores Graecos.

§ 29. Ipsam naturam iudiciorum quibus nomina per isangeliam deferri proprium esset, initio eiusmodi fuisse ut nullis legibus neque populi scitis definirentur.

Iudiciorum quibus propria erat ea nominis delatio quae εἰσαγγελία vocabatur, ipsa natura qualis erat ante quam data est lex cui nomen νόμος εἰσαγγελτικός, argumento est nullo modo prohibitum esse legibus vel populi scitis, ea exercere quemadmodum liberet. Nam Harpocration (s. v. εἰσαγγελία) Εἰσαγγελία inquit δημοσίας τινὸς δίκης ὄνομά ἐστι, τρία δέ ἐστιν εἴδη εἰσαγγελιῶν. ἡ μὲν γὰρ ἐπὶ δημοσίοις ἀδικήμασι μεγίστοις καὶ ἀναβολὴν μὴ ἐπιδεχομένοις, καὶ ἐφ' οἷς μήτε ἀρχὴ καθέστηκε, μήτε νόμοι κεῖνται τοῖς ἄρχουσι καθ' οὓς εἰσάξουσιν, ἀλλὰ πρὸς τὴν βούλην ἢ τὸν δῆμον ἡ πρώτη κατάστασις ἐστί" et in Leg. Cantabr. legitur (p. 667. 12) εἰσαγγελία· κατὰ κακινῶν καὶ ἀγράφων ἀδικημάτων, αὕτη μὲν οὖν ἡ Καικιλίου δόξα. Hesychius autem (s. v. ἄγραφα) nos docet ἄγραφα ἀδικήματα περὶ ὧν νόμος οὐ γέγραπται. Voce „νόμος" hic omnia populi scita significata esse quae vim generalem haberent, sive proprio sensu νόμοι vocarentur sive minus, sine verbis perspicuum est. Ea autem quae grammatici hic

1) l.l. p. 649 „Die Zeit des Ps. ergiebt sich aus der Formulierung: ἐάν τις τὸν τῶν Ἀθηναίων δῆμον ἀδικῇ; in dem (Solonischen?) νόμος § 22 heisst es dagegen ἐάν τις τὴν πόλιν προδῷι".

2) § 23. 3) Hell. I 7. 9. 4) Hell. I 7. 33.

Digitized by Google

doceant, prorsus convenire ad usum rerum qualem cognovimus ex orationibus Lysiae Demosthenis Hyperidis aliorum vix quisquam negabit.

§ 30. Cannoni populi scitum non eius generis fuisse quod generalem vim haberet, sed pertinuisse ad unam causam quandam.

Iamvero, inquit, si tamen extaret populi scitum quod iuberet, si qui contra rem publicam fecissent separatim eos causam dicere et iudicium subire, qui fieri potuit ut populus omnia alia statuens in praetores qui arguerentur contra rem publicam fecisse, illud populi scitum non violaret? Nullo modo hercle; sed res accuratius est consideranda. Omnium populi scitorum tria genera sunt distinguenda: ea quae sunt leges — „νόμοι" — et ita vocantur, ea quae non vocantur leges quia alio modo feruntur atque illae [1]), argumento tamen et vi ab iis non differunt, quippe cum generalia sint et habeant perpetuam auctoritatem, denique ea quae propter singulares causas sunt datae et ubi hae desierunt, ipsa non amplius valere possunt [2]), cuius generis sunt quaecunque fiunt sicubi populus, ut in praetorum nostrorum causa, ipse iudicat, praeterea alia sescenta, quorum, ne plura afferam, exempli causa illud tantum appello cuius mentionem fecit Demosthenes in oratione „de Corona" quae dicitur (p. 250), ubi dicit populi iussu Prytanes et Praetores retulisse ad senatum de creandis legatis, creatos esse Cephisophontem, Democritum, Polycritum.

Non tertii sed alterius generis fuit populi scitum Cannoni, si fides est Euryptolemi verbis quibus apud Xenophontem eius mentionem facit; etenim dicere eum vidimus illud iubere: si qui fecissent contra rem publicam, separatim eos causam dicere et iudicium subire; quod si revera ita iussit populus, generale erat et habebat auctoritatem perpetuam. Verum ex eis quae demonstravimus sequitur ut neutiquam haec recte se habere possint; sic enim populum populi scitum id tenuisset. Dubitari nequit quin fuerit generis tertii, ad unam, nescio quam, causam plurium hominum olim eiusdem delicti reorum pertinens, et aut Euryptolemum sive consulto sive negligentia quadam, aut

1) De hac re vide et alios et Schoemann. de Com. Ath. p. 248 sqq. et K. F. Hermann Lehrbuch der griech. Staatsalterth. 3° Abt.° neu bearbeitet von H. Swoboda p. 114 sqq.

2) Minus recte Swoboda tertium illud genus negligit p. 122 sqq.

Digitized by Google

Xenophontem, id quod potius credam, deficiente memoria [1]) populi sciti introitum commutasse. Quem etiam re per se spectata veri simile est aliter conceptum fuisse atque a Xenophonte refertur, neque enim hic agitur, ut est in Euryptolemi verbis, — „ἐάν τις ἀδίκῃ" — de iis qui convicti sed qui accusati erant. Propterea populi scitum huc fere redisse videtur: „Τοὺς δοκοῦντας τὸν τῶν Ἀθηναίων δῆμον ἀδικεῖν διειλημμένους ἀποδικεῖν ἐν τῷ δήμῳ κ. τ. λ. Sic enim conceptum datum esse potuit propter causam singularem, ita ut „τοὺς δοκοῦντας κ. τ. λ." esset „τοὺς δεῖνα, δοκοῦντας κ. τ. λ." simulque speciem movere quasi generale esset; praeterea sic rei non dicebantur contra rempublicam fecisse sed videri fecisse. Optime Grote [2]): the psephism of Kannonus [was] originally adopted, we do not know when, on the proposition of a citizen of that name, as a psephism or decree for some particular case", sed quod addit vir doctissimus „but since generalized into common practice, and grown into great prescriptive reverence", magis id statuisse videtur quod fieri consentaneum erat, quam quod compertum habebat factum esse, neque enim de Cannoni populi scito praeter ea quae Xenophon tradidit, usquam apud antiquos scriptores mentio fit, nisi semel apud Aristophanem qui quatuordecim annis post id significat [3]). Hoc dandum est, cum aliquando populus iussisset de quibusdam qui contra rempublicam fecissent separatim iudicium exercere, nihil iniustius fuisse quam postea in prorsus simili causa omnia alia statuere.

§ 31. Non potuisse Euryptolemum cum Callixenum παρανόμων accusaret ignarum esse se causa casurum, sed id egisse ut tempus intercederet ante quam de praetoribus ferretur iudicium. Quod autem minis adversariorum deterritus sit, tamen ne ea re quidem ius strictum violatum esse.

Restat ad rogandum, cum per ius strictum populo integrum esset, ut senatu consulto libere statueret ὅπως οἱ ἄνδρες κρίνοιντο, quomodo fieri potuerit ut Euryptolemus, alii, id quod a Xenophonte cognoscimus [4]), Callixenum qui senatui auctor fuerat ut de reis cunctis singula suffragia ferrentur, παρανόμων accusare instituerent. Grote [5]): „never was there" inquit „any proposition made at Athens, to which the graphe Paranomon more

1) Cf. supra § 20 in ann. 3. 2) l.l. p. 438.
3) Vide supra § 28 in ann. 4) Hell. I 7. 12. 5) l.l. p. 439.

Digitized by Google

closely and righteously applied", opinatus nisi fallor — ipse enim vir clarissimus ad rem explicandam nihil addit — ut Lipsii v. cl. verbis utar [1]) „dass auch die Unzweckmässigkeit oder Schädlichkeit eines Gesetzes oder Psephisma zu einer Klage wegens Gesetzwidrigkeit berechtigte". Sed vereor ne iure Lipsius ita pergat: „das hat man auf unzuverlässige Zeugnisse hin, zu lange als sichere Thatsache hingenommen. Unzweideutige Äusserungen der Redner machen es vielmehr unzweifelhaft, das nur auf Widerspruch des Inhaltes eines Antrags mit gültigen Gesetzen, oder auf Verletzungen des für Erlass von Gesetzen und Psephismen geordneten Verfahrens die Klage begründet werden konnte", quae Lipsii verba, scripta antequam Aristotelis liber de republica Athenjensium olim deperditus a Kenyone v. cl. e papyris qui in Museo Britannico asservantur editus est, luculenter confirmantur iis quae ibi leguntur C. 59. 2 *καὶ (εἰσάγουσιν οἱ θεσμοθέται) γραφὰς παρανόμων καὶ τοῦ νόμον μὴ ἐπιτήδειον θεῖναι* [2]). Sequitur hinc ut ab accusationibus propter legum vel populi scitorum inutilitatem susceptas, *γραφὴ παρανόμων* destincta sit. Facile autem intellectu est, cur Euryptolemus populi sciti Callixeno auctore facti inutilitatem non accusaverit. Etenim ut absurdum hoc non esset si usus eam docuisset, ita utique absurdum erat in rogatione, cum suadendo ac dissuadendo de utilitate etiamnunc disceptandum esset.

Quid igitur Euryptolemus ceteri sibi voluisse censendi sunt cum Callixenum accusarent, nec tamen ignorare possent, fore ut causa caderent et nisi suffragiorum quintam tulissent partem, mille drachmis multarentur? [3]) Vix verbo opus est. Nam simulac quis iuravit se *παρανόμων* actionem instituturum, necesse erat, donec ea res peracta esset, legem vel populi scitum, quae peterentur, si iam iussa essent tolli, si minus, discessionem prorogari [4]). Hoc in re desperata prorsus sufficere potuit ad conandum, praetorum amicis haud dubie reputantibus spe-

1) Der Att. Proc. p. 431.

2) Cf. verba Aeschin's (contra Timocr. 34) *τὸν γὰρ περὶ προεδρίας τῶν φυλῶν νόμον Τίμαρχος οὑτοσὶ καὶ ἕτεροι τοιοῦτοι ῥήτορες συνελθόντες γεγραμμένοι εἰσὶ μὴ ἐπιτήδειον εἶναι, ἵν' ἐξῇ αὐτοῖς καὶ λέγειν καὶ ζῆν ὡς αὐτοὶ βούλονται.*

3) Schoem. de Com. Ath. p. 166. 4) Lips. das Att. R. p. 393.

Digitized by Google

rari posse aliquot dierum spatio intermisso, fore ut multitudinis ira decresceret.

Neque tamen iurasse videtur Euryptolemus, nam si iurasset actio prohiberi iam non potuit, sed adversariorum minis et criminationibus deterritus esse ne iuraret [1]). Atque hi quamvis turpissime se gererent ne hac quidem in re violaverunt ius strictum. Violatum esset si loquentis os oppressisset multitudo nec ei auxilio venissent magistratus, vel si thesmothetae quorum erat actionem dare [2]) eam aut ultro denegassent, aut a multitudine vi prohibiti essent dare, vel si Lyciscus, qui minabatur se Euryptolemi nomen ad populum delaturum, ut una cum praetoribus iudicium subiret, id detulisset populusque recepisset. Quorum nihil factum esse satis apparet [3]).

§ 32. Prytanibus fuisse ius denegandi populo suffragium, si rogatio non ex omni parte recte peracta esset. Denegantibus si qui minarentur, ius strictum non laedi.

Ex eis autem quae Xenophon Euryptolemo e conatu depulso, deinceps in populi concilio acta esse tradit, apparere videtur Praefecto populi non necesse fuisse de una quaque re de qua sive a senatu sive a cive privato latum esset, populum in suffragium mittere, neque tamen id eius arbitrii fuisse sed consulere eum debuisse prytanes, plurimorumque sententiae obsequi. Scribit enim Xenophon nonnullos e prytanibus negasse se populum de senatus auctoritate in Callixeni sententiam data, in suffragium missuros (Hell. I

1) Hell. I 7. 12 Τὸν δὲ Κωλλίξενον προσεκαλέσαντο παράνομα φάσκοντες γεγραφέναι Εὐρυπτόλεμος θ' ὁ Πεισιάνακτος καὶ ἄλλοι τινές, τοῦ δὲ δήμου ἔνιοι ταῦτ' ἐπήνουν, τὸ δὲ πλῆθος ἐβόα δεινὸν εἶναι εἰ μή τις ἐάσει τὸν δῆμον πράττειν ὃ ἂν βούληται. καὶ ἐπὶ τούτοις εἰπόντος Λυκίσκου καὶ τούτους τῇ αὐτῇ ψήφῳ κρίνεσθαι ἥπερ καὶ τοὺς στρατηγοὺς ἐὰν μὴ ἀφῶσι τὴν κλῆσιν, ἐπεθορύβησε πάλιν ὁ ὄχλος, καὶ ἠναγκάσθησαν ἀφιέναι τὰς κλήσεις.

2) Lips. das Att. Recht p. 71.

3) Quod Xenophon scribit (l.l.) καὶ ἠναγκάσθησαν ἀφιέναι τὰς κλήσεις, si cum praecedentibus comparas ita accipiendum esse apparet: καὶ οὕτως i. e. metu minarum ἠναγκάσθησαν ἀφιέναι τὰς κλήσεις. Tamen non prorsus recte Beloch bl. II² Erste Abl. p. 421 „Dasz eine Verletzung des formellen Rechtes bei dem Process nicht Stattgefunden hat ist richtig (Fränkel Att. Geschworenenger. Berlin 1877 p. 75 ff.), aber nur darum weil die Verteidiger der Strategen gegenüber dem Toben des Volkes nicht den Mut hatten die γραφὴ παρανόμων aufrecht zu halten, die sie gegen den Ankläger Kallixenos angemeldet hatten". Putare videtur v. d. si Euryptolemus actionem perferre tentavisset futurum fuisse ut a multitudine prohiberetur. Quod minime constat.

Digitized by Google

7. 14). Eis autem verbis nihil aliud velle potest nisi hoc, nonnullos prytanes pronuntiasse se sententiam rogatos censuros esse, populum de senatus auctoritate non mittendum esse in suffragium. Atqui nullius momenti fuisset ea declaratio, nisi aut omnium consensus requireretur aut numerus vinceret. Sed illud èt per se spectatum minus veri simile in quinquaginta virorum numero èt redarguitur quod quamvis e prytanis Socrates in contraria sententia permansisset (Hell. I 7. 15), tamen suffragium populo datum esse testis est Xenophon (Hell. I 7. 34) [1]). Quoquo autem modo hoc se habet, quotiens legimus a populi Praefecto populum in suffragium mitti [2]) revera ille censendus est id facere prytanum verbis. Convenit quod etiam singuli prytanes — vel proedri, qui abinde anno fere 378 a. Chr. in conciliis populi in prytanum vicem successerunt [3]) — *ἐπιψηφίζειν* dicebantur [4]), cum id quod cuncti facerent singulis tribueretur, simili ratione atque apud Romanos, cum singuli senatores dicerentur decernere [5]).

Tamen nescimus quibus de causis semper prytanibus licuerit suffragium populo denegare. Sed in promtu est suspicari, non licuisse nisi cum ostendi possent ea quae ad ferendam rogationem pertinerent, non omnia rite peracta esse. Nam ne suffragium iniretur de rogatione quae priori legi vel populi scito repugnaret, actione *παρανόμων* cautum esse vidimus. Videntur igitur prytanes in praetorum causa suffragio refragantes ius suum egressi esse.

---

1) Accedit quod Socratem ipsum Plato (Apologia p. 32 B) dicentem facit: *ἐγὼ μόνος τῶν πρυτάνεων ἠναντιώθην μηδὲν ποιεῖν παρὰ τοὺς νόμους, καὶ ἐνάντια ἐψηφισάμην*. Nisi recte Schanz (in Ed. Ap) verba *καὶ ἐνάντια ἐψηφισάμην* pro emblemate habens uncis inclusit.

2) Thuc. VI c. 14 *Καὶ σὺ, ὦ πρύτανι ... ἐπιψήφιζε καὶ γνώμας προτίθει.* „πρύτανις" nempe hic appellatur Praefectus qui vulgo dicitur *ἐπιστάτης τῶν πρυτάνεων* vel nude *ἐπιστάτης*.

3) Cf. Gilbert l.l.[2] p. 305 sqq.

4) Plato Gorg 473 E *πέρυσι βουλεύειν λαχών, ἐπειδὴ ἡ φυλὴ ἐπρυτάνευε καὶ ἔδει με ἐπιψηφίζειν, γέλωτα παρεῖχον καὶ οὐκ ἠπιστάμην ἐπιψηφίζειν.* Hell. I 7. 14 *τῶν δὲ πρυτάνεων τινῶν οὐ φασκόντων προθήσειν τὴν διαψήφισιν.* Aeseh. de falsa leg. 84 *ἀναστὰς ἐκ τῶν προέδρων Δημοσθένης οὐκ ἔφη τὸ ψήφισμα ἐπιψηφιεῖν ... βοώντων δὲ ὑμῶν καὶ τοὺς προέδρους ἐπὶ τὸ βῆμα καλούντων οὕτως ἄκοντος αὐτοῦ τὸ ψήφισμα ἐπεψηφίσθη.*

5) Sal. Cat. 50. 4 Silanus supplicium sumendum decreverat.

Digitized by Google

Quibus Xenophon tradit (Hell. I 7. 14) Callixenum eadem minatum esse, atque Lyciscum Euryptolemo. Aliter Plato qui Socratem dicentem facit [1]), oratores in animum habuisse se ἐνδεικνύναι καὶ ἀπάγειν [2]). Utrum verius sit mitto, nec quaeram quo iure aut hoc aut illud potuerit fieri, longius enim a proposito aberrarem; satis habeo monere, nullo modo ius strictum laedi potuisse, dum iniusta minarentur homines neque peragerent quae minarentur.

§ 33. Contra legem vel leges facta esse Graecos etiam ea dixisse, quae facta essent contra atque decuit.

Quid autem quod apud Platonem et Xenophontem Socrates dicit, in praetorum causa se nihil nisi *secundum legem* „κατὰ νόμον" facturum esse, Athenienses adversus leges, παρὰ τοὺς νόμους [3]), παρανόμως [4]), decernere [5]), iudicare [6]), capitis damnare [7]), itemque Euryptolemus cives suos monet ut *secundum legem* [8]) pie et religiose agant neve praetores indicta causa *adversus leges* perdant, nonnulli e prytanibus dicunt [9]) se *adversus leges* suffragium non daturos? Animadvertendum est hic convenienter iis quae in superioribus monuimus, ubi egimus de praetorum causae dictione non *secundum legem*, si Xenophonti credis eis permissa [10]), Graecos ea quoque de quibus lex vel plebiscitum non extaret, secundum legem vel leges facta dixisse quae congruenter essent facta ad alia similia de quibus extaret, adversus legem vel leges quae facta essent his contrarie; ut cum in causa quadam ubi contra rempublicam fecisse plures accusarentur populus iussisset singulos iudicium subire, mox in prorsus eiusdem generis causa omnia alia iussit; cum praesertim populus legem vel populi scitum fecisset animo sedato et placido, ira incensus ageret in sententiam contrariam.

---

1) Apol. 32 B.
2) De iis actionibus quibus nomen ἔνδειξις et ἀπαγώγη vide Lipsium das Att. Recht p. 317 sqq.
3) Xen. Comm. I 1. 18.
4) Plat. Apol. 32 B.
5) Xen. Comm. IV 4. 2.
6) Plat. Apol. 32 B.
7) Xen. Comm. I 1. 18.
8) Hell. I 7. 25 sqq. 29.
9) Hell. I 7. 14.
10) Vide supra § 24.

Digitized by Google

§ 34. Multitudinem non commisisse ut non praeter senatus auctoritatem oratorum quoque sententias audiret.

Ceterum multitudinem quamvis turbulentam eam fuisse velit Xenophon, idque procul dubio vere, non prorsus a sensu communi aberrasse, ex his vide. Senatus auctoritate vindicata, *μετὰ ταῦτα*, inquit noster, *ἀναβὰς Εὐρυπτόλεμος ἔλεξεν ὑπὲρ τῶν στρατηγῶν.* Non commemoravit Euryptolemum non potuisse prodire, nisi populus a Praefecto de more rogatus velletne senatus auctoritatem integram accipere an alias quoque sententias audire, in suffragium missus hoc iussisset [1]).

§ 35. Iniuria in Commentariis qui dicuntur, scripsisse Xenophontem, praetores novem esse interfectos, Socratem Praefectum populi fuisse.

Restat ut de duplici Xenophontis errore, quem alio loco commissum in libro qui Hellenica inscribitur correxit, paucis mentionem faciamus. Nam in Commentariis qui dicuntur scripsit (I 1. 18) *[Σωκράτης] ἐπιστάτης ἐν τῷ δήμῳ γενόμενος, ἐπιθυμήσαντος τοῦ δήμου παρὰ τοὺς νόμους ἐννέα στρατηγοὺς μιᾷ ψήφῳ τοὺς ἀμφὶ Θράσυλλον καὶ Ἐρασινίδην ἀποκτεῖναι πάντας* [2]), *οὐκ ἠθέλησεν ἐπιψηφίσαι* [3]). Alter autem error alterum convincit; nam de praetorum numero ex iis quae in Hellenicis narravit satis compertum esse in superioribus vidimus, itaque de Socrate si Commentarii ab Hellenicis abhorrent, his, non vero illis fides est habenda. Atqui scribens (Hell. I 7. 14) *τῶν δὲ πρυτάνεων τινῶν οὐ φασκόντων προθήσειν τὴν διαψήφισιν* et deinde *οἱ δὲ πρυτάνεις φοβηθέντες ὡμολόγουν πάντες προθήσειν πλὴν Σωκράτους τοῦ Σωφρονίσκου* satis significavit Socratem non fuisse Praefectum populi sed e numero prytanum. Videtur ergo Xenophon cum Commentarios scriberet, rem non recte meminisse, compositurus Hellenicorum librum primum eam inquisivisse.

Utriusque erroris auctor videtur fuisse Plato, quem tamen ipsum errasse non dixerim. Plato enim Socratem faciens dicentem (Gorg 473 E) *ἡ φυλὴ ἐπρυτάνευε καὶ ἔδει με ἐπιψηφίζειν,*

1) Suffragium hoc dicebatur *προχειροτονία*, vide Schoemann. de Com. Ath. p. 99, Gilbert l.l. p. 327.

2) W, Gilbert in Ed. Comm. eicit verba *ἐννέα στρατηγούς*. Sed neque video cur Xenophon hic de Socrate errans non potuerit errare de numero praetorum, neque puto *πάντας* recte se habere illis verbis eiectis.

3) Cf. Comm. IV 4. 2 ubi error de Socrate repetitur.

Digitized by Google

tam voluisse potest Socratem unum e prytanibus fuisse quam eum fuisse Praefectum populi, quippe cum τὸ ἐπιψηφίζειν etiam de singulis prytanibus dici supra viderimus. Alio autem loco [1]) Plato Socratem iudices alloquentem faciens ὅτε ὑμεῖς τοὺς δέκα στρατηγοὺς τοὺς οὐκ ἀνελομένους τοὺς ἐκ τῆς ναυμαχίας ἐβούλεσθε ἀθρόους κρίνειν, appellans τοὺς δέκα στρατηγούς, fieri potest ut probe sciverit octo praetores damnatos sex interfectos esse, sed negligentius totum collegium appellaverit [2]), Xenophon autem oblitus de Leonte Protomacho Aristogene, hoc tantum recordatus Cononem non inter reos fuisse, forsitan sibi visus sit Platonem correxisse. Melius saltem quam Aristoteles, qui iniquissime ausus est scribere (Athen. Resp, 34. 1): τοὺς δέκα στρατηγοὺς τοὺς τῇ συμμαχίᾳ νικῶντας συνέβη κριθῆναι μιᾷ χειροτονίᾳ πάντας τοὺς μὲν οὐδὲ συννεναυμαχήσαντας, τοὺς δ' ἐπ' ἀλλοτρίας νεὼς σωθέντας.

---

1) Apol. 32 B.

2) Eodem modo Ael. var. Hist. 3. 17 Σωκράτης οὔτε ἐπεψήφισεν Ἀθηναίοις τὸν τῶν δέκα στρατηγῶν θάνατον, Diog. Laert. 2. 24 ἦν καὶ μόνος ἀποψηφίσασθαι τῶν δέκα στρατηγῶν. Herm. περὶ ἰδεῶν I 6 Laur. p. 279: Ἀριστείδης ἀντιλέγων τῷ Καλλιξένῳ συμβουλεύοντι μὴ θάπτειν τοὺς δέκα στρατηγοὺς, ἐπειδὴ ἀνῃρέθησαν μιᾷ ψηφῷ. Val. Max. 8. 8. Ext. 8 Diomedon unus de decem ducibus quibus Arginusae eadem pugna et victoriam et damnationem pepererunt. Id. 38 Ext. 3: Universa civitas Atheniensium ... de capite decem praetorum, qui apud Arginusas Lacedaemoniorum classem deleverant, tristem sententiam tulerat. Vide I. M. J. Valeton v. cl. in Serto Naberio (Lugd. Bat., Brill 1908) p. 394 sqq.

Digitized by Google

AD A. GELLII N. A. LIB. VI—X.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

(Continuantur e Vol. XLVII pag. 208.)

LIBER VI.

C. 2 § 9: Hoc Caesellius quidem, sed aliud longe Ennius. Nam tres versus sunt, non duo, ad hance Ennii sententiam pertinentes, ex quibus tertium versum Caesellius non respexit.

Ita pro *hanc cennii*, quod in libris mss. legitur, edi solet. Emendandum est: ad *Antiochi* sententiam: versus enim, qui deinde a Gellio laudantur, Ennii sunt, sententia vero, quam continent, est Antiochi.

C. 3 § 14: Scio solere plerisque hominibus rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere atque superbiam atque ferociam augescere atque crescere.

Quandoquidem et cetera, huius enuntiati membra duabus partibus constant et codex Parisinus 5765 saec. XIII vocabulum *atque* (ante *prosperis*) omisit, hoc primum ad voc. *prolixis* minus tritum illustrandum additum, deinde per errorem in contextam Catonis orationem receptum esse credo.

ibid. § 16: atque haut scio, an partim eorum fuerint, qui non nostrae contumeliae causa id noluerint evenire; sed enim id metuere, <ne>, si nemo esset homo, quem vereremur, quidquid luberet, faceremus.

Suspicio me tenet, pro *metuere* scribendum esse: *metuentes* virgula nimirum post *evenire* posita. In eodem codice P exaratum est: *metueres*.

Digitized by Google

ibid. § 20: At cum dignitas et fides et utilitas omnium communis agitur ob eamque rem aut suadendum quid ut fiat, aut fieri iam coepto differendum est, tum e. q. s.

Pro *coepto* corrigere ne dubita: *coeptum*, cl. § 14 i. f.

ibid. § 21: Iamdudum enim negotia, pericula ipsa rerum communia consiliis eos capiendis conciliant.

Hertzius Mommseni coniecturam *ipsa rerum communio recepit.* Nescio tamen an Gellius scripserit *pericula ipsa rei publicae communia* atque corruptela pravae interpretationi compendii debeatur quod est *r. p.*, quod etiam infra § 44 a scriba male intellectum est qui pro *reipublicae* in cod. P *reis* dederit.

ibid. § 25: ut eos idcirco vel maxime aequum esset acceptiores carioresque fieri populo Romano, quod cum et utile is esset et vellent regi esse factum, nihil tamen adiuvandi eius gratia fecerint.

Lectio Hertzii *et utile is* (i. e. *iis*) *esset* pro librorum mss. omnium scriptura *et utiles essent* ab Hosio quoque recepta est. At vero vir summus Gellii manum hac coniectura non restituisse mihi videtur atque potius reponenda esse opinor: *et utiles esse ⟨posse⟩nt.* Locutio autem, quae est *alicui factum (esse) velle* pro: alicui maxime cupere, apud Terentium et Gellium haud semel occurrit.

ibid. § 28: Recteque, inquit, hoc vitio dat Lucilius poetae Euripidae, quod, cum Polyphontes rex propterea se interfecisse fratrem diceret, quod ipse ante de nece eius consilium cepisset, Meropa, fratris uxor, hisce eum verbis eluserit: e. q. s.

Pro tradita lectione, quae est *ad eum*, Hosius cum plerisque editoribus *eum* scripsit addita coniectura *ad eum v. usa sit*, Hertzius *adeo eum* de suo edidit. Dubito an sit legendum: *hisce id crimen verbis eluserit.*

ibid. § 32: ut idcirco prior iniuriam facere debeas, quam, nisi feceris, pati possis.

Pro *quam* Gronovius *quod* vel *quia* substituendum censuit: illud commendare videtur similis constructio, quae supra est § 25: ut eos idcirco vel maxime aequum esset acceptiores carioresque fieri populo Romano, quod ... nihil tamen adiuvandi eius gratia fecerint.

ibid. § 34: Post deinde usum esse Catonem dicit in eadem

Digitized by Google

oratione argumentis parum honestis et nimis audacibus ac non viri eius, qui alioqui fuit, sed vafris ac fallaciosis.

Hertzius coniecturam *alioqui* pro tradita scriptura *alio* Hosio probavit, quamquam ipse, a librorum mss. vestigiis nimium discedens, Madvigii propositum *viri iusti* (*aequi* Madv.) *alioqui*, *sed* praetulit. Facere non possum quin illud *alio* corruptum esse credam ex *ante* (h. e. in priore orationis parte).

ibid. § 38: Sed si honorem non aequum est haberi ob eam rem, quod bene facere voluisse quis dicit neque fecit tamen, Rodiensibus oberit, quod non male fecerunt, sed quia voluisse dicuntur facere?

In hoc loco censendo probe tenendum est, libros mss. *taberit* — recentiores *tale erit* exhibere. Lectio *oberit* Gronovio debetur, quam Mommsenus etiam supplendam existimavit scribendo: *non oberit... facere*, Iordan: *id oberit*, Hertzius: *vel oberit*, cum prius *labes erit* proposuisset, Hosius: *nunc oberit*.

Emendo: *talio erit*, cl. Gell. XX 1 § 34—37 et Martial. XII 63. 10, ubi sine talione = impune.

ibid. § 47 i. f.: interdum tamen, quasi deliquisse eos concedat, ignosci postulat et ignoscentias utiles esse rebus humanis docet ac, nisi ignoscant, metus in republica rerum novarum movet.

Corrigendum puto: *ignoscatur*, cum praesertim haec sequantur: sed enim contra, si ignoscatur, conservatum iri ostendit populi Romani magnitudinem.

ibid. § 52: nunc ut optime meritos commendat, nunc tamquam si innocentes purgat, ⟨nunc,⟩ ne bona divitiaeque eorum expetantur, obiurgat, nunc et, quasi sit erratum, deprecatur e. q. s.

Hertzio obsecutus Hosius *nunc* inseruit, ego tamen ita loco corrupto mederi maluerim, ut pro *ne* reponam: *neve*. Quod ad alteram mutationem attinet, quam Hertzius librorum mss. communi lectioni intulit, ab Hosio non receptam, dico *et* ante *quasi* deletum, voculam non inducendam, sed emendandam esse arbitror: suspicor enim legendum esse: *nunc vero*, *quasi*, compendium videlicet particulae *vero* (*ů*) cum obscure pictum esset, pro nota & a librario lectum esse.

C. 8 § 2: Nam et sub Caesare Augusto... et aliquot

Digitized by Google

saeculis ante... amores flagrantissimi delphinorum cogniti compertique sunt.

Codices mss. praebent: *cesaribus* (*cesaris* P), Hosius *Augusto* — Hertzius *Caesaris* ⟨*Augusti imperio*⟩ e Plin. N. H. IX 24 addidit. Nihil tamen addendum esse, sed Gellium scripsisse: *sub Caesare* complures apud nostrum loci me docent: V 14 § 15, XII 5 § 13, alii.

ibid. § 5, in loco ex Apionis Aegyptiacis mendose tradito, haec leguntur: *προσσαίνει τὴν φωνὴν αὐτοῦ τὴν ψυχὴν πτερούμενος ἐντὸς τάς τε ἀκάνθας ὑποστέλλων, μή τι τοῦ ποθουμένου χρωτὸς ἀμύξῃ φειδόμενος.*

Voc. *ἐντός* ubi nunc positum est vix ferendum videtur et fortasse post *ἀκάνθας* traiciendum est cl. Plin. l. l., qui eandem rem narrans habet: pinnae aculeos velut vagina condens.

In iis quae mox sequuntur: *ἐξεχεῖτο ἡ Ῥώμη καὶ πᾶσα Ἰταλία τῆς Ἀφροδίτης ξυνορῶντες ἡνιοχούμενον ἰχθύν* pro *τῆς Ἀφροδίτης* corrigendum censeo *ὑπ' Ἀφροδίτης*.

C. 9 lemma: viri non indocti neque ignobiles a verbo 'descendo' non 'descendi', sed 'descendidi' dixerunt.

Hosius se hic praeferre *duxerunt* ascripsit, at cf. § 15 infra: Praeterea inveni a verbo 'scindo' simili ratione non 'sciderat', sed 'sciciderat' dictum esse.

ibid. § 5: ut serpens si memordit, gallina diligitur et opponitur.

Qui hanc lectionem tuentur, eo sensu eam adhibitam esse iudicant quem Nonius s. v. (Lindsay II p. 448) testatur, sed ne illam quidem notionem Plautinam, dividendi sc., h. l. opportunam esse alii ante me viderunt iamque Scaliger *dirigitur* proposuit. Editores fere Plin. N. H. XXIX 61 et 78 afferunt: „carnisque earum (sc. gallinarum) percussis (ab aspide sc.) plurumum prodesse", et: „carnibus gallinaceorum ita ut tepebunt avolsae adpositis venena serpentium domantur". Vereor tamen ne parum attenderint ad verba, quae mox sequuntur: „ius quoque ex his (gallinis sc.) potum praeclare medetur", quibus additum est faciendi eius praeceptum (§ 80), neque ad § 103, ubi idem laudatur remedium. Qui loci me induxerunt ut pro *diligitur: diluitur* P. Nigidio reddendum esse crederem.

C. 10 § 1: Ut haec 'ususcapio' dicitur copulato vocabulo

Digitized by Google

'a' littera in eo tractim pronuntiata, ita 'pignoriscapio' iuncte et producte dicebatur.

Post voc. *iuncte* in libris mss. omnibus legitur: *sunt*, quod Hertzius delevit. Cum vero causa nulla esset propter quam locus ita interpolaretur, suspicio mihi incidit veram ac genuinam lectionem fuisse: *iuncte simul et producte.*

C. 12 § 3: Viri autem Romani primo quidem sine tunicis toga sola amicti fuerunt; postea substrictas et breves tunicas citra humerum desinentis habebant.

Voc. *sine tunicis* inducantur.

ibid. § 6: Vergilius quoque tunicas huiuscemodi quasi femineas probrosas criminatur.

Corrigas quaeso: *probrose*, cl. XVII 21 § 31: cumque id ei, quod fugerat, probrose obiceretur, et in capitis nostri fine (§ 7): Q. quoque Ennius Carthaginiensium tunicatam iuventutem non videtur sine probro dixisse.

C. 14 § 8: Animadversa eadem tripertita varietas est in tribus philosophis, quos Athenienses Romam ad senatum populi ⟨R.⟩ legaverant.

Iure Hertzius offendit in librorum mss. lectione *ad senatum populi* et quamquam cum Macrobio voc. *populi* omittere maluit, *R.* litteram dubitans adiecit, id quod Hosio probavit. Mihi quidem veri similius videtur, voc. *populi* corruptum esse e *publice*. Cf. X 6 § 1: non in facta modo, sed in voces etiam petulantiores publice vindicatum est.

C. 17 § 4: tum vero ego permotus agendum iam oblique ut cum homine stulto existimavi et 'cetera', inquam, 'vir doctissime' e. q. s.

In codicibus mss. cum pro *cetera* reperiantur: *quae ter(r)a* RV — *quae cetera* R^2, equidem pro *et cetera* quin scriptum fuerit: *atque cetera* nullus dubito.

C. 18 § 4: Veniunt Romam decem captivi. Mandatum Poeni imperatoris in senatu exponunt. Permutatio senatui non placita. Parentes, cognati adfinesque captivorum amplexi eos postliminio in patriam redisse dicebant e. q. s.

Nonne Gellius scripsisse putandus est: *Permutatio⟨ne⟩ senatui non placita parentes... dicebant?*

ibid. § 9: Duo reliqui Romae manserunt solutosque esse se

Digitized by Google

ac liberatos religione dicebant, quoniam, cum egressi castra hostium fuissent, commenticio consilio regressi eodem, tamquam si ob aliquam fortuitam causam, issent atque ita iureiurando satisfacto rursum iniurati abissent.

Sive cum Hosio post voc. *causam* virgulam collocaveris seu Hertzium secutus omiseris, verba tradita sanam interpretationem non admittent. Utique exspectaveris: *tamquam si ... ⟨red⟩issent, [atque] ita ... abissent.*

ibid. § 10: Haec eorum fraudulenta calliditas tam esse turpis existimata est, ut contempti vulgo discerptique sint e. q. s.

Lipsius, fretus fortasse scriptura codicis R *disreptique*, coniecit: *despretique*, sed praestat vulgatam lectionem tueri, cl. Catull. 66, 73: nec si me infestis discerpent sidera dictis, Caes. B. G. III 17: sed etiam nostrorum militum vocibus nonnihil carperetur.

Liber VII.

C. 1 § 4: quid item fortitudo intellegi posset nisi ex ignaviae adpositione?

Codicum recentiorum *oppositione* lectionem unice veram esse mihi quidem facile persuadent et verba mox sequentia: quo item modo prudentia esset, nisi foret contra inprudentia? et § 3 init.: nam cum bona malis contraria sint, utraque necessum est opposita inter sese et quasi mutuo adverso quaeque fulta nisu consistere.

C. 2 § 1: 'Fatum est' inquit 'sempiterna quaedam et indeclinabilis series rerum et catena volvens semetipsa sese et inplicans per aeternos consequentiae ordines, ex quibus apta nexaque est'.

Pro *sese*, quod Gronovius delere, Otho in *ex se* emendare, Skutsch post *et* traicere voluit, restituere malim: *semper*, collatis ipsis Chrysippi verbis, quae deinde Gellius attulit: ἐξ ἀιδίου τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροις ἐπακολουθούντων.

ibid. § 15: Chrysippus aestuans laboransque, quonam explicit et fato omnia fieri et esse aliquid in nobis, intricatur hoc modo.

Dictum Ciceronis descripsi quale in libris mss. exhibetur, quod quam sit mutilatum nemo non videt. Displicent rationes quibus viri docti locum sanare studuerunt: editores veteres

Digitized by Google

quonam ⟨*pacto*⟩ *explicet* scribere solebant, Hertzius *quonam* ⟨*explicatu*⟩ *explicet* dubitanter se posuisse affirmat, idem vero in editione Lipsiensi recepit *quonam hoc modo* (ex linea sequenti desumptum!) *explicet*, quam transpositionem Hosio probavit. At tamen verborum ordinem mutandum esse non credo, verum sic locum emendandum existimo:

Chrysippus aestuans laboransque, quonam explicet et fato omnia fieri et esse aliquid in nobis, intricatur hoc nodo.

C. 3 § 1: Tubero in historiis scriptum reliquit... Regulum... proelium grande atque acre fecisse adversus unum serpentem... eumque... diu oppugnatum, eiusque interfecti corium... Romam misisse.

Ad inaequalitatem membrorum huius sententiae tollendam Lion pro *misisse: missum esse* proposuit, Hosius *cos.* (= consulem) ante *corium* excidisse suspicatus est. Potius crediderim, pro *oppugnatum*, quod inter verba *fecisse* et *misisse* inscite positum constructionem turbat, legendum esse: *oppugnasse.*

C. 6 § 4: Non apte igitur usum verbo augurali existimavit in Daedali volatu nihil ad augurum disciplinam pertinente.

Ante voc. *verbo* nomen *Vergilium* excidisse videtur.

C. 9 § 1: Quod res videbatur memoratu digna... eaque res perquam pure et venuste narrata a Pisone, locum istum totum huc ex Pisonis annali transposuimus.

Quoniam praesentis temporis usus in tali re apud Gellium frequens est, pro *narrata* potius emendare velim *narratur* quam cum Vassisio voc. *est* post *venuste* inserere.

C. 10 § 4: rursusque sub lucem milia passuum paulo amplius viginti eadem veste illa tectus redibat.

Nisi omnia me fallunt, Gellius scripsit *eodem.*

C. 11 § 1: Cum inquinatissimis hominibus non esse convicio decertandum neque in maledictis adversum inpudentes et inprobos velitandum, cet.

Praepositio resecanda est, cl. § 2: apud populum in contione lacessitus iactatusque fuerat dictis petulantibus.

C. 16 § 1: Eiusmodi quispiam, qui tumultuariis et inconditis linguae exercitationibus ad famam sese facundiae promiserat..., ludo ibi et voluptati fuit.

Immo, legendum est: *prompserat.*

Digitized by Google

C. 17 lemma: quantusque numerus fuerit Athenis ante clades Persicas librorum in bibliothecis publicorum.

Quicumque capitulum totum perlegerit, Hertzii coniecturam *publicis* ad locum resarciendum non sufficere concedet, sed lemma ita supplendum esse: *public<is quantusque in bibliotheca Ptolemae>orum.*

Liber IX.

C. 1 § 1 i. f.: Quare milites Metelli... a pinnis hostis defendebant facillime funditore.

Eliminandum est voc. *funditore*, quod duo e libris mss. melioribus et editores veteres omittunt neque additur § 8, ubi haec Claudii Quadrigarii verba iterum laudantur.

ibid. § 9 i. f.: quod hoc in loco Claudio dicitur.

Corrigendum videtur: *Claudiano*, cl. X 17 § 4: versus Laberiani sunt, 26 § 9: illud de navibus Sallustianum.

C. 3 § 5: Sperò enim fore, ut eductus eruditusque a te dignus exsistat et nobis et rerum istarum susceptione.

Neque Skutschii coniectura *nostrarum* neque ea, quam Hosius in apparatu critico profert, *ipsarum* probabilis est. Gellius Philippi epistulam ad verbum vertit, in qua locus noster est: ἐλπίζω γὰρ αὐτὸν ὑπὸ σοῦ τραφέντα καὶ παιδευθέντα ἄξιον ἔσεσθαι καὶ ἡμῶν καὶ τῆς τῶν πραγμάτων διαδοχῆς. Verba autem postrema demum recte reddideris, si repones: *et rerum iusta susceptione.*

C. 13 § 14: Is, ut dico, processit neque passus est virtutem Romanam ab Gallo turpiter spoliari.

An forte scriptum fuit *spurcari?* Cf. Plaut. Men. 170, Catull. 108. 2.

ibid. § 17: eo pacto ei sub Gallicum gladium successit atque Hispanico pectus hausit; deinde continuo humerum dextrum eodem concessu incidit neque recessit usquam, e. q. s.

Pro *concessu* libri alii *consensu*, alii *concussu* praebent, viri docti *concaesu*, *caesu*, *congressu*, *caestu*, *conisu* varie temptarunt. Mihi in uno praefixo depingendo erratum videtur atque restituendum: *eodem successu*, collato verbo *successit*, quod supra legitur.

Digitized by Google

Liber X.

C. 1 § 3 extr.: idque in principio libri ⟨III⟩ Coelium scripsisse et Quintum Claudium in libro undevicesimo C. Marium creatum 'septimo' consulem dixisse.

Ut opinio mea fert, Gellius non *dixissĕ*, verum *decessisse* scripsisse putandus est.

ibid. § 7: Eam rem Pompeius exquisitissime rettulit ad doctissimos civitatis.

Pro *exquisitissime* Boot *exquisitum* corrigendum censuit, at maluerim: *exquisit⟨um timid⟩issime.*

C. 3 § 3: Caleni... edixerunt, ne quis in balneis lavisse vellet, cum magistratus Romanus ibi esset.

Emendandum est: *dum.*

C. 6 § 2: Atque inde egressa, cum se male habitam diceret: 'quid me nunc factum esset' inquit e. q. s.

Pro *diceret* Hosius corrigendum ducit: *doleret*, equidem praetulerim: *pigeret.*

C. 10 § 2. Nervus quidam tenuissimus ab eo simistrae manus digito, qui minimo est proximus, ad cor hominis pergere ac pervenire dicitur. Propterea non inscitum visum esse (Gellius Apionem dicere affirmat) eum potissimum digitum tali honore (anuli sc.) decorandum, qui continens et quasi conexus esse cum principatu cordis videretur.

Immo: *cum principatu corporis;* est enim cordis principatus corporis.

C. 12 § 9: scripserunt simulacrum columbae e ligno ab Archyta ratione quadam disciplinaque mechanica factum volasse; ita erat scilicet libramentis suspensum et aura spiritus inclusa atque occulta concitum.

Verba ultima plane obscura ac perplexa nunc sunt: columba illa lignea libramentis suspensa erat, sed unde vim volandi petivit? qua re trudebatur? Aura videlicet, inclusa atque occulta — ubi? In ipso nimirum corpore ligneo. Locum igitur tum demum intellegam, si pro inepto *spiritus* redditum erit id quod sana ratio requirit: *spiramentis.* Cf. Verg. Aen. IX 580: abditaque intus | spiramenta animae letali volnere rupit (sagitta sc.), id. Georg. I 89: caeca relaxat spiramenta,

Digitized by Google

Ov. Met. XV 343: vivit habetque | spiramenta locis flammam exhalantia multis (sc. terra).

C. 13 § 4: Enim cum partim copiis hominum adulescentium placentem sibi.

Tollendum est voc. *copiis*, quae glossa est vocabuli *partim*.

C. 17 § 3: Est enim persona, quae hoc aput Laberium dicit, divitis avari et parci sumptum plurimum asotiamque adulescentis viri deplorantis.

In lectione *viri* multum iam desudarunt viri docti: *severe*, *vivide*, *plorantis*, alia proposita sunt, Iordanus vocabulum delendum censuit, nihil tamen satis placuit editoribus atque Hertzius crucem voci praefixit.

Liceat meam quoque sententiam in medium proferre.

Versibus Laberii, quos Gellius infra descripsit, perlectis quivis perspicit, avarum illum non modo deplorare sumptum asotiamque filii, sed etiam hoc — immo vero hoc vel maxime, quod eius luxuriam aspicere cogatur. Quae cum ita sint, in verbis supra descriptis aliquid nunc deest, quod apte supplebitur, si pro *viri deplorantis* mecum restitueris: *videre plorantis*.

Id quod in libris mss. sexcenties factum est, hoc loco factum esse videmus, sc. traiectas esse syllabas verbi *videre;* deinde cum litterae *de* verbo *plorantis* iunctae essent, in promptu iam erat vocis *vire* in *viri* mutatio lenissima.

Ceterum in hoc verbi plorandi usu cum infinitivo Plautus Gellio exemplo fuit, qui Aul. 306 scripsit:

aquam hercle plorat, quom lavat, profundere

nec non Hor. C. III 10, 3 sq.: met amen obicere incolis plorares Aquilonibus.

C. 18 § 4: (Artemisia) molita quoque est ingenti impetu operis conservandae mariti memoriae sepulcrum illud memoratissimum.

Voc. *operis* insiticium esse moneo.

(Continuabuntur.)

Digitized by Google

AD PLATONIS CONVIVIUM.

p. 216 A.

Saepenumero equidem in eiusmodi locis admirabundus haesi (et est eorum in literis Graecis sat magnus numerus) ubi aut scriptor ipse, vir Atheniensis, aut aliquis Atheniensis, qui loquens inducitur, sic Athenienses nominat tamquam si ipse se iis adnumerari nolit. Sed nullus est tam insignis vel tam disertus quam hic in Platonis Convivio, ubi sic Alcibiades de semet ipso conqueritur: *καὶ ἔτι γε νῦν ξύνοιδ' ἐμαυτῷ, ὅτι εἰ ἐθέλοιμι παρέχειν τὰ ὦτα, οὐκ ἂν καρτερήσαιμι, ἀλλὰ ταὐτὰ ἂν πάσχοιμι. ἀναγκάζει γάρ με ὁμολογεῖν, ὅτι πολλοῦ ἐνδεὴς ὢν αὐτὸς ἔτι ἐμαυτοῦ μὲν ἀμελῶ, τὰ δ' Ἀθηναίων πράττω.* Quidni hic Alcibiades pro *τῶν Ἀθηναίων* diceret *τῆς πόλεως*, et quidni aliis huiuscemodi locis (quos sat multos esse dicebam) idem fieret saepe quaesivi, sed nemo respondet. Subesse tamen iis peculiare aliquid mihi est persuasissimum. Olim a Muellero-Strubingio totam rem neglectam satis mirari non possum. Digna res videtur quam iuniorum philologorum aliquis data opera examinet. Apud Platonem praesertim et apud Xenophontem ei erit quaerendum.

I. I. H.

Digitized by Google

STATIUS SILU. III II 30.

SCRIPSIT

J. S. PHILLIMORE.

Sint quibus explorent primos grauis [arte molorchos M
[arte molorcus A

Multi fuerunt in hoc uersu iam inde a Domitio Calderino interpretes. Poetae scribarum inscitia laboranti primi opem tulerunt Scaliger et Joann. Rutgersius, per quos stetit ut e ruderibus uerborum saltim uox artemo, initium curationis, eruta sit. Quae tamen ipsa uox — si Vollmerio credis — non ab illis sed ab E. Schwartzio demum ueram accepit interpretationem. Hic quidem sic rem exponit ut artemo idem ualeat quod Graece ἱστὸς ἀκατεῖος; huic autem, uelut temoni cuidam nauigii protento gruem institisse quo merces e scaphis subiectis sublatae in cauernam onerariae inferrentur. Sed ipsum audiamus Vollmerium Germanissantem

> mit treffendem Bilde bezeichnet der Dichter die Stellung des schrägen Mastes über den Kähnen durch *exploret*, er schaut in sie hinein, *grauis* eine Last tragend. Soweit hat Schwartz richtig erklärt.....

Ergo hactenus ille recte; hinc uero quod is minus bene intellexerat corrigit Vollmerius: scilicet ita Statium scripsisse:

Sint quibus exploret primos grauis artemo lembos

ob eam autem causam primos dixisse lembos quod ante proram nauis natent cum phaselos a puppe secutura religetur.

At ego totam hanc siue similitudinem siue prosopopoeian non modo aptam nego sed omnino ferendam. Ut enim eo cacozeliae poeta processisset ut lignum oculatum lembos suppositos desuper inspicere diceret, quod minime artem ueterum

Digitized by Google

sapit, tamen, inquam, si forte, potuit uerbo scrutandi [1]) uti, potuit despectandi — explorandi non potuit.

Huius enim uerbi longe alia est uis [2]). Explorare dicitur qui loca siluis uestita excutit ne quid ibi latere possit. Et sicubi uerbum translate ponitur, solet ad experiendi non intuendi notionem propius accedere. Certe cum paene uicies Statius hoc uerbum adhibuerit, uix semel ita dictum inuenias ut uel primo saltim obtutu huiusmodi esse uideatur. Locus est in Equo Maximo (Silu. I 1 88):

uix lumine fesso
explores quam longus in hunc despectus ab illo.

Ne hic quidem equus oculis explorari dicitur, immo distantia uix exploratur, ut pro eo q. e. metiaris positum esse facile appareat.

Neque ullum reperias locum ubi temptare, praetemptare, experiri non sint idoneae huius uerbi glossae.

Si igitur uir doctus bis in Latinitatem peccauit, redeamus ad ipsum Statium, si forte omnia consideranti aptior uocis q. e. artemo acceptio succurrat. Atque hic libet mirari quam multae res quamque diuersae hoc uno nomine significari potuerint. Si autem haeres quem potissimum sensum e tam multis eligas, fac tibi animi uelut ante oculos existat spectaculum nauis quam parant Nereides ut iamiam soluta prouehatur:

partitaeque uices, uos stuppea tendite mali
uincula, uos summis adnectite sipara uelis,
uos zephyris aperite sinus; pars transtra reponat,
pars demittat aquis curuae moderamina puppis;
sint quibus . . . . . .
quique secuturam religent posterga phaselon,
uncaque summersae penitus retinacula uellant.

Enumerauit arma nauigii praecipua, est tamen quod desideres. Ecce parati rudentes, parata uela, transtra, gubernacula; ecce phaselos secutura religatur; omnium postremum iam ancora tollitur. (Siquis perspexerit quo ordine res geratur, satisne

1) Sic enim, quamuis inuito Marklandio, de arbore Atedii Melioris, *Silu.* II III 55, sed de arbore quam deus animat.

2) Ne longus sim, rem lucide exposuit doctus Burdigalensis H. la Ville de Mirmont. (Revue de Philologie XXXIII p. 18).

Digitized by Google

absurda uidetur illa Vollmeriana fabula? Nam quid malum in his sibi uult grus in lembos despiciens?) Unum deest: cum enim gubernacula e duabus constent partibus, alterius (quae aquis demittitur) mentio extat, alterius latet. At manubrii uel claui nomen aut synonymon requiritur. Quid si uox artemo inter tot diuersa hoc quoque significare potest? Fidem facit idoneus testis S. Augustinus qui in *Enarr. Psalm.* XXXI 4 haec scribit:

> Fac enim hominem optime gubernare nauim et perdidisse quo tendit: quid ualet quia artemonem optime tenet, optime mouet, dat proram fluctibus, cauet ne latera infligantur, tantis est uiribus ut detorqueat nauim quo uelit atque unde uelit? Et si dicatur ei 'usque quo is?' et dicat 'Nescio'.....

Certe haec in clauum cadunt, et si sic illud artemo acceperis apte se res explicat; facile enim succurrit cur is grauis dicatur Luciani *Nauigium* relegenti (cap. VI).

Sequitur quaestio, quid potissimum experiri uel explorare oporteat in clauo nauis iamiam soluendae. Nonne uero id maxime gubernatoris interest ut aequaliter et nullo impedimento huc illuc clauum uersare possit? Sollemne autem in hac re uerbum est torquendi. Ecce autem eaedem literae tortus, quae proxime ad lectionem Corsinianam lorcus accedunt, a Rutgersio pro nomin. mascul. participii acceptae, iam nominis q. e. tortus (Maronianae alioquin auctoritatis) accusatiuum plural. efficere agnoscuntur.

Denique sic lege:

Sint quibus exploret primos grauis artemo tortûs

i. e. sint quae iam nunc uersando uel torquendo clauum incipiant experiri an magistro bene responsurus sit.

Postremo his praesertim locis fretus Statianis credo me non alienum poetae sensum restituisse:

> tumidusne meas regnator Olympi
> explorat uires? *Theb.* VIII 41.
> tranquillo prius arma lacu clauumque leuisque
> explorant remos. *ib.* VI 21.
> tutosque in regna precando
> explorare aditus. *ib.* II 369 (cf. *Achill.* I 736).
> explorant caestus hebetantque terendo. *Theb.* VI 764.

Digitized by Google

DE DIE QUO NERO CLAUDIUS DRUSUS NATUS EST.

SCRIPSIT

JOH. JANSSEN.

Dies natalis Drusi, Liviae filii, non traditur, spectatur tamen hisce locis:

Vell. Pat. II 95, 1: „Drusus quem intra Caesaris penates enixa erat Livia",

Suet. Claud. 1, 1: „... Livia cum Augusto gravida nupsisset, intra mensem tertium peperit",

Dio 48, 44, 2: *καὶ ὁ Καῖσαρ Λιουίαν ἔγημεν ... καὶ ἐκύει γε ἐξ αὐτοῦ μῆνα ἕκτον*,

quibus satis constat intra tertium mensem, postquam Augustus duxit Liviam, Drusum natum esse. Id matrimonium memoratur a Dione (48, 43, 6) Appio Claudio C. Norbano cos. (38 a. Chr.) [1], factum autem statim postquam repudiata est Scribonia, teste Suetonio (Aug. 62, 2): „cum hac (scil. Scribonia) quoque divortium fecit ... ac statim Liviam Drusillam matrimonio Tiberi Neronis et quidem praegnantem ab-

1) Hoc Dionis testimonium aliorum quoque testimoniis confirmatur: Vell. II 79: „hac classi Caesar cum prius despondente ei Nerone, cui ante nupta fuerat, Liviam, auspicatis rei publicae ominibus, duxisset eam uxorem, Pompeio Siciliaeque bellum intulit" enim indicare videtur perbrevi antequam Octavianus bellum cum Sexto Pompeio coepit, Liviam Neroni abductam esse, i. e. initio a. 38 probabiliter, nam pugnas apud Cumas et Scyllaeum promuntorium, tempestates quoque quae Caesaris classem admodum vexassent, vere fuisse, testatur Appianus Bell. Civ. V 89: „*οἰομένοι ταχέως τὸ πνεῦμα ἐνδώσειν ὡς ἐν ἦρι.*" Idem quoque tempus spectare videtur Suetonius verbis (Aug. 16, 1): „Siculum bellum inchoavit (scil. Caesar Octavianus) in primis, sed diu traxit intermissum saepius, modo reparandarum classium causa, quas tempestatibus duplici naufragio et quidem per aestatem amiserat."

Digitized by Google

duxit." Quod divortium cum sub anno 39 referat Dio (48, 34, 3: *καὶ τὴν Σκριβωνίαν τεκοῦσάν οἱ θυγάτριον ἀπεπέμψατο αὐθημερόν*), initio certe anni 38 nuptiae tribuendae sunt, ita ut post mensem Martium exeuntem (cf. Suet. Claud. 1, 1, l. supra l.) Drusi natalis statuendus sit [1]. Praeterea traditum a Velleio II 97, 3 Drusum, cum obiit, fuisse „consulem, agentem annum tricesimum." Dies mortis, d. 14. m. Sept., noscitur e titulis C. I. L. I² p. 248. p. 329, X p. 664; itaque Drusus natus est ante diem 14 m. Sept. a. 38 a. Chr.

Sed intra hos terminos nondum standum. Legimus enim apud Suetonium eodem die Drusum natum esse quo ante Antonium triumvirum, cf. Claud. c. 11, 3: „ . . . petere se (scil. Claudium), ut natalem Drusi celebrarent, quod idem esset et avi sui Antonii". Antonii diem natalem multo maiore magnificentia apparatuque quam ipsius suum celebrasse Cleopatram narrat Plutarchus (Ant. 73): „*καὶ τὴν ἑαυτῆς γενέθλιον ταπεινῶς διαγοῦσα* (Cleopatra) *καὶ ταῖς τύχαις πρεπόντως τὴν ἐκείνου* (Antonii) *πᾶσαν ὑπερβαλλομένη λαμπρότητα καὶ πολυτέλειαν ἐώρτασεν, ὥστε πολλοὺς τῶν κεκλημένων ἐπὶ τὸ δεῖπνον πένητας ἐλθόντας ἀπελθεῖν πλουσίους*, intellegens ultimum diem natalem dum vixit Antonius, qui fuit inter Actiacam pugnam (d. 2 Sept. a. 31) et expugnationem Alexandriae (Kal. Aug. a. 30).

Ita Drusum inter finem Martii mensis et Kal. Aug. a. 38 natum esse colligimus.

Nuper Gardthausen (August und seine Zeit II p. 5) ut diem natalem Drusi statueret a Plutarchi testimonio profectus est

---

1) Ad idem fere tempus alia ducimur via. Tiberius tres annos erat natus, cum mater iterum nuberet cf. Vell. II 94, 1: „T. Claudius Nero, quo trimo . . . Livia . . . Caesari nupserat." De Tiberii die natali docet Suetonius (Tib. 5): „Sed ut plures certioresque tradunt, natus est (Tiberius) Romae in Palatio XVI Kal. Dec., M. Aemilio Lepido iterum L. Munatio Planco conss. (= 42) per bellum Philippense. Sic enim in fastos actaque in publica relatum est. Nec tamen desunt qui partim antecedente anno, Hirti ac Pansae, partim insequenti, Servili Isaurici <L>que Antonii consulatu genitum eum scribant", qui actorum fastorumque auctoritatem summo iure praefert et constat sibi, cum dicit (Tib. 73, 1): „sed tempestatibus et ingravescente vi morbi retentus paulo post obiit, in villa Lucullana, octavo et septuagesimo aetatis anno . . . XVII Kal. Ap. Cn. Acerronio Proculo, C. Pontio Nigrino conss. (= d. 6 m Mart. a. 37 cf. Tac. Ann. VI 50, sub a. 37: „sic Tiberius finivit, octavo et septuagesimo aetatis anno). Itaque post m. Nov. a. 39 (XVI Kal. Dec) matrimonium initum, post Kal. fere Febr. Drusus natus est.

Digitized by Google

his argumentis usus: ultimum diem natalem Antonii primis mensibus post Actiacam pugnam („h. e. m. Septembrem usque ad m. Decembrem" secundum G.) celebrari haud potuisse, neque magis cogitantum de primis mensibus a. 31, quibus in „Timonii" secessu viveret Antonius. Igitur intra mensem Martium exeuntem et Iulium ineuntem Antonium natum esse colligit et Drusum, cum „consul, agens annum tricesimum" d. 14 Sept. a. 9 mortuus sit, mense Martio a. 39 obisse. Id falsum esse supra ostendisse mihi videor eoque monui, quod post Gardthausenum res, quantum scio, accuratius non est investigata cf. Klebs Prosop. Imp. Rom. I p. 306, Stein ap. Pauly-Wiss. III p. 2706.

Digitized by Google

SIDONIANA.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I.F.

In epistula secunda primi libri Sidonius staturam regis Theudorici tam perspicue verbis effingit, ut eam oculis cernere videaris. Lege modo

I 2, 2 *si forma quaeratur: corpore exacto, longissimis brevior, procerior eminentiorque mediocribus. capitis apex rotundus, in quo paululum a planitie frontis in verticem caesaries refuga crispatur. cervix non .... sed nervis.*

Post *sed* in optimo codice L spatium vacuum est decem litterarum, at tres alii libri haud contemnendi exhibent *non sedet nervis.* Haec scriptura emendandi viam indicare videtur, neque tamen cum Mohrio, qui Teubnerianam editionem curavit, scribendum est *cervix nm* ⟨*sedet nodis*⟩ *sed nervis*, nam quomodo *nodis* et *nervis* possint opponi inter se, haud facile quis dicat. Quicunque aspexit imperatorum Auli Vitellii Luciique Veri imagines fictas miratusque est eorum cervices pingues crassasque, vix dubitabit quin nostro loco auctor loqui velit de collo valido quidem sed non obeso, quale laudamus in nobili illa statua „Apoxyomeni" vel „destringentis se". Quocirca restituendum censeo *cervix non* ⟨*sedet adipe*⟩ *sed nervis.* Substantivo inserto utitur Sidonius Ep. IX 13, 5 vs 50

oleumque nescientes
adipesque glutinosos
utero tumente fundant
opobalsamum lucernae

et translate Ep. VI 6, 2 *est enim tibi nimis usui, ut exhor-*

Digitized by Google

tationibus tuis interioris hominis maciem saepenumero mysticus adeps et spiritalis arvina distendat.

Sidonius iter faciens ad urbem aeternam Ravennam advenit, de quo oppido cum alia tum haec refert

I 5, 5 *qao loci veterem civitatem novumque portum media via Caesaris ambigas utrum conectat an separet. insuper oppidum duplex pars interluit Padi certa, pars alluit* e. q. s.

Cum Luetjohanno, Mohrio aliis antea putavi illud *certa* corruptum esse, nunc autem mecum reputans syllabas *it Padi certa* optimam clausulam (creticum et trochaeum) efficere, credo auctorem hoc adiectivum de industria addidisse.

Similiter tuebimur lectionem traditam

IX 1, 3 *pariter et nescio, qualiter fieri veniabile queat, quod coherceri nostra garrulitas nec post denuntiatum terminum sustinet: nisi quia forsitan qui modus potest paginis, non potest poni ipse amicitiis.*

Mohr prius illud *potest* uncinis inclusit, sed bona clausula (duo cretici: *dus potest paginis*) redarguit editorem [1]).

Unus locus mihi restat, quem a Mohrii suspicionibus vindicem, nempe

VII 2, 2 *simul et, si moris est regularum, ut ex materia omni usurpentur principia dicendi, cur hic quoque quodcumque mihi sermocinaturo materia longius quaeratur expetaturque, nisi ut sermoni nostro sit ipse pro causa, cui erit noster sermo pro sarcina?*

In apparatu editor annotat: *moris est regularum* vix sanum, in Praefatione autem conicit: *si moris est saecularium.* Frustra, nam hic habemus genetivum quem vocant inhaerentiae, qui optime convenit usui Sidoniano, ut declarant haec exempla Epist. VII 6, 8 ecclesiarum conventicula [2]), VII 12, 1 titulorum rubricae, VIII 1, 1 marginis sui limbo, VIII 10, 1 ingentes praeconiorum titulos, VIII 10, 2 materiae sterilis argumentum, IX 9, 7 gazae thesauros.

1) Aliis argumentis lectionem traditam tutatus sum antea (cf. Brakman, Sidoniana et Boethiana (1904), pag. 17).

2) *Conventiculum* ponitur pro *ecclesia*, cf. Arnob. IV 36, Cyprian. de unit. 12 cet.

Digitized by Google

Invenimus in Apollinaris Sidonii epistulis aliquot genetivos, qui sermonis vulgaris proprii sunt e. g. II 13, 1 vir amicorum, V 1, 1 litterarum viro (contra VII 14, 1 virum omnium litterarum et VIII 1, 1 vir omnium bonorum), V 17, 8 rem caritatis, V 20, 4 res commodi, sed haud scio an maxime memorabilis sit genetivus, quem legimus Carm. XXIII 145

quid vos *eloquii* canam *Latini*
Arpinas, Patavine, Mantuane
et te, comica qui doces, Terenti,
et te, tempore qui satus severo
Graios, Plaute, sales lepore transis.

Illud *eloquii Latini* pro genetivo qualitatis habendum est, facile enim subauditur *homines*, cf. Vulgat. Matth. 8, 28 quid timidi estis, *modicae fidei* (Graece ὀλιγόπιστοι) [1]); Arnob. I 16 cur ibidem annonaria caritate non tantum *corporis non nostri*, verum etiam Christianos ditiores et locupletissimos reddiderunt (sc. di)? [2])

Eugenius Geisler in editione a Luetjohanno curata plurimos locos similes auctorum Sidonio anteriorum congessit, ita ut nonnisi perpaucos illius syllogae addere possis. Equidem componere ausim

Sidon. Ep. I 2, 8 timet timeri et
Senec. Agam. 73 metuique timent [3]).
Sid. Ep. I 8, 3 si deteriorum collatione clarescant et
Tac. Ann. I 10 comparatione deterrima sibi gloriam quaesivisse.
Sid. Ep. II 14, 2 amputabuntur causae morarum et
Hieron. Ep. 60, 17, 3 causas morbi amputamus.
Sid. Ep. IV 22, 3 concinnare mendacium et

1) Cf. Löfstedt Arnobiana pag. 40 sqq.

2) Schmalz (Glott. VI pag. 178) haec exponit: Über das Aufziehen und Mästen der jungen Gänse schreibt Palladius I 30, 3 *parvi primis decem diebus intus pascendi sunt, postea sereno eos poterimus educere, ubi urtica non fuerit, cuius aculeos formidant. Quattuor mensum bene saginantur; nam melius in tenera aetate pinguescunt.* Die editio Aldina hat *mensibus* für *mensum*; offenbar war dem Herausgeber die Konstruktion *quattuor mensum* unverständlich. Es ist der Genetiv ein Gen. qualitatis zu dem vorschwebenden Subjekt *anseres*.

3) Geisler comparat tantum Claudian. XXI 341.

Digitized by Google

Apul. Metam. V 27 concinnato mendacio.

Adiectivum, quod est Marmaricus, debet Sidonius Senecae, cf. Sidon. Carm. XI 103 Marmaricae ferae et Carm. XXIII 56 Marmarici barri [1]) cum

Senec. Agam. 739 Marmaricus leo (= Hercul. Oet. 1057 et Boeth. Consol. philos. IV 3, 11).

Idem valet de adiectivo, quod est Nasamonius, cf. Sidon. Carm. 9, 256 Nasamonium Iugurtham et

Senec. Herc. Oet. 1642 nemore sub Nasamonio.

---

1) Adde Carm. VII 4 Marmaricus ... Atlans et vs. 448 Marmarici pedes.

Digitized by Google

QUAM AETATEM SIGNIFICET VOX QUAE EST „PUER".

SCRIPSIT

JOH. JANSSEN.

Sueton. Cal. 8, 1, 2: „Cn. Lentulus Gaetulicus Tiburi genitum (Gaium) scribit, Plinius Secundus in Treveris.... Gaetulicum refellit Plinius quasi mentitum.... abusumque audentius mendacio, quod ante annum fere natus Germanico filius Tiburi fuerat appellatus et ipse C. Caesar, de cuius amabili pueritia immaturoque obitu supra diximus".

Narrat Suetonius ante annum fere quam natus sit Gaius qui postea a militibus Caligula est dictus (= pr. Kal. Sept. a. 12) Agrippinam Germanico coniugi filium peperisse eodem Gai nomine appellatum. Ad hunc Gaium — mortuum nimirum priusquam Gaius minor natus est — referendum esse titulum sepulcralem C. I. L. VI 888, prope Augusti mausoleum repertum: „C. Caesar Germanici filius hic crematus est" iure contendit Heuzen ad l. l., Gaium-Caligulam „Germanici filium" nude appellari haud potuisse monens.

Obiit igitur Gaius noster annum fere unum natus, ita ut Suetonius de hac unius anni aetate vocabulum „pueritiae" adhibuerit. Quod fieri potuisse negans ante „fuerat" excidisse „mortuus" credidit Bergk „zur Geschichte der Rheinlande" p. 90 not. 3, sic verba „ante annum fere" et „mortuus fuerat" coniungens. Hanc tamen coniecturam a regulis sermonis Latini abhorrere disseruit Froitzheim „Rhein. Mus." XXXII p. 343, qui simul Bergkii opionem puerum nisi de liberis sex vel septem annorum non dici iure reiecit, post Froitzheimium etiam

Digitized by Google

refellit Mommsen historiae argumentis: „Wäre — ipsius verba („Herm." XIII p. 248 = „Ges. Schr." IV p. 274) laudabo —, wie Bergk annimmt, dieser Knabe im J. 764 sechs- bis siebenjährig verstorben, so ward er 758 oder 759 geboren und war im J. 760 am Leben. Wie verträgt sich jenes mit dem Geburtsjahr Nero's? und wie dieses damit, dass auf dem Bogen von Pavia dieser Gaius nicht erscheint, wohl aber seine beiden, hienach jüngeren Brüder? Und endlich: wenn Plinius dem Gaetulicus Schuld giebt, dass er die Geburtsorte der beiden gleichnamigen und nur um ein Jahr im Alter verschiedenen Brüder verwechselt habe, so ist das begreiflich; sein Corrector aber legt ihm die Albernheit in den Mund, dass Gaetulicus die Geburt des Jüngeren darum fälschlich nach Tibur versetzt habe, weil der Aeltere dort gestorben ist".

Haec omnia sane rectissima sunt, argumentum tamen quod Bergkii opionem maxime refutat fugit Mommsenum. „Extat et Augusti epistula", sic legimus Suet. Cal. c. 8, „ante paucos quam obiret (Augustus) menses ad Agrippinam neptem ita scripta de Gaio hoc (Caligula) — neque enim quisquam iam alius infans nomine pari tunc supererat —: puerum Gaium XV Kal. Iun. si dii volent ut ducerent Talarius et Asillius, heri cum iis constitui". Videmus igitur Gaium, quo die haec epistula data est, XV Kal. Iun. a. 14, cum nondum duos annos natus esset, „puerum" ab Augusto esse vocatum, simulque apparet „infantem" (cf. „alius infans") et „puerum" a Suetonio promiscue dictum.

Digitized by Google

AD TACITI ANN. XIII, 26.

SCRIPSIT

I. I. HARTMAN.

Consultant patres quo modo sit utendum libertis qui libertate sua abutantur neque patronis debitam praestent reverentiam. Qui senatorum sunt severiores aequum iustumque censent talibus libertis adimi libertatem posse. Sic illi ratiocinantur:

„nec grave manumissis per idem obsequium retinendi libertatem per quod adsecuti sint: at criminum manifestos merito ad servitutem retrahi *quos beneficia non mutavissent*".

De ultimis illis vocabulis „*quos... mutavissent*" nuper sic disputavit ille criticorum princeps P. Thomas (Académie royale de Belgique, bulletin de la classe des lettres et des sciences morales et politiques, extrait du n° 5 — 1919):

„Au lieu de *non mutavissent* des copies du quinzième siècle donnent *commutavissent*, leçon qui a été approuvée par Madvig (Adv. Crit. II p. 553) et par Hartman (Analecta Tacitea p. 57). Cette leçon est spécieuse... mais elle n'est que spécieuse.

Pourquoi s'écarter du texte du Mediceus, qui offre un sens excellent? On objecte que ce ne sont pas les mauvais esclaves que les maitres affranchissent dans l'espoir de les rendre meilleurs, mais les bons à qui ils accordent la liberté dans la pensée qu'ils s'en montreront dignes. Mais il peut se trouver parmi les mauvais esclaves des hypocrites, qui jouent la comédie du *servus frugi* pour obtenir leur liberté, et qui, une fois affranchis se livreront à leurs mauvais instincts, s'ils ne sont contenus par la crainte. Comme les bienfaits n'ont aucune prise sur ces natures perverses, il faut recourir à l'intimidation. Ce cas devait être plus fréquent que celui de bons esclaves gâtés par la liberté. Les humanistes, qui se sont avisés

Digitized by Google

de corriger le texte du Mediceus, étaient de médiocres psychologues".

Sic a Thomasio monitus statim illud *commutavissent* abiicio, quod nunquam magnopere mihi placuit. Requiritur enim simplex *mutavissent*, non compositum *commutavissent*, quemadmodum iam tum dixi cum Analectorum illum scribebam locum. Neque tamen plane mihi probatur Medicei lectio. Nam egregie quidem Thomas genus descripsit libertorum de quibus hic agitur: mali illi *fuerunt* semper sed aliquamdiu boni *visi sunt*. Spes in illis fefellit patronos: exspectaverant eos tales futuros quales esse se in servitute simulavissent, sed in gravi scelere deprehenduntur quod veram eorum naturam reddidit manifestam. Vides illud *non mutavissent* parum esse huic loco aptum: eo enim tantummodo pravitas eorum et nequitia significatur, idque ipsum tecte et per ambages (*non mutavissent* pro: *non meliores reddidissent quam revera erant*), de frugalitatis simulatione, quae hic minime erat omittenda, siletur. Et omnino nescio quid obscuri et incerti nunc totus locus habet, ut mirandum non sit errasse hic Madvigium nobisque Thomasio interprete opus esse ut quid sibi voluerit Tacitus perspiciamus.

Qua autem ratione illam probitatis *simulationem*, quae nusquam comparet, et tamen hic utique est commemoranda restituamus? Ut opinor, viam nobis monstrant vocabula praecedentia *criminum manifestos*. Frugalitatis speciem sumserant impostores illi, sed personam iis abripuit ipsa libertas, ipsum libertatis beneficium. Libertas ipsa quales revera essent monstravit, in illa semet ipsos prodiderunt, veram suam naturam, nulla falsa velatam specie aperuerunt. Denique sicut apud Platonem mors omnes improbos, sic illos libertas *nudavit*. Lege ergo: *ut metu coercerentur quos beneficia nudavissent*.

Illud *nudandi* verbum multi quidem loci egregie illustrant, sed nescio an nullus sit disertior quam hic apud Ciceronem:

de or. II, 350: „perge vero, inquit Crassus, libenter enim te cognitum iam artificem aliquandoque evolutum illis integumentis *dissimulationis* tuae *nudatumque* perspicio":

vides sponte se *nudandi* verbum offerre, ubi de *simulatione* et *dissimulatione* sermo sit.

Digitized by Google

AD TACITI ANN. I, 1.

SCRIPSIT

I. I. HARTMAN.

„Sed veteris populi Romani prospera vel adversa claris scriptoribus memorata sunt; temporibusque Augusti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliscente adulatione deterrerentur. Tiberii Gaiique et Claudii ac Neronis res florentibus ipsis ob metum falsae, postquam occiderant, recentibus odiis compositae sunt. Inde consilium mihi e. q. s."

Prudentissime P. Thomas, criticorum acutissimus, observat (Ac. Royale de Belg. nr. 5, 1919) male sic distingui. Non enim ea res Tacitum ad scribendum adduxit quod tempora liberae reipublicae et prima Augusti tempora bene scripta essent, sed quod aetas Tiberii, Gaii, Claudii. Neronis *nondum* bonum scriptorem invenerat. Habemus ergo hic „parataxin pro hypotaxi" ut aiunt Grammatici, sive „coordinationem pro subordinatione" estque post *deterrerentur* non plene interpungendum sed semicolon ponendum vel virgula, ut causa cur Tacitus se ad historiae scribendae laborem accinxerit insit in integro enuntiato „sed veteris... compositae sunt" non tantum in posteriore eius parte, Tacitusque hoc fere dicat: „inde mihi historiae scribendae consilium natum quod, cum antiqua tempora satis bene tractata sunt, ea quae sub Augusti finem sunt insecuta idoneo caruerunt scriptore".

Et sic quidem lenissima medicina gravissimus nostri loci sanatus est morbus, qui totum eius perturbabat sensum. Restat unus multo levior, sed quem et ipsum, semel observatum nullo modo ferre possis, utpote quo Tacitei sermonis elegantia turpissimum in modum dehonestetur.

Digitized by Google

Clara mihi voce haec legas velim „florentibus ipsis ob metum falsae, postquam occiderant recentibus odiis compositae sunt".

Senties quam misere langueat istud *compositae*: videberis tibi ex alto orationis fluctu subito delapsus in stagnum paludesque ubi linter tuus haereat.

Quid enim rei est? Inter se opponi *florentibus ipsis* et *postquam occiderant* est manifestum. Vitat Tacitus de more aequabilitatem ideoque non scribit: „quamdiu floruerunt ... postquam occiderant" vel „florentibus ... mortuis" sed „florentibus ... postquam occiderant". Itidemque sprevit „metu ... odiis" vel „ob metum ... ob odia", sed hic quoque „rem prodigialiter unam variare" cupiens cum duas eiusdem rei causas affert, alteram in ablativo ponit, alteram praepositione *ob* usus enuntiat.

Causas, aio, Tacitus affert, non duarum rerum sed unius: cur illa Tiberii, Gaii, Claudii, Neronis tempora nondum bene sint descripta, unamque illam rem in duas dividit partes, quas similiter et aequabiliter exornare dedignatus inter se opponit: *florentibus ipsis* et *postquam occiderant*, tum *ob metum* et *recentibus odiis*, denique *falsae* et ... quid putas? num *compositae?* Absit! Requiritur quod bene vocabulo quod est *falsae* respondeat. Et nullum invenio aptius quam ... *corruptae*. Hoc enim vult: „florentibus ipsis ob metum, mortuis ob odia corruptae sunt". Hoc ergo rescribe, Taciti restitueris manum.

Sentio non esse hanc emendationem ex eo genere quo dudum inclaruit Thomasius ipse. Is enim saepe una literula dempta, inserta leviter mutata in meris tenebris tam claram accendit lucem ut satis admirari Prometheum illum non possis. Sed non *possunt* omnes loci laceri ea ratione restitui. Quam saepe enim factum est ut librarius verbum levissimo laborans vitio ultro corrumperet, vel inepte expleret parvam lacunam quam in suo haberet exemplo? Tum, ut opinor, acrioribus est utendum medicinis. Multum inter se, quod ad literarum ductus pertinet, vocabula *compositae* et *corruptae* discrepant. Sed estne incredibile librarium, cum ante oculos haberet *c̄ ... tae*, lacunam explesse eo vocabulo quod sponte se oscitanti homini in hoc contextu offerebat *compositae?* De scribendi enim et *componendi* genere toto hoc agitur loco.

Primum est statuendum quid postulet sensus, quo invento

Digitized by Google

plerumque nos contentos esse oportet. Quodsi accedit plena illa et perfecta quae dicitur „probabilitas diplomatica" gaudendum est, neque tamen nimis dolendum si dea illa ad nos accedere nolit.

Ad Herodoti l. I c. 91.

Croesus, inquit, Pythia οὐ συλλαβὼν ... τὸ ἐρηθὲν οὐδ' ἐπανειρόμενος ἑωυτὸν κύτιον ἀποφαινέτω· τῷ καὶ τὸ τελευταῖον χρηστηριαζομέτῳ εἶπε τὰ εἶπε Λοξύης περὶ ἡμιόνου, οὐδὲ τοῦτο συνέλαβε. Structuram laborantem olim sanavisse mihi videor cum pro εἶπε τὰ scripsi ἐπείτε, ut sensus, quem requirebam, evaderet hic: „cui etiam postquam ultimum consulenti Loxias dixit de mulo, ne hoc quidem intellexit".

Albs. Poutsma.

Tacit. Hist. III c. 26.

„Incipere obpugnationem fesso per diem noctemque exercitu arduum et nullo juxta subsidio anceps; sin Bedriacum redirent, *intolerandus* tam longi itineris labor, et victoria ad inritum revolvebatur?"

Pro „intolerandus" lege „*iterandus*".

J. Berlage.

Digitized by Google

VARIA AD VARIOS.

SCRIPSIT

I. I. HARTMAN.

Ad Phaedri fabulae VIII vss. 10 sqq.

Fabula de lupo et grue sic clauditur:

pro quo cum pactum flagitaret praemium (sc. grus)
„ingrata es" inquit „ore quae nostro caput
incolume abstuleris et mercedem postules".

Sic plerumque editur *postules* e coniectura Rittershusii, nam in codicibus erat aut *postulas* aut *postolas*. Coniectura autem illa elumbem praebet structuram. Quare videndum annon sic potius sit scribendum:

„ingrata", *dixit*, „ore quae nostro caput
incolume abstuleris, et mercedem postulas?"

ut *et* sit idem quod *etiam* vel *insuper*.

Ad Lucretii L. V, 1016.

Tum genus humanum primum mollescere coepit
Ignis enim curavit ut alsia corpora frigus
Non ita iam possent caeli sub tegmine ferre

L. I 988 habemus *sub caeli tegmine*, II, 662 *sub tegmine caeli*, sed non solum utrobique vocabula aliter sunt disposita sed etiam est utriusque loci diversa sententia. Nostro enim loco describendi sunt homines qui quovis tegmine plane careant. Quapropter legendum censeo *sine* pro *sub* ut genitivus *caeli* pendeat a praecedente *frigus* et *sine tegmine* sit *sine vestimento*.

Ad Tac. Ann. XIII, 46.

(Poppaea Sabina) „si ultra unam alteramque noctem attineretur (a Nerone) nuptam esse se dictitans, nec posse matrimonium *amittere* . . ."

Nondum ab editoribus intellectum esse *omittere* requiri est quod mireris.

Digitized by Google

SILENTIUM.

ELEGIAM COMPOSUIT

I. I. HARTMAN
in Universitate Lugduno-Batava professor ordinarius.

Anglia, magna quidem semper, sed tempore nullo
Clarior ingenio vel veneranda magis
Quam cum sponte tua te obstrinxti lege silendi,
Qua lata tota Urbs paruit et populus:
Pars fuit haec horae tricesima; saecula tota
Laudibus hanc meritis vix superare queant.

Barbariem terrarum orbi iam saepe minatam
Servitium, prae quo libera Persis erat,
Te duce te socia te milite vicerat ille,
In patriamque redux nobilis illa phalanx
Venerat amissis quot milibus, haud tamen ulla
Parte sui fracta aut debilitata nimis.
Non animus deiectus erat, non corpora fessa,
Lumina luce vigent vox quoque laeta sonat.
Triste nihil cernis post tot discrimina rerum
Omnia testantur pectora plena fidê.
Dedecorat tamen hos non ulla superbia vultus,
In victos nemo est qui maledicta iacit.
Libera quod patriast hoc omnes permovet unum,
Nil aliud dicunt carmina nil tabulae.
Quisque Deo gratum se testificatur et illis,

Digitized by Google

Pro patria fortes qui cecidere sua.
His at quo pacto possunt nunc solvere grates
Tot meritis dignas? vilis an omnis honos,
Quem praestare solent homines communiter omnes,
Cum decorare volunt pectora cara sibi?
Nunc omnis sermo et cantus sordere videtur
Clarisonus, florum multicolorque decus.

Sic est: augusti magis haec, o tempora poscunt
Excelsique aliquid talia facta petunt.
Integer est annus postquam fera bella quiescunt
Et subito inventumst quid velit ille dies:
Regis id inventum, o praeclaro rege beatum
Dicamus populum; forte sed ille magis
Rex populo felix, cui non paretur ab illo
Sed qui cum populo paret et ipse sibi;
At nunc praecipue: divino namque videntur
Edixit quae Rex edita de solio.

Hora sonat! Confestim omnes sentire videntur
Omniaque ille sonus quid sibi significet:
Ante quater ternos hoc ipso tempore menses
Pestis dira minas ponere iussa fuit,
Pestis quam Satanas nostris inmiserat arvis,
E qua mitis homo belua factus erat;
Extemplo nunc cuncta silent omnisque repressa est
Vox hominem prodens, machina nulla sonat;
Stant qui currebant, non usquam plaustra moventur
Ponit onus properans baiulus ante pedes;
Subsistunt rapidi currus stant aequore naves,
Fistula nec filum tinnula verba facit;
Non vox missa procul captantes personat aures
Aut non captantes signa aliena docet.

Digitized by Google

Non clamant pueri, non cantat laeta puella
Non vetulus queritur, non anus ulla gemit.

Muta quies regnat, sed nulla disertior unquam
Vox fuit et potuit nulla movere magis
Humanas mentes; saevi non murmure caeli
Pectora sic hominum contremefacta tacent.
Nullus at hic timor est, tacitae modo pectora grata
Testantes lacrimae sponte subinde cadunt.
Tota silet regio sic fiunt templa serena
Omnibus in plateis, omnibus inque foris:
Sic quacunque homines adstant pia sacra feruntur
Proque animis fiunt fervida vota piis.

At locus est cunctis aliis augustior unus
Imbutusque sacra relligione magis:
In platea celebri cippus sese erigit, ecce,
Ornatu nullo sed speciosa satis
Ipsa sua forma mentem testante colentum
Heroum manes sic animasque pias,
Corpora quae sua liquerunt dispersa per orbem,
Edita sunt si qua proelia pro patria;
Corporibus tumulus caret hic sed vivit in illo
Ipse animus: cives sic voluere sui.
Innumerus numerus stat contemplatur et illum
Sed modico spatio: sic iubet ipse pudor.

Ecce sed e tanto numero prodire silentum
Hiscere quin etiam sustinet una tamen:
Parvula, sexennis, pauper, quae cum videt unum
Imperio cunctos quem superare putat,
Sesquipedalem hominem crucibus vittisque decorum,
Cui faciem hic illic plurima plaga notat,
Cui barba est hirsuta cutis cui sole perusta, et
Vultus qui risum et suavia verba fugat.

Digitized by Google

Nil metuens tamen huic accedit blanda puella
Et „propius me duc ad monumenta patris"
Fatur — et ingreditur miles barbatus at illi
Rugosam dextram parva puella tenet.

Anglia magna quidem semper sed tempore nullo
Maior quam cum te talis imago decet:
Conspiceris nam fortis ibi, simul at pia blanda,
Quaeque movere hominum corda tenella queas.

Die XI m. Nov. a. MCMXIX.

Digitized by Google

ANTONIUS ET PETRUS.

NARRATIONEM ITALICAM IN LATINUM REDEGIT CARMEN

I. I. HARTMAN.

Antoni nunc fata, Petri nunc fata canemus,
Nempe comes fuit hic fidus, fuit ille magister
Parcus et attentus, cuius tu gloria summa
Discipule! at quis non his lectis clamet: „amice,
Quid mihi nugaris? Sancti, quos tanta diremit
Saeclorum series, potuerunt esse sodales
Quo pacto? neque te coniunctum fingere velle
Custodem caeli cum percussore „parentis"
Crediderim „patriae"; quae tanta inscitia rerum?"
Ne metuas! non Arpinas mihi, non Patavinus
Argumenta dabunt neque habebit pagina nostra
Clavigerum, sedis cui credita porta beatae.

Petrus at hirsutus meus est, crudelis et olim
Quadrupes ingrate deformia membra movebat;
Tempore sed longo docuit meliora magister:
Instabat pedibus, saltabat, crustula iacta
Captabat manibus simulatis et modo laxo
Fune laborabat, tento modo ponere gressus,
Tum galea, qua tectus erat, de vertice dempta
Percurrens populum densum blandeque salutans
Mendicabatur dominis cursuque peracto
Collectos nummos notam referebat in arcam,
Quadrantes vel sextantes, sed sobrius Ipse
Atque casam parvam curabat sedula coniunx.

Digitized by Google

Sic sustentabant vitam nec gaudia dêrant
Coniugio iuvenum festis quoque saepe diebus
Italico caelo laetos mittente colores
Et modico sumptu genio indulgere licebat
Et se vestitu gemmisque ornare repostis
E vitro factis lamnisque imitantibus aurum.
Sic spatiabantur rex et regina, tenentes
Bracchia iuncta manu, crepidasque in sole nitentes
Atque genas rasas miranti iure popello
Et madidos murrha crines monstrare iuvabat.

Durius at venit tempus cum notus abunde
Petrus erat: non usque novos reperire magister
Nempe iocos poterat; mixta et vagitibus aegris
Aures mulcebat felicis naenia matris
Cunarum et crepitus; pretio maiore locabat
Callidus inventor causarum saepe patronus
Pauperibus structas casulas fenusque iubebat
Pendere neglectae si praeteriere kalendae.

„Antoni, quid tristis ades" iam saepe rogarat
Uxor, at hic quaestum monstraverat usque minorem.
Tum mox maestitiam pellebat vocula blanda
E cunis resonans et carae coniugis aptum
Alloquium e somnoque hilaris surgebat uterque.

Serior at quondam, non tristior ille redibat,
Immo haud contractus nunc illi vultus ut olim;
Consilium firmum et meliora instantia fata
Iam vox ipsa loquebatur, demissior ante.
„Uxor" ait, „non flere diu — sed flebis opinor —
Iam dabitur: nobis etenim sunt castra movenda,
Quin et linquenda Italiast" — hic horruit uxor —
„Cara mihi quoque ea est: sed nusquam vivitur aura,
Mox quae sola tamen nostro hic captabitur ore:
Ars mea iam sordet, iacet et βόμβυλος et ursus.
Talia dum mecum volvo, me forte ferebant

Digitized by Google

Ad portum gressus; accurrit navita nostra
E patria Tuscus, notus bene, quin et amicus
A puero; subito me agnoscit nec minus illum
Agnosco; postquam primi sua verba tulerunt
Congressus: „„ohe mihi tristis, amice, videris!
Eloquere, ecquid opem possum tibi ferre?"" Mearum
Qui rerum status enarro. Vix dixeram et ille
„„Mutandus locus est, video, tibi. Me sequere ergo:
Haud mihi magna ratis, sed nunc vix merce tenetur
Dimidium, capiet pars altera teque tuosque.
Baetica terra mihi petitur, non ille popellus
Rusticus est nimis aut urbanus at inter utrumque
Se tenet, addictus spectaclis atque iocorum
Diligit omne genus sed praeter cetera quidquid
Italicos redolet mores et spirat acumen
Italicum: haud metus est ne posthac paeniteat te.""
Addixi, bene vortat iter duce et auspice fido!"

Mane erat: ad portum se ludicra pompa ferebat:
Praecedit mater portans puerumque trahensque
Scrutorum omne genus quo stridet raedula vilis;
Subsequitur pius Aeneas villosus, at illi
Anchises umerosque premit collumque fatigat.

Iamque iter exactumst, iam gaudet Baetica tellus
Artifice ingenuo cum saltatore iocoso.
Quattuor eque foris unum tamquam optima sedes
Praeplacet: huc igitur confertur curta supellex:
Angulus unus habet cunas, habet angulus unus
Coniugibus lectum satis artum, stat focus illic,
In medio mensast duplex et sella, sed illis
Addidit hic aliquid, longa illinc abstulit aetas.
Ne tamen insidiae fiant, en fidus amicus
Excubias agit ante fores, tam nocte timendus
Quam placidus mitisque, dies dum lumina mittit.

Principio fortuna favet: novus incola risus
Haud frustra captat, mirantur plebsque patresque

Digitized by Google

Quadrupedem artificem: saltatus fistula rauca
Elicit et cantus. Antonius ipse Petrusque
Deliciae populi fiunt. Quod rarior as sit,
Vilius at multo pulmentumst atque polenta;
Mundior inde domus sensim fit, mundior Ipsa,
Mundior et dominus, nitidus magis ecce videtur
Servulus hirsutus. Quin et carruca paratur
Atque asinus, possint ut et oppida, compita, pagi
Et quicumque dies festus celebratur obiri.

O sors, hoc uno constans mutabilis ut sis!
Fracto crure iacet parvi dux ipse theatri
Perque dies, menses, annum nil quaeritur aeris
Eque dolore gravi vixdum surrexit et ecce
Incidit in morbum lecti fidissima custos
Atque invita vacat nunc omnis turba labore.
Attenuantur opes, mercedem poscit iniquam
Quisquis opem tulit et quisquis iuvisse videtur.
Maior at haec curast quod, cum instaurare refectus
Grex opus inceptat, multo spectare videtur
Turba minor. Iamne Antoni Petrique popellus
Immemor esse potest? nova iam nunc ludicra mavult?

Effluxere dies inter curasque metusque.
Accedit foribus vestitu nobilis, ore
Incultus, stupidus, tantum non barbarus hospes.
Intrat et „Antoni" fatur „mihi tristior esse
Es visus solito quoties te ludere vidi.
Nempe dies aliquot, scito, deversor in urbe
Cognitus ante satis; tua tum spectacla frequenter
Me delectabant. Quid rugas contrahit istas?
Debilitasne pedum mordax an cura peculi?
Dives eris, mihi vende istum" ... monstratque ministrum,
Delicias domini. Subito qui fulgurat ore
Atque manus crispat. De lecto desilit uxor
Crebraque per tenuem rimam convicia mittit:
Parvulus in cunis quoque respuere ecce videtur
Tale nefas ... sed lacte caret, matercula maesta est!

Digitized by Google

Hospes abit non iratus septemque diebus
Elapsis venit, en, iterum placidusque ita fatur:
„Non me, crede, minae, non me convicia terrent
Ista, manum cohibe, linguam compesce molestam.
Te novi curasque tuas, miseratus et olim
Veni et nunc venio. Locupletem sacculus hicce
Te reddet, septem nunc insunt milia nummum,
Ante minus. Pretium iam non augebitur. Ergo
Si sapies, cum merce tua cras mane venito".
Addidit hospitii nomen plateam numerumque
Et refugit propere, nam vox iam personat intus
Cognita, sermonis minime praenuntia mollis.

Postera lux oritur; quid factumst interea quod
Illa, ferox olim, non certis passibus atque
Ora rigans lacrimis lente procedit et ipsa
E cavea saltatorem producit amicum?
Quid palpatur ei, quid verbis alloquitur tam
Molliculis ursum? Quid, postquam aptata catena
Est collo inque manum maesti demissa magistri,
Eiulat et mansura domi prorumpit in aedes?
Heu heu quid fiat certumst, sed quî fieri quit?

Fames et longe arrepens est ensis acutus.
Demisso vultu nunc primum Antonius atque
Tantum non manibus vacuis intrarat et „uxor".
Dixerat „occidimus nec spes est ulla salutis;
Deliciae fuimus: dudum felicior alter
Immemoris nunc corda tenet mentesque popelli.
Quae nos sors maneat video: vendenda supellex:
Parte cibi interdum forsan tectoque carendum.
„„Oh de me minus est"" clamabis tu, pia coniunx,
At mater quid ais? Non hercule noster abundat
Parvulus. O miserum, miserum me, sed nisi Petrum..."
Plura dolor prohibet, iam singula verba sequuntur,
Interrupta diu pellunt suspiria somnum...

Ah! miser Antoni, iam non rogitamus euntem

Digitized by Google

Qui dolor incurvet te nec famulum minus ipsum,
Sentit enim non ad solitum sese ire laborem
Nec rediturum ad nota loca. At cur ille sacerdos
Vos sequitur?
Non longum iter est, statque ipse paratus
Ante fores emptor, prior hunc Antonius hisce
Alloquitur verbis: „aurumque tuum et mea vicit
Paupertas miserum me nec tamen hacce beatum
Merce prius faciam pretio quam ius iurandum
Addideris, nam novi ego te, novi et tua quam sit
Impia gens saevo praebens animalia circo.
Iura igitur te non herbis magicove veneno
Debilitaturum hunc ursum, sed pugna sit aequa".
(Mussitat et secum: „sollers sibi consulet ipse").
„Iura per libros sanctos, tibi verba praeibit
Concepta et vel sacrilegis horrenda sacerdos".

Iuratur, pretium persolvitur, ultima dantur
Signa manus vocisque pedisque — et restat uterque
Parte carens meliore sui — sic nempe videtur.

Incustoditas Antonius ut videt aedes,
Eiulat atque intus respondet flebile coniunx.
Inde manu tremula nummos includit in arcam
Invisos, non tacturus nisi cum sibi in arto
Spes omnis fuerit; redit ergo strenuus artes
Ad patrias: crepidasque polit purgatque caminos.
Nec male res cedit; sed enim iam victima Petrus,
Turpiter in pretium quem convertere magistri,
Amborum vexat mentes, rapit atque quietem.
Ergo tota domus raeda componitur una:
Propellunt domini, pandus praecedit anhelans
Adiuvat et baculi metuens non tardus asellus.
Vestigantque Petrum. Iamque est Provincia felix
Ante oculos; mox intrata est urbs amphitheatro
Clara suo. Sed tunc solito celebratior esse
Visast et multo ferventior utpote ludos
Exhibitura novos. Nec quae sit causa latebit

Digitized by Google

Vera diu nostros, nam dum circumspiciunt si
Forte suas reperire queant Antonius atque
Uxor delicias, tabulam quae detinet omnes
Patricios plebemque vident: spectatur in illa
Spectacli effigies promissi: verbaque multa
Commendant variis depicta coloribus illud;
In fine est *rubrica* suo nunc nomine digna
„Denique res nova, pugnabunt nam taurus et ursus
Ambo terribiles pugnaeque avidique cruoris".

Mens orbis urso dominis quae debuit esse
His lectis? miseri indictam vix scilicet horam
Exspectare queunt. Quae cum est audita, videte
Quo studio irrumpant per apertas denique valvas
Ante alios; cunctos nam praevenere... manendo;
Sed capitur, ne sit vestis detrita pudori,
Angulus extremus; vixque observare videntur
Omnia spectandi cupidum quaecumque popellum
Delectant; sed ubi e fovea non prosilit ursus,
Extrahitur nam vix... „ille est" exclamat uterque;
Praeterea sed lictorum populique timore
Spectaclo intenti non audent hiscere quidquam.

Heu quantum Petrus hic nitido distabat ab illo,
Qui quondam tantum spectantem, se quoque visus
Delectare ipsum, populum exhilarare solebat.
Squalidus et tremulus (tot enim splendentia terrent
Lumina et ignotae facies) in parjete solo
Spem, licet haud magnam, sibi credens esse salutis.

Atque hic horrendo mugitu aedes tremuerunt,
Taurus et in scaenam saltu se proicit ingens,
Fulminat atque oculis et caedem naribus efflat
Nec tamen hic primo — caecutit nempe furore —
Ullum animal cernit, cornu quod perdere possit.
Denique in adversae sed scaenae parte tuetur
Nescioquem globulum pullum leviterque quidem sed
Spirantem tamen et gelido terrore trementem.

Digitized by Google

Emicat hic taurus, vires nunc contrahit omnes
In caput inque umeros, in cornua, letiferumque
Se parat ad saltum; subito sed crura priora
Ponit humi lente, lente omnia membra relaxat
Et caput attollit: sensim timor excipit iram.
Nempe globus qui visus erat fit turpis homullus
Turpior et puero, iactis qui saepe lapillis
Stans in macerie taurum vexarat inultus,
Veste licet pulla fuerit villosus et ille.
Ut vero motatque pedes agitatque lacertos
Inque modum corpus librat dextraque videtur
Protenta mendicari, stupor occupat atque
'Attonitus novitate mali qua ianua visa est,
Cornibus hanc frangit fugiens scaenamque relinquit.

Longa quies sequitur, post hic ridetur et illic;
Inde gradus omnes claros misere cachinnos.
„εὖγε" atque „urse" sonat toto resonatque theatro
Et manibus plaudunt omnes et pilea iactant.
At Petrus antiquae caraeque haud immemor artis
Inflectitque caput spectatoresque salutat,
Admovet inde manum labris et basia iactat
Iamque animum firmat, galeam protendit et artum
Per graduum spatium lentus procedit: ab omni
Parte pluit solidis nunc assibus, hic quoque et illic
Argentum in galea lucet, quin lucet et auri
Non nihil. Ut vero pervenit marginem ad ipsum,
Conspicit en veteres dominos et porrigit illis
Vectigal totum, tum frontem apponit utrisque
Pectoribus lambitque manus et gaudia testans
Volvitur ante pedes; hic vox audita: „Quirites,
Ursorum domitor, quem laudat Baetica tellus,
Hic Antonius est, sed paupertate coactus
Hunc pretio magno mihi vendidit, o utinam ne
Emissem stolidus! neque enim irritamina nostra
Aut sitis atque fames potuerunt reddere pugnae
Aptum, mite pecus, puerorum oblectamentum!
Quare si redhibere cupit qui vendidit, ecce

Digitized by Google

Ipse meo quamvis sim pauper in aere, revendam
Tantidem emptam — alui, sed non hoc computo damnum".
„Antoni, da dimidium" clamatur et ipse
Prosilit in medium aedilis, qui cum videt istum
Adnuere invitum, nudat caput atque facetq
Alloquitur spectatores sermone neque illi
Non dicto parent, e censu namque tributum
Solvitur — et superest postquam est merx tradita tantum,
Explicet ut frontem rugosam venditor omni
Accepto pretio: non vult Antonius ullum
„Dedecoris lucrum" (nam sic appellat) habere,
Speque magis sibi iam felix locuplesque videtur.

Praeteriere anni pauci. Nunc adspice parvam
Istam sed lepide structam nitidamque tabernam
Oppiduli Tusci prope portam: multa lagena
Ventre capax, collo tenuis, testatur amari
Civibus hanc cunctis; non mirum: umbracula densa
Promittunt requiem gratam, tum lintea mensas
Alba tegunt omnes et vascula floribus ornant.
Laetus adest caupo curritque ubicumque vocatur
Coniuge cumque suo petasones sedula coniunx
Porrigit hospitibus ridens et vina ministrat.
Sub platano roseus dormit puer — atque reclinat
Cervicem in vetulo pro cervicalibus urso.
Pondere sub caro iucunde dormit et ille:
Somniat horribilem nam se quandoque fuisse
Horribilique magis tauro incussisse timorem.

Digitized by Google

DE THEATRO ANTIQUO.

SCRIPSIT

A. W. BIJVANCK.

I. De theatro Atheniensi.

De theatro qui disputare vult, a theatro Dionysi Atheniensi potissimum initium faciet. Tragoedia enim Athenis orta est et Athenis quoque principia theatri antiqui invenimus.

Theatrum Atheniense excavavit vir cl. Dörpfeld [1]), qui deinde diligentissime de eo disputavit. Qui post hunc de theatro eo scripserunt, pauca quaedam certe melius observaverunt, neque ille quidem qui ultimus theatro Atheniensi operam dedit vir cl. Frickenhaus [2]), quamquam nonnulla haud dubie rectissime animadvertit, omnia, me iudice, ita explanavit, ut ei prorsus assentiri liceat. Minime vero fieri potest, ut omnes quaestiones intricatas, quae ad theatrum Atheniense pertinent, iam dilucidemus. Utique opus est investigatione nova ipsorum theatri ruderum, priusquam rem diiudicemus. Nihilominus res aliquas

---

1) W. Dörpfeld und E. Reisch, Das griechische Theater (Athen 1896), p. 1—96.

2) Vir cl. Frickenhaus, quem amicitiae causa hic nomino, ante annos non multos librum divulgavit (Die altgriechische Bühne, Strassburg 1917; — cf. Antike Bühnenkunst, Bonner Jahrb. 125, 1919, p. 193—210), quo historiam scaenae Graecae enodare conatus est. Liber sagacissimus mihi ansam praebuit disputatiunculae, quae hic illic quodammodo instar relationis est operis illius. — De theatro Atheniensi agit p. 58—65 et 73—76; p. 58 enumerantur qui post virum cl. Dörpfeld de theatro Atheniensi scripserunt, quibus addendum est: Roy C. Flickinger, The Greek theater (Chicago 1918), p. 57—117. — Praeterea hoc loco nominare velim librum utilissimum: Ernst R. Fiechter, Die baugeschichtliche Entwicklung des antiken Theaters (München 1914), de quo libro iudicium iniquissimum tulit C. Robert (Deutsche Literaturzeitung 1915, 1165—1176), cf. tamen quae scripsit H. Thiersch (Gött. Gel. Anz. 1915, p. 141—151). Etiam huic libro multa debeo.

Digitized by Google

nunc in medium proferre velim, quae parvi momenti quidem sunt, sed, si quid video, non plane negligendae.

Ut igitur theatri Dionysi Atheniensis historia ex aedificii misere deleti reliquiis aliquo modo cognoscamus, proficiscendum est ab argumentis quae res litteris traditae suppeditant, a monumentis nonnullis quae cum theatro ipso coniuncta sunt, ab indiciis quae historia tragoediae Atticae praebet.

Tragoedia Attica orta est e cantibus chori, qui saltabat in honorem Dionysi, qui in radicibus meridionalibus Arcis Athenarum colebatur [1]). In templo autem dei duo fana excavationibus nobis innotuerunt, quorum alterum saxa Arcis propius situm artem et modum constructionis saeculi VI exhibet, cum alterum haud dubie recentius saeculo V fere exeunte aedificatum est [2]). Fani utriusque ostium orientem spectat. Fana tamen non prorsus in eandem regionem derecta sunt, ita ut iam cognoscere possimus, quae partes theatri cum alterutro templo coniungendae sint.

De theatro Atheniensi disputanti sic procedere mihi in animo est, ut breviter indicem, quid de unaquaque periodo theatri

---

1) De origine tragoediae nuper scripsit A. Frickenhaus, Arch. Jahrb. 32 (1917), p. 1—15; cf. praeterea: G. Murray, Excursus on the ritual forms preserved in Greek tragedy, in libro qui inscribitur: J. E. Harrison, Themis (Cambridge 1912); F. B. Jevons, Masks and the origin of the Greek drama, Folklore XXVII (1916), p. 171—192. — J. Six (Verh. d. Kon. Akad. te Amsterdam Afd. Letterk. N. R. XIX, 1918, p. 16) libellum viri cl. Frickenhaus laudans suspicatus est chorum tragoedarum, si re vera e Laconia venit, olim ad utricularium cantavisse. Actor tragoediae enim ei videtur dictus esse τραγῳδός, sicut κιθαρῳδός sive αὐλῳδός, cum utriculus nonnumquam, sicut etiam hodie in Calabria, e pelle caprina conficeretur.

2) De templorum aetate et arte constructionis cf. Dörpfeld et Reisch, Das Theater, p. 13—23. — In templo recentiore erat simulacrum Dionysi sculptum ab Alcamene (Pausan. I 20), qui saeculo V exeunte floruit. Antiquissimum videtur esse aedificium nobis conservatum, cuius fundamenta e lapide qui *breccia* dicitur constructa sunt (E. A. Gardner, Ancient Athens, 1902, p. 435). Erechtheum enim, quod post pacem Niciae erectum est, etiam artem constructionis saeculi V medii exhibet. Templum Dionysi recentius igitur aedificatum est post pacem Niciae anni 421 et ante expeditionem Siciliensem (E. Reisch, Eranos Vindebonensis, 1893, p. 7 sqq.) sive potius post bellum Peloponnesiacum et ante mortem Alcamenis (A. Furtwaengler, Sitz. Berichte der bayr. Ak. 1901, p. 412—414). — Scaenae theatri fundamentorum pars altera saeculo V fere exeunte constructa esse videtur non ita multo post templum recentius aedificatum, pars altera demum constructa est, quo tempore Lycurgus archon inter annos 338 et 326 theatrum lapideum faciendum curavit (vide infra: pag. 129 et 130).

Digitized by Google

exploratum habere iam possimus. — Periodi autem septem discernendae mihi videntur.

I. Inter rudera scaenae vir cl. Dörpfeld animadvertit reliquias orchestrae antiquissimae, quae e lapidibus non quadratis calcariis ex ipsius Arcis saxis excisis constructa saeculo VI posterior esse non potest [1]). Orchestra forma rotunda instructa erat, quo loco clivus collis iam lenius declinabat. A parte collis saxa decisa erant [2]) et a parte exteriore murus rotundus exstructus erat, altus 2 sive $2^1/_2$ M., qui opus terrenum sustineret, ut spatium sufficeret orchestrae satis magnae. Spectatores in clivo collis sedentes superne ludos intuebantur. Ea autem orchestra rotunda choro saltanti apta et clivus spectatoribus sedentibus destinatus partes sunt priscae, e quibus aedificium theatri antiqui natum est.

Ea autem orchestra saeculo VI choro satyrorum, qui in honorem Dionysi saltabant, instructa videtur esse. Neque in orchestra ullo apparatu opus erat nisi podio humili musicis destinato, qui cantibus chori concinebant. Quo podio postea actores quoque utebantur, ubi versus suos recitarent. Atque etiam in eadem orchestra tragoediae fere omnes Aeschyli et antiquissimae Sophoclis fabulae actae sunt [3]). Tragoediae Aeschyli certe, quae inscribuntur Supplices Persae Septem, nobis conservatae in orchestra ea agi poterant tanto podio instructo, ut et actoribus et choreutis 50 [4]) sufficeret [5]). In tragoediis podium significabat altare magnum sive tumulum sive etiam arcem

---

1) De orchestra saeculi VI vide: Dörpfeld et Reisch, Das Theater, p. 26—28; in tabulis reliquiae littera R designantur; — F. Noack, Σκηνὴ τραγική (Tübingen 1915), p. 2—3; Frickenhaus, Die Bühne, p. 73. 83—87, fig. 24 et 25; imagines utilissimas praebet Flickinger, The Greek theater, fig. 33 et 34.

2) W. Dörpfeld, Wochenschrift f. kl. Philol. 1917, 171.

3) U. v. Wilamowitz, Die Bühne des Aischylos, Hermes XXI (1886), p. 597—622; Aischylos Interpretationen (Berlin 1914), praecipue p. 6 et 9—10; C. Robert, Hermes XXXI (1896), p. 550.

4) Pollux IV 110; cf. v. Wilamowitz, Aischylos Interpretationen, p. 4.

5) Eodem modo haud dubie actae sunt tragoediae Niobe Aeschyli et Nausicaa Sophoclis (Robert, Gött. Gel. Anz. 1897, p. 29) et fortasse etiam Indagatores Sophoclis (v. Wilamowitz, Neue Jahrb. 1912, p. 449 sqq., alia tamen opinio est virorum cl. C. W. Vollgraff, Mnemos. XLII, 1914, p. 86 et E. Bethe, Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss. 71, 1919, p. 17).

Digitized by Google

urbis [1]). Pars erat orchestrae altior facta, ut poeta fabulam docens turmam mimorum variis modis disponere posset. Choreutae vero plerumque orchestra utebantur saltantes et in orchestram quoque inducebantur pompae, quibus tragoedia antiqua delectabatur [2]).

II. Alio apparatu tamen Orestia Aeschyli acta est. In orchestra enim ex adverso spectatoribus scaena instructa erat, quae regiam sive templum deorum representabat [3]). — Quo anno autem scaena prima aedificata sit, intelligere aliquatenus possumus. Fabulis enim, quae Persae inscribuntur et Septem, annis 472 et 467 actis, scaena opus non erat tali, qualis in Orestia, anno 458 acta, deesse non poterat. Igitur inter annos 467 et 458 novum genus theatri videtur institutum esse, tum cum et aliae res in theatro mutatae sunt. Choreutarum enim numerus imminutus est [4]) et pro duobus actoribus tragoediae antiquioris Orestia iam tres requirebat. Quo facto manifestum est partes actorum augeri, cum chorus iam minoris momenti fieret. Etiam clivus, quo spectatores sedentes utebantur, tunc temporis emendatus est [5]).

Etiam orchestra eadem non permanebat, nam scaena cum orchestra illa magna saeculi VI formae rotundae nullo modo coniungi poterat. Neque enim in orchestra scaena posita erat [6]), —

---

1) Nomen podii antiquum fuisse *θυμέλη* suspicatus est vir cl. Frickenhaus (Die Bühne, p. 86).

2) Podium magnum haud dubie exstructum erat in parte orchestrae a spectatoribus remota, cum chorus ante podium saltaret, ita tamen ut actores podium circumstare possent, sicut factum est in Supplicibus Aeschyli.

3) De scaena saeculi V cf. Noack, *Σκηνὴ τραγική*, cui tamen in multis rebus assentiri non possum, cf. etiam E. Bethe, Berichte d. sächs. Ges. d. W. phil. Kl. 70 (1918), p. 20; Frickenhaus, Die Bühne, p. 71—83, fig. 24 et 26.

4) De numero choreutarum cf. A. E. Haigh, The Attic theatre, 3d ed. (Oxford 1907), p. 288—290. In Orestia adsunt 12 choreutae (cf. Agamemnon 1344—1371; Wilamowitz, Interpretationen p. 175), quem numerum Sophocles auxisse videtur, ut 15 fierent (Suidas s. v. Sophocles).

5) Dörpfeld et Reisch, Das Theater, p. 31.

6) Haec erat opinio virorum cl. C. Robert (Hermes XXXI, 1896, p. 546, et XXXII, 1897, p. 423) et F. Noack (*Σκηνὴ τραγική*, p. 6), contra quem scripsit vir cl. W. Dörpfeld (Deutsche Literaturzeitung 1916, 1787; Wochenschrift für kl. Philol. 1917, p. 197).

Digitized by Google

quod si factum esset et orchestra saeculi VI et orchestra saeculi IV formam rotundam exhibuissent, cum orchestra saeculi V circulo minor fuisset —, neque extra orchestram scaenae spatium erat [1]), cum eo loco substructiones scaenae maiores fuissent. Suspicari igitur possumus inter annos 467 et 458 orchestram quoque novam in theatro instructam esse. Atque nobis praesto sunt reliquiae muri, qui ex lapidibus calcariis non quadratis exstructus in eandem regionem atque templum antiquius est derectus [2]). Artem autem saeculi V murus ille exhibet, quem igitur nullo modo cum orchestra saeculi VI coniungere licet [3]). Immo vero anno fere 460 exstructus videtur esse, ut opus terrenum sustineret areae, in qua orchestra nova oreretur. Quo muro aedificato orchestra antiqua rotunda est abolita. Murus novus enim saxis Arcis propior trans aream orchestrae rotundae ducebatur et pro area rotunda antiquiore area in longitudinem et latitudinem patens facta est, quae et orchestrae novae sed minori et scaenae construendae spatium praeberet [4]). Solum orchestrae in eadem altitudine permansit [5]).

Quae autem forma fuerit scaenae illius antiquissimae, suspicari tantum possumus. Scaenam primam Agatharchus Aeschylo fecit et de ea commentarium reliquit [6]). Alii scaenographiam a Sophocle inventam esse perhibent [7]). Scaena nimirum lignea erat, sicut etiam temporibus Xenophontis et Platonis [8]). Nonnulla tamen indicia fabulae nobis praebent neque valde diversa videtur fuisse scaena, quae postea mansura Athenis e lapidibus est constructa [9]). Hoc tamen manifestum est formam scaenae

1) Haec erat opinio viri cl. Dörpfeld (Das griechische Theater, p. 55 et 372).

2) Murus littera D in formis viri cl. Dörpfeld significatur (Das griechische Theater, p. 26 et 28).

3) Haec erat opinio viri cl. Noack (Σκηνὴ τραγική, p. 5), contra quem iam scripsit vir cl. Frickenhaus (Die griechische Bühne, p. 73).

4) Formam orchestrae novae proposuit vir cl. Frickenhaus (Die Bühne, fig. 26), cui tamen omni ex parte assentiri non possum, quia cum orchestra ea coniunxit caveam, quae saeculo V exeunte demum orta videtur esse (cf. infra p. 128).

5) C. Robert, Hermes XXXII (1897), p. 422; Frickenhaus, Die Bühne, p. 76.

6) Vitruvius VII praef. 11. — De re cf. Frickenhaus, Die griechische Bühne, p. 71.

7) Aristoteles, Poetica 4, p. 1449a, 17.

8) Xenophon, Cyrop. VI 1, 54; Plato, Leges VII 817 c.

9) De scaena saeculi V scripsit vir cl. Frickenhaus, Die griechische Bühne, p. 76—83, cui tamen omni ex parte assentiri non possum.

Digitized by Google

ita fuisse, ut parvo apparatu ornatuque diversa aedificia significare posset. Nam et variis tragoediis eiusdem poetae apta esse debebat et tragoediis aemulorum ipsius. Fortasse igitur iam frons scaenae aperta erat fenestris ostiisve magnis, inter se columellis tenuibus separatis, quae Graece θυρώματα vocabantur [1]), quaeque tabulis pictis vel apparatu quodam claudi poterant [2]). Haec est forma frontis scaenae aetatis Hellenisticae, cuius reliquiae Ephesi Prienae Oropi inventae sunt [3]). Quam formam architecti vix invenissent constructione lapidea, cum e constructione lignea optime oriri posset.

Fortasse scaenam saeculi V nobis fingere possumus constructionem satis longam alis praeditam. Actores autem praecipue ante scaenam ipsam, quae et gestibus et voci ipsorum favere posset, et inter alas agebant. Qui locus iam aetate Aeschyli paulo altior orchestra fuisse videtur [4]), ita tamen, ut pulpitum illud ante scaenam situm semper cum orchestra coniunctum esset. Hoc modo autem scaena circa podium antiquum fabularum vetustiorum exstructa esse videtur.

III. Saeculo V exeunte templum novum in honorem Dionysi est aedificatum, in quo simulacrum Dei ab Alcamene sculptum erat. Neque potest fieri, quin eodem tempore immutaverint aream scaenae, cum murus, qui aream sustinebat, in eandem

---

1) In inscriptione Oropi inventa, Dörpfeld et Reisch, Das Theater, p. 102; I.G. VII 423.

2) Vollgraff, Mnemos. XLII (1914), p. 86.

3) Vide infra p. 133 et 142.

4) Wilamowitz, Aischylos Interpretationen, praecipue p. 175. 177. 180. — De quaestione ea egerunt: O. Navarre, Dionysos (Paris 1895), p. 109; A. E. Haigh, Classical Review 1898, p. 9 sqq.; The Attic theatre, p. 118—120 et 165—174; A. Müller, Untersuchungen zu den Bühnenalterthümern, Philologus Suppl. Bd VII (1899), p. 6 sqq. — E. Bethe (Prolegomena zur Geschichte des Theaters, Leipzig 1896, p. 204—229 et apud Gercke et Norden, Einleitung in die Altertumswissenschaft I, ed. 2a, 1912, p. 304) probare conatus est anno demum fere 427 pulpitum humile instructum esse. A. Frickenhaus (Die Bühne, p. 83) eiusmodi pulpitum humile ante scaenam umquam adfuisse negat. Philologi tamen plerique e tragoediis argumenta petentes pulpitum flagitant atque, sicut mox (p. 131) probare conabor ante scaenam Athenis saeculo IV exeunte aedificatam pulpitum humile videtur fuisse. Fabularum verum auctoritas omnium maxima est.

Digitized by Google

regionem derectus esset atque templum antiquius [1]). Atque murus, qui etiam nunc aream orchestrae sustinet, secundum templum recentius est derectus. Plerumque tamen perhibent hunc murum exstructum esse saeculo IV, temporibus Lycurgi archontis, quem theatrum perpetuum confecisse scimus. Neque tamen desunt indicia, quae demonstrare videantur, inter scaenae rudera fundamenta quoque esse conservata saeculo V exeunti tribuenda.

In alia parte theatri saltem adsunt rudera scaena Lycurgi haud dubie vetustiora. Muri, qui frontem caveae Lycurgo antiquioris sustinebat [2]), fundamenta dico, quae in parodis iacent theatri posterioris ante frontem caveae Lycurgi. Fundamenta autem illa artem et modum constructionis exhibent recentiorem arte modoque muri, quem supra memoravimus, qui aream scaenae antiquissimae sustinebat. Saeculo V igitur exeunte fere fundamenta ea constructa videntur esse. Atque si rudera varia caveae inter se coniunguntur, apparet ea in eandem regionem esse derecta atque templum recentius [3]). Cum cavea autem ea construeretur, nimirum murus saeculi V ineuntis, qui secundum templum antiquius derectus aream orchestrae sustinebat, renovandus erat. Saeculo V exeunte igitur et templum recentius et cavea et murus, qui aream orchestrae scaenaeque sustinebat, constructa sunt [4]).

Neque quisquam miretur frontem caveae postea, cum theatrum quod Lycurgi dicunt aedificaretur, propius ad saxa Arcis esse retractam, ita ut cavea posterior minor fieret. Inter frontem caveae enim saeculi V exeuntis et murum aream scaenae sustinentem spatium non sufficeret talis scaenae, qualis saeculo IV exstructae fundamenta nobis adhuc conservata sunt.

---

1) Sic rectissime observavit A. Furtwaengler, Sitzungsber. der bayr. Ak. phil. Cl. 1901 p. 411—416, cui sine iusta causa obloeutus est W. Judeich, Topographie von Athen (München 1905), p. 279, n. 6.

2) Fundamenta in tabulis viri cl. Dörpfeld litteris C—C et W significantur. — O. Puchstein, Die griechische Bühne (Berlin 1901), p. 138; Dörpfeld apud Noack, Athen. Mitt. XXXII (1907), p. 495, n. 1; Frickenhaus, Die Bühne p. 74, fig. 26.

3) Minime igitur viro cl. Frickenhaus assentiri possum, qui caveam cum muro saeculi V ineuntis coniungere vult.

4) Cum cavea saeculi V coniungendae videntur esse inscriptiones IG. I 155 b et 499.

Digitized by Google

Quae fundamenta caveae saeculi IV prope ad caveam saeculi V exeuntis pertinent, ita ut nullum spatium parodis relictum fuisset.

Atque scaenae, quae vulgo aetati Lycurgi archontis tribui solent, partes quasdam saeculo V exstructas esse iam supra observavimus [1]). Rudera scaenae tamen tam misere sunt deleta, ut dubitare non possimus, quin numquam omnia explorata habituri simus. Vix quidquam nobis conservatum est nisi fundamenta. Neque scaenae, quae saeculo V exstructa esset, quidquam nisi fundamenta umquam exstiterunt. Scaena ipsa enim etiam temporibus Xenophontis et Platonis, quorum testimonia supra laudavimus, in tempus erat exstructa haud dubie trabibus ligneis.

Trabes autem illae scaenae exstruendae fortasse ponebantur in foraminibus, qualia adhuc in fundamentis aspicimus [2]). Quae foramina in muro sunt, qui cohaeret cum muro aream scaenae sustinente [3]). Eodem tempore igitur murus uterque constructus sit, necesse est. At murus, qui foramina continet, haud dubie scaena lapidea est antiquior. Foramina enim nulli rei serviebant scaena lapidea aedificata, cum coniuncta fere sint cum ipso scaenae pariete posteriore, ita ut tecto construendo utilia esse non possent [4]). Novum igitur argumentum invenimus, quod probat saeculo V exeunte murum exstructum esse, qui aream scaenae sustineret. In muro illo autem postea paries posterior porticus surrexit, quae cum scaena saeculi IV cohaerere videtur [5]).

Quo tempore autem foramina scaenae ligneae construendae serviebant, solum scaenae orchestra altius fuisse videtur. Fora-

1) Furtwängler, Sitz. Ber. d. bayr. Ak. 1901, p. 411—416; Fiechter, Die baugesch. Entw. d. Theaters, p. 11. — Oblocuti sunt F. Noack, Athen. Mitt. XXXII (1907), p. 495, n. 1; Frickenhaus, Die Bühne, p. 63, n. 42.

2) Dörpfeld et Reisch, Das Theater, p. 61; Arch. Jahrb. XXIV (1909), p. 224; Bethe, Gött. Gel. Anz. 1897, p. 717; Versakis, Arch. Jahrb. XXIV (1909), p. 223; Frickenhaus, Die Bühne, p. 59.

3) Petersen, Arch. Jahrb. XXIII (1908), p. 44.

4) Haec est opinio viri cl. Frickenhaus (Die Bühne, p. 59 et 92), qui eiusmodi foramina etiam in theatris Oropi et Elidis adfuisse observavit. Foramina tamen scaenae Elidis (Walter, Oesterr. Jahresh. XVII, 1915, Beiblatt, 68—73, et Frickenhaus, Die Bühne, fig. 9 a et b), quae unica foramina in utraque parte exhibet, iam suspicioni ipsius repugnant. Potius conferenda sunt foramina scaenae Pergamenae, ubi scaena lapidea construi non poterat.

5) Dörpfeld, Das Theater p. 12 et 37; Noack, Σκηνὴ τραγική, p. 1.

Digitized by Google

mina enim nonnulla, quae adfuerint necesse est, iam non inveniuntur, cum pars altior muri, quae foramina illa continebat, deleta sit, tum cum solum scaenae orchestra est aequatum [1]).

Alia fundamenta lata scaenae iam quadam ex parte saeculo V exstructa esse verisimile non est [2]), cum fundamenta illa pertinerent fere usque ad ipsa fundamenta caveae saeculi V, quam supra memoravimus, neque constructioni ligneae apta esse videantur. Quae tamen adsunt fundamenta mansura scaenae saeculi V exeuntis aliquo modo cohaerere cum iis, quae nova in tragoediis eiusdem aetatis observare possumus, fortasse suspicari licet. Quamquam enim nullo modo assentiri velim viro cl. Bethe [3]), qui in tragoediis Atticis inde ab anno 427 actis vestigia logei pulpito Romano posteriori similis invenisse sibi visus est, tamen nemo dubitare poterit, quin tragoediae saeculi V exeuntis actae sint maiore apparatu machinisque ingeniosis, quae fundamenta maiora et solidiora scaenae postulabant.

IV. Manifestum est inter se cohaerere fundamenta lata e lapide, qui vulgo *breccia* dicitur, constructa, quae spatium longum et angustum ipsius scaenae amplectuntur et alas duas, quae in orchestrae partes proiciuntur vulgoque parascaenia vocantur. Post scaenam autem porticus erat eodem tempore aedificata. Neque dubitare possumus, quin omnia fundamenta ea aedificii fuerint constituti, tum cum Lycurgus archon inter annos 338 et 326 theatrum mansurum faciendum curavit [4]).

Ante scaenam et inter alas, quae parascaenia dicuntur, solum

---

1) Vide Frickenhaus, Die Bühne p. 59.

2) Haec opinio esse videtur viri cl. Fiechter, Die baugesch. Entw. d. Theaters, p. 11.

3) E. Bethe, Prolegomena z. Gesch. d. Theaters, p. 100—229; Einl. in die Altertumswiss. I (1912), p. 304—305; cf. Frickenhaus, Die Bühne, p. 78.

4) De theatro saec. IV: Dörpfeld et Reisch, Das Theater, p. 36—73. — De scaena Lycurgi: Frickenhaus, Die Bühne, p. 58—70, fig. 22 et 27. tab. II et III. — Porticus, quae post scaenam sita utique cum ipsa est coniungenda, artem constructionis saeculi IV exhibet (Dörpfeld et Reisch, Das Theater, p. 12 et 37). — Eodem modo autem atque scaena Lycurgi etiam porta, quae Dipylon dicitur, constructa est. Quam portam quoque aetate Lycurgi archontis esse aedificatam vir cl. Noack (Athen. Mitt. XXXII, 1907, p. 494—495) probare conatus est.

Digitized by Google

excavatum est saxis remotis, ita ut fovea nasceretur [1]), quam saeculo IV effossam esse fragmenta vasorum pictorum testantur [2]). Saeculo II tamen, cum proscaenium Hellenisticum quod dicitur, de quo mox acturi sumus, exstrueretur, fovea iam expleta erat, ut orchestrae regio pertineret usque ad proscaenium, cuius fundamenta in fovea posita erant.

Fovea igitur cum scaena Lycurgi cohaereat necesse est. Atque vir cl. Frickenhaus [3]) suspicatus est super foveam trabibus magnis, quae in fundamentis scaenae positae essent, constructum esse pulpitum scaenae Lycurgi, ubi imprimis histriones agerent, ligneum, ut vox adiuvaretur, neque solo ipsius orchestrae altius; et idem putat fundamenta scaenae tam lata fuisse, ut trabes in eis ponerentur.

Huic opinioni tamen assentiri non in omnibus rebus possum. Fundamenta enim in omnibus partibus aedificii tam lata sunt neque igitur hoc consilio constructa erant, ut tectum foveae iis niteretur. Atque fovea ipsa mihi maior videtur, quam ut tantummodo voci adiuvandae inservierit. Potius machinarum causa orta erat, ut opifices sub pulpito agerent et machinas administrarent, necnon ut actores quoque ex ima parte in altum surgerent. Quae cum ita sint, fieri vix potest, quin pulpitum sive tectum foveae orchestra altius esset. Neque video, quomodo tandem trabibus in fundamentis positis, quae etiam tabulis tegerentur, tectum foveae orchestra altius non esset. Ut fovea tegeretur, semper igitur opus erat pulpito quodam ante scaenam sito, quod tamen numquam tam altum erat, ut non actores ex orchestra paucis gradibus in ipsum ascendere possent. Atque scaena speciem architectonicam haud dubie meliorem habet, si spatium inter parascaenia quae dicuntur situm non aeque planum est atque orchestra. Hoc modo autem scaena Lycurgi podium scaenae classicae etiam conservavisse videtur.

Neque ipsa rudera scaenae huic restitutioni repugnant. In

---

1) Dörpfeld et Reisch, Das Theater, p. 76 cf. 57, tab. I. III. V; C. Robert, Hermes XXXII (1897), p. 422; E. Bethe, Gött. Gel. Anz. 1897, p. 719; Frickenhaus, Die Bühne, p. 61. fig. 21 et 22.

2) Bethe, Gött. Gel. Anz. 1897, p. 719.

3) Frickenhaus, Die Bühne, p. 61—62.

Digitized by Google

scaena ipsa enim numquam discere poterimus, qua altitudine solum fuerit aetate Lycurgi, cum solum saeculo II proscaenio Hellenistico quod dicitur exstructo orchestrae adaequatum sit et denuo pulpito Phaedri in periodo ultima theatri aedificato exaggeratum [1]). Neque quidquam probare possunt ostia in parietibus conclavium ad latus scaenae sita [2]), quae in parodos educebantur, cum nullo modo pro certo habere possimus conclavia eodem solo fuisse, atque scaena ipsa erat, et ostia nimirum altiore solo quam parodi esse non possent.

Aliud etiam argumentum nobis parascaenia quae dicuntur praebent. Frontes parascaeniorum scaenae Licurgi iam ornata erant columnis sex, quae postea proscaenio Hellenistico exstructo propius ad scaenam erectae sunt, ita tamen ut architecti et columnis et epistyliis et stylobata denuo constructioni novae uterentur [3]). Hoc modo autem apparet non columnas tantum in alium locum esse translatas, sed hanc partem aedificii totam esse renovatam. Si enim columnae olim eodem solo quo postea erectae essent, multo facilius ex stylobata prisco transponi potuissent in stylobatam novum. Suspicari igitur velim columnas olim non in eadem altitudine stetisse qua orchestra erat. Parascaenia potius antea altiora fuerint, ita ut illorum fundamenta, quae tam lata esse iam saepius mirabantur archaeologi, initio non stylobatae tantum et columnis sed constructioni multo maiori servirent. Stylobata columnarum igitur eodem solo fuisse videtur, quo pulpitum scaenae erat. Atque hoc modo apparet multas res, quae antea perspicuae non erant, pulpito humili inter parascaenia restituto iam melius enodari posse [4]).

---

1) Sicut iam observavit vir cl. Bethe (Gött. Gel. Anz. 1897, p. 719); cf. Dörpfeld et Reisch, Das Theater, tab. V.

2) Conclavia in tabula III, quam proposuit vir cl. Dörpfeld, littera S significantur; cf. Frickenhaus, Die Bühne, p. 62 et fig. 27.

3) Dörpfeld et Reisch, Das Theater, p. 68; Fiechter, Die baugesch. Entw. des Theaters, p. 6, fig. 11 et 12.

4) Eandem fere speciem scaena theatri Eretriae antiquissima exhibuisse videtur. Cuius theatri indolem tamen vix cognoscere possumus, cum nesciamus, qua altitudine fuerit et orchestra theatri antiquissimi et solum scaenae. — Scaenam priscam theatri Eretriae vir cl. Frickenhaus (Die Bühne, p. 43 et 62. fig. 14) pulpito alto restituere conatus est, observavit enim fieri non posse, ut ante scaenam ipsam inter parascaenia actores agerent, cum conclavia in ima parte scaenae inter se

Digitized by Google

Formam scaenae Licurgi quae dicitur et vir cl. Fiechter [1]) et vir cl. Frickenhaus [2]) restituere conati sunt. Quorum tamen vir cl. Fiechter mihi proxime ad verum accessisse videtur, dummodo columnae, quas supra memoravimus, in fronte parascaeniorum loco excelsiore adspiciantur. Et propter pulpitum humile, quod iam ante scaenam antiquissimam adfuisse pro certo habere velim, et propter frontem scaenae, cuius intercolumnia Graeci θυρώματα dicunt (quod supra vidimus), mihi quae ille proposuit verisimiliora videntur. Praeterea tamen etiam tabulatio altior vel θεολογεῖον adfuerit necesse est.

V. Saeculo II [3]) e theatro Attico tragoediis classicis apto, pulpito humili ornato, ita ut actores in pulpito stantes et chorus in orchestra saltans inter se agere possent, factum est theatrum Graecum, quale Vitruvius [4]) describit, logeo alto insigne, quod cum orchestra coniunctum non erat [5]). Quam ob rem et parascaenia abolita sunt et pulpitum humile, cum etiam fovea impleretur, quae sub pulpito inter parascaenia erat. Paries enim columnis ornatus ante scaenam a parte spectatorum aedificatus est, qui tecto cum scaena erat coniunctus. Hoc modo proscaenium quod vulgo dicunt ortum est et in tecto, quod parietem eum cum scaena coniungebat, ut in pulpito alto sive logeo, histriones agebant, cum ex tabulatione altiore scaenae in logeum exirent. In pariete autem fores erant et sub logeo ex scaena orchestram intrare poterant artifices, qui ibi agerent.

Parascaenia quae dicuntur, sicut iam supra commemoravimus, hoc modo restituta sunt, ut eorum frons iisdem columnis ornaretur, quae tamen propius ad scaenam positae sunt et

---

foribus iunctae non essent. Fortasse tamen etiam ante scaenam Eretriae pulpitum humile fuit, ita ut in scaena ipsa quoque solum altius erat orchestra. Fores igitur, quae in fundamentis conservatis non apparent, fuisse videntur in parte superiore parietum, qui lateribus erant constructae.

1) Frickenhaus, Die Bühne, Tab. II et III.

2) Fiechter, Die baugesch. Entwicklung des Theaters, fig. 63.

3) De tempore vide infra: p. 148.

4) Vitruvius V 7.

5) Dörpfeld et Reisch, Das Theater, p. 73—82; Frickenhaus, Die Bühne, p. 43. fig. 15 et 21.

Digitized by Google

eadem altitudine qua orchestra est, ita ut tectum parascaeniorum cum tecto proscaenii sive logeo coniunctum esset.

Eodem tempore etiam solum scaenae ipsius mutatum sit necesse est. Antea enim solum scaenae eadem altitudine fuisse, qua pulpitum humile erat, supra probare conati sumus.

De aetate autem proscaenii, quod Hellenisticum diximus, minime archaeologi consentiunt. Vir cl. Puchstein [1]) enim perhibet et proscaenium et parascaenia minora iam aetate Lycurgi esse constructa. Quod fieri tamen non potest, cum columnae parascaeniorum, quae artem saeculi IV exhibent [2]), iam ante parascaenia parva aedificata alio loco steterint. Parascaenia parva igitur saeculo IV recentiora sint necesse est. — Vir cl. Petersen [3]) contra credit et proscaenium et parascaenia maiora saeculo IV esse constructa. Hoc modo tamen logeum formam tam inusitatam exhibuisset, ut huic opinioni nullo modo assentiri possimus. — Alia denique est opinio architecti Versakis [4]), qui suspicatus est proscaenium aetate Neronis esse constructum. At vir cl. Dörpfeld [5]) iam observavit fundamenta proscaenii, quae in terra iacent foveam, quam supra memoravimus, implente, sic esse confecta, ut hoc modo aetate Romana fieri non possent.

Vix tamen haec omnia umquam explorata habere poterimus, nisi deinceps ruderibus investigatis et lapides sublevantur, ut indicia quaedam nova obtineamus. At fortasse iam sufficit auctoritas viri cl. Dörpfeld [6]), qui e notis in lapidibus stylobatae efficiebat et proscaenium et parascaenia minora aetate Hellenistica esse constructa.

Forma scaenae et logei mihi scaenae Ephesi et scaenae Elidis posteriori fere similis fuisse videtur, quibus scaenis eadem

---

1) Puchstein, Die Bühne, p. 100—105. 137. — Vir cl. Puchstein suspicari videtur etiam saeculo V tragoedias in logeo alto esse actas. Huic opinioni utique repugnant tragoediae antiquissimae, in quibus chorus cantibus et saltationibus maximas partes agebat.

2) Fiechter, Die baugesch. Entw. d. Theaters, p. 11.

3) E. Petersen, Arch. Jahrb. XXIII (1908), p. 33—44.

4) Fr. Versakis, Arch. Jahrb. XXIV (1909), p. 194—224.

5) Dörpfeld, Arch. Jahrb. XXIV (1909), p. 224—226.

6) Dörpfeld, l. l., cui assentitus est vir cl. Fiechter (Die baugesch. Entw. d. Theaters, p. 13).

Digitized by Google

fere aetate natis infra operam dare conabimur. Nam Athenis quoque logeum longum ortum est, quod scaenae frontem totam tegebat [1]). Neque diversa erat scaena Piraei, ubi theatrum ad exemplum theatri Atheniensis est constructum [2]).

VI. Aetate Neronis scaena denuo est immutata. Logeum latius factum est, cum et priorem parietem proscaenii in orchestrae partes promoverunt et frontem scaenae fundamentis novis iactis paulo retraherent [3]). E logeo angusto Graeco igitur pulpitum Romanum latum ortum est. Utrum tamen iam aedificatum sit pulpitum humile theatri Romani iusti, quale Vitruvius [4]) describit, annon, nescimus [5]). Eodem tempore nova scaenae frons columnis ornata fundamentis latioribus iactis est exstructa.

VII. Aetate Phaedri archontis denique, fere saeculo III aevi nostri, pulpitum scaenae abolitum videtur et pulpitum humile ortum est, cuius frons sculpturis ornatum usque ad hunc diem in orchestra stat [6]). Tunc scalis ex pulpito in orchestram descendendi copia erat. Neque fieri potest, quin eodem tempore scaena tota sit renovata. Quae res quomodo facta sit, suspicari tantum possumus.

Historia autem theatri Atheniensis perlustrata invenimus

---

1) Alio modo vir cl. Frickenhaus (Die Bühne, fig. 15) scaenam restituebat.

2) Dörpfeld et Reisch, Das Theater, p. 97—100; Frickenhaus, Die Bühne, p. 43. fig. 16; cf. infra p. 148.

3) Prienae e logeo Graeco pulpitum Romanum factum est, cum frontem scaenae retraherent, et Ephesi, cum priorem parietem proscaenii promoverent. Athenis tamen utroque modo pulpitum amplificare studuerunt. — Dörpfeld et Reisch, Das Theater, p. 82—94; Athen. Mitt. XXII (1897), p. 459; XXIII (1898), p. 330. 347. — Fiechter (Die baugesch. Entw. des Theaters, p. 14 et 89) suspicari videtur scaenae frontem tantum esse immutatam. Hoc modo tamen spatium logeo novo non sufficeret.

4) Vitruvius V 6.

5) Vir cl. Dörpfeld primo censebat pulpitum humile iam temporibus Neronis esse aedificatum, postea vero existimabat eiusmodi pulpitum temporibus Phaedri archontis demum esse factum, quam opinionem etiam vir cl. Fiechter secutus est. Mihi tamen verisimilius esse videtur pulpitum Romanum iam aetate Neronis esse introductum.

6) Dörpfeld et Reisch, Das Theater, p. 94—95.

Digitized by Google

primum in theatro adfuisse orchestram rotundam, in qua podium tantum aderat. Paulo ante annum 458 prope orchestram scaena antiquissima constructa est, quo tempore orchestra quoque imminuebatur. Saeculo V exeunte aede nova in templo Dionysi aedificata area scaenae immutata est et etiam fundamenta lapidea instructa sunt, quae scaenae construendae servirent. Saeculo IV scaena tota lapidea est erecta neque tamen forma scaenae eius perpetuae diversa videtur fuisse a scaenis superioribus subitariis. At saeculo II ante scaenam constructum est proscaenium, quod dicitur, ita ut logeum altum et angustum oreretur, quale Vitruvius commemorat theatrum Graecum describens. Aetate Neronis logeum amplificatum esse videtur et scaenae frons columnis ornata est. Saeculo III aevi nostri denique, vel iam antea, pulpitum humile et latum est constructum, sicut erat in theatro Romano, quod dicit Vitruvius [1]).

Haec autem quaestio proponitur: qui fieri potest, ut in theatro Atheniensi e pulpito humili orchestrae coniuncto nasceretur logeum altum, quod cum orchestra non cohaerebat; quomodo ortum est theatrum Romanum denuo pulpito humili praeditum?

II. De theatro Graeco.

Quae origo erat theatri Graeci, quod Vitruvius describit, logeo alto et angusto instructi, in quo logeo histriones partes agebant, cum reliqui artifices in orchestra saltarent cantarentque?

Vir cl. W. Dörpfeld, de theatri antiqui historia excavationibus studiis libris libellisque omnium hominum qui nunc sunt optime meritus, quaestionem propositam solvere conatus est [2]).

1) Vitruvius V 6 et 7.

2 Vir cl. Dörpfeld opinionem suam proposuit in libro qui inscribitur: W. Dörpfeld et E. Reisch, Das griechische Theater, praesertim p. 341—365. Mox quidem negare non potuit in theatris Graecis posterioribus magnis Asiae Minoris actores in logeo scaenae prodiisse (Das griechische Theater Vitruvs, Athenische Mitt. XXII, 1897, p. 439—462 et XXIII, 1898, p. 326—356), semper tamen perseveravit actores in theatro Graeco aetatis Hellenisticae non in logeo sed in orchestra ante frontem proscaenii egisse (cf. quae scripsit de libro viri cl. Puchstein infra laudato: Die griechische Bühne, Athen. Mitt. XXVIII, 1903, p. 383—436 et Archaeol.

Digitized by Google

Ratus enim tragoediam classicam totam in orchestra esse actam [1]), in qua ne minimum quidem pulpitum adesset [2]), suspicatus est actores non in pulpito scaenae, quod Vitruvius logeum dicit, prodiisse sed in orchestra ante parietem priorem proscaenii, cum logeum sive tectum proscaenii in tragoediis tantum deis serviret, ut theologeum, et oratoribus. Scaena igitur theatri Graeci, quale a Vitruvio describitur, profecta esset e scaena theatri classici Atheniensis, quae ne ipsa quidem loco excelso deis destinato carere poterat.

Qui tamen intuetur scaenas theatrorum Graecorum, quales nunc post res novas inventas fere restitui possunt, ut scaenas Ephesi et Oropi [3]), negare non iam poterit opinionem viri cl. Dörpfeld falsam esse. Haud dubie enim actoribus locus erat destinatus in ea parte scaenae, quae apparatu ornatuque gestus ipsorum optime illustraret. Quod tamen minime fieret in orchestra ante columnas proscaenii, quae propter exiguam mensuram in fronte scaenae tam latae et altae parvi momenti viderentur esse. Multo insignior contra locus erat in tecto proscaenii, quod

---

Anzeiger 1913, 37—42 et 1915, 97—105). — Cum viro cl. Dörpfeld stant et alii et vir cl. F. Noack (Das Proskenion in der Theaterfrage, Philologus LVIII, 1899, p. 1—24), contra cum tamen scripserunt et philologi, ut E. Bethe (Gött. Gel. Anz. 1897, p. 704—728, Hermes XXXIII, 1898, p. 313—323), A. Müller (Philologus Suppl. VII, 1899, p. 1—116), A. E. Haigh (The Attic theater, 3d ed., Oxford 1907, p. 145—165) et archaeologi ut O. Puchstein (Die griechische Bühne), H. Thiersch (Gött. Gel. Anz. 1915, p. 129—153), A. Frickenhaus (Die Altgriechische Bühne) et architecti, ut A. Streit (Das Theater, Wien 1903), Ed. Moritz (Das antike Theater und die modernen Reformbestrebungen im Theaterbau, Diss. Karlsruhe 1910), E. R. Fiechter (Die baugesch. Entw. des Theaters). — De tota quaestione optime egit O. Navarre, Dict. d. ant. V (1913), p. 195—197.

1) Antea pro certo habebant etiam tragoedias classicas actas esse in theatro tali, quale Vitruvius describit. Cum tamen nemo dubitare possit, quin logeum actorum cum orchestra chori iungendum esset, viri docti sibi finxerunt constructionem ligneam, quae inter logeum et orchestram intercederet (G. Hermann, Opuscula VI 2, p. 152). Primus autem vir d. J. Höpken (De theatro Attico, Diss. Bonn 1884) probavit tragoedias classicas esse actas in orchestra ipsa sive in loco cum orchestra coniuncto. Quem secutus est vir cl. Dörpfeld.

2) Ne podium quidem magnum aetate Aeschyli in orchestra adfuisse vir cl. Dörpfeld credit, Deutsche Literaturzeitung 1916, 1785; Wochenschr. f. kl. Philol. 1917, 196.

3) Conferantur imagines, quas proposuerunt viri cl. Fiechter, Die baugesch. Entw. des Theaters, tab. I. fig. 64 a et b. 65; et Frickenhaus, Die Bühne, tab. I.

Digitized by Google

logeum Vitruvius dicit, ubi artifices ante intercolumnia sive θυρώματα scaenae frontis picturis apparatuque ornata agebant. Atque ipsa aedificiorum symmetria hunc locum iam ut maiorem indicat. Ima enim pars scaenarum quam humillima erat, cuius altitudo statuebatur et spatio, quo artifices in orchestra peragentes indigebant ut vestem mutare possent, et foribus, quae in pariete anteriore proscaenii erant, et consensu, qui ipsius operis membris conveniebat. Quaestio tamen, quo loco actores in theatro Graeco prodierint, hoc loco amplius non est tractanda [1]). Perspicuum est etiam hanc quaestionem iam fere esse persolutam, si demonstrare possumus, qui factum sit, ut Graeci pro pulpito humili theatri classici postea logeo alto uterentur.

Minime autem cum iis stare possum, qui perhibuerunt ex pulpito humili sponte logeum altum esse factum [2]). Sicut enim tragoedia orta esset e cantibus chori, cui postea demum actores adderentur, ita theatrum mutatum esset secundum rationem, quae inter chorum et actores intercederet. Olim chorus Athenis protagonista erat, cum postea in tragoediis partes modo ageret spectatorum neque in actionem interveniret. Dramati iusto enim choro opus non erat, ita ut chorus in tragoedia mox tantum caneret ad intervalla implenda [3]). Verum ludi chororum ipsorum semper adhuc in theatris fiebant. Qui ludi et aemulationes et dithyrambi nimirum in orchestra agebantur [4]).

---

1) Actores in logeo alto scaenae Graecae prodiisse argumentis pluribus probare conatus est vir cl. Frickenhaus, Die Bühne, p. 45—55; cf. O. Navarre, Dict. d. Ant. V, p. 197, n. 5.

2) E. Bethe, Prolegomena z. Gesch. d. Theaters, p. 230 sqq.; Gött. Gel. Anz. 1897, blz. 708—711.

3) Tragoedia choro indigere non poterat, cum ad cultum pertineret; postremo tamen etiam Athenis chorus missus factus est. — Bethe, Prolegomena, p. 248 sqq.; Sitz. Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss. 1908, p. 209; Capps, The chorus in the later Greek drama, Amer. Journal of Archaeol. X (1895), p. 287 sqq.; Körte, Das Fortleben des Chors im griechischen Drama, Neue Jahrb. V (1900), p. 81 sqq.; Roy C. Flickinger, Classical Philology V (1912), p. 24 sqq.; The Greek theater, p. 144—149.

4) Utique attendendum est theatrum non tantum ad tragoedias et comoedias agendas fuisse. — De ludis thymelicis cf.: J. Frey, De certaminibus thymelicis (Diss. Basil. 1900); Bethe, Thymeliker und Skeniker, Hermes XXXVI (1901),

Digitized by Google

Tragoedia tamen ex orchestra magis magisque ad scaenam se recepit [1]) atque, ut iustum drama oreretur, quod cohaereret et ad unum tenderet, actores a choro erant segregandi. Neque tragoediis neque comoediis orchestra opus erat, cum chororum ludi neque scaena neque pulpito indigerent. Inter se igitur secernebantur artifices scaenici et thymelici, qui in orchestra agebant. Artifices scaenici autem quam longissime ab orchestra removendi erant atque thymelicis copia facienda erat, ut e scaena in orchestram exire possent. Atque hanc ipsam ob causam pulpitum altius factum esse dicunt, ut scaenici in basi agere viderentur et thymelici sub pulpito in orchestram intrare possent.

Haec opinio tamen, sicut iam supra observavi, mihi non recta videtur. Cum enim Athenis in theatro a Lycurgo saeculo IV exeunte confecto etiam pulpitum humile invenimus, quod cum orchestra coniunctum erat, logeum altum iam aetate Alexandri Magni exstitisse pro certo haberi licet [2]). Fieri igitur nullo modo potest, ut ex pulpito humili theatri classici paulatim surgente logeum altum theatri Graeci oreretur. Potius suspicandum est logeum altum profectum esse ab alio genere theatri, quod iuxta theatrum Atheniense iam antea florebat logeo quodam alto praeditum. Neque in Graecia deerat eiusmodi theatrum, quo mimi utebantur, qui ludicra popularia agebant [3]).

Notissima sunt ludicra Megarica, quae Aristophanes increpabat, et mimi populares Spartae et Corinthi [4]). A Graecia

---

p. 597 sqq.; Dörpfeld, Thymele und Skene, Hermes XXXVII (1902), p. 249 sqq. et 483 sqq. — Thymele pro orchestra dicitur (Pratinas apud Athenaeum XIV 617 c), cf. C. Robert, Hermes XXXII (1897), p. 443.

1) Quod idem factum esse in theatro Anglo-Brittannico iam observavit vir cl. Bethe (Gött. Gel. Anz. 1897, p. 708), cf. quae scripsit A. Streit (Das Theater, p. 65—79).

2) Plutarchus, Non posse suaviter, p. 1096 b; cf. O. Puchstein, Die gr. Bühne, p. 41.

3) De origine logei Hellenistici iam scripsit vir cl. Frickenhaus (Die Bühne, p. 55—57).

4) De origine comoediae cf. A. Körte, Archaeol. Studien zur alten Komödie, Archaeol. Jahrb. VIII (1893), p. 61—93; Die griechische Komödie (Leipzig 1914), p. 1—15; G. Loeschcke, Athen. Mitt. XIX (1894), p. 519; Bethe, Prolegomena, p. 48—67; Charl. Fränkel, Korinthische Posse, Rhein. Mus. N. F. LXVII (1912), p. 94—106. — Aliter: G. Thiele, Die Anfänge der griechischen Komoedie, Neue Jahrb. V (1902), p. 415 sqq.; F. M. Cornford, The origin of Attic comedy (Lon-

Digitized by Google

ludicra illa profecta sunt in Siciliam et Italiam meridionalem, ubi phlyaces dicuntur. Epicharmus in Sicilia et postea Rhinthon Tarenti id genus ludorum magis excoluerunt. Etiam ad indigenas Italiae ludicra translata sunt.

Ex Italia autem meridionali imagines novimus non paucas phlyacum, quas vasa picta exhibent plerumque in sepulcris Campanorum et Oscorum inventa quamquam haud dubie ab artificibus Graecis ornata [1]), quibus in imaginibus deprehendimus etiam scaenam, qua mimi ludicra agentes utebantur. Quae scaena longe alia est atque scaena theatri Attici. Quin etiam dicere possumus scaenam ludicri popularis toto coelo diversam esse a scaena tragoediae classicae.

Ludi enim duabus rationibus perficiuntur: aut in solo ipso mimi agunt corona spectatorum circumstante sive sedente in clivo collis vicini (cuius theatri forma utebatur tragoedia Attica, ut quae apta esset ludis magnum numerum actorum requirentibus), aut in suggestu artifices agunt, quorum numerus igitur admodum exiguus sit necesse est. Huius autem theatrum formae ubique erigi potest, clivo collis enim opus non est, cum omnes qui adsunt ante suggestum stantes alii super capita aliorum spectantes gestus agentium intueri possint. Suggestus igitur numquam humilior erat altitudine hominis adulti [2]).

In vasis autem suggestum eiusmodi depictum invenimus [3]). Antiquitus nihil erat nisi podium e trabibus rudibus constructum. Quo in podio pulpitum erat ludicra agentibus et locus undique saeptus, ubi mimi a conspectu circumstantium remoti vestes mutare possent, non diversus a scaena theatri Attici.

---

don 1914). — De phlyacibus: Bethe, Prolegomena, p. 278—292; O.-Navarre, Diet. des ant. IV, p. 435—438. — De diceli tis Spartae: Hesych. s. v. δίκηλον et δεικηλίκται; Plutarchus, Lac. Apophth. 212 F; Sosibius apud Athenaeum XIV 621 D.

1) Dörpfeld et Reisch, Das Theater, p. 315—324; Fiechter, Die baugesch. Entw. d. Theaters, fig. 28—41.

2) Scaena phlyacum minime coniungenda est cum podio, quod videntur adhibuisse in orchestra tragoediae antiquissimae nobis conservatae. Quod podium nihil est nisi pars orchestrae altior facta, ut poeta mimos facilius disponeret, cum scaena phlyacum alterum genus sit theatri.

3) De variis formis scaenae phlyacum agit vir d. Fiechter (Die baugesch. Entw. d. Theaters, p. 37—41), cui tamen omni ex parte assentiri non possum.

Digitized by Google

Scaenae frons ornata erat foribus et fenestris, quae domum mimorum effingeret. Per fores mimi pulpitum intrabant et nonnumquam etiam scalis podio appositis exsurgebant. Postea et scaena et podium totum magis magisque exornabantur et formae aedificii architectonice excultae sunt.

Perperam tamen viri docti nonnulli contenderunt podium illud, quo ludicra agebantur, antiquitus satis humile fuisse neque paucis pedibus altius. Quod si ita fuisset, ei qui in ludicris aderant paululum iam remoti, omnes gestus agentium spectare non potuissent, sicut luce clarius nobis apparet podium hoc modo restitutum aspicientibus [1]). Neque ullo modo melius discere possumus, quae forma fuerit podii eius ludicris popularibus apti, quam si tabulas nostratium intuemur saeculis XVI et XVII pictas, quae mercatus festivos effingunt. In tabulis autem eis aspicimus podium, quale supra descripsimus, spectatore adulto non humilius, et mimos ludicra agentes et coronam circumstantium [2]). Theatra autem ea popularia in tabulis nostratium depicta theatris popularibus Graecorum fere similia videntur fuisse.

Iam suspicari possemus theatrum Graecum, quale Vitruvius describit pulpito alto praeditum, ortum esse e theatro populari, quo et orchestra et cavea theatri Attici iunctae erant [3]), nisi suspicionis eius adhuc deesset documentum iustum. Fortasse tamen eiusmodi documentum praebere poterimus, si indicabimus, quae difficultates utriusque formae theatri propriae architectis adfuerint theatra Graeca aedificantibus, necnon quo modo difficultates eae ab ipsis superatae sint, ut novum aedificium nasceretur.

Difficultatem autem singularem praebebant actores, qui personas fingebant ex urbe sive ex agris venientes. Quae personae nimirum non e foribus scaenae logeum intrare poterant. In

---

1) Quale depictum invenimus apud A. Streit, Das Theater, p. 46.

2) Mihi praesto est imago photographica tabulae in Museo Amstelodamensi conservatae (Catal. 425) depictae a Petro Balten saeculi XVI exeuntis, quam imaginem viro nob. Riemsdijk qui Museo praeest debeo.

3) Suspicionem eam iam alio modo proposuerunt viri cl. Fiechter (Die baugesch. Entw. d. ant. Th., p. 69) et Frickenhaus (Die Bühne, p. 56).

Digitized by Google

theatro populari autem praesto erant scalae pulpito appositae, quibus actores utebantur. Quae scalae tamen in orchestra theatri Graeci non essent toleratae. Neque difficultatem eam noverant architecti theatri Attici, cum actores per fauces, quae parodi dictae inter scaenam et murum caveam sustinentem aderant, orchestram intrarent et pulpitum humile ex ipsa ascenderent.

Architecti theatri Graeci tribus modis hanc difficultatem superaverunt [1]).

I. In parte Orientali mundi Graeci, et in insulis Maris Aegaei et in Asia Minore, logeum latius scaena aedificatum reflectebatur circa latera scaenae, cum nonnumquam scaenam totam amplecteretur [2]). Actores igitur iuxta latera scaenae in logeo ipso ante scaenam venire poterant. — Postea vero etiam scaenam ipsam tam latam exstruebant, ut ab utraque parte aditus fronte scaenae intercluderetur. In alis frontis scaenae fenestrae instruebantur, qualia θυρώματα erant, quae aditum praeberent actoribus ex agris sive ex urbe venientibus. Quae fenestrae ita ornandae erant sive picturis sive apparatu quodam, ut spectatores iam intelligerent, quid fenestrae significarent [3]).

II. In Occidente contra, in Italia et Sicilia, logeum scaena angustius erat, cum alae duae a Vitruvio versurae dictae iuxta logeum procurrerent, ita ut ex conclavibus, quae in iis alis erant, actores ab latere in logeum venire possent [4]). Eae

---

1) De variis formis scaenae Graecae egerunt: Puchstein, Die griechische Bühne, p. 47, et Frickenhaus, Die Bühne, p. 34. — Scaenas omnes descripsit Frickenhaus, l. l., p. 35—45 et 91—95.

2) Exempla luculentissima praebent theatra Prienae et Deli. — Haec forma I orta esse videtur ex forma prisca, quam hoc loco postremo memoramus, ex theatro dico, quale erat Oropi et Eretriae, ubi orchestra in solum effossa erat, ita ut pulpitum plano pede esset neque clivus iustus sed planities aequata in pulpitum introitum praeberet. — Theatri Eretriae forma prisca a theatro Attico separari non potest, cf. quae supra scripsimus, p. 132.

3) Exemplum praebet theatrum Ephesi. — Haec forma posterior a forma II nostra profecta esse videtur, quae una fores exhibet destinatas actoribus, qui foris veniunt.

4) Exempla praebent theatra Segestae Tyndaridis Pompeiorum (Frickenhaus, Die Bühne, fig. 11—13). — Haec forma orta esse videtur e scaena Attica alis praedita, quae parascaenia vulgo dicuntur. — Hanc formam optime exhibet scaena Pompejorum. In scaena Segestae formam priscam invenimus, cum in scaena Tyndaridis versurae etiam in parte superiore sunt restituendae.

Digitized by Google

igitur versurae, sicut Vitruvius dicit, altera a foro altera a peregre aditus in scaenam efficiunt. — Ex hac autem forma scaenae nata est scaena theatri Romani, quod mox tractare conabimur.

III. Forma tertia miram quandam solutionem praebet. Ab utraque enim parte scaenae clivi exstructi sunt, qui actoribus aditum in logeum praeberent [1]). Manifestum autem esse videtur architectum clivos erigentem parodos imitatum esse theatri Attici. Sicut enim in theatro Attico actores orchestram intrabant per parodos in conspectu eorum, qui aderant, ita per clivos in pulpitum adscendebant in hac forma theatri Graeci. Modum intrandi, quo theatrum Atticum insigne erat, conservare volebant et spectatores et architecti, quamquam clivi aspectum scaenae minime exornabant. Neque tamen clivi a forma theatri prisca prorsus alieni erant, cum orchestra nonnumquam in solum effossa esset, ita ut qui orchestram intrarent per clivos descenderent. Quomodo autem factum est, ut pulpitum plano pede esset neque clivis sed ipso solo uterentur, qui ex agris sive ex urbe venientes pulpitum intrare fingebantur [2]).

Haec forma theatri inventa esse videtur a Polycleto theatri Epidaurii architecto [3]). Quae forma cum sine dubio originaria sit et in ipsa Peloponneso orta, iam pro certo habere possumus Polycletum theatrum Atticum cum scaena populari ludicri Peloponnesiaci iungere voluisse [4]).

Ut nova forma theatri nasceretur, quam Vitruvium sequentes theatrum Graecum dicere volumus, orchestra et cavea theatri

---

1) Exempla praebent theatra Epidauri, Sicyonis, forma prisca theatri Elidis. — Quomodo scaena aetate Hellenistica exculta sit, nunc optime docet scaena Elidis a viro d. Walter excavata (cf. Oesterr. Jahresh. XVIII, 1915, Beiblatt, 68—74) et a viro cl. Frickenhaus explicata (cf. Die Bühne, p. 91—92).

2) Eiusmodi theatra inveniuntur et Eretriae (forma posterior) et Oropi. — Clivi qui esse videntur, orti sunt, cum orchestra in solum excavaretur, ita ut logeum plano pede esset. Actores igitur, qui sive ex agris sive ex urbe venientes fingebantur, per posticum scaenae partis superioris exeuntes iuxta parietes laterales scaenae in logeum venire poterant.

3) Forma prisca theatri Epidauri non diversa fuisse videtur a forma posteriore, cuius rudera nobis sunt conservata (Frickenhaus, Die Bühne, p. 40).

4) Alae proscaenii Epidauri quoque a parascaeniis theatri Atheniensis originem duxisse videntur, cf. Christ, Sitz. Ber. d. bayr. Ak. 1894, p. 1 sqq.

Digitized by Google

Attici mutandae non erant, sed scaena ludis popularibus apta, quae antea semper ad tempus construebatur neque formas architectonicas excoluerat, paulum erat corrigenda, ut usui novo sufficeret. Cum enim in theatro Graeco orchestra adesset, qua chorus utebatur, pulpitum scaenae altius erat faciendum, ut artifices qui in orchestra agebant ex ima parte aedificii per fores in fronte hyposcaenii instructas orchestram intrare possent atque ipsa ima pars scaenae spatium praeberet vestes mutantibus. Praeterea nimirum architecto etiam symmetria partium curanda erat.

Theatrum Graecum igitur ortum est e theatro populari secundum modum theatri Attici exculto. Neque a theatro Attico proficiscendum est, si originem theatri Graeci intelligere volumus. Athenis theatrum Graecum sero demum receptum est. Postremo tamen etiam Athenis logeum altum constructum est. Cuius rei quae causa vera fuerit, nescimus. Logeum altum haud dubie requirebatur, cum chorus minoris momenti esse coepisset. Spatium enim et pulpiti et orchestrae maius erat actoribus. Eis opus erat loco excelsiore, sicut statuas quoque in basi ponere solemus. In pulpito alto gestus actorum melius eminebant, ubi ab orchestra remoti in spatio ante frontem scaenae picturis ornatam agebant.

In theatro Graeco pulpito altiore praedito ii, qui in infimis caveae gradibus sedentes in ludis aderant, non omnes gestus agentium in pulpito spectare poterant, cum oculi ipsorum solo pulpiti inferiores essent neque figuram totam viderent eorum, qui in pulpito propiores erant fronti scaenae. Quam ob causam vir cl. Dörpfeld contendit fieri non posse, ut actores in pulpito agerent, et in libro suo figuris demonstrare conatus est, quam male ii qui in sedibus principalibus erant ludos scaenicos in pulpito peractos spectare possent [1]). Figurae tamen, quas ipse proposuit, haud dubie veritatem infringunt [2]). Ne in hodiernis quidem theatris sedes principales sunt, ubi optime actores, sed

1) Dörpfeld-Reisch, Das griechische Theater, p. 354. — In scaena Atheniensi aetate Neronis constructa actores in pulpito alto prodiisse vir cl. Dörpfeld non negat.

2) Contra virum cl. Dörpfeld iam scripserunt: A. Müller, Philologus Suppl. Bd VII (1899), p. 108—112; Philologus LIX (1900), p. 329—343; A. Streit, Das Theater, tab. V.

Digitized by Google

ubi ipsi qui adsunt optime spectantur [1]). In gradibus superioribus sedentes spectatores multo melius ludis scaenicis fruebantur post pulpitum altum exstructum.

III. De theatro Romano.

Postquam originem theatri Graeci explicare conati sumus, theatrum Romanum pulpito humili instructum tractandum est [2]).

Ad historiam autem theatri Romani maxime pertinent, quae Tacitus in Annalibus XIV 20 tradit. Anno 60, sic Tacitus scribit, *Nerone quartum Cornelio Cosso consulibus, quinquennale ludicrum Romae institutum est ad morem Graeci certaminis, varia fama, ut cuncta ferme nova. Quippe erant qui Cn. quoque Pompeium incusatum a senioribus ferrent, quod mansuram theatri sedem posuisset. Nam antea subitariis gradibus et scaena in tempus structa ludos edi solitos; vel si vetustiora repetas, stantem populum spectavisse, ne, si consideret, theatro dies totos ignavia continuaret.* — Ex iis igitur accipimus Romae spectatores olim stantes in ludis adfuisse, postea semper theatra ad tempus et lignea constructa esse, donec Cn. Pompeius primus theatrum perpetuum lapideum erigendum curavit.

Antiquissima theatra Romana ad morem fuisse videntur scaenarum, quibus Graeci ludicra popularia agentes usi sunt. Atque etiam Romae eiusmodi fabulas populares floruisse accipimus, quas Romani Atellanas dicebant [3]). Fabulae autem Atellanae Romae lingua Osca agi solebant. Inter omnes igitur constat fabulas eas ex Italia meridionali Romam translatas aliquo modo coniunctas esse cum fabulis popularibus Graecis, quae phlyaces dicuntur. Sicut scaena phlyacum, quam supra tractare conati sumus, scaena Romana antiquissima nihil erat nisi suggestus ad tempus structus, qualem in picturis nostratium saeculorum XVI et XVII videre possumus. Ludos choro-

1) O. Navarre, Revue des études anc. XV (1903), p. 323.

2) De theatro Romano scripserunt: E. Bethe, Prolegomena zur Geschichte des Theaters (1896), p. 293—318; O. Navarre, Dict. des antiquités V (1913), p. 191; E. Fiechter, Die baugesch. Entw. des Theaters (1914), p. 75 sqq.; R. Cagnat et V. Chapot, Manuel d'archéologie romaine (1917), p. 172 sqq., qui tamen de origine theatri Romani non agunt.

3) F. Marx, Real-Encyclopaedie II, 1914—1921; Bethe, Prolegomena, p. 296.

Digitized by Google

rum, quales in Graecia florebant, Romani ignorabant. In fabulis, Atellanae quae dicuntur, chorus non aderat. Chorus, qui in tragoedia adfuisse videtur [1]), prodiit in idem pulpitum, quo actores erant. Orchestra igitur in theatro Romano opus non erat et spectatores sub ipsa scaena stabant.

Spectatorum locus haud dubie saeptus formas architectonicas nondum habebat. Senatoribus tantum inde ab anno 194 a. Chr. n. locus erat secretus [2]), qui nimirum ante ipsam scaenam erat. Sedes tamen in theatro tunc temporis nondum aderant, quia etiam anno 155 *senatus consulto cautum est, ne quis in Urbe propiusve passus mille subsellia posuisse sedensve ludos spectare vellet* [3]). At in hoc interdicto senatus perseverare non potuit et postremo etiam in theatro Romano sedes poni passi sunt. Primi nimirum sedes obtinuerunt senatores, qui antea a populo secreti in fronte stabant.

Sedibus positis tamen pulpitum scaenae antea coronae stanti destinatum humilius construendum erat, ne spectatores principales magis frontem proscaenii quam histriones ipsos intuerentur. Altitudo pulpiti igitur pedibus quinque maior non erat, ut qui in fronte sedebant omnes agentium gestus spectare possent. Ideo etiam postea, sicut Vitruvius tradit, pulpitum Romanum semper humilius erat logeo Graeco.

Sedes spectantium aliquo modo sive in loco proclivi sive gradibus aedificatis exstruendae erant. Cavea tamen, qualis in theatro Graeco erat, hoc modo non nascebatur. In theatro Graeco enim cavea orta est circa orchestram, quae in theatro Romano prisco non aderat. Neque gradibus subitariis ligneaque constructione facile cavea rotunda aedificari potest.

Theatrum Romanum autem nullo modo coniunctum erat cum cultu deorum, sicut theatrum Atticum, neque auxilio reipublicae fruebatur, sed magistratus Romani nonnumquam theatro potius adversati sunt. Ideo Romae multo serius quam

---

1) De choro in tragoedia Romana cf. U. Leo, Rhein. Mus. N. F. LII (1897), p. 509 sqq.

2) Livius XXXIV 44. 45.

3) Livius Epit. XLVIII; Valerius Maximus II 4, 2. — Vir cl. Ph. Fabia (Les théâtres de Rome au temps de Plaute et de Térence, Rev. de philol. 1897, p. 11) tamen contendit iam antea Romae adfuisse gradus spectatoribus destinatos.

Digitized by Google

in Graecia theatra mansura aedificabantur. Usque ad consulem iterum Cn. Pompeium Magnum ludis peractis theatra demoliri Romani solebant, ut anno proximo novum aedificium erigeretur. Exemplum theatri Romani posterioris igitur ortum est e monumentis subitariis, quae nimirum formas exhibebant profectas a constructione lignea, cum materia lignea aliter construendum sit quam saxis quadratis sive lateribus.

Huc accedit, quod architectis ad unumquodque theatrum construendum copia fiebat respiciendi ea, quae nova sive ludi sive spectatores postulabant. Omnia quae ad aedificia corrigenda pertinebant, statim probari poterant. Theatra Romana igitur facilius exculta sunt quam theatra Graeca neque mirum videtur formam theatri Romani, cum tandem monumenta perpetua construerentur, theatris Graecis praestitisse.

Primus anno 55 a. Chr. n. Romae theatrum lapideum aedificavit Cn. Pompeius, qui, sicut Plutarchus tradit, Μυτιλήνην ἀφικόμενος ἡσθεὶς τῷ θεάτρῳ περιεγράψατο τὸ εἶδος αὐτοῦ καὶ τὸν τύπον ὡς ὅμοιον ἀπεργασόμενος τὸ ἐν Ῥώμῃ, μεῖζον καὶ σεμνότερον [1]).

Theatrum autem Mytilenaeum adhuc fere ignoramus [2]). Eius forma tamen sine dubio non diversa erat a ceteris theatris Graecis. Orchestram igitur habuisse videtur circulo dimidio maiorem et caveam spectatoribus in clivo collis effossam. Atque eandem hanc formam theatri Graeci exhibuisse videntur theatra, quae in Graecia et Asia Minore priore parte saeculi I oriebantur. Haec erat forma theatri Ephesiaci [3]), qualem fere restituere possumus [4]). Theatrum commutatum est anno fere 100 et saltem ante annum 60 a. C. n. Scaena quidem magna ex parte eadem permansit, quae erat saeculo III medio, cum theatrum priscum aedificaretur, sed scaenae frons nova θυρώματα quae dicuntur septem exhibens et proscaenium altum novum exstructa sunt. Quae autem latitudo logei fuerit, nesci-

1) Plutarchus, Vita Pompei 42; Dio Cassius XXXIX 38.

2) De theatro Mytilenaeo nos aliquatenus certiores facit: A. Conze, Reise auf der Insel Lesbos (Hannover 1865), p. 4 et 9.

3) Vide Heberdey, Neumann, Wilberg, Forschungen in Ephesos II (1912).

4) Fiechter, Die baugesch. Entw. des Theaters, tab. I et fig. 27 et 65; Frickenhaus, Die Bühne, tab. I et fig. 7.

Digitized by Google

mus. Pro certo tamen habere possumus logeum satis angustum fuisse, cum postea aetate Romana proscaenio Graeco abolito pulpitum magnum erectum est, quale in theatris Romanis Asiae Minoris invenimus.

Proscaenium Hellenisticum theatri Atheniensis [1]) saeculo II ortum videtur esse. Fieri tamen potest, ut demum post Sullam erectum sit proscaenium logeo alto et angusto praeditum [2]).

Theatrum Pompeiorum [3]) saeculo I ineunte et fortasse etiam post annum 80 commutatum est. Tum logeum adhuc altum et angustum fuisse videtur secundum usum Graecorum [4]). In hoc theatro tamen omnia tam intricata sunt, ut vix ex eo argumenta petere liceat.

Theatra in Graecia igitur, quae architectis Cn. Pompei exempla esse possent, cum theatrum lapideum Romae esset construendum, formam theatri Graeci conservavisse videntur, qualem Vitruvius describit. At theatrum Cn. Pompei iam formas exhibebat theatri Romani. Rudera autem theatri Cn. Pompei ignoramus [5]). Eius delineatio tamen exstat in forma illa Urbis Romae adhuc magna ex parte in Museo Capitolino conservata [6]). Atque in ea delineatione distinguimus pulpitum latum, orchestram circulo dimidio non maiorem, caveam spectatorum quae cum scaena in unum coaluit, quibus rebus theatrum Romanum insigne est.

Forma quidem prisca theatri Cn. Pompei dubitationi alicui obnoxia esse potest [7]), sed etiam theatrum Marcelli a Iulio Caesare inchoatum et ab Augusto anno 11 perfectum eodem

---

1) Forma V, cui supra (pag. 133) operam dedimus.

2) Haec est opinio viri cl. Dörpfeld (Das Theater, p. 82). Cum tamen theatrum Piraei, quod iam saeculo II ortum est, recentius esse videatur, potius scaena formae Graecae theatri Atheniensis saeculo II aedificata est.

3) Fiechter, Die baugesch. Entw. des Theaters p. 76—78, fig. 66 et 67.

4) O. Puchstein, Arch. Anz. 1906, 301—314; cf. tamen A. Mau, Röm. Mitt. XXI (1906), p. 1—56; Pompeji in Leben und Kunst (1908), p. 141—159.

5) Chr. Hülsen, Topographie der Stadt Rom I 3 (1907), p. 524 sqq.; A. Streit, Das Theater, p. 49 et tab. VI; Fiechter, Die baugesch. Entw. des Theaters, p. 79—83 et fig. 70 a.

6) H. Jordan, Forma Urbis Romae (Berlin 1875), p. 22—24, tab. IV 30.

7) Et Augustus et Tiberius et Nero et Titus et Septimius Severus enim theatro operam dederunt.

Digitized by Google

modo est constructum [1]). Neque potest fieri, ut theatrum Cn. Pompei omni ex parte secundum formas theatri Graeci aedificatum sit. Theatri Graeci enim formae accommodandae erant ad exemplum theatri, sicut iam antea Romae erat excultum. Ex hisce duobus aedificiis, et ex theatro Graeco et ex antiquis theatris Romanis subitariis, theatrum Romanum mansurum esse ortum pro certo habere possumus.

Hoc posito varias partes theatri Romani explicare conabimur.

Orchestra in theatro Graeco centrum erat constructionis. Graeci enim orchestra semper variis ludis usi sunt, tum cum actores iam in scaena tantum peragebant. Circa orchestram theatrum Graecum compositum erat et in orchestram omnes sedes spectatorum erant conversae. Theatrum Romanum tamen hoc modo componi non poterat, cum in theatro eo omnes artifices in pulpito actiones suas praestarent. In theatro Romano igitur omnes sedes quam plurimum in scaenam erant derigendae. Orchestra autem circulo dimidio amplior fieri non poterat. Ita omittendae erant sedes a scaena aversae, quae in theatro Graeco in alis caveae aderant. Romanis autem orchestra opus non erat ludis agendis atque in orchestra ipsa loca designata sunt sedibus senatorum, qui antea ante populum spectabant. Sedes senatorum in gradibus erant collocatae, quales adhuc in theatris non paucis invenimus [2]). Hoc modo Romani orchestram Graecam ad usum suum accomodabant.

Scaena, qualis erat in theatro Graeco pulpito alto praedita, in theatro Romano senatoribus in orchestra sedentibus nullo modo ferri poterat. Qui enim in orchestra sedebant, gestus agentium in pulpito pedum decem vel duodecim spectare non potuissent. Neque in theatro Romano eiusmodi pulpito opus erat, cum in orchestra ante frontem proscaenii ludi non fierent neque ex ima parte scaenae artifices in orchestram exirent. Pulpiti altitudo igitur non plus erat pedem quinque, sicut iam erat in theatro Romano antiquo spectatoribus sedentibus. Atque pulpitum latius factum est, quam logeum Graecorum erat,

1) Hülsen, Topographie der Stadt Rom I 3, p. 515 sqq.; A. Streit, Das Theater, tab. VII; E. Berteaux, Rome I (1907), p. 81 et fig. 63.

2) E. g. in theatris Pompejorum et Herculanei.

Digitized by Google

cum omnes artifices in scaena occupati essent. Ipsius scaenae forma a scaena Graeca profecta esse videtur, qualis erat in Italia Siciliaque alis praedita. Multo tamen maior et ornatior scaena Romanorum erat, cum praesertim frons scaenae columnis apparatu tabulisque insignis admirationem spectantium moveret.

Proscaenium in orchestram ita erat promotum, ut frons in centro circuli orchestrae finiretur et eadem linea derecta esset atque muri qui caveam sustinebant. Quo modo spatium claudebatur in theatro Graeco inter scaenam et latera caveae relictum, quo spectatores utebantur in theatrum intrantes sive exeuntes. Fauces tectae angustae tantum hoc loco introitum praebebant. Sed haec res molestias non afferebat, cum in theatro Romano spectatores iam alio modo ad sedes suas venire possent.

Cavea enim non in clivo collis erat instructa, sed theatrum totum in planitie erat aedificatum altissimis fundamentis munitum gradibus susperioribus. Faucibus scalis vomitoriis in substructionibus institutis spectatores caveam implere et relinquere poterant, cum architecti diligenter operam dedissent, ut populum per varias vias ducerent, ne in arto stipatus turbaretur. Atque hoc eodem modo theatrum monumentum integrum factum etiam frontem a parte caveae accepit.

Res autem disputatione non eget hanc constructionem non esse desumptam a theatro Graeco. Formam tantum theatri concavam Romani a Graecis acceperunt. Theatra enim ipsorum ad tempus structa semper quadrata erant, cum cavea rotunda, sicut iam supra observavimus, constructione lignea fieri non posset [1]). Sed dispositionem ipsam caveae ex amphitheatris architecti desumpserunt. Atque accipimus olim ante theatra lapidea aedificata etiam in amphitheatris ludos scaenicos esse actos [2]). Hoc fieri poterat, cum altera pars circi spectatoribus

1) Theatris tectis forma quadrata semper conservanda erat, ut tectum lignеum in ipsis poneretur. Neque monumentis eis deerant exempla Graeca. Nullo modo tamen fieri potest, ut theatra texta exempla essent theatris magnis lapideis (haec tamen opinio esse videtur viri cl. Fiechter, Die baugesch. Entw. des Theaters, p. 83). Potius formae utriusque theatri convenientes ex conditionibus constructionis similibus ortae sunt.

2) Polybius XXX 14; Livius XL 51. LII 10; in inscriptione ludorum saecularium (Ephem. epigr. VIII 233).

Digitized by Google

esset destinata et altera pariete aedificato spectatorum aspectui esset interclusa. Ante parietem eum pulpitum actoribus erigebatur neque constructio a theatro Romano posteriore erat diversa [1]).

Hoc modo manifestum est elementa constructionis theatro Romano lapideo a monumentis variis esse desumpta. Et theatrum Graecum et theatrum antiquum Romanum ad tempus structum et amphitheatrum exempla erant architectis, ut aedificium novum oriretur. Quatenus tamen forma theatri lapidei in theatris subitariis fuerit exculta, suspicari tantum licet. Declarare tamen possumus scaenam et caveam spectatorum iam in theatris subitariis in unum monumentum coaluisse. Haec res e traditione Romana tantum explicari potest. Apud Graecos enim cavea spectatorum in clivo collis instructa semper aperta erat a parte scaenae, quae aedificium separatum surgens theatrum architectonice non claudebat. Romani vero scaenae parietem erigebant in altitudinem caveae et coniunctum cum lateribus ipsius, ita ut omnes partes aedificii continuarentur et inter se coniunctae ad unum monumentum architectonicum tenderent. In aedificiis ad tempus structis partes diversae inter se coniunctae fuerint necesse est. Scaenae paries, qualem erigendum curavit M. Scaurus aedilis anno 58 ornatum CCCLX columnis triplici ordine dispositis [2]), aedificari nullo modo potest, nisi architectus fulturam solidissimam in promptu habet. Neque deerant fulturae, quae latera caveae praebebant. Hoc autem modo partes theatri diversae in unum monumentum coaluerunt.

In Graecia orchestra choro saltanti propria et clivus collis spectatoribus aptus partes primae erant theatri, quibus scaena postea demum est adiecta. Romae vero scaena originaria pars erat, cui orchestra et cavea a Graecis accepta sunt additae. Quae res magna ex parte historiam diversam theatri Graeci et Romani efficiebant.

---

1) Ludis L. Anicii, quos Polybius memorat, pulpito lato opus erat.
2) Plinius, Nat. hist. XXXVI 114.

Digitized by Google

DE VERSU NOTISSIMO NAEVIANO.

SCRIPSIT

I. I. HARTMAN.

Nemo adeo plumbeus est in historia literisque Romanis, quin in promptu habeat minitabundum illud Metellorum, quod Naevio dederunt responsum:

dabunt malum Metelli Naevio poetae.

Sed nemo unquam dicere potuit, quid illud responsum leporis habeat vel venustatis. An venustum et dicacem dicamus hominem qui alteri intentat pugnum? Dubium tamen non est quin satis lepide iocati hic sint Metelli, certe sibi lepide iocari sint visi. Latet ille iocus apud pseudo-Asconium (ad Cic. Verr. act. I § 29), qui solus est totius rei de qua agitur testis. Ne plane pereat cavendum est. Quod fiet, si quidquam in iis quae scholiasta ille tradidit mutabimus. Velut L. Muellerus ut et Naevium Saturnio utentem faceret, sic eum induxit loquentem:

fato Metelli Romae consules fiunt pro eo quod est traditum:

fato Metelli Romae fiunt consules. Parum elegans est ille Muelleri Saturnius. Quanto venustiorem hunce:

fato fiunt Metelli consules Romai proposuit elegantissimus et acutissimus mortalium *Phillimorius*, in libello quo noviciam ludibrio habuit importunitatem omnes coniecturas, atque adeo certissimas emendationes condemnantium („the revival of criticism, Oxford, Blackwell).

Sed quamvis bellus sit ille Phillimorii Saturnius, non minus eo quam Muelleriano perit ioci festivitas quam pseudo Asconius sua narratione tradidit.

Quid enim revera factum est?

Digitized by Google

Equidem mihi hic deprehendere videor altercationem vere *literariam*. Conquestus erat Naevius (ut equidem opinor pluribus versibus) de tristi reipublicae statu, in qua semper ex iisdem familiis nobiles ad summum vocarentur magistratum, quorum versuum mox unus ille senarius

fato Metelli Romae fiunt consules

in ore hominum esse coepit.

Senarium aio; nam et hic et alibi Naevius metro illo Graeco erat usus, *novo* hoc ornamento gloriolam sibi appetiverat. Quid nunc Metelli, vel unus eorum ceteris magis literatus? Sic gloriosum refutant poetam: „bellos istos senarios Graecos imitari atque adeo aemulari ne conabimur quidem, sed possumus more antiquo et Romano poenas de te sumere." Atque hoc satis iocose et facete suo sibi significant Saturnio

dabunt malum Metelli Naevio poetae

quod licet et ipsum minitantis sit, facete minitantis mihi quidem videtur. Nam idem fere nunc Metellus ille dicit, quod in Novii Atellana (c. t. *Aleones*) urbano homini regerit rusticus:

at ego rusticatim tangam, nam urbanatim non scio.

Digitized by Google

UTRUM DOMITIANO IMPERANTE DUO BELLA DACICA GESTA SINT AN UNUM.

SCRIPSIT

JOH. JANSSEN.

Virorum doctorum de hac quaestione sententias nuper exposuit Köstlin in dissertatione Tubingana a. 1910: „Die Donaukriege Domitians" p. 9.

Maior pars (Gsell „Essai sur le règne de l'empereur Domitien" p. 210. 216. 217, Brandis „Pauly-Wiss." IV p. 2248, Filow „Klio" Beih. 6 p. 36 not. 1) duo fuisse bella putant; alteram opinionem, unum bellum gestum esse, olim habuit Mommsen „Röm. Gesch." V p. 200, defenderunt a. 1904 Ritterling „Oesterr. Jahresh." VII Beibl. p. 32, a. 1910 Köstlin l. s. l.

Rem breviter retractemus. Iam hoc ante cetera praemonendum, ex verbis Suetonii (Dom. 6, 1): „expeditiones ... suscepit (Domitianus) ... necessario in Dacos", eiusque pedisequi Eutropii (VII 23): „expeditiones ... habuit (Domitianus) duas adversus Dacos" colligendum non esse, quod collegerunt Brandis et Filow, bella quoque fuisse duo. Neque duobus Domitiani bellis quam uni magis respicit titulus militaris [1]) „C.I.L." VIII 1026 = Dessau 2127: „Q. Vilanius Q. f. Vol. Nepos Philippis 7 coh. XIII urb., donis donatus a Domitiano ob bellum Dacicum, item ab eodem ob bellum Germanicum, item torquib. armillis

1) Monendum duo Dacica bella a Traiano gesta in titulis distingui cf. „C. I. L." II 4461. 4509, III 550. 6359, VI 3584, XI 5659, Köstlin l. l. p. 12.

Digitized by Google

ob bellum Dacicum", nam Vilanius eodem bello bis temporibusque diversis insignia adipisci potuit, cohorte XIII interim e Dacia in Germaniam missa.

Iam contra videamus an altera opinio nitatur argumentis minus infirmis.

Si duo fuerunt bella inter utrumque pacem interponendam esse iure monitum est. At varie responsum; putat Gsell (p. 210) pacem esse factam, postquam Fuscus missus est et interfectus, Brandis (p. 2248) postquam Moesia a principe recuperata est. Igitur secundum Gsellium bellum alterum ab altera principis expeditione coepit, secundum Brandisium a Fusci transitu Danuvii.

Utraque autem opinio reicienda est. Tradit enim Dio (Petr. Patr. „exc. de leg." 3 = Dio 67, 6, 5 Boiss.) ante Fusci expeditionem Decebalum petiisse pacem, hanc tamen a Domitiano repudiatam esse: „ὅτι Δεκέβαλος ὁ Δακῶν βασιλεὺς ἐπεκηρυκεύετο πρὸς Δομιτιανὸν εἰρήνην ὑπισχνούμενος· ἐφ' οὗ ἔπεμψε Δομιτιανὸς Φοῦσκον μετὰ πολλῆς δυνάμεως. ὅπερ μαθὼν ὁ Δεκέβαλος ἔπεμψε πρὸς αὐτὸν πρεσβείαν αὖθις ἐν χλευασμῷ λέγων ὡς, εἰ ἔλοιτο ἕκαστος Ῥωμαίων δύο ὀβολοὺς Δεκεβάλῳ ἑκάστου ἔτους τελεῖν, εἰρήνην πρὸς αὐτὸν τίθεσθαι· εἰ δὲ μὴ τοῦτο ἕλοιτο, πολεμήσειν καὶ μεγάλα αὐτοῖς προστρίψεσθαι κακά", quae verba Brandisium refellunt. Post Fusci cladem Decebalum, qui paulo ante turpe illud consilium Romanis dedisset (cf. Dio l. l.), pacem obtulisse, Romanos accepisse ipsum vix credibile videtur; sed refutatur etiam Gsellii coniectura alio Dionis testimonio (67, 7, 2 Boiss.): ὅτι ὁ Δομιτιανὸς ἡττηθεὶς ὑπὸ Μαρκομάνων καὶ Φυγὼν ἔπεμψε διὰ ταχέων πρὸς τὸν Δεκέβαλον τὸν Δακῶν βασιλέα, καὶ ἐς σπονδὰς αὐτὸν ὑπηγάγετο, ἃς πολλάκις αἰτήσαντι αὐτῷ πρότερον οὐκ ἐδεδώκει, quod docet ante bellum Marcomanorum foedus inter Romanos Dacosque non esse ictum. Huc accedit, ut iure monuerunt iam Ritterling et Köstlin, quod Dio unum semper intellegit bellum: „μέγιστος δὲ δὴ πόλεμος Ῥωμαίοις τότε πρὸς τοὺς Δακοὺς ἐγένετο" (67, 6, 1), „ἄλλους δὲ πέμπων ἐς τὸν πόλεμον στρατηγοὺς τὰ πλείω κακῶς ἀπήλασσεν" (67, 6, 3: ἄλλους pertinet ad Fuscum et Iulianum, qui igitur ἐς τὸν πόλεμον missi sunt, quod item refellit Gsellium, qui Fuscum priori, alteri bello Iulianum praefuisse putat), „ἐν δὲ τῷ Δακικῷ

Digitized by Google

πολέμῳ (67, 10, 1), quod unum quoque longum bellum spectat Statius: „tu (Domitianus) bella Iovis, tu proelia Rheni, tu civile nefas, tu tardum in foedera montem longo Marte domas" („Silv." I 1, 80, cf. Vollmer p. 228). Addo quod, duo bella intellegens, Suetonius vix dixisset „Cornelio Fusco, praefecto cohortium praetorianarum, cui belli summam commiserat (Domitianus)".

Itaque colligimus bellum unum gestum esse antequam princeps a. 89 de Dacis triumphavit. Hoc quoque anno indutias [1]) potius quam pacem factam credo (cf. Dio 67, 7, 2: „σπονδὰς", „σύμβασιν"), ita ut Plinius postea dicere potuerit „ergo sustulerant animos et iugum excusserant (scil. Daci) nec iam nobiscum de sua libertate, sed de nostra servitute certabant, ac ne indutias quidem nisi aequis conditionibus inibant legesque ut acciperent dabant" („Pan." 11, 5).

Opionem prorsus diversam protulit Mommsen „Sitz. Ber. Berl. Ak." 1903 p. 804, quem secutus est v. Domascewsky „Philol." 1907 p. 169, 41, pacem a. 89 factam alterum bellum graviusque excepisse, inde ortum quod Domitianus legatum a Decebalo missum corona regia ornavisset (Dio 67, 7, 13). Haec tamen coniectura — nam argumentum frustra quaeras — nullius auctoris testimonio confirmatur neque ulla acclamatione imperatoria: postremam enim acclamationem „imp. XXII" teste diplomate „C. I. L." III p. 858 et p. 859 ad tempus pertinere inter d. 14 m. Iun. a. 92 et d. 13 m. Iul. a. 93, bellumque Suebicum et Sarmaticum spectare docuit Köstlin (p. 81) contra Weynandum qui diploma XVI (l. l. p. 859) d. 13 Iul. a. 92 datum esse iniuria putat.

---

1) Quibus pepigisse videtur Domitianus ut per regnum Decebali Romani contra Marcomanos proficisci possent cf. „Sitz. Ber. Berl. Ak." l. i. l. = Dessau 9200 „... bello Marcommannorum Quadorum Sarmatarum adversus quos expeditionem fecit (Velius Rufus) per regnum Decebali, regis Dacorum ..."

Digitized by Google

AD HORATII A. P. VS. 437.

SCRIPSIT

I. I. HARTMAN.

Numquam te fallent animi sub volpe latentes.

Hic qua ratione mihi versus emendandus videatur quo melius appareat, res paulo altius est repetenda.

Inde a versu 419 Horatius egit de assentatoribus qui „regis" sui, inepti hominis, inepta carmina absurdasve declamationes laudibus et plausibus in coelum tollunt, sive spe lucri, sive opiparae cenae exspectatione, sive denique quia dapibus vinoque sunt repleti.

Totum exscribam locum ut simul de aliis quaestiunculis sententiam proferam:

Ut praeco, ad mercis turbam qui cogit emendas
adsentatores iubet ad lucrum ire poeta
dives agris, dives positis in faenore nummis.
Si vero est unctum qui recte ponere possit
et spondere levi pro paupere et eripere artis
litibus implicitum, mirabor si sciet inter
noscere mendacem verumque beatus amicum.
Tu seu donaris, seu quid donare voles cui,
nolito ad versus tibi factos ducere plenum
laetitiae; clamabit enim „pulchre, bene, recte"
pallescet super his, etiam stillabit amicis
ex oculis rorem, saliet tundet pede terram.
Ut qui conducti plorant in funere dicunt
et faciunt prope plura dolentibus ex animo, sic
derisor vero plus laudatore movetur.

Digitized by Google

Versus 421

Dives agris, dives positis in faenore nummis

etiam legitur S. I, 2, 13, ubi rectissime ponitur: sermo enim ibi est de homine locuplete, qui tantopere nequitiae metuit crimen ut hinc fugiens in avaritiae incidat barathrum; et omnino totus ille locus est de iis qui modum tenere nesciant, ergoque vitium metuentes ultro contrarium vitium appetant. Quis autem melius nebuloni opponitur quam *usurarius*, isque usurarius cui sordido isto negotio minime opus sit utpote cui pater magnam reliquerit rem familiarem. Tamen a multis editoribus e Sat. I, 2 versus ille 13 expellitur. Sed a nostro *Artis Poeticae* loco versus ille est quam alienissimus. Id quod ipse poeta disertissime declarat. Quid enim?

Versus 422 incipit a *si vero est*. Atqui qui illo vocabulo quod est *vero* utitur, quodammodo praenuntiat nunc se dicturum aliquid quod praecedentibus multo sit maius, gravius, magnificentius. Iam ad cenam paulo lautiorem apponendam *modicae* sufficiunt opes; hoc qui vult facere ei non opus est ingenti patrimonio. Quanto ergo minus ei, de quo modo actum est! Nihil aliud ergo ibi Horatium dicentem faciamus quam:

ut praeco ad mercis turbam qui cogit emendas
adsentatores iubet ad lucrum ire poeta.

hoc est: qui ita ad poemata sua audienda invitat homines, ut iis lucelli spem proponat si ea laudaverint, praeconis similis est, qui ut merces suas extrudat lenociniis utitur: *Si vero* (id quod prior ille *non* potuit, cenam lautiorem potest parare e. q. s.

Versu 430

(pallescet super his, etiam stillabit amicis)
ex oculis rorem, saliet tundet pede terram

satis mirari non possum editores, viros bene latine doctos quique Horatium suum probe habeant cognitum aequo animo istud *saliet* ferre, quod est ridiculum et a re de qua agitur quam alienissimum. Animo enim tibi finge convivam versiculo quamvis pulchro audito *salientem*. Et quam misere languet illud *tundet pede terram*, si iam *saliet* praecedit! Gratia ergo Slothouwero nostrati, qui acute *Salius* reposuerit. Quid enim Horatio dignius, quid aptius huic loco? Sed haec omnia in transitu. Ad ipsam nostram veniamus quaestiunculam!

Digitized by Google

Versu 433

derisor vero plus laudatore movetur

locus de *assentatore* id est de adulatore lucelli vel cenae cupido, si quid ego video, *clauditur*, et *clauditur* aptissime, nam eo uno comprehenduntur quae inde a versu 419

ut praeco ad mercis turbam qui cogit emendas

usque ad hunc ipsum versum dicta sunt.

Quid nunc sequi debet atque adeo quid sequi potest? Denuone de assentatoribus adulatoribusque dicendum est? Immo vero aliunde nunc poetae exempla sunt petenda et argumenta, et, si ita res fert, potissimum ii sunt homines in scenam producendi qui adsentatoribus illis et adulatoribus quam maxime sunt *oppositi*. Insequentes versus inspiciamus:

Reges dicuntur multis urgere culillis
et torquere mero quem perspexisse laborant
an sit amicitia dignus; si carmina condes,
numquam te fallent animi sub volpe latentes.

Versum illum 437

numquam te fallent animi sub volpe latentes

corruptum esse mihi est persuasissimum. Qui sunt illi „*animi* sub volpe latentes?" *Sub* aliqua re qui latet, aut omnino non vult comparere aut alius videri atque revera est. Aliam interpretationem illa vocabula non admittunt, aut ipsi sermoni latino vis infertur. Ludicrum est (an „triste" potius dicam?) Lucianum Mullerum videre se torquentem ut demonstret *sub pelle* nihil aliud esse quam *in pelle*.

Est ergo — nam hoc certe e versu quamvis corrupto apparet — nobis res cum animali aliquo quod *vulpem* se esse simulat, quod sub vulpina pelle latet. Concedo quidem vulpis potius esse alius animalis sumere figuram et miror nullam exstare fabulam Aesopeam de vulpe quae agninam induerit pellem quo melius possit in imbellem facere impetum gregem. Certe ego non memini me talem fabulam legere. Sed et contrarium fingi cogitarique potest. Hooftius nostras ita Tacitum Hollandice vertit ut multo fieret quam Latinus obscurior. Et volumen illud „illustrandum" curavit imperatorum paucorumque aliorum imaginibus, quibus subscripta sunt elegantissima Brandtii epigrammata, paucis verbis ea declarantia quae fuse

Digitized by Google

a Tacito sunt exposita. Tiberii epigramma clauditur verbis quae sic fere latine possunt verti:

istum vitare leonem
quis poterat sic vulpina sub pelle latentem?

Nam Brandtius omnia Taciti mendacia omnesque calumnias ita accipiebat tamquam si e Pythiae fluxissent ore. Et est Tiberius Taciteus leo immanis crudelisque, sed simul est dolosa astutaque vulpes. Atque vulpes quam leo mavult videri quo melius suas deprehendat devoretque victimas. Est ergo leo indutus pelle vulpina.

Agite nunc ad *homines* redeamus quos describit notatque Horatius. Primum egit de assentatoribus, id est de hominibus callidis astutisque, sed qui simplices se esse simulant candidosque, quo maius e patrono accipiant praemium lautioribusve excipiantur epulis. Ad quos nunc transit? Nimirum (quemadmodum iam dicebam) ad eos qui illis quam maxime sunt oppositi, ergo ad δοκησισόφους, id est ad homines qui callidos se simulant et doctos iudices, sed quorum prodit stultitia simulatque verbum proferunt. Nemo est cui noti non sint isti:

οἱ τὰς ὀφρῦς αἴροντες, οἱ 'βουλεύσομαι'
λέγοντες.

„Reges" ait poeta „vino explorant homines non solum ut videant sintne fideles et possintne commissa tacere, sed etiam sintne tam culti et urbani quam videri volunt. Nam *in vino veritas*: saepe aliquis, qui hactenus nobis visus est venustus et elegans, simulatque paululum incaluit vino, veram aperit mentem: inepte blaterat et iocos effutit aut spurcissimos aut frigidissimos. Tibi autem tali experimento opus non est; aliud tibi prae manibus est: carmina tua (vel aliena) ei recita: ridebis absurdas eius observationes. Nam, ut cum Catullo nostro loquar:

idem infacetost infacetior rure *simul poemata attigit*."

Denuo versus nostros adspiciamus:

Reges dicuntur multis urgere culillis
et torquere mero quem perspexisse laborant
an sit amicitia dignus. Si carmina condes
numquam te fallent sub volpe latentes.

Digitized by Google

Nunc, ut opinor, cuiusvis est explere locum, quem, expulso inepto illo *animi* reliqui vacuum. Lege:

numquam te fallent *asini* sub volpe latentes.

Dixeris volpina pelle non capi corpus asini. Atque eodem crimine condemnari possit elegantissimum illud Brandtii epigramma. Sed talia non sunt in ullo urgenda poeta, minime vero in poeta qui aut ad fabulam aliquam Aesopeam alludit, aut ipse secum novae fabulae Aesopeae comminiscitur argumentum.

Quam apte deinde transit ad iudices de arte poetica idoneos, e quorum numero Quintilius fuit!

Ad Platonis de Rep. 434 A.

Socrates rogat:

Τέκτων σκυτοτόμου ἐπιχειρῶν ἔργα ἐργάζεσθαι, ἢ σκυτοτόμος τέκτονος, ἢ τὰ ὄργανα μεταλαμβάνοντες τἀλλήλων ἢ τιμάς, ἢ καὶ ὁ αὐτὸς ἐπιχειρῶν ἀμφότερα πράττειν πάντα τἄλλα μεταλαμβανόμενα ἆρά σοι ἄν τι δοκεῖ μέγα βλάψαι πόλιν;

Pro τἄλλα lege ταῦτα, recte respondebitur οὐ πάνυ, sicut respondetur. Nam deinde Socrates enumerat ea negotia, quae permutari aut coniungi non possint quin magnum detrimentum capiat respublica.

I. I. H.

Digitized by Google

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER.

(Continuantur ex vol. XLVII pag. 444.)

CXII.

AD BONORUM POSSESSIONEM LITIS ORDINANDAE GRATIA [1]).

Litis ordinandae gratia bonorum possessionem esse docet Lenel cum re [2]); esse ordinariam [3]) („*die gewöhnliche, zum Zweck der Vorbereitung der Querel zu agnoszierende*, bonorum possessio intestati"); unde liberi bonorum possessionem extra se habere [4]). Sitne cum re videbimus: secunda utique et tertia propositio simul stare non possunt. Revera multum interest inter bonorum possessionem ordinariam et litis gratia; illa enim et eius exemplo Carboniana [5]) interim transfert corporum possessionem ad bonorum possessorem [6]), ex diverso occasione litis gratia bonorum possessionis *scriptis heredibus auferre* corporum *possessionem incivile est* [7]), quocirca ne Carboniana quidem bonorum possessio dabitur ei, qui *de inofficioso vult dicere* [8]), licet intestati bonorum possessionem utique petat, sitque *Car-*

1) Eo pertinent l. 6 § 2, l. 7, l. 8 pr. D. 5. 2; c. 2 C. 3. 28.
2) *Das* edictum (1907) p. 176 lin. 8/10.
3) Op. cit. p. 138 lin. 12/4.
4) Op. cit. p. 176 lin. 8/10.
5) De Carboniana bonorum possessione fuit cap. harum observ. LXXIV.
6) QUORUM BONORUM interdicto, de quo fuit superius cap. XCII.
7) c. 2 C. 3. 28. 8) L. 20 D. 5. 2.

Digitized by Google

bonianum edictum aptatum etiam *ad bonorum possessionem ... intestati* [1]). Est enim litis ordinandae gratia bonorum possessio, quae detur sub condicione centumviralis iudicii perferendi, ergo post victoriam [2]) *erit, secundum quem iudicatum est*, effectu *bonorum possessor* [3]) poteritque *debitores convenire et ipse a creditoribus conveniri ... et corpora vindicare* [4]): ante sententiam *nec actiones* hereditarias *movere debet, nec aliam ullam quam hereditatis petitionem* ex causa inofficiosi adversus scriptum heredem *exercere* [5]). Ergo nondum victor minus iuris habet quam bonorum possessor sine re, qui saltem potest interdicto possessionem ad se transferre [6]); idem iam victor non minus quam bonorum possessor cum re. Proprium igitur genus litis gratia bonorum possessio. Litis ordinandae gratia bonorum possessionem non male definivit Averanius [7]) his verbis: *pendente iudicio est sine re*, id est, pro non data [8]), sed male adsimulavit ei bonorum possessionem, quae datur scripto sub condicione heredi [9]); haec enim vera esse videtur bonorum possessio, quae corporum possessionem ad bonorum possessorem transferat, etsi fallere arbitror Tribonianum, quum sub Pomponii persona doceat [10]): talem possessorem loco heredis esse et posse *tamquam heres* [11]) *distrahere hereditatem*. Sed si pro praede litis et vindiciarum satisdederit, diversum est, *cum possessor hereditatis, qui petitori satisdedit, interim domini loco habeatur* [12]). Quod ius quin obtineat etiam in sub condicione

---

1) L. 3 pr. D. 37. 10.

2) De transactionis causa cf. l. 14 D. 2. 15.

3) L. 8 § 16 D. 5. 2. 4) L. 15 § 2 D. 5. 2.

5) L. 20 D. 5. 2.

6) Hoc demonstrare conati sumus cap. XCII.

7) I 8 § 17.

8) Eo modo *sine re* bonorum possessionem appellant Imperatores c. 25 C. 3. 28. Quod perspexit Leist, *die* bon. poss. (1844/8) § 127 not. 9*a*.

9) Locos dabit Windscheid (1891) § 554[3]. — Is quidem bonorum possessionem hinc non habebit, qui potest implere condicionem (c. 25 C. 3. 28). Quod dicere neglexit Windscheid, sed vel sic verum esse demonstrat l. 3 § 13 D. 37. 4.

10) L. 23 pr. D. 28. 5.

11) Facto dumtaxat posse *res hereditarias deminu(ere)* (Paul. V 9 § 1) eiusmodi quoque possessorem libenter concedo.

12) L. 15 § 2 D. 48. 18. Rem latius exsecuti sumus cap. CIII.

Digitized by Google

herede scripto, qui substituto caverit et possessionem acceperit [1]), dubitandi causa non est. Videtur autem ad unum omnes [2]) latuisse: non solam esse litis gratia bonorum possessionem, quae sine iudicio explicari non possit. Certe contra tabulas bonorum possessionem eam, quae defertur patrono vel parenti, eius condicionis esse demonstratur luce clarius l. 16 § 1 D. 5. 2: *contra tabulas filii possessionem iure manumissionis pater accepit* [et bonorum [3]) possessionem adeptus est]: *postea filia defuncti, quam ipse exheredaverat, quaestionem inofficiosi testamenti recte pertulit: possessio, quam pater accepit* [4]), *ad irritum reccidit: nam prióre iudicio de iure patris, non de iure testamenti, quaesitum est, et ideo universam hereditatem* [5]) *filiae cum fructibus restitui necesse est*, apparet enim de iure patris manumissoris contra tabulas bonorum possessoris *iudicio* constiterit necesse esse. Interest autem inter hanc et superiorem speciem, quod litis gratia bonorum possessio datur ante litem quasi sub condicione actionis perferendae; ex diverso contra tabulas possessio parentis vel patroni sequitur sub iudice ipso praetore [6]) actam litem. Quae res facit, ut ne deferatur quidem iure manumissionis contra tabulas bonorum possessio, antequam vel ex testamento adita sit hereditas vel agnita secundum tabulas bonorum possessio [7]). Exspectatur enim, qui iudicio contradicat vel satisfaciat [8]). Sufficit autem, si vel unus

---

1) Cf. Paul. V 9 § 1. Ergo post satisdationem iure quidem deminuet, sed facto nihil consumet in fraudem substituti, cui de restituendo cautum est.

2) Latuit certe Adolphum Schmidt, *das Pflichttheilsr. des* patronus (1868) p. 84—88.

3) Expectes *corporum*. Sed videntur ipsa verba *et bonorum possessionem adeptus est* insititia esse, ut intelligeremus *prius iudicium* esse interdictum QUORUM BONORUM.

4) Ergo *accepisse* possessionem patrem sufficit, nec quidquam refert, utrum possessionem etiam adeptus sit interdicto nimirum QUORUM BONORUM. Quod *prius iudicium* intelligi voluit Tribonianus, decepitque Burkardum Guilielmum, *Serie der Bücher 37 und 38* I p. 402[8].

5) Ergo restituendum est filiae quidquid heres scriptus, quidquid manumissor pro herede possidet. Si manumissor nihil, *universam hereditatem* scriptus restituet. Ergo ne haec quidem verba necessitatem pariunt interdicti *quorum bonorum* introducendi, quod putabat Leist (l.l.)

6) Accus. III 48 § 125, ubi res perspicue exponitur.

7) L. 4 pr. D. 37. 4; l. 3 § 5, § 12 D. 38. 2.

8) L. 20 § 1 D. 38. 2.

Digitized by Google

heres adeat, ut accipiatur contra tabulas bonorum possessio [1]); quodsi postea alter quoque adierit, *singulis heredibus partes debitae aufer(e)ntur* [2]), sed erit, opinor, adversus postea adeuntem novo iudicio opus, *cum res inter alios iudicatae nullum aliis praeiudicium faciant* [3]). Donec autem hereditatem vel debitam partem evincat aut cognatus aut manumissor vel patronus, interim omnia *in bonis* sunt scripti *heredis*, quocirca per servum hereditarium ex qualibet causa adquiret, eaque victus restituet [4]), *nisi ex re heredis scripti* servus iste *stipulatus sit* [5]), quia non est *lucrum* [6]).

CXIII.

Ad noxalem iniuriarum actionem [7]).

Fortuito aliquando incidi in noxalem iniuriarum actionem, de qua nec multa sunt fontium testimonia et quatuor tantum innotuerunt mihi, nostra memoria, viri docti [8]), qui scripserunt. Et quidem constat inrefragabili Gai testimonio [9]) constitutam esse noxalem iniuriarum actionem edicto praetoris, proinde non mentiri Ulpianum vel sub huius persona Tribonianum, quum scribat [10]): *quum servus iniuriam facit, maleficium eum admittere palam est: merito igitur, sicuti ex ceteris delictis, ita ex hoc* [iniuriarum] *noxalis actio datur.* Sed, postquam concurrere coepit cum privata actione extraordinaria animadversio, quum directa tum noxalis actio in dies magis frequentari desiit. Testis est Hermogenianus [11]): *de iniuria nunc extra ordinem .... statui solet. Et servi quidem flagellis caesi dominis*

1) L. 3 § 5 D. 38. 2.
2) L. 43 D. 38. 2.
3) L. 1 D. 44. 2.
4) L. 32 D. 5. 3.
5) L. 33 eod. (D. 5. 3).
6) Cf. l. 28 eod.
7) Prius prodiit in: *Mélanges Gérardin* (1907).
8) Lenel (in edicto) § 195; Girard, *Nouv. rev. hist.* XIV (1890) p. 700[1]; Appleton, *Revue génér. du droit* XXIV (1900) p. 231[4]; Karlowa, *Rechtsgesch.* II p. 1169 sq.
9) IV § 76.
10) L. 17 § 4 D. 47. 10 (Paling. Ulp. 1360).
11) L. 45 D. 47. 10.

Digitized by Google

restituuntur, ... quocum facit locupletior auctor Paulus [1]): *servus, qui iniuriam aut contumeliam fecerit, si quidem atrocem, in metallum damnatur, si vero levem, flagellis caesus sub poena vinculorum temporalium domino restituitur.* Ergo videtur proprium hoc esse extraordinariae animadversionis, ut verberibus de servo ob iniurias sine ullo domini detrimento actori satisfiat. Sed turbat rem Ulpianus, qui post modo laudata sic pergit [2]): *sed in arbitrio domini est, an velit eum verberandum exhibere, ut ita satisfiat ei, qui iniuriam passus est* [3]). Itaque docet Lenel iniuriarum noxalem actionem habuisse clausulam velut arbitrariam: „nisi Numerius Negidius eum servum arbitratu tuo verberandum exhibebit", ex diverso Appleton Karlowaque [4]): apud praetorem fuisse servum offerendum verberibus et huius arbitratu actori satisfaciendum, post quod denegaretur noxalis actio, quae, quum semel data esset, ceterarum noxalium exemplo omnimodo induceret condemnationem „aut solvere aut noxae dedere". Equidem pro parte Ottoni Lenel, pro parte Carolo Appleton et Ottoni Karlowa calculum appono. Adsentior Ottoni Lenel, quum neget apud praetorem verberibus offerendum fuisse servum, ut noxalis actio evitaretur. Est apud praetorem hoc faciendum, quum extraordinaria animadversio intendatur [5]), non, ut evitetur noxalis actio, sed ut animadversio peragatur. Vestigio non me movet, quam laudat Appleton, l. 17 cit. (D. 47. 10) § 2: *servus meus opera tua flagellis caesus est a magistratu nostro*, ... quia ne uno quidem verbo ibi indicium fit, ob iniurias actum, nedum noxali. Ex diverso adsentior diversam partem tuentibus: in actione iniuriarum noxali nullam fuisse talem clausulam, qualem finxit Lenel. Rem deberi contendo Triboniano eiusque vestigia de-

---

1) V 4 § 22. 2) L. 17 § 4 cit.

3) Opportune conferri iubet Karlowa l. 24 § 3 D. 4. 4: *si servus .... minorem circumscripserit, ... aut verberibus castigandus aut noxae dedendus erit,* eaque pertinere putat, ut Alibrandi, ut Lenel, *Ztschr. der Sav.-St.* 39 (1918) p. 141, ad Lactoriae legis actionem (cf. fr. de form. Fab. § 4). Mihi potius videtur ibi quoque Tribonianus turbasse.

4) Quartus auctor totus est in aetate huius actionis definienda. In reliquo tractatu sequitur (*Mélanges Gérardin* (1907) p. 264 *Note*) Ottonem Lenel.

5) Cf. c. 2 C. 3. 42.

Digitized by Google

prehendi posse inprimis l. 17 cit. § 6: *si ante iudicem dominus verberandum servum exhibuerit, ut satis verberibus ei fieret, et erit factum arbitratu alicuius, postea actor agere perseveret, non est audiendus...*, quia neque scribere potuit Ulpianus *ante iudicem*, neque *arbitratu alicuius*. Sive enim *πρὸ δίκης* exprimere voluit, quemadmodum vertit in Basilicis [1]) Anonymus, erat dicendum *ante iudicium* [2]) sive *ἐπὶ δικαστοῦ*: *apud iudicem*. Haud magis dicere potuit *arbitratu alicuius*, nec significare: cuius [3]). Itaque remanet, ut scripserit Ulpianus: *si dominus verberandum servum exhibuerit, ut satis verberibus ei fieret, et erit factum, postea actor agere perseveret* [4]), *non est audiendus: qui enim accepit satisfactionem, iniuriam suam remisit*. Quae si recte habet coniectura, apparet, arbitrium esse penes actorem, utrum velit verberibus de servo sibi satisfieri necne, quemadmodum arbitrium eius est, utrum velit *pecuniariter agere* an *(in crimen) subscribere* [5]). Tantundem enim est hoc eligere atque verberibus sibi velle satisfieri; proinde tantundem satisfactionem eiusmodi recusare et *pecuniariter agere* velle. Consequens est non scripsisse [6]) Ulpianum sed Tribonianum: *sed in arbitrio domini est, an velit eum verberandum exhibere, ut ita satisfiat ei qui iniuriam passus est*, quae verba tollunt revera noxalem actionem, relinquunt autem solam animadversionem extraordinariam. Quae deinde sequuntur usque ad finem paragraphi, iure suo iam reddidit Triboniano (in Palingenesia) Lenel, Sed sequentem quoque paragraphum [7]): *ait praetor „arbitratu iudicis"*, *utique quasi boni viri, ut ille modum*

---

1) Bas. 60. 21. 16.

2) Vidit hoc Lenel, *das* edictum (1907) p. 388[5], quin immo reponendum censet *ante iudicium*. Quocum ideo non pugno, quia res eodem redit. Etenim, si ante iudicium electio est actoris, utrum velit verberibus de servo satis sibi fieri necne, vel magis erit eius post iudicium acceptum, *neque enim deteriorem causam nostram facimus actionem exercentes sed meliorem* (l. 29 D. 46. 2).

3) Vidit hoc Mommsen (ad Pandectas), itaque ut reponatur, suadet, *illius*. Sed firmat Pisanam literam Anonymus, qui vertit (Bas. 60. 21. 16 cit.): *τινός*. Accedit, quod *illius* non habebit, quo referatur, si stare non possunt *ante iudicem*.

4) Quod hoc modo propius fit vocabulum (*ei*), quod explicandum est, a vocabulo (*actor*), per quod explicabitur, bene habet.

5) L. 3 D. 47. 1. Cf. l. 93 (92) D. 47. 2.

6) L. 17 cit. (D. 47. 10) § 4.

7) L. 17 cit. § 5.

Digitized by Google

verberum imponat, superiora qui probaverit mea, negabit nemo esse restituenda Triboniano. Qui quam fuerit audax, etiam in edictis confingendis, experti sunt, qui dederunt operam Publicianae formulae resuscitandae. Cohaeret autem cum hac quaestione, quod videtur hactenus non observatum, Ulpiani textus [1]): *si servum in eadem causa sistere quidam promiserit et liber factus sistatur: si de ipso controversia est capitalium actionum iniuriarumque nomine, non recte sistitur; quia aliter de servo supplicium et verberibus de iniuria satisfit, aliter de libero vindicta sumitur vel condemnatio pecuniaria. Quod autem ad ceteras noxales causas attinet, etiam in meliorem causam videtur pervenisse.* Ergo hoc teste *de servo ... verberibus de iniuria satisfit*, licet agatur iure ordinario; opponit enim auctor iniuriarum actioni *ceteras noxales causas.* Sed non potest Ulpiani esse ultimus sensus: *quod autem ad ... noxales actiones attinet, etiam in meliorem causam videtur pervenisse;* inprimis, quia in proposita specie quaerendum non est, perveneritne propter manumissionem servus in meliorem causam, sed actorine manumissio profuerit, hic autem dici non potest propter manumissionem servi *in meliorem causam pervenisse* [2]), deinde, quia ipsa res contrarium loquitur, quae semper valet plurimum. Etenim non, sicut semper *plus cautionis in re est quam in persona* [3]) et semper *minus est habere actionem quam rem* [4]), ita semper expedit potius directam habere quam noxalem. Praestat habere directam, si manumissus solvendo futurus est, quodsi inops adempto peculio, noxalem; quia noxali actione adversus dominum instituta mancipium saltem ad nos transferemus, quum directa adversus inopem *inanis* sit [5]). Haud magis Ulpiani esse possunt proxima: *quia aliter de servo supplicium et verberibus de iniuria satisfit, aliter de libero vindicta sumitur vel condemnatio pecuniaria*, licet locum mutent sententiae membra, quod fieri suadet Mommsen (ad Pandectas), ut legatur sic: *quia aliter de libero vindicta sumitur vel condem-*

1) L. 5 D. 2. 9.

2) Ita nihilominus interpretatus est Anonymus (Bas. 7. 15. 5): εἰ δὲ ἕτερον ἦν τὸ ἔγκλημα, κρείττων γίγνεται ἡ αἵρεσις τοῦ ἔχοντος τὴν νοξαλίαν.

3) L. 25 D. 50. 17.

4) L. 204 D. 50. 17.

5) L. 6 D. 4. 3.

Digitized by Google

natio pecuniaria, aliter de servo supplicium et verberibus de iniuria satisfit. Etenim *condemnatio* non *sumitur* [1]), certe non *de (homine) sumitur,* ut *vindicta,* ut *supplicium*, quocirca improbanda est Mommseniana lectio, Florentina autem vel magis, quum èt hoc èt altero laboret vitio. Etenim supplicium *fit*, verberibus *satisfit*; non potest igitur unum verbum utrique nomini respondere. Indigna denique sunt Ulpiano haec: *si de ipso controversia est capitalium actionum iniuriarumque nomine*, nam quid hoc: *si de ipso controversia est?* quis denique unquam dixit *capitalium actionum nomine?* Quibus cancellatis interpositum quoque *iniuriarumque* concidet et remanebit hoc solum: *si servum in eadem causa sistere quidam promiserit et liber factus sistatur, non recte sistitur* [2]), tolleturque controversia Ulpiani l. 5 cit. cum Paulo l. 6 eod. et altera secum [3]), quam ingeniose magis quam ingenue tractavit Cuiacius [4]).

CXIV.

Quando in usu esse desierit mancipatio.

Quaesivimus aliquando [5]), quas propter utilitates post propositam Publicianam formulam diu manserit mancipationis solemnitas, adeo, ut apud Paulum et Ulpianum, quin immo Diocletiani temporibus ordinaria utique fuerit rerum mancipi per aes et libram alienatio. Diximus igitur, praeterquam quod in tradendo forsitan [6]) ususfructus deduci non potuerit, quodque citra mancipationem fiduciae pactum locum non habet, quodque propter legem Cinciam mancipationem fieri eorum interest, quibus donetur, qui non sint excepti, generaliter quoque tam in servis quam in praediis summam fuisse mancipationis utilitatem. In servis ideo, quia civitatem donare non potest, qui

1) *Sumi(tur)* quidem *duellum* apud Livium XXXVI c. 2.

2) Haec eadem salva facit Lenel, *Ztschr. der Sav.-St.* 39 (1918) p. 124/5, tribuitque Sabino, ut lateat in reliquis sub interpolatione sententia Ulpiani.

3) L. 1 pr. D. 48. 19. 4) Obs. X cap. 22 (i. f.).

5) cap. IV.

6) Nos scilicet probavimus opinionem Caroli Georgii Bruns (*Quid conf. fr. Vat.* etc. pag. 106).

Digitized by Google

servi non sit ex iure Quiritium dominus; Latinitatem autem cum suo damno donat [1]). In praediis ideo, quia non possidens tamen rectissime mancipio dare potest, et quia de mancipatione facilius constare potest quam de traditione, illius enim in scripto, huius *in facto* probatio *consistit* [2]). Est igitur in praediis tam insignis mancipationis utilitas, ut mirari nullo modo conveniat, cur ad provincialia praedia contra iurisconsultorum auctoritatem [3]) ea solemnitas translata sit, quod praecipue demonstratur Andueiae Batonis mancipationis instrumento [4]). Quae res imperatoribus quidem displicuit; rescribunt enim constanter rei tributariae proprietatem transferri non posse praeterquam traditione [5]); at vero fiscus, quam nactus erat praedae occasionem, ea fortiter usus est. Erat autem praedae occasio edictum divi Augusti, quo cavebatur, qui rem litigiosam a non possidente comparasset, sestertium quinquaginta milia poenae nomine fisco solveret, quod in provincialibus praediis aeque obtinuit, sed ibi quidem *prava usurpatione* [6]), quia poenae ita locus esse potest si praedium litigiosum a non possidente mancipio detur, quod fiebat quidem de tributariis sed sine effectu, quamquam vulgus aliter putabat. Improbat igitur iurisconsultus, cui debemus fragmenta de iure fisci, poenae exactionem eius rei nomine, quae propter iuris rationem nemini captiosa esse possit, quum pro infecta habeatur. Mancipationis quum haud sit infrequens commemoratio vel ipsius vel cum ipsa cohaerentis fiduciae in quarti saeculi constitutionibus [7]), post medium quintum saeculum ex usu communi recessisse ea videtur. Nam vera quidem *fiduci(a)* adhuc invenitur in instrumento quodam [8]) anni 444, attamen ab Interprete sententiarum

---

1) Observaverat Lenel, *Beitr. z. Kunde des Edicts* (1878) p. 32[45].

2) Paul. V 11 § 2. 3) Gai. II § 31 i. f. (cf. tamen § 63).

4) Bruns, font. (1909) n°. 133. Cf. Karlowa, *Rechtsgesch.* I p. 797.

5) Vat. fr. 316; c. 8 C. 4. 49; c. 13 C. 8. 27 (28). Cf. praeterea Vat. fr. 285; 289.

6) Fragm. de iure fisci § 8.

7) c. 4, c. 5, c. 7 C. Th. 8. 12; c. 9 C. Th. 15. 14. Annorum sunt 319, 333, 355, 395. At in c. 8 C. Th. 15. 14, quae dicitur *mancipatio* est emancipatio, ut emancipationis, quae legitur inter formulas Visigothicas (Zeumer: 34) *cartula mancipationis.*

8) Pap. Marin. 73 lin. 14 (Spangenb. p. 368 lin. 19).

Digitized by Google

Pauli iam constanter *pignus* vertitur [1]), omittitur denique in edicto Theodorici [2]). Quamquam retinuerunt, ut mancipationis [3]), ita fiduciae vocabulum formularii per sextum quin etiam septimum et octavum saeculum [4]), ipsi quoque Langobardorum reges [5]) fiduciam aliquam agnoscunt, quam pertinere vides [6]) ad ius Romanum, ut apud Ciceronem pro Flacco [7]) Graecam fiduciam. Magis movere potest, quod legitur in donatione quadam [8]) anni 553: *quae mancipanda erant mancipavimus*, sed fuerint ea potius ex antiqua aliqua actione repetita [9]). Sive igitur quinto sive sexto demum saeculo ex usu recessit mancipatio, quaerendum est, utrum tunc perdidisset utilitates, quas supra demonstravimus. Et quidem ususfructus in tradendo fieri deductionem, postquam prohibuerant [10]), mox aperte permiserunt Honorius et Theodosius [11]); fiducia autem non magnopere requirebatur, postquam visa est idem praestare posse ea lege venditio, ut pretio reddito res restituatur, vel inempta sit, quam Graeci πράσιν ἐπὶ λύσει [12]). Quod contrahendi genus,

---

1) II 12 (13) § 5 (2) sqq.; III 9 (6) § 53 (69); cf. tamen I 9 § 8; II 12 (13) § 4 (1); II 13 § 2 (7). Remittit mancipationem Interpres Pauli I 13 (13 A) § 4; cf. I 7 § 4 (5), § 5 (6), § 7 (8); II 12 (13) § 6 (3); II 17 § 2.

2) cap. 95 ex Paul. V 1 § 1.

3) Schupfer, *Manuale di storia del dir. ital.* (1895) p. 24: „*molti documenti fanno tuttavia cenno della* mancipatio *come un modo d'acquisto della proprietà*". Cf. Savigny, *Gesch. des röm. Rechts* II (1834) § 65 not. *d*, § 82 not. *d*. Laudatur praeterea Solmi, *la formula della* mancipatio *nei documenti piacentini* (Saec. VII).

4) Pergit Schupfer, l.l.: .... „*lo stesso dicasi della* fiducia". Cf. Savigny, *Gesch.* cit. II § 65 not *h*, § 82 not. *d*. Adferuntur praeterea ex Ambrosio et Sidonio Apollinari singuli loci, ubi *fiduciae pignorisque* mentio fiat a Cuiacio ad Paul. II 13.

5) Roth. 174; Liutpr. 57. Laudare solemus ex libro Papiensi.

6) Vidit Savigny, *Gesch.* cit. II § 82 ante notam *d*. Cf. praeterea Oertmann, *die* fiducia § 9.

7) 21 § 51. Cf. ad Fam. XIII 56 § 2.

8) Pap. Marin. 86 lin. 38 (Spangenb. p. 185 lin. 4/5).

9) Ita censet quoque Savigny, *Gesch.* cit. II § 65 not. *d*.

10) c. 8 pr. Th. 8. 12 (anni 415).

11) c. 9 C. Th. 8. 12 (anni 417).

12) Cf. Thalheim, *Rechtsalterthümer* (1895) p. 101[3]. Docet sane Dernburg, *Pandekten* I (1892) § 263 (p. 645), interesse, quod fiducia semper ad creditum accedat, creditum nunquam ad πράσιν ἐπὶ λύσει. Quod an nimis confidenter adfirmet nescio (cf. supra, cap. LXXXIX).

Digitized by Google

cuius apud Romanos vestigia tantum comparent [1]), nimirum, quia sero in locum fiduciae successit, hodie frequentatur [2]), itaque operae pretium est exquirere, quae eius pacti vis ac potestas sit. Qua in re disconvenit Gallos inter et Germanos iuris interpretes; nam Germani pactum personale esse dicunt, proinde primum dumtaxat emptorem eo obligari statuunt [3]); Galli autem ipsam rem huius pacti nomine obligari [4]), proinde quasi in rem scripta [5]) actione omnem emptorem conveniri posse existimant [6]), quod haesisse videtur [7]) ex prisco Germanorum instituto [8]). Exstat praeterea media sententia distinguentium [9]), utrum convenerit pretio reddito rem restitui, an vero inemptam fieri [10]), ut in rem actioni locus sit, quum convenerit inemptam fieri. Sunt proximae species in diem addictio, lex commissoria. Ergo ubi in diem addicitur [11]), sine dubio post

---

1) L. 12 D. 19. 5; l. 13 pr. D. 13. 7; l. 7 pr., § 1 D. 20. 5; c. 2, c. 7 C. 4. 54; c. 1 C. 5. 72.

2) Dernburg, *Pandekten* I (1892) § 263 (p. 645). Cf. praeterea Rabel, *Ztschr. der Sav.-St.* XXVIII (1907) p. 371/2.

3) Windscheid, *Lehrbuch* (1891) § 388. 1; Dernburg, *Pandekten* II (1892) § 95. 5.

4) Non posse docebat Cinus: *quia pactum est conventio personam afficiens, non* (= nunquam) *rem.* Quem laudat Cleveringa, *de zakel. werking* enz. Diss. Leid. 1919 p. 47.

5) Quidni simpliciter in rem? Cf. Garsonnet, *Traité de procéd.* I (1882) p. 514/5 (et 519/22).

6) Pothier, *Introd. génér. aux coutumes* n°. 122; *Vente* n°. 395. Hinc descendit *Code civ.* art. 1664.

7) Etiam Arthuro Kohler, *Archiv f. bürgerl. Recht* XV (1899) p. 92 (§ 41): „*offenbar .... durch deutschrechtliche Ideen bestimmt*".

8) Cf. Stobbe, *Handbuch* II (1875/6) § 106[15] (= Laband, *Vermögensr. Klagen* (1869) p. 268/70); § 88[5] (= Laband p. 271). Ergo velut ab secunda origine rem exponit Cleveringa, Diss. cit. p. 76/7, p. 90/1, p. 102/4, docendo, quomodo Doctores paulisper huic iuri responsa sua accommodaverint. Tractatus eximius dignusque summo praeceptore, quem secutus est. Inspicienda praeterea Arthuri Kohler § 41 (*Archiv* cit. XV p. 92—97) sed secundo loco.

9) Windscheid (1891) § 388[7]; Glück XVI p. 203.

10) Ea appellant verba directa.

11) Addit speciem Ulpianus l. 41 pr. D. 6. 1 huius modi legis: *ut, si alius meliorem conditionem attulerit, recedatur ab emptione,* quae quo pacto distet ab in diem addictione valde quaeritur (cf. e. g. A. Kohler, *Archiv* cit. XV p. 15/7). Mihi videtur nihil interesse re (cf. l. 2 pr. D. 18. 2), sed conceptione verborum (cf. l. 1 D. 18. 2) tantum, Ulpiano denique reddenda haec: *sed et si cui in diem addictus (mancipatus) est fundus.* Nihil obstat — obstare putat A. Kohler,

Digitized by Google

condicionem impletam in rem actio ad venditorem redit [1]) nec opus est directis verbis [2]). Quod autem attinet ad legem commissoriam, videtur quidem plerisque Scaevola respondisse [3]), lege commissoria quum venierit nec pretium solutum sit, *vindicari* res a venditore debere. Atqui non Scaevola respondit, verum consultor occupavit [4]), consultoribus porro Scaevolae genera actionum permiscere solemne est [5]). Idem iurisconsultus *le(ge) vectigali fundo dicta... ut, si... vectigal solutum non esset, is fundus ad dominum red(ire)t,... cum in exsolutione vectigalis tam* possessor *quam* huius *creditor*, cui pignori fundum dedisset, *cessassent et propterea pronuntiatum esset fundum secundum legem domini esse,... respondit, si... vectigali non soluto iure suo dominus usus esset, etiam pignoris ius evanuisse* [6]). Potest quidem Scaevolae placuisse conductionem perpetuam emptionem esse [7]) vel placuisse legem commissoriam in conductionibus quoque locum habere; sed non sequitur placuisse ei lege commissoria fundi vectigalis dominum extrinsecus nancisci vectigali non soluto in rem actionem, quam si habet is propterea, quod ius in agro vectigali vectigali non soluto persistere non potest [8]), manifestum est responsum ad propositam quaestionem omnino non pertinere [9]). Quod magis est. Ne Caracallae quidem rescriptum [10]), quod laudari solet, ad rem magnopere pertinet; pertinet Alexandri [11]), quo permittitur post commissum *vindicationem rei eligere*. Quocum frontibus adversis pugnat

---

Archiv cit. XV p. 8 sqq. — quod *sub condicione* (l. 77 D. 50. 17: expressa) ... *non recte* .... *mancipatur* (Vat. fr. 329), sive, quia conventio (Kohler p. 10: „*resolutiver Vorbehalt*") non est condicio (Kohler p. 2), sive, quia nihil opus in mancipatione hoc exprimere. Quod utrumque vidit Czyhlarz, *Resolutivbedingung* (1871) p. 68[1], p. 70.

1) L. 41 pr. D. 6. 1; l. 4 § 3 D. 18. 2; l. 3 D. 20. 6. Cf. l. 9 pr. D. 39. 3.

2) L. 41 pr. D. 6. 1 (Glück XVI § 1004).

3) L. 8 D. 18. 3.

4) Cf. Girard, *Manuel* (1911) p. 724[1].

5) L. 40 § 1, l. 32 D. 32.

6) L, 31 pr., § 1 D. 20. 1.

7) Gai. III § 145.

8) Superest, cur pignus intercidat. Diceret Marcianus (l. 8 pr. D. 20. 6) *sicut re corporali extincta ita et* superficie *extinct(a) pignus .... peri(re)*.

9) Pertinere putat Windscheid (1891) § 90[1].

10) c. 1 C. 4. 54. 11) c. 4 C. 4. 54.

Digitized by Google

eiusdem principis rescriptum alterum [1]), quo post commissum [2]) *rei vindicationem* denegat — ex abundanti [3]) adicitur: *si non precariam possessionem tradidit* — si quidem lex *ut, nisi reliquum pretium intra certum tempus restitutum (sit), ad* venditorem *(praedium) revert(a)tur*, a lege commissoria nihil differt, qua cavetur [4]): *ut, nisi intra certum diem pretium sit exsolutum, inemptus (fundus) fiat.* Quid ergo est? Contendit Ferrini [5]) superiore rescripto [6]) significari speciem, in qua non sit translata proprietas sed apud venditorem perseveraverit propter XII tabularum notissimam regulam, qua cavetur, rerum venditarum dominium ne transeat, antequam pretium solutum sit; quasi vero possit non concurrere lex commissoria et pretii debitio [7]). Mihi potius videtur ipsum rescriptum inter Alexandrum et Tribonianum ita partiendum: *commissoriae venditionis legem exercere non potest, qui post praestitutum pretii solvendi diem* [non vindicationem rei eligere sed] *usurarum pretii petitionem sequi maluit*, et liberandus Alexander sermone non bello: *eligere — maluit* pro: *elegit.* Cavilletur utique qui dicat [8]) tacitam subesse clausulam: *si precariam possessionem tradidit*, etsi fortasse Tribonianus non iure reclamaret, hunc enim suspi-

---

1) c. 3 C. 4. 54.

2) Nam concedit imperator *actionem ex vendito*, quae *ad diem pecunia non soluta* datur (l. 6 § 1 D. 18. 1; cf. l. 4 pr. D. 18. 3). Quod vidit A. Kohler, *Archiv* cit. XV p. 9 Retorquebat sententiae Karlowa, *das Rechtsgeschäft* (1877) p. 102: ante *praestitutum pretii solvendi diem* (c. 4 cit.) non sane ad rescindendam emptionem verum ad recipiendum residuum pretium agi posse. Quod profecto non est verisimile.

3) Ergo frustra huius clausulae ratione propositum rescriptum demoliri cupit Dernburg, *Pandekten* I (1892) § 112[9] (= *Pfandrecht* I p. 216 not. 27).

4) L. 4 pr. D. 18. 3.

5) *Pandette* (1900) p. 194[3] (§ 148). Cf. Mitteis, *Privatrecht* I (1908) p. 185/8.

6) c. 4 C. 4. 54.

7) Posset quidem exemplo Friderici Schulin (1875), cui videtur c. 3 C. 4. 54 ante commissum locum habere, ex ipsa lege Decemvirali Ferrini explicare, cur maneat apud venditorem lege commissoria in rem actio. Sed vexat eum c. 3 cit., quam aliter interpretatur, quae remanere docet, *si .... precariam possessionem tradidit*, alias *non*. Quod dispellit Girard, *Manuel* (1911) p. 724 not. 2 (p. 725) vertendo: *„s'il a suivi la foi de l'acheteur"*. Ceterum videndum est, utrum possit lege commissoria venditor emptoris fidem non sequi. Posse negat A. Kohler, *Archiv* cit. XV p. 24/5: *„ich halte den Eigentumsübergang für wesentlich"*.

8) Dixit Cuiacius Paris. IX 406 C.

Digitized by Google

cetur quis [1]) gemino rescripto conciliandi causa clausulam interpolasse: *si non precariam possessionem tradidit.* Ergo de summa re cum Ferrinio mihi convenit: iure genuino legem venditionis commissoriam nondum parere solitam in rem actionem. Quod autem attinet ad in diem addictionem, eo rem pertinere docet idem [2]), ut venditori [3]) desinat obstare post addictionem rei venditae et traditae exceptio, quasi vero hac ratione efficiatur, ne sit ambulatoria in rem actio [4]). Sed est dicendum, in diem addictionis propriam esse causam, ut ibi condicione existente ad venditorem in rem actio redeat, ceteris autem ex causis [5]), etsi convenerit, ut in aliquem eventum res inempta [6]) sit, nihilominus in personam esse actionem solam [7]). Cui sententiae non obstat l. 13 pr. D. 13. 7, quod nemo sanus negabit a verbis *sed et ipse debitor* Triboniano reddendum esse [8]). Ergo nihil prohibet, quominus sumamus: ubi convenerit,

---

1) Quin suspicari coepit Mitteis, *Privatr.* I (1908) p. 186 not. 72*a*. Prudenter addit: „*nicht zu voller Concordanz*". Concordarent autem omnia, si interpretaremur, ut in textu dictum est. Eam igitur interpretationem tecte damnat, etiam ex persona et mente Triboniani.

2) Op. cit. (*Pandette*) p. 195[1]. Cf. Mitteis, *Privatrecht* I p. 188. Dicitur invenisse Scheurl (Czyhlarz, *z. Lehre von den Resolutivbed.* (1871) p. 57 not. 8).

3) Qui rem mancipi dumtaxat tradiderit necdum (Czyhlarz, op. cit. p. 62/3) usu perdiderit.

4) Cf. Erman, *Ztschr. der Sav.-St.* XIII p. 205: „*es ist praktisch so, als hätte* pendente condicione *das Eigentum dem Käufer zugestanden, um dann auf den Verkäufer überzugehen*". Atqui, postquam τὸ πρακτικόν apparuit, confecta res est. Τὸ γὰρ διαλεκτικὸν κενόν. Cf. Aristot. de animo I 1 § 11.

5) Quum res venierit sic; *nisi emptori displicuisset*, et emptor interim eam pignori dederit, condicione existente *pignus finiri* Marcellus *non put(a)t* (l. 3 D. 20. 6). Sed de genere actionis venditoris nihil exprimit.

6) Vel non donata, nisi de mortis causa donatione (l. 29 (*si vero sic* rell.) D. 39. 6) proprius tractatus est. Cf. interim Pernice, Lab. III p. 280[2]; Dernburg, *Pandekten* III (1892) § 117 not. 12 et 13; Mitteis, *Privatrecht* I 1908) p. 189; Girard, *Manuel* (1911) p. 949 not. 4 et 6 (p. 950).

7) Quodsi nihil convenerit, *vindicationem quoque divi principes* donatori *dandam esse sanxerunt .... eo, quod* donationis *legi*, alimenta ut praeberet, donatarius *obtemperare noluerit* (c. 1 C. 8. 54 [55]). Quod iure Gallorum ad omnes omnium contractuum leges porrectum est (Pothier, *Bail* n°. 61), modo quis aliter contracturus non fuerit (*Vente* n°. 475. 7).

8) Cf. Faber (in Rationalibus); Eisele, *Ztschr.* cit. XIII (1892) p. 125; Pernice, Lab. III (1892) d. 194[1]; A. Kohler, *Archiv* cit. XV (1899) p. 59/60; Mitteis, *Privatrecht* I (1908) p. 189/90; Girard, *Manuel* (1911) p. 451 not. 2 (i. f.).

Digitized by Google

si pretium venditor reddiderit, ut ad ipsum proprietas redeat, tantum ex vendito esse actionem. Unde profectus Bilderdijk [1]) conatus est imperatoris Alexandri cum semet ipso controversiam tollere. Qui videbatur docere [2]): post legem commissoriam *vindicationem rei* esse, idem [3]): quum pactus sit venditor, *ut, nisi reliquum pretium intra certum tempus restitutum esset, ad se (praedium) reverteretur*, solam esse ex vendito actionem. Ergo haec a lege commissoria transfert Bilderdijk ad πρᾶσιν ἐπὶ λύσει rescribendo *si* pro *nisi* et damnando *reliquum*, ut fiat: *si pretium intra certum tempus restitutum esset.* Violenta nimis est medicina; praeterea eo refellitur, quod additur clausula *si non precariam possessionem tradidit*, quae locum habere potest in lege commissoria [4]) sed absurda est, ubi pretium proponitur solutum. Quod vero supra diximus: iure singulari receptum esse, ut in diem addictio locum faceret in rem actioni, idem docuit iam pridem Dernburg [5]), sed non satis exprimit, utrum ius istud singulare hodie factum sit commune, id est, sitne moribus porrectum novis ad conventiones de inempto eo, quod venierit, faciendo quibusdam exceptis reliquas. Quod videtur utique Bernhardo [6]) salva voluntatis quaestione („*wo der Wille unzweifelhaft auf (die direkte Wirkung) gerichtet ist*"); renuit negitatque Arthur Kohler [7]). Multo apertius, apud quos propria Germanorum instituta semper fuerunt in honore suntque, vel certe tenacius quam in ipsa patria haeserunt: apud Anglos et apud Gallos conventionibus resolventibus ipsam rem apprehendi declaratur. Verba sunt Henrici de Bracton [8]): *conventiones, condiciones et pacta et modi diversi donationum ..., si in continenti apponantur ..., ligant personas contrahentium* [9]) *et obligant ipsam rem datam* [10]) *et transeunt cum ipsa*

1) Obs. I 17. 2) c. 4 C. 4. 54.
3) c. 3 C. 4. 54. 4) L. 20 D. 43. 26.
5) *Pandekten* I (1892) § 112 (p. 262/3). Ab utra parte sit ius singulare, haud magis explicat vol. II § 95 (p. 257/8).
6) *Lehrbuch* (1891) § 90[4].
7) *Archiv f. bürgerl. Recht* XV (1899) p. 4/5.
8) De legibus et consuet. Angliae II 5 § 12 (p. 128).
9) Hoc semper verum.
10) Hoc interdum fallit, veluti, *si dicat donator: do tibi talem rem, ut invenias mihi necessaria, ex hoc obligatur donatarius et non ipsa res .... Si autem sic*

Digitized by Google

re de persona in personam [1]), nec discrepat Pothier [2]): „*Toutes les clauses expresses ou sous-entendues sous lesquelles un héritage est aliéné l'affectent à l'obligation que l'acheteur contracte par rapport à cet héritage envers celui qui le lui aliène et en cela ces clauses ont plus d'efficace que les simples conventions, qui ne peuvent affecter à l'obligation qui en résulte la chose qui en fait l'objet*". Quod ita verum erit, si dominus alienaverit, alioquin poterit quidem pactum quemlibet in rem succedentem, id est, secundum [3]) tertium quartum ulteriorem emptorem obligare, non vero ubique, id est, quolibet possidente durare. Nonne igitur res captiosa comparatoribus? Non, si condicio revertendi dominii *παραθέσεως* [4]) lege praediorum libris adnotanda [5]), ne tum quidem, si hac lege tenebit pactio: *dummodo secundum mores hodiernos in immobilium venditione . . . solemni traditioni coram lege* [6]) *loci faciendae inserta fuerit* [7]), etsi praestat superior vulgandi modus, quia in oculos magis incurrit *τὸ παρατεθὲν* quam, quod sic inseritur [8]). Sed quid, ubi non sunt praediorum

---

dicat: quod invenias sibi necessaria ex re data, ex tali donatione obligatur tam ipsa res quam persona. Idem erit, si in donatione adiectum sit, ut, *si non fiat quod convenerit* etc., *bene liceat donatori et heredibus suis ponere se in rem datam* (II, 19 § 4 [p. 374]). Et quidem, ubi condicio est in faciendo vel non faciendo, nullus labor. Quodsi non est, quaeritur, utrum iure civili (*at common law*) possit feodo finem imponere. Qua de re cf. Pollock, *the land laws* (1887) p. 122, 221/3; *Stephen's Commentaries* I (1899) p. 158 (et p. 212/4); Digby, *History of real property* (1897) p. 264, sed inprimis Pollock.

1) Hoc manere docent *Stephen's Commentaries* I (1899) p. 345, 361: „*In a deed of conveyance a covenant directly relating to the land conveyed will, ... in general, run with the land*".

2) *Introd. génér. aux coutumes* n°. 122.

3) *Secundus emptor* est, qui a primo emit (l. 66 § 2 D. 21. 2).

4) Eam hodie vocant *Vormerkung*. Cf. Mitteis, *Archiv für Papyrusf.* I p. 196; *Grundzüge* (1912) p. 103/4.

5) Hoc fieri permittitur nova lege Germanorum (*B. G.-B.* § 883).

6) I. e. magistratu.

7) Voet ad Pandectas XVIII 3 § 7 (addit: *cum alioquin nullum pactum immobilia soleat afficere ullo iure in re*).

8) Besson, *Livres fonciers* (1891) p. 157: „*cette publicité indirecte ne saurait suppléer celle des registres hypothécaires. Les cas d'éviction que la lecture des titres transcrits pourraient déceler à un homme instruit et attentif échapperont le plus souvent à la généralité des intéressés*".

Digitized by Google

libri? Si dominii mutatio instrumentum exigit [1]), cavendum est, ne πίστεις [2]) obtineant adversus eos, qui in rem succedunt [3]), quae cautio ne tum quidem erit omnino supervacanea, quum sint libri iusque sit ut stetur transscripto [4]). Quodsi proprietati transferendae traditio vel consensus sufficit, caveatur opus est, ne conventio vel modus comparatori, qui ignoraverit, obici possit, quod intellexit Molinaeus [5]), intellexerunt Angliae cancellarii, quum fiduciae actionem *(writ of subpoena)* opus suum adversus emptorem [6]) extenderunt. Denegaverunt enim actionem adversus emptorem, qui ignoraverit [7]). Quod ius hodie quoque in usu est [8]), etiamsi hodie sine scriptura nihil [9]) alienari potest [10]). Plane, ubi per Statutum [11]) fideicommissarius [12]) *(cestui que trust)* directas in rem actiones habet, emptor conveniri potest, qui fiduciae non potest: competit enim directa actio adversus omnem possidentem, nec interest, quo temporis puncto nata sit. Ergo, licet ante alienatum sit, condicio fideicommissi postea extiterit, tamen emptori res auferetur, etiamsi maxime ignoraverit condicionem [13]). Quod potest emendari, quibus prae-

1) Ita cautum erat apud Gallorum plerosque ante Codicem civilem, quod ius effectu reductum est lata transscriptionis lege (Baudry-Lacantinerie, *Traité* etc. XIX (1905) p. 12, p. 195 = *Vente* nis. 18, 185). In donationibus nunquam desierat (art. 931).

2) Eas hodie vocant *contre-lettres*. Hoc sensu occurrit vocabulum Pap. Oxy. 472, 15. 16. 18. 20. 23. 37. Exempla manent: P. Oxy. 508; Ryl. 323.

3) Ita cautum est *Code civ.* art. 1321 (cf. Baudry-Lacantinerie, *Traité* etc. XV (1908) p. 126 = *Obligations* n°. 2406. 2).

4) Nihil enim obstat, quominus πίστις transscribatur. Ergo fallit Baudry, op. cit. XV p. 127 (n°. 2408), sed rem restituit p. 131/3 (n°. 2412).

5) *Archiv f. bürgerl. Recht* XV (1899) p. 81. — Ex diverso Pothier, *Bail* n°. 84, tuetur comparatorem non, si ignoravit, sed quamdiu ignorabit. Quo nihil absurdius cogitari potest.

6) a fiduciario domino (*trustee*).

7) Digby, *History of real property* (1897) p. 326/7.

8) *Stephen's Commentaries* I (1899) p. 270; Pollock, *Land laws* (1887) p. 112/3.

9) Supra ius trium annorum instantium.

10) *Statute of frauds* (29 Car. II c. 3). Cf. Kerr, *the Student's Blackstone* (1887) p. 180; Digby, *History of real property* (1897) p. 145[1] (*feoffment*), 242 (*leases*), 373[2] (*trust estates*), 413[1] (*at common law*), 415[1] (*assignment*).

11) *Statute of uses* (27 Hen. VIII c. 10). Editur apud Eduardum Digby, *Hist. of real property* (1897) p. 347 sqq.

12) Iure Anglico inter fiduciam et fideicommissum nihil interest.

13) Digby, *Hist.* cit. p. 360 cum not. 3 (p. 361).

Digitized by Google

diximus modis; ceterum vel sic manebit propter condicionis incertum evictionis periculum, quia ne libri quidem ipsi possunt ultro docere comparatorem, defeceritne condicio subsistatve [1]). Quocirca potestatem condicionis sub qua resolvitur, circumscriptam hactenus volebat Jhering [2]), ut contrahentes dumtaxat obligaret, Gratama noster [3]) alterius quoque generis condicionis, quia par causa est, etsi negat Erxleben [4]). Apparet autem hoc ne Germanorum quidem legislatorem sancire ausum [5]). Nec mirum, quum audiamus ipsum propugnatorem novi praediorum iuris Emmanuelem Besson sedulo contra disserentem [6]): *„la condition résolutoire expresse ou tacite pour inexécution du contrat... doit être maintenue. Elle repose en effet sur le droit inné du propriétaire de récupérer sa chose, faute par l'acquéreur de remplir ses engagements. Par la suppression de l'action résolutoire on n'arriverait qu'à créer un crédit immobilier factice au détriment du véritable propriétaire"*. Idem fere sentiunt eius gentis monumentorum publicorum legibus scribendis totviri [7]); populum vix passurum extorqueri sibi, quam nunc habet, rem obligandi facultatem, civis meus doctus et perspicax et magnus futurus Cleveringa [8]). Ad mancipationem ut revertar, illud, quod fuit nobis tertium: propter legem Cinciam nonnumquam testes cum libripende adhibitos esse, id postea fieri desiit, quam eam legem, verbis ut utar Iustiniani [9]), *εὖ ποιοῦσα τῆς*

1) Quum subsistit, minus refert, sitne impleta possitve impleri.

2) *Geist* etc. III (1877) § 55 not. 265 et post not. 265 (p. 208).

3) *Hervorming van ons zakelijk recht* (1870) p. 60/2.

4) *Die* condictiones II (1853) p. 110.

5) In translatione proprietatis condicionem exprimi vetat (*B. G.-B.* § 925), sed permittit, ut diximus, conventionis resolventis nomine *παράθεσιν* (*Vormerkung*). In hypothesis dandis non intercedit, quominus condicio exprimatur (cf. Werner, *die preuss. Grundbuchgesetze* II (1872) p. 23).

6) *Livres fonciers* (1891) p. 441/2.

7) *Commission extrapart. du cadastre*, fasc. 9 (1905) p. 107/8: *„(la suppression de l'action résolutoire) favoriserait sans doute la circulation des capitaux, mais non d'une manière équitable et loyale; elle sacrifierait l'intérêt du précédent propriétaire et méconnaîtrait la convention des parties"*.

8) *De zakel. werking* etc., Diss. Leid. 1919 p. 176: *„de maatschappij heeft gesproken: zij wil eene zakelijk werkende ontbindende voorwaarde"*. Praeiveram: *Het goed recht der stilzw. zaakverbanden* (1914/5) post notam 287. Sed in Hollandia nondum legor.

9) Nov. 162 c. 1 pr.

Digitized by Google

οἰκείας νομοθεσίας ἀπεπέμψατο πρώην ἡ πολιτεία, quod factum oportet post annum 319, conservat enim Cinciam eo anno magnus Constantinus [1]), quin novit eam Interpres Pauli [2]). Quam vero in servorum persona generalem diximus mancipationis utilitatem: ut dominus mancipio suo civitatem Romanam donare posset, eius rei causa dominorum interesse desiit, quando Latini Iuniani civibus Romanis permisceri coeperunt. Quod in partibus Orientis ante sua tempora admissum Iustinianus significat [3]), nam hoc vult, nisi fallor: *nomen* eorum *non frequenta(ri)*, et ubi docet [4]): legis Iuniae et Largiani senatusconsulti et edicti Traiani *plena(s) quidem fu(isse) nostra(s) leges, non autem in rebus (fuisse) eorum experimentum.* Quod placere video Ludovico Mitteis [5]). Sane post Constantinum Magnum ea distinctio negligi coepit, qui de Latinis ter edixit [6]) et potest videri per partes Occidentis diutius observata esse [7]), ubi non tantum medio quinto apud Salvianum [8]), sed etiam sexti saeculi initio quum Visigothorum [9]) tum Burgundionum [10]) Romanis legibus Latini liberti commemorantur. In Italia quidem sub Gothorum dominatione neque in edicto Theodorici neque in instrumentis Latini apparent, itaque videri possunt iam ante Iustinianum inde migrasse. Transmarinis quondam provinciis iidem cogniti fuerunt, donec sub Francis iam nihil interesse creditum est inter civitatem Romanam et libertatem [11]). Illud denique, quod praediorum proprium esse diximus: ut nuda mancipatione possent transferri, cessavit utilitas, posteaquam placuit in praediis

---

1) c. 4 C. Th. 8. 12.

2) V 12 (11) § 4. Exceptae personae huic sunt *parentes*, quod *cognatos* vertit Haenel.

3) § 3 Inst. I 5. 4) c. un. § 1*a* C. 7. 6.

5) *Reichsrecht und Volksrecht* (1891) p. 379/80.

6) c. 1 C. Th. 2. 22; c. 3 C. Th. 4. 12 (11); c. 1 § 4 C. Th. 9. 24.

7) Res non latuit Ferrinium, *Pandette* (1900) p. 70 not. 3 (i. f.).

8) Locum laudavit Gaupp, *die german. Ansiedlungen* etc. (1844) p. 64[3], exscripsit Cuiacius, Obs. IV 5.

9) c. 1 C. Th. 2. 22 (c. interpr.); c. 1 C. Th. 9. 19 ex 24 (c. interpr.); lib. Gaii tit. I; Paul. IV 11 (12) § 1 (c. interpr.). De Latinis ingenuis est Paul. IV 9 § 1 ex 8 (adscribitur: *interpretatione non eget*).

10) Tit. 44 § 5.

11) Cf. Fustel, l'*Alleu* (1889) p. 331/3.

Digitized by Google

quoque transferendis traditione opus esse omnimodo. Quod placuisse certiores fimus constitutione magni Theodosii [1]): *quodsi praedia rustica vel urbana placitum* (suffragii, scilicet) *continebit, scriptura, quae ea in alium transferat, emittatur, sequatur traditio corporalis et rem fuisse completam gesta testentur: aliter enim ad novum dominium* (C. Th.: *dominum) transire non possunt.* Quam constitutionem plerique docent tunc tantum locum habere, quum ex causa suffragii dominium transferatur. Sed magis est [2]), ut videatur ad suffragii causam generalis regula apponi, nam id suadet quum in hac parte constitutionis vox *enim* tum in praecedentibus, quae non exscripsi, *quoniam.* Quae generalis regula non dubito quin descendat ex Constantini notissimo placito [3]), quod de donationibus quidem nominatim scriptum est, sed ita, ut ceterae adquirendi causae magis omissae videantur quam exclusae his maxime verbis [4]): *non enim aliter vacua iure dantis res erit, quam... abscessu sui, si domus aut fundus aut quid eiusdem generis erit, sedem novo domino patefecerit.* Id est nimirum, quod posteri dixerunt: *donner et retenir ne vaut.* Cuius novi iuris gratia in Digestis translata est ad rei vindicationis titulum, quae ad Publicianum iudicium pertinebat, sententia Callistrati [5]): *si ager ex emptionis causa ad aliquem pertineat, non recte hac actione agi poterit, antequam traditus sit ager, tuncque possessio eius amissa sit,* quae fraus non latuit Ottonem Lenel [6]). Eadem causa fuit detrahendi praedii qualitatis mentionem veteribus rescriptis uni [7]): *qui praedium obligatum a creditore comparavit, si in vacuam possessionem inductus non est, nullam in rem actionem habet,* alterique [8]): *si pater tuus venumdedit portionem suam nec induxit in vacuam possessionem praedii ius omne penes se eum retinuisse certum est...*

---

1) c. un. § 2 C. 4. 3 = c. 2 § 2 C. Th. 2. 29 (anni 394).
2) Diximus cap. LXVIII (1896).
3) Vat. fr. 249 = c. 1 C. Th. 8. 12 = c. 25 C. 8. 53 (54).
4) Vat. fr. 249 § 7.
5) L. 50 pr. D. 6. 1.
6) *Das* edictum (1883) p. 129[10].
7) c. 13 C. 8. 27 (28).
8) c. 8 C. 4. 49.

Digitized by Google

fuit enim *praedium tributarium*, *praedii tributarii* [1]); in Italicis siquidem praediis secundum genuini praecepta iuris sola mancipatione civilis in rem actio quaeri poterat. Mirum, quod mutati iuris oblitum se ostendit Iustinianus interpolando constitutionem quandam Constantini Magni [2]), quam integram servavit Theodosianus codex. Scribit enim *res, pro quibus actor a reo detentis intendit, in coniunctam personam vel extraneam ... minime transferri ab eodem actore lice(re)*. Itaque id fieri vetat, quod mancipatione sublata fieri iam nullo modo poterat.

(Continuabuntur.)

---

1) Cf. Vat. fr. § 316.

2) c. 2 C. 8. 36 (37).

Digitized by Google

ANNOTATIONES AD HOR. EPL. I, 14.

SCRIPSIT

I. I. HARTMAN.

Optime de literis nostris mereri qui iis *delectantur* tantummodo, ideoque ab hoc ipso *delectandi* verbo nomen habent, saepe dixerunt alii et ego identidem declaravi et nunc quoque declaro. Nam si latina graecaque iis tantummodo cordi essent qui in iis posuerunt vitae tabernacula, mox omnes omnium philologorum interpretationes emendationesque neglectae iacerent mortuaeque, tandemque aliquando nihil iam ex eo genere proferretur quod memoratu esset dignum. Contra, si vel unus extraneus interdum nos de aliquo loco versuve consulit, subito nescioquid ardoris vigorisque nobis accedit, dignioresque nobis denuo nostrae videri incipiunt literae quas nocte et interdiu nobiscum volvamus revolvamusque, si quid inde proferre possimus quod et novum sit verumque et aliquam habeat utilitatem.

Quid vero si quis ex eo hominum cultiorum numero ipse invenit aliquid quo locus aliquis latini graecive poetae scriptorisve illustrior fiat, venustior, purior. Quod licet raro ut eveniat ipse rei ferat natura, tamen mihi haud semel contigit.

Velut nuper ad me de nostrae epistolae (I, 14) versibus quibusdam quaedam minime spernenda scripsit verbi divini minister quidam. Quem hic „pastorem meum" appellabo. Nam ipsum nomen eius fortasse legentium alicui, „aurem qui modo non habet Batavam" inter tot latina vocabula auditu paulo est ingratius. Est enim nomen eius *Boerendonk*, gregemque pascit in pago qui *Schermerhorn* dicitur.

Digitized by Google

Is ergo mihi de quibusdam huiusce epistolae (I, 14) versibus scripsit quaedam quae statim digna mihi visa sunt quae philologorum permitterem iudicio. Quae nunc hic sic proponam ut meae ipsius includam disputationi.

Vs. 4 sq.:

certemus, spinas animone ego fortius an tu
evellas agro et melior sit Horatius an res.

Sic Horatius salse et urbane vilicum suum alloquitur, ruris osorem, vitae urbanae amatorem.

De versu 5 quid ipse olim annotaverim primum dicam.

„*Res*, D. Heinsius *rus* et hoc commendari aiunt loco Sidonii Apollinaris:

„unquamne nos Dei nutu, domine maior, una videbit ager ille tuus Octavianus, nec tuus tantum quantum amicorum? Qui civitati, fluvio, mari proximus, hospites epulis, te pascit hospitibus. Praeter haec, oculis intuentium situ decorus, primore loco, quod domicilium parietibus attollitur, ad concinentiam scilicet architectonicam fabre locatis: tum sacrario, porticibus, ac thermis conspicabilibus late coruscans: ad hoc agris aquisque, vinetis atque olivetis vestibulo, campo, colle amoenissimus. Jam super penum vel supellectilem copiosam thesauris bibliothecalibus late refertus: ubi ipse, dum non minus stylo quam vomeri incumbis, difficile discernitur, domini plusne sit cultum rus an ingenium".

Saepe hoc fieri videmus ut quo quisque sit obscurior scriptor eo plus habeat auctoritatis, neque ergo magnopere miramur uni alterique philologorum tanti momenti visum esse quod ex Sidonio afferretur ut contra hiscere non auderent, immo vero eos ad Sidonium Apollinarem provocando gloriolam quandam sibi appetivisse tamquam si illum sedulo lectitavissent lectitarentque probe intelligimus. Sed apud Horatium opponuntur inter se Horatius et eius *res*. Verum Sidonius suo *domini ingenium* et *domini rus* variat locum, quia mutatur contextus".

Hanc meam annotationem, meamque hac innixam interpretationem (in libro c. t. *Beatus Ille*) laudat probatque pastor meus sed ipse praeterea mihi proponit coniecturam quandam suam, quae mihi et ingeniosa videtur et vera, quaeque versui

Digitized by Google

nostro novum adiiciat splendorem. Putat enim ab Horatio voce illa quae est *res* non solum Horatii praedium sed simul (tecte ambigueque) ipsum significari vilicum, mancipium eius, ita ut *melior* sit *melior pugna* cll. ep. X, 34:

cervus equum *pugna melior* communibus herbis
pellebat, donec minor in certamine longo e. q. s.

Nam ante omnia hoc agitur ut lis inter dominum servumque de vita recte instituenda ad finem perducatur.

Mire mihi nova haec arridet interpretatio, quae praeterea et hoc boni habet quod sic multo minus dura sit omissio genitivi possessivi *eius*.

Versum 9 egregia emendatione sanasse mihi pastor meus videtur.

Ut significet magno se ruris, quod vilicus fastidiat, desiderio teneri, his verbis poeta utitur:

istuc mens animusque
fert et amat *spatiis* obstantia rumpere claustra.

Cui, semel monito haec sana videri possunt? Dicat ille quae sint claustra *spatiis* obstantia. Legamus cum pastore: *pratis* pro *spatiis*. Lepide nunc Horatius semet ipsum comparat cum *bove*, qui de via in pratum vel suum vel alienum effugere cupit ibique per otium ruris amoenitate et abundantia perfrui, sed claustris quominus id faciat prohibetur.

Versu 11:

cui placet alterius, sua nimirum est odio sors

ingrate inter se divelli versus 10 et 12:

rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum
stultus uterque locum immeritum causatur inique

pastor meus intellexit. Hunc ergo versum 11 inter 42 et 43 ponit:

invidet usum
lignorum et pecoris tibi calo argutus et horti.
Cui placet alterius sua nimirum est odio sors.

Sic melius res procedit.

Age, a tam sincero bonarum literarum amico τὸ ἐνδόσιμον λαβών et de meo quaedam ad lepidissimam hanc epistolam annotem.

Ut omnia quam artissime cohaererent, multa viri docti hic sunt moliti. Sic Lucianus Mullerus vss. 12 et 13

Digitized by Google

stultus uterque locum immeritum causatur inique;
in culpa est animus, qui se non effugit unquam

delet, post 11 ponit 31; restat ut etiam vs. 18 *et hoc* legat pro *eo*. Mihi satis videtur vs. 31 transponere si enim vss. 12 et 13 absunt, nullus est *concentus* inter dominum et vilicum. Nunc vs. 1—13 sic disputat poeta: „a vero philosopho, qui omnia ad mentis statum refert, non minus longe ego absum quantu: hic est inter nos *concentus*". vs. 31:

nunc age quid nostrum concentum dividat audi.

vs. 14—17: „tu modo urbem, modo rus laudas, ego mihi in rure laudando consto".

vs. 18—30: *non eadem miramur:* tu tantum de corpore bene curando cogitas, ego sanam mentem in corpore sano expeto.

vs. 32—40 *cum servis:* corpus sanum et mentem placidam atque quietem mihi praebet vita rustica.

vs. 40: *urbana diaria rodere mavis* — 44: tu servis urbanis invides, illi tibi; sic equus bovi, bos equo invidet.

Est quaedam philosophia, quae possit et homines de vulgo contentos sua reddere sorte: ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέγνην.

vs. 1: *mihi me reddentis* in hoc sunt omnia.

2: *habitatum:* causam fastidii continere potest ut *quinque* sit: „non plus quinque". Sed lepidius est si *concessive* positum sumimus.

4: *certemus:* uterque nostrum est emendandus, hic est noster *concentus*.

7 et 8: *rapto de fratre dolentis insolabiliter* delet Francius. Mihi illa verbositas in amoenissima hac reprehensione vehementer placet. Et est omnino Horatio opera danda ut quam maxime appareat se nunc *non posse* ex urbe rus evolare.

14: *mediastinus* rectius *mediastrinus*. Secundum Nonium est: „curator aedium non balnearum" sed fortasse hanc significationem petivit e nostro versu. Versus ab eo allati (Lucilii et Catonis) vim nominis non illustrant. Ex hoc loco ego efficio esse satis contemptam speciem servorum urbanorum. Si formatum est a *mediaster* (Cic. *surdaster*, Plautus *peditastellus*) sic significari potest servus, quo ceteri servi tamquam aliquo internuntio et baiulo inter se utuntur. Est convicium aut con-

Digitized by Google

vicii instar. Admodum mihi utile fuit vertenti vocem vernaculam „middenman" (De Genestet, leekedichtjes 45).

14: *tacita prece:* non urgenda haec vocabula, nisi vis absurdi aliquid evadere.

15: Ego in vocibus inter se oppositis *mediastrinus* et *vilicus* hanc inesse suspicor vituperationem: „quamquam ad summum locum evectus es, tamen contentus non es". Cf. Pomp.

longe ab urbe vilicari, quo erus rarenter venit,
id non vilicari sed dominari mea est sententia.

20: *mecum qui sentit:* qui mentem vult ex colere philosophia.

26: *terrae gravis* cf. Lucr. V, 1397 de: antiquis agricolis vere genio indulgentibus:

tum ioca, tum sermo, tum dulces esse cachinni
consuerant „agrestis enim tum Musa vigebat.
Tum caput atque umeros plexis redimire coronis
Floribus et foliis lascivia laeta monebat
Atque extra numerum procedere membra moventes
Duriter et duro *terram pede pellere matrem.*

ib. et *tamen* urges e. q. s.

Connexum ego hunc esse censeo: „tu, qui tam gravi cotidie fungeris labore, iure tuo recreationis aliquid postules".

28: *exples:* at tuum curare corpusculum vix tibi vacat.

30: multa mole docendus aprico parcere prato.

Ipsum metrum, ni fallor, *depingit* laboris *difficultatem.* Cf. epl. 9, 4:

dignum mente domoque legentis honesta Neronis.

Et quadamtenus etiam epl. II, 2, 1:

Flore, bono claroque fidelis amice Neroni.

Nolim simile aliquid statuere de C. I, 2, 19 sq.

u-
xorius amnis.

33: *immunem:* non muneribus sed ipso flore aetatis cam mihi devinciebam.

34: quem bibulum liquidi media de luce Falerni.

Hinc formatum Epl. I, 18, 91.

38: *limat* novum hoc sensu verbum quod commentus est Horatius secundum notum illud *limis oculis.* Conferri potest

Digitized by Google

Dantei versus ubi rusticus qui subito in urbem venit *inurbarsi* dicitur.

39: *cum servis.* Post *servis* virgulam ponit Madvigius. Simili medela sanandi versus 46 sqq. Eplae 17:

„indotata mihi soror est, paupercula mater
et fundus nec vendibilis, nec pascere firmus"
qui dicit, clamat: „victum date;" succinit alter:
„Et mihi!" — dividuo findetur munere quadra.

Et eiusdem Eplae 58 sqq. sic distribuendi:

nec semel inrisus triviis attollere curat
fracto crure planum, licet illi plurima manet
lacrima. Per sanctum iuratus dicat Osirin:
„credite, non ludo: crudeles tollite claudum".

„Quaere peregrinum" vicinia cauta reclamat *(cauta* egregia est Marklandi emendatio pro absurdo *rauca*).

40: *Rodere:* quia parcus victus.

41 sq.: *invidet — argutus.* Lepide Kiesslingius illud *argutus* sic accipit ut cavere moneatur vilicus ne a domino impetret calo ut cum eo (vilico) sortem mutet.

42: *calo:* aliquis servus urbanus.

Digitized by Google

DE MANILII AETATE.

SCRIPSIT

J. VAN WAGENINGEN.

Quinquennio ante, cum Manilii Astronomica ederem, in praefatione editionis meae (p. IX—X) nonnulla temporis indicia collegi, ex ipso carmine petita, quibus demonstrarem Astronomicorum libros I et II inter a m 9 et a m 14 post Chr. n. compositos esse, quartum autem librum scriptum esse post a m 14, quippe qui temporis indicia contineret, quae omnia ad aetatem spectarent, qua Tiberius iam rerum potitus esset, Augustus modo mortem obisset. De libro quinto tum nihil addidi, quoniam eum omnino temporis indiciis carere putabam, sed nuper commentarium meum Latinum huius libri retractans in locum incidi, qui forsitan etiam de aetate, qua Manilius librum quintum condidit, aliquid certi nos docere possit.

Eo libro, ut notum est, poeta agit de sideribus, quae Graeci παρανατέλλοντα appellant, h. e. de iis, quae una cum aliqua parte sive gradu eclipticae oriuntur. Versibus 505—537 sermo est de Cassiopea, quae una cum gradu vicesimo Aquarii surgens, „aurifices bracteatores inauratores emplastratores margaritarios", ut Firmicus, Manilii imitator, eos appellat [1]), procreare dicitur. Sed audi poetam ipsum (V 505—515):

V 505 *at cum Cassiope bis denis partibus actis*
aequorei iuvenis dextra de parte resurgit,
artifices auri faciet, qui mille figuris
vertere opus possint caraeque acquirere dotem
materiae et lapidum vivos miscere colores.

1) Firm. Math. VIII 16, 3.

Digitized by Google

hinc augusta nitent sacratis munera templis,
aurea Phoebeis certantia lumina flammis,
gemmarumque iubar, radiantes lucibus ignes.
hinc Pompeia manent [1]) *veteris monumenta triumphi*
et Mithridateos vultus induta tropaea [2]),
non exstincta lue [3]) *semperque recentia flammis.*

Quorum versuum sententiam per hanc paraphrasim reddere velim: „at cum Cassiopea cum gradu vicesimo Aquarii, a dextra parte eius, orietur, artifices creabit, qui aurum in mille figuras vertere, ei pretium magnum addere fabrefactumque gemmis distinguere possint. Cassiopea favente nitent èt in aliis aedibus èt in Apollinis templo munera aurea, cum radiis ipsius Phoebi certantia, quod templum Augustus condidit donisque suis ornavit [4]); nitent gemmae et carbunculi, ignis fulgentis instar. Cassiopea favente structum est theatrum Pompeianum [5]) [tropaeis vultum Mithridatis exhibentibus ornatum], non incendio deletum, sed semper e cineribus resurgens novum".

Mirum lectoribus videri potest iuxta templa ab Augusto vel condita vel restaurata vel ornata potissimum theatrum Pompeianam a poeta, non liberae rei publicae sed principatus studioso, commemoratum esse, praesertim eo tempore, quo Cremutio Cordo iam crimini dabatur Brutum et Cassium in annalibus laudasse [6]), sed altius intuentibus apparebit non sine causa Manilium Pompeii illa monumenta elegisse, quae una cum Augusti operibus laudibus tolleret. Satis enim constat hoc theatrum, quod saepius per saecula deflagravit [7]), a Tiberio esse restitutum, cum a° 22 post Chr. n. incendio deletum

---

1) Mnem. XLVII (1919) 343 d).

2) Hic versus 514 in codicibus post 510 legitur, post 513 collocavit Bentleius.

3) *luē* (Breiter, *lues* codd.) = incendio, cf. Sil. It. XVII 96.

4) Richter, Topogr. von Rom p. 145; Suet. Aug. 30.

5) Etiam a Tacito hoc theatrum, a° 55 ante Chr. n. conditum (v. Wageningen Scaen. Rom. 10—11), *monimenta Pompeii* appellantur, ann. III 23: „Lepida ludorum diebus ... theatrum (Pompeii) cum claris feminis ingressa, lamentatione flebili maiores suos ciens ipsumque Pompeium, cuius ea monimenta et adstantes imagines visebantur" (a° 20 post Chr. n.); ann. IV 7: „cerni effigiem eius in monimentis Cn. Pompeii" (a° 23 post Chr. n.).

6) Tac. ann. IV 34 (a° 25 post Chr. n.).

7) Richter, Topogr. von Rom p. 228; Jordan, Topogr. der Stadt Rom I 3, 527.

Digitized by Google

esset, ut Tacitus tradit ann. III 72, 4: „at Pompeii theatrum igne fortuito haustum [1]) Caesar extructurum pollicitus est eo quod nemo e familia restaurando sufficeret, manente tamen nomine Pompeii." Qui locus dilucide ostendit non periculosum, sed potius commendabile Manilio apud Tiberium fuisse, huius theatri mentionem facere. Princeps enim magnam laudem sibi pepererat non modo theatro restaurando sed etiam civiliter concedendo, ut nomen Pompeii maneret. Accedit, quod Tiberius [2]) „modicus fuit privatis aedificationibus, ne publice quidem nisi duo opera struxit, templum Augusto et scaenam Pompeiani theatri", ita ut omnino Manilius alia principis opera laudanda non haberet. Theatrum tamen Pompeianum Tiberius non perfectum reliquit [3]), sed Caligula [4]) absolvit, Claudius [5]) iterum dedicavit atque in dedicatione Tiberii nomen haud omisit, unde satis apparet, quam graves partes illius principis fuerint in aedificio clarissimo restaurando [6]).

Itaque admodum probabile videtur Manilium versum illum:

non exstincta lue semperque recentia flammis,

non futura incendia, quae sane multa fuerunt, ut vatem providentem scripsisse, sed hunc versum pangenti imprimis incendium a i 22 post Chr. n. ob oculos versatum esse et theatri restaurationem a Tiberio susceptam, cuius commemoratio principi ingrata esse non posset. Quod attinet ad verba *semperque recentia flammis*, Manilius aut plura incendia noverat, quae inter a m 55 ante Chr. n. et 22 post Chr. n. facta erant, quorum nullam mentionem rerum scriptores fecerunt, aut (quod veri

1) Cf. v. Wag. Scaen. Rom. p. 11, 2; Tac. ann. III 72, 4 et VI 45 (loci inter se conferendi).

2) Tac. ann. VI 45; Vell. Pat. II 130: „quam magnifico animi temperamento Cn. quoque Pompeii munera absumpta igni restituit."

3) Suet. Tib. 47: „nam et quae sola susceperat, Augusti templum restitutionemque Pompeiani theatri, imperfecta post tot annos reliquit." Aliter Tacitus, qui tradit (ann. VI 45) Tiberium ea perfecta contemptu ambitionis vel per senectutem haud dedicasse.

4) Suet. Cal. 21: „opera sub Tiberio semiperfecta templum Augusti theatrumque Pompeii absolvit" (Caligula).

5) Suet. Claud. 21: „ludos dedicationis Pompeiani theatri, quod ambustum restituerat, e tribunali posito in orchestra commisit."

6) Dio C. 60, 5: καὶ αὐτῷ (sc. theatro Pompeiano) τὸ Τιβερίου ὄνομα ἐν τῇ σκηνῇ προσθεὶς ἔγραψεν (sc. Claudius), ἐπειδὴ κατέκαυσεν αὐτὴν καὶ ἀπῳκοδόμησεν.

Digitized by Google

similius videtur) de uno incendio agens adverbium *semper* ad rem augendam addidit, sed utut adverbium *semper* interpretamur, sine dubio poeta hos versus post a m 22 post Chr. n. scripsit, cum Tiberius in senatu promisisset se theatrum Pompeii restauraturum, neque vaticinatio vana et ridicula fieri posset, quoniam princeps civitatis fidem suam praestitisset.

Ergo licet nobis statuere Manilium vitam suam saltem ad a m 22 post Chr. n. perduxisse.

Ad Laberium.

E mimo quodam Laberii servati sunt versus hi (Ribbeck, Fragm. Com. II² 361):

non possunt primi esse omnes omni in tempore.
summum ad gradum cum claritatis veneris,
consistes aegre, citius quam escendas cades:
cecidi ego, cadet qui sequitur: *laus est publica.*

Quid significet illud „laus est publica" nemo explicare possit. Temptavit vir doctus quidam: lanx est publica, quod etiam magis displicet. Tamen totum versum si accurate legimus, vera lectio sua sponte se offert. Sermo est de via claritatis, quae euntibus tam difficilis est et periculosa et incerta, ut multi iam fallente vestigio ceciderint. Monet igitur poeta, ne quis claritate vel laude nimium confidat; est ut via lubrica, qua facile pede labaris. Potestne simplicius magisque rei de qua agitur convenienter, si pro publica restituitur *lubrica?*

B. Keulen.

Digitized by Google

AD A. GELLII N. A. LIB. XI—XX.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

(Continuantur e pag. 89.)

LIBER XI.

C. 2 § 2: Ex quo libro (sc. e Catonis carmine de moribus) verba haec sunt: Avaritiam omnia vitia habere putabant: sumptuosus, cupidus, elegans, vitiosus, inritus qui habebatur, is laudabatur.

Pro *is laudabatur* Baehrens emendandum esse censuit: *is audiebat avarus*, L. Mueller: *is ⟨avarus⟩ laudabatur*, Plura tamen deesse puto atque sic locum refingere temptavi: *qui ⟨avarus erat habebatur, non avarus qui⟩ habebatur is laudabatur.*

C. 5 § 6: Vetus autem quaestio et a multis scriptoribus Graecis tractata, an quid et quantum Pyrronios et Academicos philosophos intersit.

Pro *et* restituendum videtur: *est.* Continuo sequuntur:

Utrique enim σκεπτικοί, ἐφεκτικοί, ἀπορητικοὶ dicuntur, quoniam utrique nihil adfirmant nihilque comprehendi putant.

Immo: *comprehendi ⟨posse⟩ putant*, collatis verbis quae infra (§ 8) sunt: ipsum illud nihil posse comprehendi.

C. 10 § 2: Nam vos, Quirites, si velitis sapientia atque virtute uti, etsi quaeritis, neminem nostrum invenietis sine pretio huc prodire.

Nisi omnia me fallunt, pro *virtute* C. Graccho reddendum est: *veritate.*

ibid. § 6: Mirum tibi videtur, si tu loquendo talentum quaesisti? ego, ut tacerem, decem talenta a rege accepi.

Digitized by Google

Nescio an scribendum sit *talentum* ⟨*unum*⟩ *quaesisti.*

C. 16 § 8: neque enim ista omnino virtus est, cuius Graeco nomine argumentum hoc libri demonstratur.

Quaeso corrigas: *argumentum huius libri.*

Liber XII.

C. 1 § 17: praesertim si ista, quam ad praebendum lactem adhibebitis, aut serva aut servilis est et, ut plerumque solet, externae et barbarae nationis est, si inproba, si informis, si inpudica, si temulenta est.

Emendandum est: *nationis et, si inproba* e. q. s.

C. 2 § 5: Non miror, inquit, fuisse, qui hos versus scriberet, cum fuerit qui laudaret.

Hoc dictum Senecae ita sanandum esse opinor, ut ante voc. *miror* reponatur: *minus*; idem enim supra dixisse fertur: „Admiror eloquentissimos viros et deditos Ennio pro optimis ridicula laudasse".

ibid. § 12: Dignus sane Seneca videatur lectione ac studio adulescentium, qui honorem coloremque veteris orationis Soterici lectis compararit quasi minimae scilicet gratiae et relictis iam contemptisque.

Skutschius hunc locum, qui manifesto nunc vitio laborat, in integrum restituere conatus est eo quod pro *dignus* substitueret: *indignus.* Potius credo pro *sane*, quod in codicibus nonnullis omissum est, legendum esse: *iamne* v. *anne* atque post voc. *coutemptisque* signum interrogandi esse collocandum.

C. 4 § 4: cui res audacter magnas parvasque iocumque
eloqueretur et † cuncta malaque et bona dictu
evomeret, si qui vellet, tutoque locaret.

Si innumeris fere coniecturis, quibus viri docti hunc Ennii versum sanare studuerunt, meam addere licet, proponere velim:

et interea malaque et bona dictu
evomeret.

C. 5 § 10: Sed haut scio', inquit, 'an dicat aliquis, ipsum illud, quod pugnat, quod gemit, si malum dolor non est, cur necesse est gemere et pugnare?

Verba *gemere et pugnare* quin insiticia sint vix dubito.

Digitized by Google

C. 13 § 3: 'Si aut de vetere' inquam 'iure et recepto aut controverso et ambiguo aut novo et constituto discendum esset, issem plane sciscitatum ad istos, quos dicis.

Pro *constituto* sana ratio flagitare videtur: *constituendo.*

ibid. § 15: Atque insuper dubitatur, an Kalendis quoque pronuntiari possit, quando neque ultra neque citra, set, quod inter haec medium est, 'intra Kalendas', id est Kalendis, pronuntiandum sit.

Hertzius verba *id est Kalendis* delevit-iniuria, ut mihi quidem videtur. Pro *quando* si scripseris: *quamquam*, omnia iam bene procedent. Coniunctio cum coniunctivo modo est etiam XIV 3 § 2 et XVII 2 § 21 i. f.

ibid. § 29: Num igitur secundum istam verborum M. Tullii similitudinem, qui iubetur 'intra Kalendas' pronuntiare, is et ante Kalendas et ipsis Kalendis iure pronuntiare potest?

Libri mss. varie exhibent: *num — non — nam.* Sententia loci haud dubie requirit: *nonne.*

Liber XIII.

C. 1 lemma: Inquisitio verborum istorum M. Tullii curiosior, quae fuit in primo Antonianarum libro 'multa autem .... fatum'.

Emenda: *quae sunt*, quod neminem adhuc correxisse miror.

C. 2 § 1: Cum Pacuvius... Tarentum ex urbe Roma concessisset, Accius tunc haut parvo iunior proficiscens in Asiam, cum in oppidum venisset, devertit ad Pacuvium.

Scribendum esse opinor: *cum in ⟨id⟩ oppidum venisset.*

C. 3 § 6 i. f.: Nam se patrem suum audisse dicere L. Aemilium Paulum nimis bonum imperatorem signis conlatis non decertare, nisi summa necessitudo aut summa occasio data esset.

Sciendum est, voculam *non* in codicibus exaratam non esse, qua de causa Gronovius *neminem*, Lion *numquam*, Hosius *minime* coniecerunt. Mihi suspicio incidit fieri posse ut vera sit lectio: *signis conlatis decertare ⟨dedecere⟩, nisi* cet.

C. 4 § 3: Ea mulieris scitae atque prudentis erga ferocem filium comitas sensim et comiter admonuisse eum visa est deponendam esse opinionem vanam.

Digitized by Google

Adverbium *comiter* cum exiguo intervallo post nomen *comitas* scriptum sit, hoc suspectum habeo atque dubito an corruptum sit e *castitas*, quod ad totius loci sententiam accommodatius videtur.

C. 10 § 3: Praeterea in libris, quos ad praetoris edictum scripsit, multa posuit partim lepide atque argute reperta.

Pro *partim* Hosius *perquam* coniecit, at maluerim: *pariter*.

C. 11 § 3: Nam multos, inquit, esse non convenit, quod turba plerumque est turbulenta et Romae quidem constat, sedet Athenis, nusquam autem cubat.

Pro *constat* Hertzius de suo edidit *stat*, Boot *concio stat* proposuit. An forte scriptum fuit: *consistit*? Cf. C. 28 § 4: Nam sicut illi ad certandum vocati proiectis alte brachiis consistunt e. q. s.

C. 13 lemma: Quod in libris humanarum M. Varronis scriptum est.

Post *humanarum* excidisse puto: *rerum* cl. § 4 infra: protuli unum et vicesimum rerum humanarum, C. 17 § 3: itaque verba posui Varronis e libro rerum humanarum primo.

Quod in huius capitis initio Eussner pro *librorum: ludorum* coniecit, male eum coniecisse me quidem docet C. 8 § 2, ubi vocabula *libri* et *magistri* similiter copulata leguntur.

C. 15 § 4: Nos his temporibus praetore praetores creante veterum auctoritatem sumus secuti neque his comitiis in auspicio fuimus.

Aut ego fallor aut apud Messalam scriptum fuit: *Nos* ⟨*neque*⟩ *his temporibus*, collatis iis quae supra sunt: „Praetor, etsi collega consulis est, neque praetorem neque consulem iure rogare potest, ut quidem nos a superioribus accepimus aut ante haec tempora servatum est".

C. 20 § 17: Quae postea ita esse, uti dixerat, cognovimus, cum et laudationes funebres et librum commentarium de familia Porcia legeremus.

Mommsen voc. *librum* deleri iussit-perperam: cf. XIV 7 § 3: „Eum librum commentarium, quem super ea re Pompeio fecerat, perisse Varro ait".

C. 21 § 13: capitibus nutantis pinos rectosque cupressos.

In versu Enniano vocabulum primum varie temptatum est:

Digitized by Google

L. Mueller *capite* — Schneiderus *captibus* — Stowasser *cautibus* — Onions *vertice* protulerunt. Vix ac ne vix quidem dubito quin Ennio reddendum sit:

comptibu' nutantis pinos rectosque cupressos.

Lucretius I 87 vocabulo usus est de virginum capillis:

cui simul infula virgineos circum data comptus
ex utraque pari malarum parte profusast, e. q. s.

et in Gloss. Labb.: comptus, καλλώπισμα est. Vocabulum autem de pinis dictum et cum verbo nutandi iunctum summo poëta videtur dignissimum.

C. 23 § 16: nolo égo Neaeram té vocent, sed Nérienem,
cum quidém Mavorti es ín conubiúm data.

Versum alterum Imbricis, veteris comoediarum scriptoris, multi iam sollicitarunt atque Ribbeckii recensionem, quam supra descripsi, editores nunc fere recipiunt: is autem *Mavorti* pro scriptura *Marti*, quae librorum mss. omnium communis est, substituit. Nescio tamen an melius versui consulueris, si lectione tradita retenta mecum scripseris:

quippe quidem Marti es ín conubiúm data.

C. 25 § 11: Ecquid videtur, cum Siciliam provinciam dixerit atque insuper etiam civitates addiderit, domos etiam et fana, quae infra posuit, comprehendisse?

Lectio *Ecquid* Aldo debetur pro codicum mss. scriptura *Haec quid* v. *qui* Mihi vero locus postulare videtur *Atqui* deleto nimirum interrogandi signo, quod post *comprehendisse* positum est.

ibid. § 31: Est tamen nonnusquam invenire ita scripsisse quosdam non ignobiles scriptores, ut aut temere aut incuriose 'praedam' pro 'manubiis' et 'manubias' pro 'praeda' posuerint aut tropica quadam figura mutationem vocabuli fecerint, e. q. s.

Corrigere ne dubita: *temere et incuriose*, ut alibi Gellius habet: legentibus temere et incuriose (I 7 § 6). Cf. etiam II 6 § 1 et 28 § 5.

C. 26 § 4 extr.: 'mi' qui scribit in casu interrogandi, velut cum dicimus 'mi studiosus', per i unum scribat, non per e; at cum 'mei, tum per e et i scribendum est, quia dandi casus est.

Digitized by Google

Veram ac genuinam lectionem esse existimo: *at cum 'mei mitte', per e et i scribendum est.* Nunc enim nihil ostendit, casum dativum dici; libri autem veteris scripturae vestigium servarunt, cum pro *mei* complures *miei* vel *mi ei* exhibeant.

C. 30 init.: Animadvertere est pleraque verborum Latinorum ex ea significatione, de qua nata sunt, decessisse.

Praepositionem de eliminandam esse arbitror, cui Hertzius praetulit *in*, quod libri nonnulli praebent.

ibid. § 2: quidam faciem esse hominis putant os tantum et oculos et genas, quod Graeci *πρόσωπον* dicunt, quando facies sit forma omnis et modus et factura quaedam corporis totius.

Nonne pro *quando* reponendum est *quamquam*?

C. 31 init.: Laudabat venditabatque se nuper quispiam in libraria sedens homo inepte gloriosus, tamquam unus esset in omni caelo saturarum M. Varronis enarrator.

Pro *caelo* auctorem scripsisse suspicor: *coetu.* Cf. XVII 5 § 3.

Liber XIV.

C. 1 § 2 in.: exercendi autem, non ostentandi gratia ingenii, an quod ita serio iudicatoque existimaret, non habeo dicere.

Ita editores Germani cum codice uno scripserunt: *autem non*; ceteri diverse praebent *aut ne — ne aut — autanne — an ne.* Locus autem talis est ut librorum mss. subsidio facile careamus; mihi quidem constat lectionem unice veram esse: *exercendi autem an ostentandi gratia ingenii* e. q. s. Ita enim tres causae, quae Favorinum inducere potuerint ut contra Chaldaeos dissereret, recte atque ordine enumerantur.

ibid. § 3: quoniam viderent terrena quaedam inter homines sita caelestium rerum sensu atque ductu moveri.

Pro *sensu* Scaliger coniecit *censu.* Cf. tamen § 19 infr.: „si... alius atque alius earundem stellarum situs atque ductus alias atque alias fortunas daret", quo loco fretus pro *sensu* potius *situ* corrigere velim.

ibid. § 18 extr.: ut neque ullus observationis tenor neque memoriae ulla effigies literarum tanto aevo potuerint edurare.

Skutschius *litterarum* delendum censuit. Quamquam locum vitio

Digitized by Google

laborare assentior, medela displicet; malim: *memoriae* ⟨*neque*⟩ *ulla effigies litt.*

ibid. § 27: homines utriusque sexus, omnium aetatum, diversis stellarum motibus in vitam editi, regionibus, sub quibus geniti sunt, longe distantibus, cet.

Inserendum est: ⟨*caeli*⟩ *regionibus*, quod praepositio quae sequitur comprobat.

Liber XV.

C. 1 § 7: Quod Sulla atque milites mirabantur, et postquam non succendit, reduxit copias.

Quadrigario suum reddideris, si mecum scripseris: *postquam non successit.* Librarii error eo facile explicatur, quod sermo est de Sullae irrito inceptu turrim ligneam Archelai incendendi.

C. 4 § 3: post, cum adolevisset, victum sibi aegre quaesisse eumque sordide invenisse comparandis mulis et vehiculis, quae magistratibus, qui sortiti provincias forent, praebenda publice conduxisset.

Pro *comparandis* libri dant *conprandis* — *cōprandis* — *cōpand'*, Scriverius *confricandis* vel *curandis* coniecit. Credo scriptum fuisse: *conquirendis.*

C. 5 § 2: semperque eo verbo, qui diligenter locuti sunt, ita usi sint, ut 'profligare' dicerent 'prodigere' et 'deperdere' 'profligatasque' res quasi 'proflictas' et 'perditas' appellarent.

Pro *proflictas* legendum esse censeo: *profusas.*

C. 7 § 1: Observatum ... est senioribus plerisque omnibus sexagesimum tertium vitae annum cum periculo et clade aliqua venire aut corporis morbique gravioris aut vitae interitus aut animi aegritudinis.

Conicio: *morbi* ⟨*uti*⟩*que.*

ibid. § 3: Ave, mi Gai, meus asellus iucundissimus.

Beroaldus *ocellus* proposuit. An forte *aucellus* i. e. avicellus?

C. 8 § 2 correxi Mnemos. XLII (1914) p. 92.

C. 16 § 1: Milo Crotoniensis, athleta inlustris, quem in chronicis scriptum est Olympiade prima coronatum esse, exitum habuit e vita miserandum et mirandum.

Digitized by Google

Pro *prima*, quae librorum mss. omnium scriptura est, Salmasius *quinquagesima* (I sc. ex L corrupta) Hertzio probavit, Hosius Luebberti inventum recepit quod est ⟨*LXII*⟩ *primum*. Mihi veri similius videtur, lectionem *prima* corruptam esse e *plurima*.

C. 20 § 3: Pater... Olympiam certaturum eum inter athletas pueros deduxit.

Collatis iis quae § 2 leguntur pro *pueros* emendo: *puerum*.

C. 24 in versibus, quibus Sedigitus de poetis comicis iudicium tulit, hic est: dein Naévius, qui férvet, pretio in tértiost.

Persuasum mihi est, eum scripsisse: *cum fervet*.

C. 29 § 2: Verba Pisonis haec sunt: L. Tarquinium, collegam suum, quia Tarquinio nomine esset, metuere, eumque orat, uti sua voluntate Roma concedat.

In hisce nonnulla desunt, quae sic supplenda esse puto: *L.* ⟨*Iunium L.*⟩ *Tarquinium, collegam suum,... metuere*.

C. 30 § 3: Nam cum quaereretur, 'petorritum' quali forma vehiculum cuiatisque linguae vocabulum esset, et faciem vehiculi ementitus est longe alienam falsamque et vocabulum Graecum esse dixit atque adsignificare volucres rotas interpretatus est commutataque una litterą 'petorritum' esse dictum volebat quasi 'petorrotum'.

Nonne potius: ⟨*semi*⟩*Graecum esse dixit*? Homo nempe a Graeco verbo πέτεσθαι et a nomine Latino *rota* vocabulum derivandum esse existimat. Cf. etiam § 6: 'Petorritum' enim est non ex Graecia dimidiatum.

Liber XVI.

C. 5 § 12: non enim vestibulum priorem partem domus infernae esse dicit.

Immo potius: *primorem* cl. § 2 supra: „Animadverti enim quosdam hautquaquam indoctos viros opinari vestibulum esse partem domus primorem, quam vulgus 'atrium' vocat".

C. 14 § 5: Commodius autem propiusque visum est 'festinare' esse quasi 'fessum esse'.

Skutschius post *propiusque* excidisse suspicatur: *vero;* equidem corrigere malim: *promptiusque*.

Digitized by Google

Liber XVII.

C. 2 § 17: 'Sermonari' rusticius videtur, sed rectius est, 'sermocinari' tritius est, sed corruptius.

Ita Hosius pro codicum lectione *rectius*, Dziatzko *lectius* coniecit. Mihi magis arridet *certius*. Cf. C. 5 § 11: non ergo obscuro neque ambiguo argumento usus est, sed certo atque perspicuo.

ibid. § 21: sed nunc 'arrabo' in sordidis verbis haberi coeptus ac multo videtur sordidius 'arra'.

Lege *coeptum*.

C. 20 lemma: Verba sumpta ex Symposio Platonis numeris coagmentisque verborum scite modulateque apteque exercendi gratia in Latinam orationem versa.

Pro *apteque* Lion *apta* — Beloe *apteque* ⟨*composita*⟩ proposuerunt. Praetulerim: *apta* ⟨*at*⟩*que*.

C. 21 § 24: et M. Manlius Romae, qui Gallos in obsidione Capitolii obrepentis per ardua depulerat, convictus est consilium de regno occupando inisse.

Voc. *Romae* ante *M. Manlius* traiciendum esse iudico.

Liber XVIII.

C. 1 § 3: Ambulabamus autem in litore, cum iam advesperasceret, aestate anni novi.

Salmasius pro *novi* scribi iussit: *nova*. Sunt tamen loci duo qui me inducant ut legendum esse credam: *molli*, sc. XIX 5 § 1: „In Tiburte rus concesseramus hominis amici divitis aestate anni flagrantissima", et ibid. 7 § 2: „Atque ita molli quodam tempestatis autumnae die ego et Iulius Celsinus" e. q. s.

ibid. § 5: quoniam et corporis integritas sanitasque et honestus modus formae et pecunia familiaris et bona existimatio ceteraque omnia corporis et fortunae bona necessaria viderentur perficiendae vitae beatae.

Mire dictum videtur illud pecunia familiaris atque Madvigio iam movit suspicionem, qui emendare voluit: *fortunae et pecuniae* ⟨*reique*⟩ *familiaris*, quam mutationem violentio-

Digitized by Google

rem Hertzius redarguit. Mihi in mentem venit, Gellium fortasse posuisse: *et res familiaris*, postea aliquem supra ea verba illustrandi gratia appinxisse *pecunia*, hoc denique vocabulum pro voce *res* in textum receptum esse.

C. 5 § 6: Ecquid putatis, si magistrum praelectoremque habuisset alicuius aeris, 'quadrupes equus' dicturum fuisse ac non 'quadrupes eques'?

Pro *aeris* emendare ne dubita: *auris*.

C. 6 § 1: Aelius Melissus in nostra memoria fuit Romae summi quidem loci inter grammaticos id temporis.

Sic e Falsteri coniectura editores recensere solent, qua codicum scripturam variam *et* et *s*; (= sed) interpretatus est. Mihi ista compendia diversa potius orta esse videntur e lectione *sui*.

ibid. § 3: Ei libro titulus est ingentis cuiusdam inlecebrae ad legendum; scriptus quippe est 'de loquendi proprietate'.

Corrige quaeso: *inscriptus*. Cf. C. 7 § 9.

C. 7 lemma: Quem in modum Favorinus tractaverit intempestivum quendam de verborum ambiguitatibus quaerentem; atque ibi, quot significationes capiat 'contio'.

Frustra adhuc viri docti desudarunt in hoc lemmate ita constituendo ut argumento capitis melius responderet; veluti Gronovius *Favorinum tr. intempestivus quidam*, Boot ⟨*Domitius*⟩ *Favorinum tr. intempestive quaedam* proposuerunt. Nescio tamen an satis sit pro *quaerentem* scribere *querentem*, quam mutationem exiguam magnopere suadere videtur § 3 extr.: „glossaria namque colligitis et lexidia, res taetras et inanes et frivolas tamquam mulierum voces praeficarum. Atque utinam, inquit, muti omnes homines essemus! minus improbitas instrumenti haberet".

ibid. § 5: 'tribus' quoque et 'decurias' dici et pro loco et pro iure et pro hominibus, 'contionem' autem tria significare e. q. s.

Eussner aut *et pro iure* delenda aut *item* pro *autem* substituendum monuit. Malim: *itidem*, quod in tali re apud nostrum frequentatur. Cf. C. 10 § 6 et C. 12 § 4.

C. 9 § 5: Offendi enim in bibliotheca Patrensi librum verae vetustatis Livii Andronici.

Pro *verae* Canterus *mirae*, alii *merae* corrigendum putarunt.

Digitized by Google

Id quod mihi in mentem venerat: *venerandae*, Oiselium dudum protulisse video, quamquam ab Hosio ne memoratur quidem.

C. 10 § 1: In Herodis C. V. villam, quae est in agro Attico loco, qui appellatur Cephisiae, aquis et lucis, nemoribus frequentem, aestu anni medio concesseram.

Pro *lucis*, quod Hertzius inducendum esse putabat, Hosius coniecit *laetis*. An forte Gellius scripsit: *aquis lucidis et nemoribus frequentem?* Forsitan *lucidis* in *lucis* correctum sit, cum ordo verborum *lucidis et* immutatus esset.

Liber XIX.

C. 2 lemma: quodque turpis et improba est voluptas, quae ex auditu, visu odoratuque procedit.

In his verbis aut *nimia* ante *voluptas* aut *immodice* ante *procedit* desideratur, quod nemo non agnoscet qui caput quod sequitur attente perlegerit.

C. 9 § 12:

istam nam potis est vis saeva extinguere venti
aut imber caelo candidus praecipitans.

Attributum imbris, quod est 'candidus', non concoquo, quod aliis ante me displicuisse video, quandoquidem *concitus* Baehrensii affertur coniectura. Rogo num forte poeta scripserit: *grandinis*.

C. 10 § 3: Ex quibus cum elegisset unam formam speciemque veris, interrogavit, quantus esset pecuniae sumptus ad id totum opus absolvendum.

Lectionem variam *veris* v. *veneris* alii emendare conati sunt, Lipsius *operis*, Vogel *erus*, Hosius θερμαῖς conicientes, alli frustra defenderunt. Quidni: *veris*⟨*imilem*⟩ scribimus.

ibid. § 9 correxi Mnemos. Vol. XLII (1914) p. 92.

Liber XX.

C. 1 § 31: Sed ehim ipsum vide.

Haec sana esse non possunt, id quod Hertzius perspexit, cum Bootii propositum *ipse* recepit. At verba quasi adhorta-

Digitized by Google

tionem continent qua, cum res de qua agebatur transacta sit, ad novam transeatur, qua de causa ⟨*hoc*⟩ *ipsum* aut pro *ipsum* scribere malim *istud*.

C. 5 § 10: An autem prosus in utriusque epistula brevitatis elegantissimae filum tenuissimum ***

Hertzius lacunam statuit sic fere explendam ratus: *tenuissimum* ⟨*assecutus sim, nescio*⟩. Nescio an *tenuissimum* corrupta scriptura sit ex *tenuerim nescio*.

Ad Platonis Hipp. maiorem p. 283 A.

Ineptum sophistam Eleum, gloriatum se apud multas Graecas civitates magnam rem facere sapientia sua, sic ludibrio habet Socrates ut per risum iocumque demonstret prae illo ergo stultos stolidosque fuisse quotquot antea in Graecia floruerint philosophos. Et alios ibi nominat et Anaxagoram de quo sic disputat cavillaturque:

Περὶ Ἀναξαγόρου λέγεται πολλὴ ἀμαθία κατὰ τὸν σὸν λόγον· τοὐναντίον γὰρ Ἀναξαγορᾳ φασὶ συμβῆναι ἢ ὑμῖν· καταλειφθέντων γὰρ αὐτῷ πολλῶν χρημάτων καταμελῆσαι καὶ ἀπολέσαι πάντα· οὕτως αὐτὸν ἀνόητα σοφίζεσθαι.

Una literula addita facetissima haec et iocosa fieri possunt, nam nunc admodum sunt insulsa et languida. Lege enim ἀνόνητα pro ἀνόητα. Sensum huius adiectivi a me restituti hic omnino flagitari totus docet contextus; — inepte enim nimisque obscure S. hic sic ad νοῦν Anaxagoreum alluderet — colorem vero eius egregie decere iocosam hanc demonstrationem testimonio sunt lepidissimi ex Aristophanis *Vespis* versiculi, ubi iudicis filiolus, cum mente sibi iustitium indictum fingit eiulat:

ἀνόνη
τὸν ἄρ', ὦ θυ-
λάκιόν σ' εἶ-
χον ἄγαλμα.

I. I. H.

Digitized by Google

AD EXPEDITIONEM GAI PRINCIPIS IN GERMANIAM.

SCRIPSIT

JOH. JANSSEN.

Haec expeditio a Suetonio („Gai." 43 sqq.) et Dione (59, 21 sqq.) in risum versa est. Tradunt enim imperatorem nequaquam pugnasse nedum vicisse, sed ultra Rhenum paulum progressum redisse statim, nonnullis de sua custodia Germanis captivorum specie reductis [1]), quamquam nullo hoste usquam viso; deinde simulantem Brittanniam se velle subigere, mox in litore legere conchylia iussisse milites, quod pro triumpho habendum.

Id quin odiose narratum sit nemo nunc dubitat.

De tempore tamen causaque expeditionis hodierni non ita consentiunt. Quare de illis pauca disseram.

Causam expeditionis non tam ineptam fuisse quam volunt antiqui nuper iure monuerunt Riese „Neue Heidelb. Jahrb." VI 1896 p. 152 sqq. et Willrich „Klio" III p. 310 sqq., qui fontes confuse res tradere ipsisque sibi saepius obloqui ostenderunt [2]).

Iniuria tamen eo processit Riese ut contra Lentulum Gaetulicum, superioris Germaniae legatum, contendisse principem coactum putet neque inprimis contra Germanos, et profectum esse postquam Romae patefacta coniuratio, quam opionem firmat verbis Suetonii („Gai." 51, 3): „mox etiam, audita rebellione

1) Monendum eandem fabellam sub Domitiano redire, Tac. „Agr." 39: „inerat conscientia (Domitiani) derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum, emptis per commercia, quorum habitus et crines in captivorum speciem formarentur", cf. „Germ." 37, Plin. „Pan." 16, 3.

2) Exemplum laudatur quod Suetonius „Gai." 45, 1 principem contra Germanos suae ipsius custodiae milites Rhenum transisse, contra „Gai." 51, 2 revera hostes petisse dicit; eodem modo c. 45 et 47 non consentiunt, atque Dio 59, 22 saepius sibi obloquitur. Addendum quod Dio 59, 22, 1 sane Lugudini versari principem dicit, attamen in Germania eum fuisse tum intellegit, ut e sequentibus colligitur.

Digitized by Google

Germaniae, fugam et subsidia fugae classes apparabat, uno solacio adquiescens transmarinas certe sibi superfuturas provincias, si victores Alpium iuga, ut Cimbri, vel etiam urbem, ut Senones quondam, occuparent". Neque enim cum seditione Romanarum praesertim legionum invasiones Cimbrorum Senonumque bene comparantur, at cum barbarorum bello; neque cur Lentuli Gaetulici hoc loco non facta esset mentio intellegimus. Contra Germanos fuisse confirmat Eutropius VII 12, 2: „bellum contra Germanos suscepit atque ingressus Sueviam nihil strenue fecit", tum id quoque, quod princeps a castris (scil. legionum Romanarum in Germania) expeditionem coepit cf. Suet. „Gai." 44, 1: „postquam castra attigit e. q. s.".

Gaetulico autem iure diffisus (id Riesio consentio) copiarum illum numerum duxisse secum videtur quem tradunt Dio 59, 22, 1: „εἴκοσι γάρ, ὡς δέ τινές φασι, πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας στρατιωτῶν ἤθροισε", et Suetonius „Gai." 43: „legionibus et auxiliis excitis undique, dilectibus ubique acerbissime actis".

Deinde Riesium refellit temporum ratio.

Tempus enim expeditionis ex eo colligitur quod Gaius tertium consulatum Luguduni iniit (Suet. „Gai." 17, Dio 59, 24, 2); profectus igitur a. 39, ante Novembrem mensem (fortasse m. Septembri, ut putat Willrich l. l.), nam „a. d. VI Kal. Novemb." fratres Arvales immolaverunt „ob detecta nefaria con[silia in Caes(arem) Aug(ustum) Germani]cum Cn. Lentuli Gae[tulici]" („C. I. L." VI 2029 = Henzen p. XLIX). Romam iam redierat princeps die natali suo (Kal. Sept.) a. 40 cf. Suet. „Gai." 49, 2.

Alia tamen Riesii opinio, qui post detectam coniurationem (vide supra), igitur post d. 27 m. Oct., Roma profectum esse Gaium et primum in Galliam, ubi hiemem degisse eum constat, vere autem anni 40 contra hostes contendisse putat. Id sane periculo quod Gaetulicus, secundum Riesium, minabatur principi male congruit, sed eo quoque reiciendum cum antiquorum testimonia legatos ad gratulandum principi (scil. ob patefacta nefaria consilia) in Germaniam missos, et in Germania detectos esse coniuratores omnino significent.

Ceterum quid contra Germanos consequi voluerit princeps, quid revera sit consecutus nos plane ignoramus.

Digitized by Google

DE ALEXANDRO EURIPIDEO.

SCRIPSIT

K. KUIPER.

Tragicorum fabulas ex fragmentis dispersis restituere post praeclara exempla Matthiaei Welckeri Hartungii numquam desierunt viri docti. In quo labore fere constanter unam viam sequuntur. Apollodorum Hyginumque adhibent, audiunt Ennium, Ovidii Heroïdes perscrutantur, deinde, qua ducunt propria inventio atque ingenium, materiem congestam ordinant, supplent, in actus scenasque dividunt. Fit interdum ut inventis novis fragmentis inexpectata lux iis studiis afferatur, id quod in Hypsipyle Euripidea factum esse novimus; attamen si totam rem spectas, acta agere plerumque is videtur qui hodie Welckeriana vel Weckliniana studia in fabulis restituendis renovare ac corrigere instituit. Ego saltem, de Alexandro scripturus, non id praesertim quaerere curo, quaenam Alexandri tragoediae fuerit dispositio, sed potius quid sibi proposuerit Euripides in Paridis ipsius persona depingenda.

Parum dignus eiusmodi attentione sicui Helenes raptor videtur, secum reputet quaeso, quantam Euripides navaverit operam ut prae ceteris omnibus animi affectibus tragicam amoris aegritudinem, varia ἔρωτος πάθη, depingeret; Alcestidi (ann. 438) Medeam (431) opponat, Phaedram utramque Pasiphaae, cuius perquam memorabilem τοῦ νοσήματος defensionem papyrus Berolinensis in lucem prodidit. Redit in omnibus his fabulis leviter mutata illa querela:

ὦ θνητὰ πράγματ', ὦ γυναικεῖαι φρένες,
ὅσον νόσημα τὴν Κύπριν κεκτήμεθα.

Mulieres amore aegrotas potius spectat poeta, quam viros:

Digitized by Google

Stheneboeas, Phthiasque magis quam Phoenices vel Bellerophontas.

Haec argumenta per priorem aetatis partem perpetuo occupasse Euripidis animum didascalia docent. Et licet belli Peloponnesiaci tempora ad rem publicam, patriaeqne pericula eum converterint, licet in Supplicibus in Heraclidis Erechtheo minime neglexerit occasionem philosophandi de patriae amore de avaritia de plebis potestate diminuenda, ne tum quidem deerant mulieres in scena Euripidea, heroinae pro patria vitam devovere paratae, Macarias dico Evadnasque et Praxitheas. Nec tamen constanter ea aetate versatur in re publica Euripidis musa. Aeolus fabula ante annum 421 prodiit in scenam, in qua fabula sophistarum vestigia secutus *νόμον καὶ φύσιν* inter se opponit, exemplo docet quam parum valeant leges nuptiales contra vim Amoris et ea verba pronuntiat quae ingentem indignationem aequalium movisse omnes novimus:

τί δ' αἰσχρόν, εἰ μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκεῖ;

Dispersa per varias fabulas haec inveniuntur documenta. Sed severius ac constantius videmus poetam consilium suum sequi, simulac cyclum Troianum in scenam producere coepit. Andromache fabula (*a.* 430—426), quamquam Troiae excidium non nisi obiter tangit, regem Menelaum spectatoribus ante oculos proponit turpiter Helenes *εὐμορφίᾳ* deditum. Hecuba (c. a. 425) ipsius Helenes vim fatalem apertius prodit. Quantum abest a Priami clementia Hecubae acerba incusatio, quantum ab Homerica Helena distat Euripidea mulier non venustate tantum sed fallaci arte eloquentiae pristinum coniugem sibi devinciens.

Fatalem autem Helenes illius artem iure dicas quoniam fatum est, *ἀνάγκη φύσεως*, quo propellitur. Ipsa vero persona Helenes in scena Euripidea tantopere dominatur ut fere recedant principes omnes quos amore devincit. In Troadum fabula (a. 415) in qua Cassandrae instar poeta cives suos monet ne temere praetervideant horrenda pericula belli ex imperandi cupidine suscepti, acerba eloquentia Hecubae a convicianda Helena numquam desistit.

Omnibus qui legimus Euripidem haec adeo nota sunt, ut fere mireris, cur ea memorem. Non deest causa. Tribogiae forma,

Digitized by Google

quam raro solebat adhibere, ultimum fatum urbis quae periit μιᾶς γυναικὸς καὶ λέχους στυγνοῦ χάριν poeta coniunxit, Troades enim simul cum Alexandro et Palamede in scenam prodierunt. Catena igitur malorum, quae clauditur urbis excidio, initium capit a Paride: Spartae regina nusquam abest. Nonne autem, quisquis vidit quam severa arte poeta veri amans in Troadibus Menelaum tractaverit, scire cupit vel saltem divinari, qualem nobis Paridem depinxerit in Alexandro, quam fabulam fere Troadum prooemium dicere possumus?

Prooemio nobis quoque in hac investigatione opus est, idque praesertim quoniam usque ad hunc diem non desunt qui Roberto auctore censeant fabulam de Alexandro exposito tragicorum inventioni deberi, Herodoti narrationes de Cyro infante imitantium.

Equidem longe absum a tali suscipione. Paridem enim pastorem a regis filio Alexandro olim plane diversum fuisse, in Homeri quoque Iliade, quamvis obscure, apparere videtur. Duplicis nominis in eo alia est ratio atque in Astyanacte, vel in Aegaeone; ceterum quotiescunque Paris vocatur arcum gerit, non hastas ut Alexander.

Intricatam homericae armaturae rationem si hoc loco persequer nimis a proposito aberrem. Videmus Paridi duplicem subesse personam apud Homerum, modo sagittarii modo militis gravis armaturae, scimus autem τοξοσύνην illam, propter quam egregie laudatur Λ. 370, non magis apud Troes quam apud Achivos esse ἐπίχωριον. Nonne ipse Pandarus sibi succenset (E. 192) quod τόξοισιν πίσυνος in bellum profectus sit? Nonne de Locrensibus Homerus (N. 716):

οὐ γάρ σφι σταδίῃ ὑσμίνῃ μίμνε φίλον κῆρ;

nonne Diomedes acerbe Paridem conviciatur „τοξότα λωβητήρ?"

Nec tamen hi versus, quorum numerus facile augeri potest, sufficere videntur, ut ex iis efficias ab Homero duas personas in unum Paridem sive Alexandrum esse coniunctas. Quin etiam haud pauci hodie quoque pergunt cum Aristarcho negare iudicium Paridis atque infantis Alexandri expositionem cognita fuisse Homero; reiciunt Ω. 25 (ὃς νείκεσσε θεὰς κ.τ.λ.), monent sensu carere Jovis illud (Δ. 31) τί νυ σὲ Πρίαμος etc., si Juno iudicio Paridis spreta atque offensa fuisse putanda est.

Digitized by Google

Mihi quidem semper argumentum illud quod dicitur „ex silentio" ambiguum videtur et parum firmum. Nonne Ἀλεξάνδρου ἀρχὴ prae ceteris Iunonis Minervaeque iram movet (E. 715, Δ. 7)? nonne Veneris tutelam, quam increpans ei obicit Hector, insigniter expertus est Paris? Audi modo superba Helenes verba ad Venerem Γ. 406

ἧσο παρ' αὐτον ἰοῦσα, θεῶν δ'ἀπόεπε κελεύθους

et quae sequuntur — nam nihil attinet exscribi quae omnes memoria tenemus. Raptim talibus Iliadis poeta atque in transitu ea indicat quae, ex infinito mythorum thesauro hauriens, tamquam digito monstrare satis habet. Eodem spectat iterata illa exsecratio εἴθ' ὄφελες ἄγονός τ' ἔμεναι, ἄγαμός τ' ἀπολέσθαι (Γ. 36 cf. Z. 281).

Dubia tamen haec et incerta, sicut tota Paridis persona quam in Iliade fere vultu quoque duplici ostendit poëta; strenuum enim bellatorem excipit γυναιμανὴς ignavus. Ceterum quidquid de Iliade constituendum videtur, certum est in Cypriis dearum certamen memoratum fuisse. Sed quomodo in Idam pervenerit Paris, utrum filius regius prisco more patrios greges pascens, an pastor, olim expositus, sibique incognitus, ex Procli excerpto omnino nequit diiudicari; et tamen hoc est quod scire cupimus, quoniam mythologorum arte Parides duo, Idaeus atque Iliacus, in unam personam confluxerunt.

Facile erat respondere ad hanc questionem iis quibus persuasit olim Carolus Robert in libro venustissimo (Bild und Lied) ita scribens: „die Sage von Paris' aussetzung und wiedererkennung ist vielleicht erst in fünften Jahrhundert erfunden". Ostendit enim vir clarissimus in antiquissimis vasorum imaginibus Paridem semper regio vestitu ornatum spectari, pastorem autem (itaque expositum) non nisi in recentioribus inveniri. Jam vero Türckins (apd. Rosch. p. 1608) monuit antiqua exempla extare Alexandri tunica induti et cum lyra baculum gerentis; constat Brygonem Hieronemque Paridis imaginem dedisse habitu pastorali vestitum; sed praesertim meliora edocemur fragmento Pindarico quod editum est Oxyrh. pap. V. 1908, p. 65 et felici editorum ingenio ita in papyri lacunis sanatum ut intellegi possit. Post Anglos Schroeder (ed. min. p. 290) hunc in modum fragmentum edidit: σπεύδοντ', ἔκλαγξέ

Digitized by Google

θ' ἱερ (... Cassandra) δαιμόνιον κέαρ ὁλοαῖσι στοναχαῖς ἄφαρ, καὶ τοιᾷδε κορυφᾷ σάμαινε λόγων· ὦ πανκπ (...) (εὐ)ρ(ύ)οπα Κρονίων τελεῖς σ(ὺ νῦν τὰν πάλαι) πεπρωμέναν πάθαν, ἀνίκα Δαρδανίδαις Ἐκάβ(α .....) (..) ποτ' εἶδεν ὑπὸ σπλάγχν(οις ...) φέροισα τόνδ' ἀνέρ'· ἔδοξ(ε ...) τεκεῖν πυρφόρον Ἐρι(νὺν ...) ἑκατόγχειρα, σκληρᾷ (...) Ἴλιον πᾶσάν νιν ἐπὶ π(...) κατερεῖψαι· ἔειπε δὲ (...) (...) ᾳ τέρας ὑπνα(...) (...) λε προμάθεια.

Quamvis obscurum sit utrum σπεύδοντα illud Paridem aliumve spectet, hoc paeanis fragmento reperto constat et somnium Hecubae et (quae cum somnio arctissime cohaeret) Paridis expositionem poetis notam fuisse diu antequam Cyri infantis historia ex venusta Herodoti narratione iis innotuisset. Nempe eodem spectant Pindari verba ex paeane Delphico (Schroed. p. 282 sqq.) περὶ δ' ὑψικόμῳ Ἑλένᾳ χρῆν ἄρα Πέργαμον εὐρὺν ἀιστῶσαι σέλας αἰθομένου πυρός (cf. Pind. *Pyth.* III. 63 et Eur. fr. 411). Ceterum, cum certum sit in Cypriis Helenum fuisse qui, dum naves in Graeciam profecturas Alexander parat, περὶ τῶν μελλόντων αὐτοῖς θεσπίζει, in extremis fragmenti verbis licebit fortasse lacunam sic explere ἔειπε δ' Ἕλενος Ἑκάβᾳ τέρας.

Iam venimus ad tragicos. Inter quos — quantum scimus — non nisi obiter Paridis historiam tractavit Aeschylus, cum in Agamemnonis stasimo vs 375 Alexandri sagittarii mentione facta subobscure somnium Hecubae indicat his chori verbis οὐκ ἐκρύφθη, πρέπει δὲ Φῶς αἰνολαμπὲς σῖνος. Sed Sophocles scripsisse traditur Priamum, Alexandrum, Κρίσιν. Constat ex scholiis in Vespas 289 (cf. Nauck F. T. G. p. 248) in Priamo fabula Paridis expositionem enarratam fuisse; Κρίσιν satyricum drama fuisse testatur Herodianus (Nauck F. T. G. p. 209); quod autem attinet ad Alexandrum, si vides in ea fabula vocabula adhibita qualia sunt θηλάστρια et μαιεύτρια, praesertim cum cogitas adhibitum esse verbum ἀμαλθύνειν sensu τοῦ τρέφειν (Phot. Reitz. *i. v.*) oritur suspicio iocose ursum a qua nutritum fuisse Paridem testatur Apollodorus, cum Amalthea a poeta esse comparatam [1]). Quod si verum est, Alexander

1) Hygini fabulam si cum Apollodori narratione conferas, apparebit opinor huius expositionem minus quam illius cum fragmentis Euripideis convenire; neque audiendum esse Wilamowitzium qui in Anal. Eur. 148 breviter sic rem dirimit:

Digitized by Google

Sophoclis satyrica potius fabula habenda est et cum Κρίσει in unum conungenda: Ἀλέξανδρος ἢ Κρίσις.

Incertam coniecturam, confiteor, propono. Sed minus incertum est, et ad argumentum nostrum haud inutile, Iudicium Sophocleum in monte Ida esse peractum. Idem valet de Cratini Dionysalexandro. Comoediae ὑπόθεσις cuius partem nobis reddidit volumen IV Oxyrhynchicum (p. 69) festivam exponit fabulam quam periisse non dolere nequis. Satyris comtantibus pervenit ad Idam Dionysus et, quoniam prae pudore Paris, pastor adolescentulus, munus iudicis obire veretur, occupat eius partes Dionysus. Idem iudicio peracto Paridis personam mutuatur Helenamque arcessit, sed cum in Troianum agrum redux animadvertit Graecos advenisse, Helenam εἰς τάλαρον ὥσπερ τ(... τάριχον opinor [1]) κρύψας — placebat idem iocus post Cratinum Aristophani in Acharnensibus — ἑαυτὸν δ' εἰς κριὸν μετασκευάσας ὑπομένει τὸ μέλλον. Res non latet Alexandrum, et iam paratus est bonus pastor Idaeus mulierem raptam reducere ad naves Achivorum. Sed quis obstitit unquam Helenae lacrimanti? Ὀκνούσης τῆς Ἑλένης εἰκτείρας ὡς γυναῖκ' ἔξων κατέχει.

Poeta comicus in Helenen belli culpam transfert. Idem, ut verbo iam monui, fecit Euripides, idque constanter. Bellum Troianum, utrisque tam Troianis quam Graecis infinitorum malorum origo, debetur Veneri. Ipsa dea iam in Rheso — quae

---

„Argumentum non est Hyg. fab. 91. Nam ibi Paridem agnoscit Cassandra, hic contra agnitum vaticinatur". Hyginus enim ultra Paridis ἀναγνωρισμὸν non procedit, sed eo usque fragmenta Euripidea cum eius expositione optime conveniunt. In fabula autem Euripidea Cassandram „agnitum Paridem vaticinatum esse" Ennius docet. Contra ursi historia ab Agelada pastore enarrata in Euripideis locum non habet, quoniam ἀναγνωρισμὸς apud Euripidem fit per Cassandram. Longe aliter rem disposuit Sophocles cuius narratio reddi videtur ab Apollodoro. Pastor exponit infantem, ab urso nutritum per quinque dies invenit recepitque Paridemque nominat. Quid eo pastore utamur nisi idem fuit per quem postea, ut in Cyri historia atque in Oedipode ἀναγνώρισις facta est?

1) Oxyrh. pap. IV. 71. καὶ τὴν μὲν Ἑλένην εἰς τάλαρον ὥσπ[ερ τυρόν] κρύψας. τυρὸν supplent editores Angli. Nisi obstat spatium lacunae commendari mihi videtur vocabulum τάριχος fragmento VII. Mein. ἐν σαργανίσιν ἄξω ταρίχους Ποντικούς. — Cum fragmento Oxyrh. prorsus non convenire mihi videntur quae de Dionysalex. scripsit Rasch (in libro c. t. Quid Sophocles ... debeat Herodoto) ut demonstraret Paridem Cratineum virum regium esse, non iam pastorem obscurum.

Digitized by Google

fabula omnino vindicanda videtur Euripidi — ita Paridem alloquitur (vs. 646): *μέλει δ' ὁ σός με πόλεμος*, cui ille sui fatique nescius (653):

μέγιστον δ' ἐν βίῳ κειμήλιον
κρίνας σέ φημι τῇδε προσθέσθαι πόλει.

Sed haec raptim. Vide autem quam vividam Idaei pastoris imaginem in animo sibi iam formaverit cum (ann. 430—22) Andromachen doceret. Iterum penes Helenam culpa est (vs. 103):

Ἰλίῳ αἰπεινᾷ Πάρις οὐ γάμον ἀλλά τιν' ἄταν
ἤγαγετ' εὐναίαν ἐς θαλάμους Ἑλέναν.

itidem vs. 229. 248 in Helenam convicia sua dirigit Andromache. Et sic Peleus quoque, cum invectivis suis regem Lacedaemonium exagitat (vide praesertim vs. 590 *sqq.* et 628 qui versus tam impense Aristophani ridenti (Lys. 155) placebat), Helenam accusat, Paridis ne nomen quidem addit (602):

ἥτις ἐκ δόμων
τὸν σὸν λιποῦσα φίλιον ἐξεκώμασε
νεανίου μετ' ἀνδρὸς εἰς ἄλλην χθόνα.

Sed singulari attentione dignum est stasimon huius tragoediae primum. Gravibus versibus et ipsa simplicitate venustis hic omnia describuntur. Primum paratur iudicium Dearum: provehitur *τὸ τρίπωλον ἅρμα* ad stabula, ubi *βούτας* ille „*μονότροπος νεανίας*" habitat. *Ἔρημος* est eius aula, ipse non filius regius qui aliquamdiu a patris domo absens paternos pascit greges. Solitarius est neque pastoribus se adsociat; nec mirum nam quamvis originis suae ignarus penitus sentit, quantum a bubulcorum grege distet ingenio ac natura. At quam egregia arte poeta in antistropha splendorem dearum simplici pastoris animo opponit!

Accuratius autem dicendum est de stropha altera. Certant enim commentatores utrum expositio Paradis hic spectetur, necne. Mihi res omnino dubia non videtur. Sed ipsa verba laborant. Lectio tradita haec est

ἀλλ' εἴθ' ὑπὲρ κεφαλὰν ἔβαλε κακὸν
ἃ τεκοῦσά νιν Πάριν
πρὶν Ἰδαῖον κατοικίσαι λέπας.

Quae antistrophicos numeros secutus ita corrigenda puto:

Digitized by Google

ἀλλ' εἴθ' ὑπὲρ κεφαλὰν ἔβαλ' ἐς κακὸν
ἄγε τεκοῦσ' Αἰνόπαριν,

sed quidquid id est, verborum sensus hic est: „Utinam mater morti eum devovisset antequam in Ida monte collocaretur, tum cum Cassandra adstans prope laurum Apollinarem matrem obsecraret ut interficeret infantem." Rectissime autem scholiasta, in ipsa re tamen non Andromachen sed fortasse Alexandrum fabulam respiciens, somnium Hecubae memorat, et (cum scholiasta in Il. III. 325) Heleni atque Aesaci mentionem facit. Euripides enim sic sibi rem finxisse videtur (paulo aliter atque Apollodorus rem tradit III. 12. 55) Helenum atque Aesacum regi suasisse τὸ βρέφος ῥιφῆναι θηρσὶ βοράν, contra exclamasse Cassandram βρέφος φονεύειν [1]).

Hecuba tragoedia, in qua bis semelve (629. 943) pastoris Idaei fit mentio, non habet quod nos detineat. Iam devenimus igitur ad trilogiam anni 415, in qua tractanda utile erit Troadum structuram et indolem paulo accuratius spectare ut ex ea tragoedia lux quaedam afferatur Alexandro, quae fabula quodammodo Troadum fuisse videtur prooemium. Palamedem qua fabula ut ita dicam ostendebatur, Iliacos extra muros haud secus atque intra peccatum esse, missam facimus.

Troadum consilium prologus patefacit. Singulari enim sermone Neptunum inter et Minervam indicatur Graecos non minus quam Troianos post urbis excidium poenas esse daturos. Bellum victoribus aeque ac victis fatale esse civibus suis proponit poeta classem in Siciliam parantibus.

Post prologum Hecuba ναῶν πρῴρας ὠκείας, Helenam ex Graecia arcessentes, exsecratur, naves memorat, Veneris auxilio

1) Schol. in Andr. 294 κατ' ὄναρ θεασαμένη Ἑκάβη, ὅτι λαμπάδα ἅμα τῷ τεχθῆναι τὸν Ἀλέξανδρον ἐγέννησεν ἐδυσφόρει καὶ ἤρετο τοὺς μάντεις e. q. s. Insulsa dicentem scholiastam, haud ineptum, fecit librarius. Scribendum est „κατ' ὄναρ θεασαμένη Ἑκάβη ὅτι λαμπάδα ἐγέννησεν, ἅμα τῷ τεχθῆναι τὸν Ἀλέξανδρον ἐδυσφόρει καὶ ἤρετο. Post natum Paridem vates interrogati sunt (cf. Asclepiades in Schol. ad Il. III. 325), id quod apparet ex additis verbis ἅμα τῷ τεχθῆναι. Ceterum Hyginus aliter: „*praegnans* in quiete vidit se facem ardentem parere ex qua serpentes plurimos exisse." Serpentes illi nusquam alibi memorantur. Ne tamen παρείας (serpentes) coniectura expellamus, monet ipsum Paridis nomen, et fortasse Pindari illud Ἐρινὺν ἑκατόγχειρα in Paeanis fragmento quod supra exscripsi.

Digitized by Google

aedificatas, in deam ut in Helenam omnem culpam confert, filium suum ne memorat quidem.

Cassandra deinde, postquam ex hymenaei furore ad saniorem mentem descendit, mira quadam ironia Troiae devictae statum victorum successui anteponendum esse docet; quin tamquam homerici illius *καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι* memor, sophistice addit vs. 397:

Πάρις δ' ἔγημε τὴν Διός, γήμας δὲ μὴ
σιγώμενον τὸ κῦδος εἶχ' ἂν ἐν δόμοις.

Sequitur longa Hecubae *ῥῆσις* immeritas quas perpessa est calamitates enumerantis. Abest omnis filii libidinosi mentio sicut abest in carmine quo chorus Equi lignei dolum memorat. Prima est qui Paridem nominat Andromache, sed ne ea quidem vehementer raptorem arguens (vs. 597)

ἐπὶ δ' ἄλγεσιν ἄλγεα κεῖται
δυσφρσύναισι θεῶν, ὅτε σὸς γόνος ἔκφυγεν Ἅιδαν,
ὃς λεχέων στυγερῶν χάριν ὤλεσε Πέργαμα Τροίας.

Mireris fortasse matronam, ne tum quidem cum casti coniugii sui felicitatem dirutam deploret, Hectoris imagini Paridem opponere. Sed in Helenam omnis eius ira confertur [1]), Spartanam reginam condemnat et exsecratur (cf. praesertim 765 *ὦ Τυνδάρειον ἔρνος e. q. s.*) et verbis suis praenuntiat et praeparat praeclaram illam dramatis partem qua certantur inter se acerbitate et eloquentia Hecuba et Helena. In hoc autem colloquio tota animi nostra attentio convertitur in Helenes personam, et fortasse regii raptoris ne meminissemus quidem, nisi admodum argute mulier eloquentissima in matrem Paridis omnem culpam contulisset. Resumit, opinor, partem Alexandri fabulae Helena cum haec dicit vs. 919:

πρῶτον μὲν ἀρχὰς ἔτεκεν ἥδε τῶν κακῶν
Πάριν τεκοῦσα· δεύτερον δ' ἀπώλεσε
Τροίαν τε κἄμ' ὁ πρεσβὺς οὐ κτανὼν βρέφος,
δαλοῦ πικρὸν μίμημ', Ἀλέξανδρόν ποτε [2]).

1) Ex parte quidem haec vehementia in Helenam explicatur reipublicae condicione (765 *ὦ Τυνδάρειον ἔρνος.* cf. 210 *μὴ δίναν γ' Εὐρώτα*).

2) Quis ille *πρεσβὺς* fuerit, utrum Priamus an pastor cui sive Hecuba sive rex ipse filiolum interficiendum tradidit, dubium videri potest. Mihi Priamus significari videtur. Nimis obscure indicari dixerim pastorem aliumve ministrum

Digitized by Google

Nec minus respicit eandem fabulam cum ad maritum Menelaum se convertens et de dearum certamine agens δῶρα θεῶν enumerat hoc addens „νικᾷ Κύπρις θεάς". Sed hic quoque fere evanescit Alexandri culpa — ipsa tantum non persona humana Paridis evanescit (941)

ἦλθ' οὐχὶ μικρὰν θεὸν ἔχων αὐτοῦ μέτα
ὁ τῆσδ' ἀλάστωρ, εἴτ' Ἀλέξανδρον θέλεις
ὀνόματι προσφωνεῖν νιν εἴ τε καὶ Πάριν.

Mira arte pergit Helena, tamquam altera Pasiphae, amorem suum morbi nomine excusare. Scimus quam acriter ira exarserit haec audiens Hecuba mater Paridis. Ea vero cum filium depingit „βαρβάροις ἐσθήμασιν χρυσῷ τε λαμπρόν", Alexandrum cogitat eo habitu quo in Graeciam profectus est, non talem qualem dederat prior tragoedia de qua nunc tandem quaedam dicenda sunt.

Cratini Dionysalexandros scenam habet in Ida — quod frustra negant nonnulli viri docti, sed fragmentum Oxyrhynchi extra dubium ponit. Idem exspectaveris, speraveris fere in Euripidis Alexandro. Pastorem regia stirpe ortum sed educatum inter pastores, iuvenem nulla adhuc luxuria corruptum, ferociorem quendam Hippolytum videre cupis, venustate simplici vitae rusticae fruentem, quam laudat choreutarum cantus in Iphigenia Aulidensi (573): βουκόλος ἀργεννᾶις ... Ἰδαίαις παρὰ μόσχοις βάρβαρα συρίζων, Φρυγίων αὐλῶν Οὐλύμπου καλάμοις μιμήματα πνέων.

Sed non ita rem disposuit poeta. Docet hoc scholiasta in Eur. Hipp. 58. Sicut enim πρόπομποι in Aeschyli Eumenisin (1032) et, ut videtur, pueri in Aristophanis Vespis (248) parachoreutae erant, secundum nonnullos Euripides in Hippolyti exordio, ut ministros Hippolytum ex venatione comitantes producere posset, παραχορήγημα usus erat: ἕτεροι δέ εἰσι τοῦ χόρου καθάπερ ἐν τῷ Ἀλεξάνδρῳ ποιμένες. Ad Hippolyti exordium recte peragendum parachoreutis opus non est; id quod probe

(Ageladam illum Appellodori) nomine *senis*, cum praesertim spectatoribus nulla causa erat cur — etiamsi in Alexandro Euripideo pastor ille partes egisset — senem eum hominem expositionis tempore fuisse putarent.

Digitized by Google

agnovit alter grammaticus qui prioris scholiastae verbis haec adicit: ἐνταῦθα μὲν οὖν (i. e. in Hyppolyto) δύναται προαποχρήσασθαι τοῖς ἀπὸ τοῦ χοροῦ, ἐκεῖ δὲ (in Alexandro) συνεστῶτος τοῦ χοροῦ ἐπεισάγει τοῦτο τὸ ἄθροισμα. Ex quibus efficitur scenam in urbe Ilio fuisse ante Priami domum, et quandoquidem scenae mutatae — ut in Sophoclis Aiace atque in Eumenidum tragoedia — nullum est vestigium, verisimile est certamen quoque dearum non spectatoribus esse propositium, sed enarratum, sive — ut Hartungius suspicabatur — in prologo — sive postquam Alexander in patriam domum rediit. Desunt indicia quibus ea diiudices, et nostra nunc quidem parum refert. Id modo tenendum est, ipsum dearum iudicium, quod in egregia tragoediae dispositione, post Welckerum ab Hartungio data, raptim tractatur, neglegendum non esse, nam si Paridis personam intellegere volumus, κρίσις illa summi est momenti.

Parvis correctionibus dispositiones Hartungianas corrigere velle, puerile mihi videtur. Qui totum hoc τραγικώτατον δρᾶμα animo percipere voluerit, relegat èt Welckerianam disputationem èt Hartungianam; tenet me Alexandri persona, pastoris quem, ut ipse poeta in Iphigenia Aulidensi cantavit (580) κρίσις ἔμηνε θεᾶς. Fatali potestate Veneris ingenium pastoris quomodo tam repente mutari potuit? In hac quoque fabula — ut saepissime — poeta philosophans et sophistarum lucribrationibus haud leviter imbutus, quaestionem totidem positam mente volutavit, quae brevius enuntiari vix potest quam verbis Hecubae (Hec. 599)

ἆρ' οἱ τεκόντες διαφέρουσιν, ἢ τροφαί;

Et saepe quidem eo deduxit poetam ipse rerum tragicarum decursus ut plaudente corona democratiae iteraret quae ex Dictye fabula servantur apud Stobaeum (86. 1)

εἰς δ' εὐγένειαν ὀλίγ' ἔχω φράσαι καλά.
ὁ μὲν γὰρ ἐσθλὸς εὐγενὴς ἔμοιγ' ἀνήρ,
ὁ δ' οὐ δίκαιος, κἂν ἀμείνονος πατρὸς
ζηνὸς πεφύκῃ, δυσγενὴς εἶναι δοκεῖ.

Sed in Alexandro re non verbis ad hanc quaestionem responsum repetivit. Paridem proponit spectatoribus naturae adamantem, fortem iuvenem simplicemque, sed eundem gregibus suis magis quam amori addictum, nam — ut est in Hygini c. 91:

Digitized by Google

„Is cum ad puberem aetatem pervenisset, habuit taurum in deliciis. Quo cum satellites missi a Priamo ut taurum aliquis adduceret venissent qui in athlo funebri quod ei fiebat poneretur, coeperunt Paridis taurum abducere.... Ille amore incensus tauri descendit in certamen *e. q. s.*" Admiramur tragicam Euripidis ironiam. Sibi quidem videbatur Idaeus ad urbem properare ut taurum abreptum recuperaret, at revera Venus est quae eum propellit, Venus cuius auxilio — ut post in bello Iliaco ex Menelai impetu securus evadit — vincit in certamine, Veneris cuius iussu ipse Amor „volans de caelo cum corona et taeniis" nunc victoriam affert laetam, mox idem funestissimi triumphi primitias adlaturus.

Tragoediam fuisse Alexandri fabulam ad animos auditorum permovendos aptissimam, magis Ennianae fabulae fragmenta quam Euripidea nos docent [1]). Etenim quoniam sorte factum est ut praecipue scriptores morales et florilegiorum auctores excerpta nobis servaverint, parum scimus quali ingenio filium regium effinxerit poeta. Temere roges et frustra: num forte adolescentulus, quippe qui iam Veneris promissa acceperit, paululum a puerili ea et nativa innocentia remotus fuerit. Hippolytone minus quam Alcibiadi similis erat Paris redux? Non vereor nequis dicat Ovidianum Alexandrum a me requiri. Dignum profecto Euripide erat Paridem depingere „amare amantem". Ecce quam apta amoenitatis Idaeae imago superest in Iphigenia Aulidensi (1291)

μή ποτ' ὤφελεν τὸν ἀμφὶ
βουσὶ βουκόλον τραφέντ'
Ἀλέξανδρον
οἰκίσαι ἀμφὶ τὸ λευκὸν ὕδωρ ὅθι
κρῆναι Νυμφᾶν κεῖνται
λειμών τ' ἄνθεσι θάλλων
χλωροῖς καὶ ῥοδόεντ'
ἄνθε' ὑακίνθινά τε θεσῖσι δρέπειν.

Virgo est Iphigenia quae haec canit; dixeris tamen Veneris

1) Ovidium enim sequi quam sit difficile, magis hodie, cognitis Oedippes fragmentis Callimacheis, aequales nostri noverunt, quam olim sive Matthiae sive Hartung.

Digitized by Google

eam hortum canere, voluptate periculosa plenum. — Utinam sors ne nobis invidisset eam partem fabulae in qua poeta descripsit quo modo sensim ἡ δολιόφρων Paridis animum sibi devinxisset ita iam ut sic fere secum meditari posset (Ov. Hec. XV. 163)

Praeposui regnis ego te, quae maxima quondam
Pollicita est nobis nupta sororque Iovis,
Dumque tuo possem circumdare bracchia collo
Contempta est virtus Pallade dante mihi.

Quatenus in eiusmodi Paride depingendo Euripides praecesserit vix divinare poterimus, nisi fortasse Chrysippus, sedulus Euripidis lector, ingenium innatamque naturam Alexandri Euripidei spectaverit cum (id quod testatur Schol. ad Eur. Andr. 276) ita scripsit: „Χρύσιππος δὲ ἐν Ἠθικῶν δεκάτῳ λογισάμενον τὸν Πάριν τίνων δεῖ μᾶλλον ἀντέχεσθαι, πολεμικῆς ἀσκήσεως ἢ ἐρωτικῆς ἢ βασιλείας νεῦσαι αὐτὸν μᾶλλον εἰς τὰ ἐρωτικά [1]).

Sed, etiamsi operam dedit poeta, ut Alexandri indolem a rustica illa simplicitate paullatim Veneris artibus deflectentem faceret, quantum ex fragmentis novimus, hic quoque Aphrodite dolosa dea, non Alexander reus factus est. Quamquam ironia quadam in hac fabula omnia permiscuit poeta. Luget Hecuba, quam vulgari quodam genere consolationis alloquitur Priamus, luget regina filium, diu — ut putat — demortuum, instauraturque in eius honorem ludus funebris. At vivit Paris filius, et in suo ipse funebri certamine victoriam obtinet. Priamidae, indignati quod bubulcus iste praemio victoriae coronetur, pastorem invadunt, et iam, ut legimus in Hygini expositione fabulae (qua reddi Euripideam etiam obloquente Wilamowitzio persuasum habeo) „indignans Deïphobus gladium ad eum strinxit, at ille in aram Iovis Hercei insiluit. Quod cum Cassandra vaticinaretur eum fratrem esse, Priamus eum agnovit regiaque recepit".

---

1) Non audiendus mihi videtur J. de Arnim qui (Fr. Stoic. III. 197) pronomen αὐτόν delet. Indicavisse mihi videtur Stoicus Paridem iam sua sponte atque ingenio suo νεῦσαι μᾶλλον εἰς τὰ ἐρωτικά.

Digitized by Google

Videsne? Iam in eo erat ut Alexander necaretur, iam exclamat ille, Idaeo pastori aptiora quam regio iuveni:

οἴμοι θανοῦμαι διὰ τὸ χρήσιμον Φρενῶν
ὃ τοῖσιν ἄλλοις γίγνεται σωτηρία,

et cuiusnam opera mortis periculum imminens ab eius capite avertitur? Ipius Cassandrae, quae nunc non perspicit quod antea, puero recens nato, divinitus vaticinata erat, at quae mox, quid verum sit, iterum intelleget (Cic. Div. I. 50. 114)

Eheu videte iudicavit inclutum
Iudicium inter deas tris aliquis
Quo iudicio Lacedaemonia
Mulier, furiarum una adveniat.

Immerito auditur, Cassandra, cum salvum vult Paridem, immerito contemnitur, cum restinguendam esse τῆς ἄτης flammam cives monet.

Non sine causa dolemus quod periit Alexandri tragoedia. Paridem civibus proposuit suis non κάλλει στίλβοντα, sed adolescentulum, quem doleas fatali vi τοῦ ἐρωτικοῦ πάθους fuisse obstrictum. In cuius fato describendo miram nanctus erat poeta occasionem philosophandi de natura humana. Nam Priamidae praefacte negant virtutem in servo inesse posse, contra Φύσιν laudantes facit poeta pastores, Paridis comites (fr. 52 N)

περισσόμυθος ὁ λόγος, εὐγένειαν εἰ
βρότειον εὐλογήσομεν e. q. s.

ita fere disputantes de condicione humana, ut sophistae disserere amabant: natura homines inter se nihil differre („μία δὲ γόνα τό τ' εὐγενὲς καὶ τὸ δυσγενές) vel ut Antiphontis verbis utamur: ἀναπνεῖν εἰς τὸν ἀέρα ἅπαντας κατὰ το στόμα καὶ κατὰ τὰς ῥῖνας (Oxyrh. XI. 1915. p. 100) [1]).

Sed ne hoc quidem loco, cum disputatione haud brevissima Trojanos atque pastores Idaeos certantes inducit poeta περὶ Φύσεως καὶ νόμων, miram illam tragicam ironiam neglegit Euripides quam in hac fabula observare nobis videmur. Chorus enim in laudem pastoris Idaei dixerat „οὐκ ἔστιν ἐν κακοῖσιν εὐγένεια, παρ' ἀγαθοῖσι δ' ἀνδρῶν". At putabat tantummodo,

1) Quantum commune fuerit Euripidi cum Antiphonte sophista, fragmenta Antiphontea anno 1915 edita haud uno loco ostendunt.

Digitized by Google

Paridem non esse ex εὐγενῶν, „videbatur" modo ille „de plebe". Revera nobili genere natus erat, itaque neque laudes vitae simplicis, neque φύσεως ἔπαινος cui aequalium more indulget poeta revera in eum cadere possunt. Sapiens igitur et cautus Priamus senex filium recuperatum adloquitur verbis, quae Troiae fatum impendens invito rege vaticinantur:

χρόνος δὲ δείξει σ' ᾧ τεκμηρίῳ μαθὼν
ἢ χρηστὸν ὄντα γνώσομαί σέ γ' ἢ κακόν.

Ad Ciceronis or. pro Milone § 29.

„Fit obviam (Milo) Clodio ante fundum eius hora fere undecima aut non multo secus: statim complures cum telis in hunc faciunt de loco superiore impetum; adversi raedarium occidunt; cum autem hic de raeda reiecta paenula desiluisset seque acri animo defenderet, illi, qui erant cum Clodio, gladiis eductis, partim recurrere ad raedam ut a tergo Milonem adorirentur, partim quod hunc iam interfectum putarent, caedere incipiunt *eius servos*, qui post erant; *ex quibus qui* animo fideli in dominum et praesenti fuerunt, *partim* occisi sunt, *partim*, cum ad raedam pugnari viderent, domino succurrere prohiberentur, Milonem occisum et ex ipso Clodio audirent et re vera putarent, fecerunt id [servi Milonis] — dicam enim aperte non derivandi criminis causa, sed ut factum est — nec imperante nec sciente nec praesente domino, quod suos quisque servos in tali re facere voluisset".

Quaedam vocabula inclinatis literis imprimenda curavi quo magis appareret illis quae uncinis essent inclusa non solum laedi aures sed etiam ipsam sermonis puritatem violari.

I. I. H.

Digitized by Google

STATIANA.

SCRIPSIT

J. S. PHILLIMORE.

Ad Silu. I II 117—9

haec et caeruleis mecum consurgere digna
fluctibus et nostra *potuit* considere concha;
et si flammigeras *potuisset* scandere sedes,
hasque intrare domos, ipsi erraretis, Amores.

In u. 118 idcirco *potuit* exarauit librarius quod oscitantis oculus in u. sequentem aberrauit. Hoc quidem satis constat; quod dubites, est cuiusnam uerbi in locum se ingesserit illud *potuit*. Sed in tali re tum denique integrum fit iudicium si extruso quod alienum est et lacuna ante oculos posita quaesiueris quid potissimum proxima flagitare uideantur

haec et caeruleis mecum consurgere digna
fluctibus et nostra considere concha.

Quid multa? Quid nisi *mecum* legendum? Quae magis apta uox ad sententiam concinne quadrandam? Neque in alio uocabulo promptius fuerat scribae peccare, quippe cui in unum caderent duo notissima scribentium uitia dittographia et haplographia. Semel enim τὸ *mecum*, quod bis debuit; uerbi q. e. *potuisset* si non omnes literas, saltim quot in unum pedem excurrerent, male iterauit. Ergo Uiolentillam eo honore dignatur poeta ut simul e fluctibus nata cum Uenere simul cum illa in concha nauiget.

I III 101—4

seu tibi Pindaricis animus contendere plectris,
siue chelyn tollas heroa ad robora, siue

Digitized by Google

liuentem Satiram nigra robigine † turbes †,
seu tua non alia splendescat Epistola cura.

Illud *turbes*, quamuis interpretationem olim a Gronouio excogitatam Vollmerius repetierit, multis displicuit et displicet. Nec tamen Scriuerio successit ut *uibres*, nec Marklandio ut *tingas* probaret.

At idcirco in hoc loco haesit ars critica quod nondum satis dispectum est qualis poeta ille Manilius Uopiscus fuerit. Relege quaeso cum cetero carmine hos uersus: apparebit hominem Epicureum opera non Luciliano sed Horatiano scripsisse charactere, nisi quod Pindarum aemulari studeret. Itaque lyricus fuit sed cui interdum ars ad heroam (i. e. epicam) maiestatem surgeret. In pedestri autem musa quis? Utrumque sermonum genus ad Horati exemplum componebat. Sed quid Horatiano homini cum liuore et robigine? Nonne ille candoris mirator ut in Epodis Archilochi saeuitiam emolliuit, ita Satiram a nimia mordacitate reuocauit? Ipsum quidem genus carminis liuori et robigini aptum fuit, si non temperarent mores poetae. Quod autem fecerat Horatius, fecit Uopiscus: satiram liuentem nigra robigine *purgauit*. Atque idem Epistolare genus, pariter situ pallens, eruit, nouavit, expoliuit ut ad pristinum splendorem rediret. Hoc ille non minus diligenter et curiose *(non alia... cura)* quam in Satira instauranda: utraque usu trita renitescit.

Legas igitur

liuentem Satiram nigra robigine *purges*.

De literis B et G locum inter se commutantibus uide quae attulit Marklandus dum illud suum commentum *tingas* commendat. Certe palaeographica ratio suadet ut PURGES ex literis traditis TVRBES potius quam TINGAS euoces. Iam inde ab unciali quae uocatur scriptura hanc corruptelam ortam esse crediderim.

I IV 61—2.

Serius et post editas secundis curis (A. D. 1917) *Siluas* in eum incidi locum qui certiorem faceret quid in Soteriis Rutili Gallici, ubi ualde discrepant editores, legere oporteat. Postquam enim haec apud Lucanum animaduerterit

NUNC AIT o miserae contundite pectora matres,
NUNC laniate comas (*Phars.* II. 38)

Digitized by Google

quis dubitabit quin ad hoc exemplum noster scripserit

NUNC mecum, Epidauria proles,
NUNC AIT, I gaudens ...

nunc praebet corrector Matritensis, *ait i* nescioquis doctus qui uni e Bodleianis libris circa A. D. 1500 marginalia ascripsit. III II 30.

Quod ea quae de hoc loco nuper (MNEM. pg. 91 sqq.) disputaueram Purserio nostro non probaui, uiro in omni parte Latinitatis exculto necnon artis nauticae perito, prohibeor quominus mihi de ea re satis persuasum habeam. Nam is quidem cum uocabulo q. e. *artemo* multa et diuersa significari fateatur, tamen negat unquam idem quod gubernaculorum manubrium ualere; neque in S. Augustini uerbis a me laudatis aliud esse artemonem nisi uelum credit, Isidorum XIX. 3. 3 praecipue testatus, qui certe inter uelorum genera artemonem refert. Uereor hercle ne his rationibus manus dandae sint. Uerum mutata interpretatione huius uerbi lectio tamen non mutanda est. Si enim, ut ait Isidorus, illud uelum 'dirigendae potius nauis causa commentatum quam celeritatis' fuit, licet sic quoque de eo lectionem illam siue Rutgersianam siue Scaligeranam intellegere. Uelum enim ad regendam nauem repertum, torqueri huc illuc necesse est, ut uice gubernaculi fungatur. Cum autem ad nouam nauigationem denuo instruitur, oportet nautas (siue, ut fingit poeta, Nereidas) experiendum curare satisne bene eo utantur. Atque haec procurantibus, dum uelum in hanc uel illam partem funiculis modo intentis modo remissis trahitur, nonne ipse artemo *primos tortus explorare*, figurate sed citra cacozeliam, dici potuit?

Digitized by Google

AD LEGEM AGRARIAM REG. 21.

SCRIPSIT

J. M. NAP.

In inscriptione quae vocatur lex agraria (C. I. L. I, 2, 1^2, 585; Bruns-Mommsen, *Fontes iuris Romani antiqui* I Ed. VII p. 77) reg. 20 sq. legitur locus sane corruptus:

Ager locus publicus popul[i Romanei, quei in terra Italia P. Muucio L. Calpurnio cos. . fuit ... extra eum agrum, quem agrum, L. Caecilius Cn. Domitius censores] a(nte) d(iem X[I] k(alendas) Octobris oina quom agro, quei trans Curione *est, locaverunt, quei in eo agro loc[o civis] Romanus sociumve nominisve Latini, quibus ex formula togatorum e. q. s.*

Constat scalptorem, cum integram vocem non intelligeret, „*Curione*" scripsisse. Quaerendum est, quomodo hic locus sanari possit. Mihi quidem iam multos annos persuasum est, pro „*Curione*" „*Rubicone*" esse legendum.

Huius coniecturae hoc modo forsitan ratio reddi possit.

Cum alius ager, de quo dividundo locandove in lege agraria agitur, „ager publicus populi Romani" vocetur, ager trans *Curionem* eget omni huiusmodi designatione. Hinc colligi potest, agrum „trans Curionem" non esse partem agri publici populi Romani. Sed qui fit, ut a censoribus locetur?

Ut intelligamus haec res quomodo se habeat, memoria tenendum est agrum Gallicum usque ad Ariminum lege Flaminia agraria divisum esse. Cui non nota sunt illa verba Catonis (apud Varronem *de re rustica* 1, 2, 7): *ager Gallicus Romanus vocatur, qui viritim cis Ariminum datus est ultra agrum Picentium?*

Ab Arimino ad Rubiconem spatium ita exiguum est, ut vere

Digitized by Google

possit dici, ager Romanus ut urbe Arimino, ita et flumine Rubicone terminari. Quae cum ita sint, ex laudatis verbis Catonis concludendum est, agrum Gallicum usque ad Rubiconem lege Flaminia agrum Romanum, simulque agrum publicum populi Romani esse factum, denique hac lege divisum esse. Quod ad agrum trans Rubiconem attinet, licet pars eius agri paulo post legem Flaminiam latam sit divisa (velut cum coloniae Mutinam vel Placentiam deducerentur, cf. Vell. Paterc. 1, 15, 17) attamen ager trans Rubiconem non proprio sensu ager publicus dici poterat.

Vestigia C. Flaminii C. Sempronius Gracchus secutus est. Legimus apud Vell. Pat. 2, 6, 2. de C. Graccho: „*dabat civitatem omnibus Italicis* (quod falso esse dictum apparet) *extendebat eam paene usque Alpis*. Itaque de hoc agro, qui trans Rubiconem est, oportet C. Gracchum aliquam legem tulisse. In hac lege de illo agro mentio facta est, neque tamen ager publicus vocabatur. Capita tralaticia, quibus de illo agro agebatur, repetita sunt in lege agraria lata a. 111 a. Chr. n. Hoc modo effectum est, ut haec lex de eodem agro praecepta daret. Sed scalptor, vir parum doctus, quid sibi vellet Rubico non intellegens, mutatis quibusdam litteris pro „*Rubicone*" „*Curione*" scripsit. Etiam observandum est, flumen Rubiconem nondum aeque celebre fuisse eo tempore atque postea, Caesaris aetate. Quocirca facilius intelligimus in scalpendis litteris scalptorem erravisse.

Hagae Comitis, mense Januario 1920.

Digitized by Google

ARS CRITICA

QUID SIBI HABEAT PROPOSITUM ET QUA UTATUR RATIONE

SCRIPSIT

I. I. HARTMAN.

Difficile saepe est aptum disputationi invenire titulum. Periculum enim est ne is qui eam scripsit aut parum aperte quid sibi velit declaret aut legentem exclamare cogat:

quid tanto dignum feret hic promissor hiatu?

Quid quod haud raro ipsa libelli inscriptio arrogantiae movet suspicionem. Quapropter hic ante omnia legentem moneo me nihil hic magni moliri. Neminem quidquam docere, nedum dedocere studebo. Tantummodo celebratiores quasdam tractabo coniecturas emendationesque, quae accurate perpensae consideratae que nonnihil prodesse posse videantur iis qui huius artis faciunt tirocinia.

Initium faciam a notissimo quodam in Aristophanis *Vespis* versu, nec initium faciam solum, sed iterum iterumque eodem recurram, ne in ipso quidem fine eum missum facturus. Est ergo ille huiuscemodi: senem lavatum, comptum, eleganter vestitum sic ludibrio habet servus ut dicat:

ἔοικας ὦ πρεσβῦτα νεοπλούτῳ τρυγί.

Pro eo quod est τρυγί Leeuwenius proposuit φρυγί et „hoc est emendare" alicubi exclamat Naberus noster.

Ego vero, nisi haec mihi Naberi innotuisset exclamatio, nihil me umquam illa coniectura perversius vidisse declararem. Et nunc quoque longe longeque eam a scopo aberrare mihi

Digitized by Google

est persuasissimum. Quod eo confidentius pronuntio quia non vereor ne quis me unum tam stultum stolidumque arbitretur ut non qua par est reverentia Leeuwenii Aristophanem illum suspiciam admirerque. Immo vero nemo eum pluris quam ego facere potest atque aut operam perdere aut actum agere quicumque illa editione neglecta Aristophani operam dare velit certa mihi stat sententia. Neque tamen inde locum quem impugnarem protraherem, nisi mihi tam aptum exordium fundamentumque disputandi praeberet ille. Esto, falsissimum mihi istud *Φρυγί* videtur. Quod quo argumento dicam ita demonstrabo ut primum ipsum versum solum per se spectem. Postea — id quod semper et ubique necessarium est — totum contextum considerabo.

Emendatio ut certa nullique dubitationi obnoxia dici possit, ante omnia hoc constare debet traditam lectionem nulla ratione ferri defendique posse. „Quod nunc abest" ut ait vetus poeta. Forte enim accidit ut brevi hic spatio tria legantur vocabula quae binas habeant significationes. Quorum unum *τρύξ* est, quo non solum vinum novum hornumque significatur, sed etiam id quod vini residuum est in amphora, lagena, poculo, *faex* ergo, quam Martialis *τρόπιν* appellat; nulla res umquam certiore est testimonio declarata. Quis enim non novit Aristophaneum illud in Pluto:

τὸν οἶνον ἔπιες, ἐκποτέον καὶ τὴν τρύγα

quo compellat Chremulus iuvenem, qui in eo est ut anum relinquat, quae olim eum pecunia sua sustentavit sed iam ad inopiam est redacta ipsa. Iam Latinum vocabulum quod est *faex* metaphorice adhiberi de plebis parte contemptissima quid opus dicere? Quidni ergo eodem maledicto et *unus* petatur *homo*, qui in illam reiiciendus turbam videatur? Satis erit hic afferre Horatiana illa: „plebs eris" et „nos numerus sumus", vel, qui etiam aptior proposito, locum e Platonis Hippia maiore, ubi fictus ille homo, ad quem provocat Socrates, ab eo dicitur: *οὐ κομψὸς ἀλλὰ συρφετός*.

Ergone illud „similis es homini de infima plebe, qui subito opulentus factus est" aequi bonique consulamus? Minime, minime vero! Utrum hic ipse in culpa sit Aristophanes (quis enim *omnia* apud eum faceta esse dicat?) an librarius aliquis

Digitized by Google

in medio relinquo. Sed absurdam ineptamque eam esse comparationem libentissime concedo. Cur? quia humanior urbaniorque est quam pro iocatore servo. Homines de plebe puerique in platea ludentes, si quem propter vultum, habitum, vestitum deridere volunt, alias in promptu habere solent imagines: hominem atris indutum vestibus cum corvo comparant, eum qui multo insignis est auro „scarabaeum auratum" dicunt, non vero „plebeium nuper opulentum factum". Sed isto νεοπλούτῳ Φρυγί quid proficimus? An hoc iocantem decet servum? Nihilo magis quam quod traditum est νεοπλούτῳ τρυγί. Pro quo si editor dedisset νεολούτῳ κυνί, certe servum serviliter εἰκάζοντα nobis exhibuisset. Quod tamen et ipsum animi causa affero, non, hercle, quo coniecturae alienae meam opponam, sed ut appareat quo modo Xanthiae eiusque conservis fuerit iocandum.

Sed multo magis nil opis nobis istum Phrygem tulisse apparebit si cum nostro versu simul considerabimus eum qui continuo sequitur:

κλητῆρί γ' εἰς ἀχυρμὸν ἀποδεδρακότι

cuius qui sensus sit neque scio ipse neque quemquam scire opinor, omnesque mortales semper ignoraturos auguror. Nam in duo hic incidimus vocabula, quorum utrumque duplici possit accipi modo, neque utra interpretatio utrobique magis sit probanda statui iam ullo modo potest.

κλητήρ est aliquis praetoris apparitor et qui aliis fungitur officiis, quae populo parum sint grata, et bona obsignat eorum qui non ad tempus solverunt quae debebant aerario. Iidem et in iudicium vocant cives vel provinciales qui contra leges fecerunt, denique est invisum genus hominum. Quorum siquis ut suo fungatur officio in aliquam venit villam, mirandum non est in eum undique fieri impetum, miserumque hominem, ne furca non expellatur solum sed et vulneretur, post aliquem *paleae acervum* vel in medio illo latitare. Sed parum nostro loco aptam ea res praebeat comparationem. Quid enim simile habent Philocleo et apparitor e suis protractus latebris? Ille novo et si cum antiquo comparetur splendido est indutus vestimento, sed tam inepte illud induit ut Laespodias aliquis vel Triballus esse videatur, at hic palea tantummodo est oppletus et fortasse etiam luto et pulvere.

Digitized by Google

An forte de longe aliis rebus nobis est cogitandum hunc versum legentibus? Quis hoc infitiari audeat? An non κλητήρ etiam *asinus* est *clitellarius*? Et habemus hic ἀχυρμόν, quod non minus quam ἀχυρῶνας, quod critici reponere voluerunt, deductum est a voce quae est ἄχυρα. Et ἄχυρα quae sunt? Cui hic non Mülleri—Strübingii venit in mentem, cuius liber (c. t. Aristophanes und die historische Kritik) quamvis totus sit vitae lucisque plenus, nullam tamen habet paginam illi parem, qua versum in Aristophanis Acharnensibus

τοὺς γὰρ μετοίκους ἄχυρα τῶν ἀστῶν λέγω

ab interitu servavit: (ubi qui ἄρτων pro ἀστῶν proposuit immemor fuit magnae illius licentiae qua omnes qui graece latineque scripserunt res ipsas commiscuerint cum illis quas comparandi causa afferunt).

Docet ergo Müllerus—Strübingius τὰ ἄχυρα non solum esse *paleam* sed et *furfures*, qui comminuti et cum farina ipsa mixti panem praebeant minime spernendum. Ad eiusmodi ἄχυρα si asellus confugit cibum invenit delectabilem, quo repletus nitidus prodeat petulansque ut illud ὀνίδιον κακχρύων ἐμπλήμενον, quod alius Vesparum versus exhibet. Cum tali autem asello quam pulchre convenit νεολούτῳ κυνί quem per ludum iocumque huc vocavi!

Quam incerta hic sint omnia, dubia, obscura vides. Quapropter ego si in nova aliqua *Vesparum* Aristophanearum editione *utrique* versui crucem appictam videbo, laetus lubensque „hoc est in re conclamata criticum agere" exclamabo.

Age, iam cum hac emendatione aliam quandam comparem... *meam*... Quod non tam est ridiculum quam primo aspectu videtur.

Primum si cui insignis aliquis in sua arte contigit successus, quamvis id ante multos annos factum sit, non est aegre ferendum eum lubenter de eo narrare. Navita de ventis e. q. s. Deinde si hoc solum est emendare pro τρυγί reponere Φρυγί, mea emendatio illa plane concidit. Tum, quod *meam* illam dixi, non prorsus verum est. Communem enim eam habeo cum Gertzio Hauniensi et Leone tum Göttingensi. Sed est „communio rei pro indiviso" ut aiunt iureconsulti, neque umquam nobis contigit ut pro certo statueremus quis nostrum primus

Digitized by Google

eam invenisset emendationem. Credibile est eodem temporis momento eam nobis in mentem venisse.

Quod quale fuerit etiam nunc, licet plus quadraginta anni iam sint elapsi, penitus tamen sentio: exsultabam gaudio, sed simul cor mihi palpitabat metu ne iam alius mihi meum praeripuisset. Iam nox erat, sed somnum capere non potui et vixdum aperta erat Bibliotheca cum iam trepida manu Fritzschii pervolvebam editionem tum recentem. O bene! nihil inveniebam quod laetitiam meam perturbaret.

Postremo habet emendatio illa aliquid quod eam nostro reddat aptissimam proposito.

Sic enim res se habet:

in Luciani Philopseude, postquam alii convivae iam alia absurdissima quae sibi evenerint protulere miracula, medicus haec narrat:

est mihi Aesculapius ex aere factus, qui sub mediam noctem de sua descendit basi, tum *totas perambulat aedes*, ludens iocansque, *τὰ φάρμακα συγχέων, τὴν θύραν περιτρέπων.*

Ultima haec casu accuratius mecum perpendens primum mirabar quod hic *τὴν θύραν* in singulari legeretur numero, nam Aesculapio illi, si *totas* perambularet aedes, non unam sed plures fuisse movendas ianuas. Sed statim mihi in mentem venit *θύραν* non posse *περιτρέπεσθαι*, quoniam *περιτρέπειν* non esset *convertere* sed evertere et humum deicere. Ergo reponi debere aliquid quod et in quavis adesset officina medica (quod articulo *τήν* declararetur), ibi in loco esset superiore positum, postremo quod ibi in suo esset genere *solum*. Quid multa? Haec omnia in *τὴν θυίαν* competere intellegebam idque esse reponendum. Atque eodem tramite et a Gertzio Leoneque veritatem indagatam mihi pro certo constat.

Nunc cum mea emendatione illam „*τρυγί* lege *φρυγί*" comparemus: habet ea „probabilitatem palaeographicam", praeterea nihil. At mea emendatio etiam tum probanda foret si vocabulum restitutum a tradito, quod ad literarum ductus pertineret, quam plurimum discreparet. Quodsi constaret apud Graecos Romanosque medicos pro ornamento in mensa aliqua vel armario semper stetisse Hygieae vel Panaceae signum, parum curarem utrum pro *θύραν* legeretur *θυΐαν* an *Ὑγίειαν* vel *Πανν-*

Digitized by Google

ἀκειαν. Tria enim haec nomina aeque bene loco nostro conveniunt.

Nam ut *sensus* loci restituatur, hoc in re critica primarium esse debet. Si palaeographia emendationem commendabit, hac re tamquam lepido ornamento gaudebimus, quod si aberit aequi bonique consulemus. Dabo insigne exemplum.

Ποταμὸς μὲν ῥημάτων οὐδὲ σταλαγμός (sic enim est traditum) a prudenti viro dictus erat rhetor quidam verbosus et ineptus. Addidit criticus φρονήσεως .... et me iudice locum persanavit, nam quod postea ipsum illud est inventum quod olim scriptum fuerat:

Ποταμὸς μὲν ῥημάτων, νοῦ δὲ σταλαγμός

id quidem minoris est momenti.

Qui stupet in re palaeographica, ut stultus ille apud Horatium homo in titulis et imaginibus, is rerum ordinem invertit et ipsam criticam pessumdat.

Lubet hic repetere quaedam quae ante multos annos scripsi in libello *de Phaedri fabulis* et quae tum plausum tulere. Repetam autem sicut nunc in memoriam veniunt; quid enim attinet verbo tenus bis eadem dicere?

„Solebat Cobetus discipulis doctoris titulum petentibus corruptum aliquem proponere locum quem domi emendarent. Candidatus autem primum *Varias* et *Novas* consulebat *Lectiones*: saepe enim fiebat ut summus ille magister emendationem aliquam inveniendam proponeret discipulo, quam multo antea fecisset publici iuris ipse. Si in *Lectionibus* nihil opis erat, amici convocabantur qui laboranti opem ferrent. Saepe hic unus aliis acutior statim et vitium videbat et quomodo sanandum esset intellegebat. Sed saepius omnes frustra quaerebamus. Ergo ad incitas redacti sub unoquoque vocabulo fraudem aliquam latere suspicabamur. Deinde communi consensu unum eligebamus quod ceteris videretur corruptius. Hoc ergo literis discribebamus „capitalibus": sic cetera omnia ei fiebant similia vocabula. Si inventum erat quod satis placeret omnibus, qui in latine scribendo princeps erat de novo invento conscribebat commentariolum. Inde noctis pars festivis dabatur colloquiis. Postridie qui primus vinulum edormitasset ad Bibliothecam currebat et e Stephani Thesauro locos conquirebat quibus illa emendatio scilicet illustraretur. Aderat hora indicta et, tamquam

Digitized by Google

suam, disputatiunculam, communi compositam labore, magistro recitabat candidatus. In quo aliquis Herodoti vel Thucydidis locus ita in integrum restituebatur ut testes afferrentur Procopius, Philostratus, Eunapius. Nihil tunc suavius erat quam Cobetum audire ridentem iocantemque".

Tum is, cui ars palaeographica summa est omnium bonarum rerum magistra, de vitiorum in codicibus origine facile opinionem sibi informat aliisque tradit falsissimam.

Vulgo creditur omnium in codicibus vitiorum *primarium* esse fontem *oculorum* errorem-falso, nam et in male factis hominum et in bene factis principatum tenet mens, paret corpus et quidquid corporis est. Iam nunc satis superque corrupti sunt omnes codices, sed si falsae lectiones unicam hanc haberent originem quod librarius aliud in suo exemplo videret vocabulum, aliud se videre crederet, vix unum antiquorum scriptorum verbum integrum ad nos pervenisset. Nam quae non litera aliquo modo alii literae magis minusve est similis? Nunc res sic se habet: librarius oscitans de aliqua re cogitat, quae a proposito est aliena, creditque se legere vocabulum illi rei cognatum, praesertim si illud ab eo quod revera scriptum est in exemplo non magnopere discrepat. Dabo duo exempla ex eo codice, qui illo praesertim errorum genere abundat: Mediceum dico qui Annalium Taciteorum priorem continet partem.

Alterum legitur in ultima libri XV parte.

Narratur qua ratione Seneca in suspicionem venerit tamquam si cum Pisone fecisset. (In transitu moneo ita hic narrare Tacitum ut legentes non possint non cogitare totam coniurationem Pisonianam a Seneca esse profectam) „Natalis" ait „a Milicho Scaevini servo indicatus, cum ex eo quaereretur essetne etiam Seneca sceleris conscius, hactenus prompserat se internuntium inter Pisonem et Senecam Pisonis nomine esse conquestum quod a Seneca numquam viseretur atque adeo a conveniendo eo arceretur; tunc Senecam dedisse responsum quod a confessione rei cum Pisone consociatae parum abesset". Deinde haec ipsius Taciti sequuntur verba:

„haec ferre *gravius* Silvanus tribunus praetoriae cohortis, et an dicta Natalis suaque responsa nosceret, percontari Senecam iubetur".

Digitized by Google

Sic est in codice; veram lectionem *Gavius* Immanuel demum Bekkerus restituit. Putasne librarium prae oculorum debilitate dispicere non potuisse utrum in exemplo nomen *Gavius* an *Gravius* legeretur? Immo vero, intempestive ei in mentem venit tritae locutionis *graviter ferre*, atque ita factum est ut pro nomine proprio *Gavius* adverbii comparativum *Gravius* scriberet. Quodsi non in tempore Bekkerus codicis lectionem tamquam ex oculis legentium removisset, fortasse nostra aetate exstitisset aliquis strenuus traditarum lectionum vindex qui „noli tangere" clamaret „nam illud *ferre Gravius* bonum praebet sensum: iubetur enim Silvanus truci vultu Senecam ea rogare quod iussus est".

Alterum se offert in ipso codicis initio:

„Bellum ea tempestate nullum.... *domi res tranquillae*".

Sic nunc recte editur, at in codice a prima manu est *dormires tranquille*. Recentior manus (id quod atramenti indicat color) literam *r* priorem in *dormires* suppunxit et literae ultimae vocis q. e. *tranquille* lineolam appendit, ut exsisteret adiectivum *tranquillae* in nominativo plurali. Scilicet miser librarius cui, ut victum pararet, saepe diu fuerit vigilandum quique, si tandem aliquando cubitum iisset, saepe saltantibus inquietaretur literis, ita ut Martialis, nihil habebat quod libentius sibi fingeret animo quam *somnum tranquillum* longumque. Atque ea vocabula ei tantum non sponte in mentem veniebant. Quid si exemplum ei aliquid simile exhiberet?

Sed possumus longius progredi. Cobetus, si refutare volebat aliquam coniecturam, quae ei πεισθανάγκην habere non videretur, exclamare solebat: „*Callistratus*: legendum videtur *Philonides*", tamquam si hoc esset exemplum artis criticae male adhibitae. Hic mihi a summo magistro est dissentiendum. Quis fuerit ille qui eam coniecturam proposuerit et cui loco eam admoverit nescio, sed fortasse fuit vir acutissimus, qui quid quoque loco fieri deberet probe perspiceret. An hoc incredibile librarium non plane indoctum, cum in suo conspiceret exemplo nomen *Philonidem*, sic secum esse locutum: „Philonides: quid de eo didici in historia literarum Graecarum? Iam memini: Aristophanis, nondum huic operi maturus cum esset ille, comoedias suo nomine scenae committebat. Sed et alter quidam

Digitized by Google

fuit qui idem fecerit. Quo nomine erat ille? quo nomine? Teneo: Callistratus" et tum pro Philonide Callistratum scripsisse, ita ut illud: „*Callistratus*, legendum videtur *Philonides*" magnae fuerit prudentiae et haud spernendi acuminis?

Etenim id quod illi librario evenisse conieci, cotidie unicuique nostrum in scribendo evenit. Dabo huius quoque rei exempla duo, quae et ipsa ad me pertinent, ita ut non habeam quod fingam.

In Terentii *Phormione* hi leguntur versiculi:

numquam aeque ac modo
paupertas mihi onus visumst et miserum et grave.

Hos ego exempli causa posui in libello quem de Syntaxi latina scholarum in usum scripsi. Et addidi interpretationem vernaculam; sed dum vertebam intempestive mihi in mentem veniebat alterum illud Terentianum ex eadem fabula:

senectus ipsa est morbus

quo factum est ut latinum *paupertas* sic verterem tamquam si ibi *senectus* legeretur.

Alterum hoc est:

in libro de *Ovidio poeta* disputationem de exsilio Ovidii sic concludebam, certe concludere volebam:

„mihi sat erit, si posthac constabit nullam inter exsilium Ovidii intercedere rationem et Artem Amatoriam, lepidissimum illud rhetoris atque poetae nostri opus, quod nullos umquam corrumpere mores potuit nisi eorum qui se corrumpi cuperent".

At nescio quomodo ab Ovidio aberrans ad Horatium, non *Artem Amatoriam* scripsi, sed *Artem Poeticam*.

Talia quidni antiquis quoque librariis sescenties accidisse censeamus?

Sed est aliud quoddam paradoxon Cobetianum quod lubentissime meum faciam. Ridens iocansque Cobetus dixit scripsitque saepe se non intellegere *superior* quae esset ars critica et quae *inferior*. Verissime: saepe enim quae *superior critica* dicitur, licet de totis libris pronuntiet sententiam genuinine sint an falsi, in uno paucisve vocabulis recte vel perperam accipiendis tamquam in cardine versatur.

Dabo huius quoque rei duo exempla eaque disertissima.

Vix quidquam ad nos ex antiquitate pervenit quod esset ineptius quam prior ille *Alcibiades*, quem tamen, mirabile

Digitized by Google

dictu, etiamnunc nonnulli viri docti Platoni vindicant. Quem dum perlegis, saepe iram indignationemque vix contineas. Socrates ibi est putidus magistellus, qui quae apud ipsum Platonem urbanissime lepidissimeque sunt tractata ineptissimum in modum corrumpit. Dialogum qui utcumque conflavit alios scriptores et praesertim Xenophontem, male saepe intellectum, ridicule examplificat exornatque: cum apud Xenophontem legerit a Persarum rege uxori pagos quosdam εἰς ζώνην esse datos, de variis nugatur regni Persici regionibus, quarum alia reginae praestet pecuniam fibulariam, alia acuariam, alia pectinariam, alia unguentariam; non intellexit enim stipes hic illud εἰς ζώνην legitimam quandam esse formulam qua significetur pecunia quam paterfamilias uxori concedit ut sua sibi emat ornamenta aliaque ex hoc genere. Ipsum dialogum tam imperite perturbat ut qui eum legit sibi ab aliquo homine malesano pef labyrinthum duci videatur. Et sunt innumera ex eo genere libri vitia. Contines te tamen et placato animo legere pergis: quamvis enim id tibi incredibile videatur, negare tamen non audes *fortasse* hic illic arcanum quoddam subesse Platonis consilium quod te non fugere non potuerit. Cum vero sub finem ad vocabula quae sunt κρήγυοι διδάσκαλοι pervenisti, falsarium tenes confitentem atque adeo semetipsum indicantem: nihil enim ornamenti sententiae praebet priscum istud et cascum κρήγυοι. Immo vero ipsum illud tritum et cotidianum ἀγαθοί multo plus haberet ponderis. Tales ineptias ne somnianti quidem Platoni excidere potuisse penitus iam sentis.

Alterum mihi exemplum *Theages* praebebit.

Olim hic dialogus vulgo contemnebatur, ridebatur, Platoni abiudicabatur. Certe patrum nostrorum aetate communem hanc fere de eo fuisse virorum doctorum opinionem efficias e praestantissima illa *Prosopographia Platonica* civis nostri *Groen van Prinsterer*, quo nemo magis suum Platonem in promptu habebat. Provocavit illa *Prosopographiam Xenophonteam* sibi parem, qua primum inclaruit Cobetus adulescentulus etiam. At nunc idem ille dialogus nonnullis viris doctis in deliciis esse videtur. Cur tandem, obsecro? An argumentum se habere gaudent quo demonstrent non omnia in Platone esse praeclara ipsumque Socratem interdum scurriliter atque pueriliter esse

Digitized by Google

nugatum? Certe sunt quos iuvet de summorum virorum gloria quantum possunt detrahere. Ne tamen iniquus in Theagem istum sim, lubenter declaro hunc dialogum, quamvis sit ineptus, longe tamen praestare priori Alcibiadi. Quae sane mediocris laus est, nam non minus quam ille Platone prorsus est indignus. Cui enim non bilem modo, modo risum movet Socrates ille docte daemonii sui (de quo verus Socrates numquam nisi cum leni risu est locutus et ut sermoni suo lepidum quoddam adderet ornamentum, urbane atque εἰρωνικῶς) vim demonstrans exemplis ceteroquin plane ignotis et protractis e remotissimis historiae angulis? Parata tamen est huic crimini in nostra ignoratione excusatio. At quam perverse Demodocus ille, qui consilii petendi causa ad Socratem venit, ipse parum verecunde a docta hac disputatione incipit: „plantam serere sat facile est, sed eandem excolere difficillimum. Itidem se res habet in procreandis educandisque liberis."

Sed et hic quodammodo te contines: in tempore enim recordaris tibi rem esse cum homine qui „Τηλοῦ οἰκεῖ τῶν ἀγρῶν." Ergo „fortasse" ais „tantum abest ut quidquam hic sit reprehendendum ut potius egregie depictum ἦθος admirari aequum sit". Quin et hoc decere rusticum istum credere parati sumus — quamvis sit ipsa rusticitate ridiculum —: ἡ τοῦ υἱέος τουτουὶ (hic filium iam adolescentem monstrat) εἴτε φυτείαν εἴτε παιδοποιΐαν δεῖ αὐτὴν ὀνομάσαι πάντων ῥᾴστη γέγονεν. Atque sic multis salebris superatis tandem ad finem pervenisti. Sed quoniam sentis te ex toto libro nihil ad philosophiam Platonicam melius cognoscendam profecisse, denuo legere incipis. At nunc statim in ipso initio omnis tibi clementia excidit et omnis mansuetudo. Legis enim haec: ἐδεόμην ἄττα σοι ἰδιολογήσασθαι.

Iam quod istud ἰδιολογεῖσθαι tantum hic apud Platonem et praeterea apud solos seriores invenitur molestum tibi est, sed multo magis quod suspectum illud vocabulum iunctum sibi habet ἄττα prorsus vitiose post consonantem literam positum. Cum vero in haec incidis:

βούλει οὖν δεῦρο εἰς τὴν τοῦ Διὸς τοῦ Ἐλευθερίου στοὰν ἐκποδὼν ἀποχωρήσωμεν;

et in haec:

Digitized by Google

ἐπειδὰν τὸ φυτευθὲν βιῷ,

non ultra irae tuae imperas, sed „facesse hinc puerule" exclamas „et grammaticam Graecam rectumque verborum usum discere conare, sed conspurcare Platonem tuis exercitationibus desine."

Farraginem hic, sat scio, congessisse atque adeo quod dicitur arenam sine calce effudisse obiter pervolventibus videbor. Sed qui accuratius meam disputatiunculam perlegerint eos intellecturos spero me duas res demonstrasse, certe demonstrare conatum esse quae tam arte inter se cohaereant ut unum efficiant:

1. Innumeri sunt errores, quos cum omnes homines tum librarii committere possint et innumerae errorum causae. Ergo non potest ars critica certis definiri et constringi legibus. Ubique pro re nata agendum est.

2. Si locum vis emendare, operam da ut *totus* evadat sanus salvusque. Nam si quamvis acute unum videaris emendasse vocabulum, si praeterea dubii aliquid restat, apparet falsam eam esse speciem et ipsum morbum latere etiam.

ERRATA.

In Carmine meo c. t. *Antonius et Petrus* vs. 151 (pag. 117) sic legatur:

Nempe fames etiam arrepens est ensis acutus.

et versu 79 virgula ponatur non post sed ante *villosus*.

I. I. H.

Digitized by Google

DE PERICLE PACIFICATORE.

SCRIPSIT

B. KEULEN.

„In magnis et voluisse sat est". Haec verba mihi subeunt, quotiens considero Periclem pacem, universam et perpetuam, quam tantopere desiderant hodierni, strenue consectantem, sed adversariorum obstinatione ad incitas redactum. Civitates Graeciae illius convocationem aspernati non convenerunt ad pacem et concordiam inter omnes, qui graeci sermone uterentur, stabiliendam nec prohibere potuit ille vir patriam suam controversiis dissidentem continuis, omnibus denique viribus consumptis, interiisse. Consentaneum mihi videtur paulo accuratius perquirere, quibus rebus adductus Pericles pacificator exsistere voluerit; hac quaestione ad certum eventum perducta, haud difficile erit indicare annum, quo invitationem illam ad diversas civitates missam esse maxime verisimile videatur. Hac de re enim dubitatur, quia scriptor, qui memorabile hoc factum e vita Periclis posteritati tradidit — et unicus nobis est fons — de tempore admodum incertos nos dimittit, solumque documentum magni eius et ingenui animi edere voluit. Haec memoriae prodidi, sic enim narrat auctor noster Plutarchus, (vit. Pericl. c. 17) *ἐνδεικνύμενος αὐτοῦ τὸ φρόνημα καὶ τὴν μεγαλοφροσύνην*, ita rationem suam et institutionem conservans, quae ei praescribit *μάχας μυριονέκρους* et *παρατάξεις* et *πολιορκίας πόλεων* omittere, sed potius commemorare *πρᾶγμα βραχύ*, vel *ῥῆμα* vel *παιδιά*, ut indoles eius, cuius vitam conscribit, imprimis exemplo foret iis, qui sua scripta audirent vel legerent. Hoc quoque ei propositum erat, cum consilii illius praeclari memoriam exstingui noluit et unum e Krateri

Digitized by Google

sylloge psephisma vitae Periclis inseruit. Nam e Kratero hanc materiem desumptam esse inter omnes constat, postquam Cobetus id dilucide demonstravit (Mnem. an. 1873 pag. 112 sqq.). Verba ipsa Plutarchi sunt haec: Ἀρχομένων δὲ Λακεδαιμονίων ἄχθεσθαι τῇ αὐξήσει τῶν Ἀθηναίων, ἐπαίρων ὁ Περικλῆς τὸν δῆμον ἔτι μᾶλλον μέγα φρονεῖν καὶ μεγάλων αὑτὸν ἀξιοῦν πραγμάτων, γράφει ψήφισμα, πάντας Ἕλληνας τοὺς ὁπῄποτε κατοικοῦντας Εὐρώπης ἢ τῆς Ἀσίας παρακαλεῖν, καὶ μικρὰν πόλιν καὶ μεγάλην, εἰς σύλλογον πέμπειν Ἀθήναζε τοὺς βουλευσομένους περὶ τῶν Ἑλληνικῶν ἱερῶν, ἃ κατέπρησαν οἱ βάρβαροι, καὶ τῶν θυσιῶν, ἃς ὀφείλουσιν ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος εὐξάμενοι τοῖς θεοῖς, ὅτε πρὸς τοὺς βαρβάρους ἐμάχοντο, καὶ τῆς θαλάττης, ὅπως πλέωσι πάντες ἀδεῶς καὶ τὴν εἰρήνην ἄγωσιν. ἐπὶ ταῦτα δ' ἄνδρες εἴκοσι τῶν ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονότων ἐπέμφθησαν, ὧν πέντε μὲν Ἴωνας καὶ Δωριεῖς τοὺς ἐν Ἀσίᾳ καὶ νησιώτας ἄχρι Λέσβου καὶ Ῥόδου παρεκάλουν, πέντε δὲ τοὺς ἐν Ἑλλησπόντῳ καὶ Θρᾴκῃ μέχρι Βυζαντίου τόπους ἐπῆεσαν, καὶ πέντε ἐπὶ τούτοις εἰς Βοιωτίαν καὶ Φωκίδα καὶ Πελοπόννησον, ἐκ δὲ ταύτης διὰ Λοκρῶν ἐπὶ τὴν πρόσοικον ἤπειρον ἕως Ἀκαρνανίας καὶ Ἀμβρακίας ἀπεστάλησαν· οἱ δὲ λοιποὶ δι' Εὐβοίας ἐπ' Οἰταίους καὶ τὸν Μαλιέα κόλπον καὶ Φθιώτας Ἀχαιοὺς καὶ Θεσσαλοὺς ἐπορεύοντο, συμπείθοντες ἰέναι καὶ μετέχειν τῶν βουλευμάτων ἐπ' εἰρήνῃ καὶ κοινοπραγίᾳ τῆς Ἑλλάδος. ἐπράχθη δὲ οὐδὲν οὐδὲ συνῆλθον αἱ πόλεις Λακεδαιμονίων ὑπεναντιωθέντων, ὡς λέγεται, καὶ τὸ πρῶτον ἐν Πελοποννήσῳ τῆς πείρας ἐλεγχθείσης. Et tunc sequuntur verba, quae supra iam citavi: τοῦτο μὲν οὖν παρεθέμην ἐνδεικνύμενος αὐτοῦ τὸ φρόνημα καὶ τὴν μεγαλοφροσύνην.

Cuivis legenti facile perspicuum est tres esse res, quae hoc consilio contineantur: restitutionem tèmplorum simul cum votis reddendis, mare tutum et liberum, pacem constantem. Ita de consulto compositae videntur, ut omnium civitatum bonam voluntatem et consensum sibi conciliare possent. Prima dextre et scite movet animum religiosum omnium Graecorum, et eo ducere potest, ut communi sumptu et certa ratione tota Graecia artis operibus exornetur. Secunda et tertia effici non possunt, nisi instituitur certum foedus sive corpus, cui haec res credatur, nec facile aliter fieri potest, quin Atheniensibus, qui tunc temporis maris erant domini, imperii maritimi prin-

Digitized by Google

cipatus mandetur. Sic sperat Pericles fore, ut Athenae foederi quasi amphictyonio praesint et re vera fiant secundum verba illa Aeschyli (Eum. 920): ῥυσίβωμον Ἑλλάνων ἄγαλμα δαιμόνων.

De re ipsa Plutarchus satis copiose nos instruxit et fortasse omnia habemus nota, quae Pericles suis popularibus proposuit tamquam remedia contra bella continua, quibus ad exidium defatigabantur. Sed de tempore quo, οὐδεὶς λόγος. In promptu est rogare, num verba ipsa nobis quicquam subiciant, quad ad tempus definiendum sit utile. Et neminem fefellerunt, quae in initio capitis citati sunt enuntiata: Cum Lacedaemonii aegre ferre inciperent, quod Atheniensium potestas et opes nimis augerentur, etc. Sed iterum rogare velim: quo tempore exorta est illa Spartiatarum invidia? Profecto exoriri coepit inde ab anno 476, cum Athenienses maris domini exstiterunt, deinde iam clare se ostendit in seditione thasia (an. 465), qua usi Spartiatae in pace Atticam invadere volebant, postremo in dies magis magisque crevit, donec primum bellum, quod vulgo dicitur peloponnesiacum-atticum, deinde, adversus τὰς τριακοντούτιδας σπονδὰς bellum peloponnesiacum inde exarsit. Equidem credo scriptorem ipsum pro certo notum hoc non habuisse, sed hac verborum conformatione usum esse, ut modo in universum tempus indicaret. Philosophum praecipue se praestat Plutarchus, non historicum; rem, de qua agitur, ipsam magis curat, quam tempus, quo facta est. Attamen fuerunt viri docti, qui ab hoc initio profecti probare conati sunt consilium illud ei tempori esse attribuendum, quo primum capi posset, ergo, quo primum Pericles rempublicam capessivit, anno 460. Nec levia sunt argumenta, quae, ut alios omittam, et Holm et A. Schmidt (das Periclеische Zeitalter) ad suadendum attulerunt. Sic enim ratiocinantur: Sub annum 460 Athenienses prae ceteris Graeciae civitatibus potestate florebant et praeter regimen maritimum, quod in foedere delio exercebant, omnium rerum arbitrium suo iure et merito vindicare videbantur. Omnes admirabantur Athenienses, qui inde a pugna marathonia propugnatores libertatis fuerant et anno 460 una expeditione Cyprum et Egyptum de Persis ceperant, Thessaliam et Argos sibi conciliaverant. Megara, ianua Peloponnesi, ad societatem deliam accesserant, quae res erat periculosa praesertim Corintho,

Digitized by Google

stationi et custodiae Peloponnesi, et per se iam Spartiatas de Atheniensium potestate sollicitos reddere poterat. Itaque imperium atticum tunc maxime auctum florebat et eo fato natum videbatur, ut omnes, qui graeco appellarentur nomine, dominaretur, cum Sparta limis oculis videret complures socios a se deficere, et tertio bello messenio defessa adhuc Helotas in monte Ithome obsideret. Deinde tam magna petere admodum proprium fuisset animi iuvenilis Periclis, qui tunc annum vix tricesimum agens re non expertus erat melius esse quidquam magnum et grave tam solemnem in modum non prius suscipere, antequam de bono eventu ne dubitandum quidem esset. Postremum argumentum a viris doctis supra citatis allatum est hoc: In convocatione primum nominatur officium restituendi templa a Persis diruta et reddendi vota duris temporibus nuncupata. Quaenam civitas, sic ab iis rogatur, etiam longius viginti annos, ne initio quidem facto, tale officium religiosum distulisset? Ergo Periclem, cum primum ad rempublicam accessit, nec uno anno post, illud concilium convocasse sumamus necesse est.

Suntne haec argumenta omnia satis firma et probanda? Statim respondere audemus ultimum saltem minime placere. Cuivis enim notum est themistoclea iam aetate magnum Athenae templum restitui coeptum esse, nec auxilio nec auctoritate ceterarum civitatum Atheniensibus erat opus ad officia sua erga deos tuenda. Et ex propriis opibus et ex sociorum stipendiis magni sumptus depromi poterant, quos amplificatio urbis poscebat. Convocatio Periclis documento esse non potest Athenienses templa restituere ipsos nondum coepisse. Immo vero, si hoc opus adorti essent iam eo tempore, quo Pericles consilium suum pervulgavit, maiore etiam innocentia et integritate ceteros Graecos, ut idem facerent incitare potuissent. Anno 447 Pericle auctore Parthenon denuo aedificari incipitur; si, quod Holm Busolt alii fecerunt, haec aedificatio in argumentationem adducenda est, maiore iure dici potest e sua sedulitate eos libertatem sumpsisse ceteros Graecos ad officium revocandi. Et, quod ad cetera argumenta attinet, fuitne revera annus 460 satis idoneus, quo Pericles pacificator exsisteret? Brevi ante Ephialtes a percussore occisus erat: Cimon, qui Spartae patroni munere

Digitized by Google

Athenis fungebatur a Spartiatis suspiciosis et diffidentibus contumeliose cum auxiliis domum dimissus erat. Atheniensis ira inflammati Spartae societatem contra Persas, quae nomine adhuc exstabat, renuntiaverunt; Cimon ipse, simulac lex concessit, ostracismo expulsus est et optimatium, qui paci cum Sparta studebant, diminuta potentia. Qui huic successit Pericles vix triginta annos erat natus. Duplex erat munus, quod sibi videbat delatum: controversias domesticas componendi et bella suscipiendi adversus Spartam aliasque civitates, quae Athenis invidae Spartiatis se adiunxerant. Insuper cepit consilium contra Persas bellum renovandi, quamvis sibi consciret se hac in re recedere a ratione Themistoclis, qui pacem cum Persis voluerat, quo acrius contra Spartam rem gereret. Haec fuit praesertim res publica circiter annum 460 et sua sponte intelligitur talem agendi rationem minime conuingi posse cum consilio illo, quo Periclem non bellatorem sed pacificatorem cognoscimus. Immo non prius quam summa virium contentio Athenarum contra Spartam et Persas irrita facta ostendit bellum in longum tempus ductum non victoriam allaturum esse, sed nil aliud nisi defatigationem et interitum, consilium illud Periclis maturescere potuit. Pacis vere cupidus non ante fieri poterat, quam clades apud Tanagram et Prosopitim erant acceptae.

Ergo an. 460 nobis dimittendus est nec non praetereundum spatium, quod inter an. 459 et an. 448 intercedit, quippe cum bellum continuum animos hominum occuparet. Anno 448 pax cum Persis facta est, anno 446 cum Spartiatis. Ratione habenda est horum annorum eiusque, qui intercedit? Confirmant hoc Busolt et Meyer, annum 448 vel 447 consilio Periclis unice aptum putantes; primum enim spectant Parthenonis aedificationem, quam statim post repulsam Athenienses ipsos coepisse verisimile existimant, deinde, quod ann. 447 et 446 seditiones Boeotiae, Megarae, Euboeae omnes pacis cogitationes dimoveret. Parum probabile, ut opinor. Supra iam demonstravi, quare repulsam Spartiatarum illi Parthenonis aedificationi antecedere necesse non sit. Praeterea tam breve est tempus, quod inter pacem Kalliae et seditionem Boeotiae intercedit, ut animum vix inducere possimus consilium Periclis illi brevi spatio interponere. Tempora sua opperiens intelligebat Spartiatas eorumque

Digitized by Google

socios tunc demum convocationi aures esse praebituros, cum pax inter civitates facta esset. Quae pax venit tandem anno 446 exeunte et conditiones, quibus est facta, hoc praecipue illustrabant Athenienses superba consilia, quae anno 460 tanto ardore foverant, in omne tempus deponere posse nec dominationem totius Graeciae, quam affectaverant, unquam esse adepturos. E bello summa virium contentione gesto tandem pacem orantes prodierant; Sparta contra pauca perpessa haudquaquam erat defatigata et, quod multum valebat, eae quoque urbes terrae continentis, quae anno 460 in dubiis haerebant, utri se adiungerent, tunc Spartiatarum partes fovebant. Haec pax Atheniensium omnes spes fefellit, nam, etsi maris dominationem quadamtenus obtinerent, at imperio, quod Sparta in continente exercebat, nullo modo obsistere poterant. Rebus adversis expertus Pericles intellexit Athenas per multos annos bello abstinere et longa quiete augeri debere, ut pristinam potestatem et auctoritatem recuperaret. His rationibus adductus est, ut non bello, sed pace primarium inter Graecos locum Atheniensibus parare studeret; artibus, religione, cultu atque humanitate, non gloria bellica ceteris praestarent. Ex harum rerum consectatione provenit etiam consilium illud pacis, quod Graeciam denuo unam facere volebat, unam contra Persas, communem hostem, unam in universa pace et omnium bonorum conspiratione. Contra Persas. Statim enim et dilucide hoc apparet, si ordinem spectamus, quo apud Plutarchum civitates sunt nominatae: eae civitates modo sunt invitatae, quae cum Persis bellum gesserant et eo ordine, quo cuiusque virtus contra hostem maxime enituerat.

Altera res, quam Pericles communi deliberationi subicere volebat, erat mare tutum et liberum. Nonne ipsa haec res nos docere potest de tempore, quod investigamus? Hoc saltem docet, ut opinor, mare minime tutum atque liberum fuisse eo tempore, quo Pericles civitates convocavit. Quod tempus profecto non anno 460 ponendum est, cum classis Atheniensium omne mare tutum redderet, sed multo potius post finem belli, quod classem illam diuturnis expeditionibus et crebis proeliis magna ex parte extra mare aegaeum factis, tam infirman rederat, ut mare satis tutum a piratis praestare non valeret. Pro

Digitized by Google

certo igitur affirmare ausim, naves piraticas rebus turbatis et incertis usos, negotiationi maritimae Atheniensium non leve damnum attulisse et facile intelligitur Spartam his latrociniis quam libentissime favisse. Hac in re nos docere potest psephisma quoddam ab Atheniensibus anno fere 445 facto de Hestiaea, in quo λῃστῶν fit mentio (C. I. A. IV, pag. 25).

Omnibus rebus, quae adhuc tractavimus, conspectis et perpensis, statuendum videtur nullam temporis opportunitatem fuisse pacem concilio confirmandi, nisi statim in initio eius aetatis, quae vulgo σπονδαὶ τριακοντούτιδες appellantur, ergo statim post annum 446. Factum illud Periclis novam rerum publicarum rationem introducere voluit et luce clarius ostendit, eum post bellum infeliciter gestum, pacis operibus patriam suam urbem ceteris ita praeponere studuisse, ut caput illustre totius Graeciae fieret, quousque pateret. Nam Thurii, hoc ipso tempore conditi, quid aliud spectabant, nisi ut Athenarum auctoritas et artes etiam in Magna Graecia pervulgarentur? Athenae prae ceteris, haec erat Periclis summa et unica voluntas, hoc summa intentione appetebat. Sed res humanae eum sunt frustratae et quamquam patriam urbem ad pacem aeternam et summan felicitatem adducere cupiebat, tamen in maximum rerum discrimen quin traheretur impedire non potuit.

Optime in consilium Periclis quadrat alius eiusdem conatus, qui quamvis minus ambitiose, idem assectari videtur. Paucis verbis referam, quia ad illustrandum haud inutile videtur. Anno enim 1880 ineunte ad Eleusin reperta est tabula, in qua psephisma Atheniensium erat inscriptum, cuius anni incertum, sed post annum 446 et ante initium belli peloponnesiaci factum esse inter viros doctos constat [1]). Sat est referre, anno 443 tribuere alios, alios anno 439 auctoremque esse omnium consensu Periclem. Per longam saeculorum seriem sacra eleusinia magis magisque celebrata erant numerusque fabularum huc pertinentium identidem auctus, quarum valde vigebat haec: In agris eleusiniis primum in Attica frumentum esse cultum; hinc agriculturam omnibus Graecis, quin etiam toti orbi terrarum innotuisse. Iam plus viginti annis ante Sophocles hanc

1) Foucart. Bull. corr. hell. 4, 225 (1880); C. I. A. IV p. 59, 27b.

Digitized by Google

materiem ita formatam in Triptolemo suo tractaverat. Quoniam ergo agricultura et simul certa sedes, mores, convictus humanus et societas ex Attica omnibus Graeciae populis dotata essent, toti Graeciae pro his beneficiis Athenis solis gratiam habendam esse. Haud dubium esse, quin magna auctoritas et dignitas Athenis afferretur si, quemadmodum socii Athenam deam hostiis colerent, et hi et ceteri omnes Graeci adducerentur, ut dis eleusiniis quotannis sacra facerent eoque modo gratias referrent pro omnibus, quae ex sacro illo loco sibi contigissent. Quae si fierent, fore, ut Athenae etiam magis caput lumenque totius Graeciae videretur. Eo consilio Pericles per senatum et populum psephisma fecit, quod inscriptione illa eleusinia nobis est servatum et iubebat patrio more et ex oraculo quodam delphico, certam frumenti copiam conferri ab Atheniensibus eorumque sociis; quas primitias Athenis a demarchis colligendas et τοῖς ἱεροποιοῖς Eleusina deferendas esse. Praeterea psephisma statuit, ut omnes Graeci de hoc consilio per praecones certiores fierent, et, si minus iuberentur, at certe, ut idem facerent, invitarentur. Cautissime enim his verbis utitur psephisma: μὴ ἐπιτάττοντες, κελεύοντες δὲ ἀπάρχεσθαι, ἐὰν βούλωνται κατὰ τὰ πάτρια καὶ τὴν μαντείαν τὴν ἐκ Δελφῶν. Facientibus haec, sic promittitur primitias deferentibus, multa bona et messem copiosam tributum iri, quoad neque Atheniensibus neque civitati Atheniensium neque dis eleusiniis ullo malo afficerent. Hinc apparet civitatem Atheniensium in aequo dis eleusiniis se ponere ita, ut ii Graeci qui primitias conferrent, simul quodammodo Athenas agnoscerent rei frumentariae originem itaque locum, unde cultus humanus esset ortus. Quid illo psephismate factum sit, prorsus ignoramus; hoc tantum Isocratem circiter annum 380 dicentem audimus maiorem partem graecarem civitatum decumam frumenti Athenas ferre; verba autem haec esse ambitiosa, qualia amat Isocrates, haud negaverim. Sed haec non ad rem; nobis maioris est momenti observare et statuere psephisma illud eundem animum spirare idemque spectare, quod litterae illae publicae, per quas Pericles omnes civitates convocaverat. Nam et omnes socios artiore vinculo capiti imperii attici coniungit et eo tendit, ut civitas Atheniensium omnes

Digitized by Google

Graecos appellando, ut una secum sacra munera exequantur, non per vim sed placide agendo illum primarium locum capiat, quem multis iam partibus tamquam παίδευσις τῆς Ἑλλάδος magis magisque petebat.

Nonnulla etiam addam de eventu conatus, quem Pericles pro pace fecit, frustra tamen, ut iam novimus e verbis, quibus Plutarchus narrationem suam concludit: ἐπράχθη δ'οὐδὲν, οὐδὲ συνῆλθον αἱ πόλεις Λακεδαιμονίων ὑπεναντιωθέντων κ. τ. λ. Spartiatae ergo consilium illud magnanimum peremerunt et ob causam quamcumque conspirationi et consensui omnium civitatum „splendidam isolationem" anteposuerunt. His autem neglectis persuasum mihi habeo, non solis Spartiatis hanc frustrationem esse exprobrandam, sed etiam naturae et indoli omnium Graecorum, qui praesertim quinto saeculo communi foederi nondum erant apti neque propensi. Etiam magis centum annis post rex Philippus non nisi per vim in conventu corinthio universam Graeciam contra communem hostem in certum foedus congregare potuit. Graeci quinto saeculo viventes suam ipsorum πόλιν eiusque commoda solius ante oculos habebant; animis fingere vix poterant foedus aequum, quod plures civitates complecteretur. Hoc unum sibi cogitare poterant, suam civitatem aliis imperitare, quale imperium Athenae foedere maritimo sibi conparaverant; ratio autem, qua Athenienses civitates foederis maritimi tractare solebant, non alliciebat alias civitates, quae adhuc illius foederis expertes manserant et Atheniensium auxilio carere poterant. Nunquam sane Graeci eam unitatem et concordiam petiverunt, quam hodierni populi tanto desiderio quaerunt; ne ultima quidem necessitas, qua bella persica urgebant, eos in longius tempus in unum coniungere potuit. Quid mirum, si post serum illorum bellorum finem Periclis ipsius studium vanum est redditum inimicitia Spartiatarum ceterorumque contumacia et segnitia.

Digitized by Google

FULMEN.

SCRIPSIT

J. BERLAGE.

In huius bibliothecae volumine quadragesimo quinto (1917) pg. 133 vir clarissimus Jacobus v. Wageningen memoravit virum Suecum Axel Nelson (Eranos XII 1912 pg. 200) Scaligeri opinionem, teste Manilii Astr. 892 voci „fulmen" *fulmenti* quoque significationem attribuentis, confirmasse allato Cic. pro Balbo 34: „Duris enim quondam temporibus rei publicae nostrae, cum praepotens terra marique Carthago nixa duabus Hispaniis huic imperio immineret, et cum *duo fulmina nostri imperii* subito in Hispania, *Cn. et P. Scipiones exstincti occidissent* L. Marcius, primi pili centurio, cum Gaditanis foedus icisse dicitur". Hoc loco enim fulmina non significare *fulgura*, verum *fulcra*, *fulmenta*. Sic demum antithesin illustrari inter „*Carthago nixa* duabus Hispaniis" et „*duo fulmina* nostri imperii".

Sunt quaedam quae hanc interpretationem confirment, sunt quae infirment. Ad quaerendum num praestet antiquiori interpretationi „fulgura" imperii, metaphorice pro „viri bello fortes" necesse est ut comparemus Lucret. III 1034:

„Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror"

et Verg. Aen. VI 842 sq.:

„duo fulmina belli
Scipiadas, cladem Libyae".

His enim locis sine ullo dubio *fulmen* et *fulmina* pro *fulgur* et *fulgura* accipiendum est. Nam propter verba apposita „Carthaginis horror" et „cladem Libyae" requiritur notio: vis, velocitas, terror, quae soli vocabulo „fulgur" inest non „ful-

Digitized by Google

mentum". Observandum autem est hos locos differre a loco Ciceronis; legitur enim fulmina *belli* idque aptum praebet sensum, quemadmodum Francogalli quoque habent: [1]) „foudre de guerre". Apud Ciceronem autem legimus „fulmina *imperii*". Notionem fulguris minus apte cum „imperio" conjungi quam cum „bello" nemo non concedet. Hac parte notio *fulmenti* praeferenda videtur. Sunt tamen quae scrupulum injiciant. Adduntur enim vocabula „subito" et „exstincti" quae consulto propter ipsam fulguris notionem excogitata esse videntur. Tum illud fulmen nonnisi ad Scipiadas, Scipionesve adhibitum est, qui supra citatis locis sine ullo dubio „fulgura" vocantur unde augurari possumus varios istos scriptores antiquiorem aliquem secutos esse. v. Wageningen jam dixit sine dubio Ennium poetam ea voce ad notandos Scipiones primum usum esse. Quodsi Cicero dicere voluit fulcra vel fulmenta imperii, quae significatio sane melius quadrat in duos viros qui non quasi fulgura subita hostes percusserunt, sed imperii auctoritatem in Hispania contra hostium vim per multos annos sustinuerunt, tamen propter illa additamenta et vulgatam illam Scipionum denominationem, non sine verborum lusu cum altera vocis significatione dixisse videtur. Munro ad Lucret III 1034 monet ipsum nomen Scipionis collatis vocabulis Graecis σκηπιών, σκῆπτρον, σκηπτός i. e. ictus fulminis, utramque significationem: baculum et fulgur, admittere.

His locis v. clarissimus v. Wageningen ipse alteros duos addit, utrumque ex Ovidii Amoribus petitum, quibus contendit sententiam fulmenti unice aptam esse; significari enim genus aliquod fulturae, quod amatores prohibeat januas amicarum reserare vel effringere. Sunt hi loci:

Amores I, 6. 13—16:

nec mora, venit amor: non umbras nocte volantis,
non timeo strictas in mea fata manus;
te nimium lentum timeo, tibi blandior uni:
tu, me quo possis perdere, *fulmen* habes.

et. Am. II 1. 15:

1) Habent hi quoque: foudre d'éloquence; sed eloquentiae vis interdum non minus apte cum fulmine comparatur, cf. quae Aristophanes de Pericle: Ach. 530 ἤστραπτ' ἐβρόντα etc.

Digitized by Google

In manibus nimbos et cum Jove fulmen habebam,
quod bene pro caelo mitteret ille suo;
clausit amica fores: ego cum Jove fulmen omisi;
excidit ingenio Juppiter ipse meo.
Juppiter, ignoscas: nil me tua tela juvabunt,
clausa tuo maius janua *fulmen* habet.

Totus astipulor viro clarissimo demonstranti his locis duobus fulmen non significare posse ipsa Jovis tela sed „fulmentum quoddam", quamvis poeta ad illa tela alluserit. Addere possum telum illud subitum et mortiferum nec janitori „*lento*" convenire, nec „januae clausae." [1])

Quid autem sit fulmentum illud v. Wageningen repperisse sibi visus est apud Vitruvium V. 1. 9 „supra trabes contra capitula ex fulmentis dispositae pilae sunt collocatae", ubi auctoribus Schneidero et Vollgraffio fulmentum interpretatur genus quoddam caementorum, adhibitum in laterum lignique constructionibus. Ut revera hoc loco fulmenta sint caementa [2]), apud Ovidium meo judicio non sunt. Quare amator exclusus aliquam obscuram partem in constructione ostiorum adhibitam e caemento factam nominet? Quod ei unice abominandum, *claustrum* est. Nec non sqq. vss. dolose janitorem monet:

aspice,.... et ut videas, immitia claustra relaxa
uda sit ut lacrimis janua facta meis.

Quare nullus dubito quin fulmen sit *sera* quam eodem

---

1) Cum Heinsio legenti II 1. 20:

clausa tuo maius janua *fulmen erat*,

notio fulguris servari potest; tum enim collatis Liv. 45. 41 „duo fulmina domum perculerunt", et Cic. Tusc. II. 27 „fulmina fortunae" significat: subitum infortunium.

2) Nusquam alibi, quod sciam, fulmentum pro caemento usurpatum est. Schneider, ad quem v. Wageningen provocat, in suo commentario re vera nihil pro caementi significatione affert nisi vocabulum „*ex*", quod in textu Vitruvii ante „fulmentis" positum est, „nam scripturum fuisse Vitruvium *pro* fulmentis, si dicere voluisset pilas illas fulmentorum vice fungi". Quamvis minus solite dictum sit tamen videtur mihi hoc loco „ex fulmentis" idem significare. Collato loco Marciani ad Dig. 48, 63, 3. cum Ulpiani explicatione: „ex incendio" melius sic accipitur „*propter incendium*", puto verba „ex fulmentis" significare: propter fulmenta, fulmentorum vice. Constat autem Vitruvium parum commode scribere, nec non ipse petit I, 17: „ut si quid parum ad regulam artis grammaticae fuerit explicatum, ignoscatur."

Digitized by Google

versu toties repetito abominatur: vs. 24, 40, 48, 56: „tempora noctis eunt, *excute poste seram*". Vide porro vs. 28:

roboribus duris janua *fulta* riget,

et vss. 73 et 74:

Vos quoque, crudeles, rigido cum limine postes,
duraque conservae *ligna*, valete, fores.

cf. etiam Tibull. I 2. 6:

Clauditur et dura janua *fulta* sera.

Satis patet *ligneum* quoddam esse, quod imprimis aditum ad amicam prohibeat. Quin etiam verba „janua *fulta* roboribus" suggerit ipsa robora esse *fulmen*.

Ipsum locum Catonis (de agricultura XIV 1) quem attulit v. Wageningen ad confirmandum: fulmenta esse caementa: „limina postes iugumenta asseres fulmentae" — ad meum usum convertere velim. Quia paulo ante legitur: „Parietes omnes calce et cementis"..... sc. faber faciat oportet, non verisimile est ultimo vocabulo „fulmenta" caementum denuo significari; quoniam autem proxime antecedunt „limina postes.... asseres" apparet diversas *ostii* partes enumerari. fulmentae sunt autem omnia claustri genera, quae ipsa in enumeratione desiderabantur.

Si quis autem rogat num fulmina appellari possint *serae*, quae stransversa sint tigna in postes januarum inserta, fulcire enim proprie esse: aut ferre et sustinere per derectas columnas aut per obliqua tigna vel constructiones lapideas confirmare, eum delegabo ad domus Pompeianas. Ibi enim januae primo clauduntur pessulis in limina superiora et inferiora insertis, deinde confirmantur sive seris i. e. tignis transversis in postes insertis, sive tignis, quae parvo spatio pone januam in locum aliquem in solo exavatum inseruntur et ad mediam januam oblique pertinent. cf. Mau, Pompeii pg. 233: „Und kaum minder haüfig finden wir im Fussboden des Flurs, in einiger Entfernung von der Tür ein Loch, in das ein Balken eingreifen sollte, der, mit seinem anderen Ende schräg gegen die Tür gestemmt, auch seinerseits das Oeffnen derselben verhinderte". [1]

1) Vide etiam Baumeister, pg. 1807 laeva parte.

Digitized by Google

Nec non apud scriptores hoc genus serae obvium est; videtur enim significari apud Petron. Saturn. c. 16 „....ostium satis audaci strepitu impulsum exsonuit.... sera sua sponte delapsa cecidit, reclusaeque subito fores", nam sera in postes inserta sua sponte non delabi posse videtur, alterum vero illud serae genus, ostio vehementer pulso, facile delabi potest. Tale autem tignum vere *fulcire* januam dici potest, verumque igitur *fulmen* esse. Doleo neque virum sagacissimum et diligentissimum Mau, neque antecessorem eius Overbeck annotasse quae sint antiquiores domus, quae transversa sera claudantur an obliqua. Suspicor equidem obliquum tignum antiquius esse claustri genus, est enim simplicius et minus solidum et tutum. Id autum aliquando fulmen essę appellatum, et inde vocabula fulcire et fulmen ad seras transversas, posterius claustri genus esse translata. Utut haec se habent, quamquam hoc posterius genus in elegiis Ovidianis supra laudatis designatum esse ex illo versu saepius repetito patet, mihi quidem certo constat per vocem fulmen esse significatam *seram*.

Digitized by Google

LUCRETIANA.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN J. f.

Quo ordine nobis illi sex libri operis Lucretiani, cui titulus est De Rerum Natura, servati sunt, eum non initio a poeta institutum esse his octo annis demonstravit Ioachim Mussehl [1]). Firmissimis argumentis ostendit poetam primum libros I II V panxisse deinde VI IV III. Hoc prius Lucretii consilium plane convenire cum Theophrasti placitis, e quo fonte Epicurus, illius poetae Romani magister, hauserit observat Diels [2]), cui Mussehl suam rationem probavit. Vati autem Latino, cum aliquatenus lib. I II V VI IV III perfecisset, placuit et ordinem librorum mutare et totum poema retractare, sed non contigit ei ut absolveret quod inchoaverat. His alteris curis libri I et II multo ornatiores facti sunt, liber quintus auctus et emendatus tamen hic illic lima caret, quartus vestigia tam prioris quam posterioris condicionis prae se fert id quod luculente exposuit Mewaldt [3]).

Hic mihi in animo est agere de aliquot controversiis ad lib. V pertinentibus et quidem primum de emblemate quod vocatur vs. 110—234. His versibus poeta sectam impugnat Stoicam, quae credit solem, lunam, stellas tanquam praedita corpore divino immortalia esse. Di autem secundum Lucretium

1) De Lucretiani libri primi condicione ac retractatione. Dissertatio inauguralis Gryphiswaldensis. 1912.

2) In Actis Acad. Boruss. Vol. XLI pag. 903 sqq.

3) Hermes, Vol, 43 (1908) pag. 286—295.

Digitized by Google

constant ex atomis tam tenuibus, ut animus hominis eorum simulacris tangi vix queat. Neque potest ea natura in crasso mundo nostro vivere, ergo extra mundum deorum sedes sint necesse est. Sequitur ut di nihil in hoc globo procreaverint neque mundus eorum providentia gubernetur. Ceterum tot tantisque vitiis mundus turpatur, ut eum a dis aedificatum esse vetemur credere. His demum expositis sine transitione poeta incipit demonstrare terram, aquam, aera, ignem aliquando interitura esse. Facile igitur concludimus versibus 100—234 Lucretium doctrinam Stoicam voluisse destruere antequam suam ipsius rationem explicaret. Illam ratiocinationem, ut ita dicam negativam, postea insertam esse vel inde apparet, quod transitione desideratur ad versus sequentes (235 sqq.). Cum autem saepius thesis dupliciter probetur secundum argumentationem positivam et negativam, illi versus a textu relegandi non sunt. Praeterea tenendum est toto quinto libro duas imprimis res tractari: quaestiones cosmologicas (vs. 91—770) atque post decem versus, qui instar novi prooemii sunt (772—782), originem animalium et cultus (783—1457). Itaque post retractationem demum huius libri pulchra concinnitas nata est, cum altera pars obtineat 679 versus altera 674.

Deos in hoc mundo habitare non posse secundum Lucretium supra docuimus; sed de eorum sedibus, quae ab Epicureis μετακόσμια sive intermundia vocantur, poeta pollicitus est plura se traditurum esse, nam legimus V 153—155

quare etiam sedes quoque nostris sedibus esse
dissimiles debent, tenues de corpore eorum;
quae tibi posterius largo sermone probabo.

Verum nusquam Lucretius fidem praestitit. Sunt qui contendant (velut Masson, Giussani) librum sextum ad finem perductum non esse, nam poetam animum induxisse ut ibi intermundia depingeret. At Mussehl [1]) non dubitat quin Lucretius transpositurus fuerit vs. V 146—155 inter II 1089—1105 (ubi pauca de dis leguntur), si illa pars libri quinti digressionem de sedibus deorum immortalium recepisset. Cuius sententiae nimis artificiosae auctori assentiri non possum.

1) l. l. pag. 130—136.

Digitized by Google

Illud *posterius* (vs. 155) nimirum pertinet ad locum de dis et religionibus (qui invenitur in eodem libro) incipientem a vs. 1161. Nusquam poeta fusius de ipsis dis disputat nisi vs. 1169

iam tum divum mortalia saecla
egregias animo facies vigilante videbant

et vs. 1175 sq.

aeternamque dabant vitam quia semper eorum
suppeditabatur facies et forma manebat.

Hic ubi tam subtiliter persequitur formam deorum, quae est in aeterno cursu tanquam cataracta, ita tamen ut semper atomi expleantur earumque numerus maneat idem — hic igitur si usquam oportuit Lucretium caelesti quodam instinctu motum illa intermundia depingere. Verum mors citius venit quam ut vates promisso stare posset.

Inde a vs. 235 usque ad vs. 305 discimus primum terram, deinde aquam, tum aera, postremo ignem mortalia esse, quae probationes excipiuntur mea quidem sententia tribus appendicibus per anaphoram incipientibus ab adverbio *denique*. E priore appendice cognoscimus ne deos quidem ipsos templa atque signa sua vindicare posse ab interitu, at secunda pandit monumenta virorum et saxa tempore dirui, tertia autem redarguit Pacuvium, interpretem Stoicorum, affirmantem ex aethere sive moenibus mundi omnia esse nata et aliquando in illum dissolutum iri. Hoc ultimum corollarium subiungendum esse loco (vs. 285—305), ubi tractetur mortalitas ignis censet Mussehl. Qui vir doctus parum sibi constat, quippe qui priores appendices non coniungat cum vs. 260, ubi terrae fragilitas explanata est. Quocirca tertia appendix suo loco ne moveatur.

Musa Lucretiana pulcherrimis versibus (416—508) expedit quomodo e chao orta sint terra mare sol caelum sidera, tum sequitur locus, ubi agitur de motibus astrorum, quem Lachmann Munro Bailey cancellis includunt. Sed quia proxime praecedentes versus explicant motum aetheris, facile agnoscimus manum poetae, qui de industria sic solet transitiones parare. Nam eodem modo in fine libri primi strictim attingit poeta atomorum motum, de quo in libro secundo copiose disputaturus est.

Digitized by Google

Praetermissis plus quingentis versibus defendere conabimur vs. 1091—1160 ab iisdem viris doctis, quos modo commemoravi, cancellatos. Origine linguae praeclare enarrata poeta refert quomodo homines ignem cognoverint, urbes conditae, regna instituta, agri divisi sint. Tum legimus aurum mox repertum invidiam excitavisse in divites, id quod Lucretius movet, ut parsimoniam victus laudet, vituperet ambitionem. Post digressionem describit quomodo civitatibus auctis liberae respublicae successerint regnis, quotiens magistratus leges et iura condebant. Hoc neminem auctorem Romanum silentio praeterire posse facile perspicitur. Additur improbos poenis non coercitos tamen mala conscientia vexatos esse. Unde aptissima transitio invenitur ad locum de religione, insuper exsistit lepida varietas, sicut post originem cultus deorum depictam sermo fit de metallis, de bello, de texendi arte, de agricultura, de musica, qui ordo efficit, ut res pertinentes ad animum non continuas se excipiant. Itaque vs. 1091—1160 quamquam facile concedo limam poetae desiderare, tamen mihi persuasi ab initio hic positos non postea insertos esse.

Nimis severe iudicat Mussehl quoque de quingentis ultimis versibus scribens (pag. 115) „Tota denique illa libri pars, qua poeta agit de homine (925—1457) non ita pertractata est, ut edi posset". Sed ipse censor proxima pagina revocare videtur sua verba sic finem faciens disserendi de libro quinto: „Tamen quamvis nonnulla hoc in libro vituperaverim, non multum afuisse, quin pocta librum perficeret, pro certo habemus".

Idem Mussehl nihilominus vs. 1436—1447 pro „subsidiis memoriae" habens diserte accusationem in Lucretium ibidem defert ad hunc modum: „Quibus in versibus poeta brevissime de Kalendis, de rebus quibusdam civilibus loquitur, velut de moenium exstructione agrorumque distributione, de mercatura, de navigatione, de iure publico, de ipsa poesi. Num quis est, qui dubitet, quin Lucretius haec omnia, si diutius vixisset, retractaturus atque ampliora redditurus fuerit, qui paulo ante tam largo sermone de rebus nihilo gravioribus dixit, velut de oriente lingua, de ignis terrestris ortu atque usu, de metallorum armorumque usu"? Verum Mussehl obliviscitur Darwinium dixisse nullas inventiones hominis fuisse maiores quam linguam

Digitized by Google

et ignem. Haec igitur vatem optimo iure pluribus verbis attigisse quam navigationem, moenium exstructionem, armaturam, poesim cet. negari non potest. Illa „subsidia memoriae" si elaborata essent sicut lingua et ignis, quam ingens poema evasisset! Certe concinnitas, quam non sine magna arte Lucretium paravisse supra ostendimus, plane eversa esset. Poeta satis habuit in fine carminis monstrare hominem tempore et ratione magistris in quavis arte et disciplina multum profecisse. Itaque qui meminit principio libri quinti Epicuri perfecti hominis imaginem expressam depictam esse, intellegit initium et finem carminis pulchre inter se respondere.

Procul dubio ii qui haec legunt, iamdudum nos rogare voluerunt: Cur tandem Lucretius priscum ordinem librorum I II V VI IV III immutavit? Mussehl putat (pag. 146) Lucretium scriptis Epicureis quibusdam lectis res alitor disponere constituisse. Diels autem nos docet (l. l. pag. 903) prius Lucretii consilium congruisse cum ratione a Theophrasto excogitata, hanc vero Epicurum (Lucretii fontem) in usum suum convertisse. Mussehl fingit etiam poetae librum sextum nihil visum esse nisi appendicem ita ut eum in finem totius operis relegaret, mox autem librum quintum quoque ne argumenta cognata separarentur, priore loco motum esse. Graviores causae mihi videntur poetam adduxisse ut novum ordinem eligeret. Dialecticae quidem leges exigebant ut psychologia tractaretur post hominem procreatum (i. e. ut liber quintus haberet suum locum ante lib. III et IV), sed sensus pulchrioris formae et venustatis impulit artificem, ut post atomos et inane (lib. I et II) ageret de homine et quidem primum de praecipua parte i. e. de animo, tum de simulacris (III et IV). Ad extremum lib. V et VI sua argumenta mutuati sunt a natura et homine, cum alter depingat mundum et artes hominis alter enarret res caelestes et pestilentiam. Quam praeclara varietas [1]) invenitur in rebus sic dispositis!

Ceterum in libris de rerum natura nove ordinandis Lucre-

1) Qui animum attendet ad extremos libros III IV V VI alterum illustre exemplum varietatis reperiet, nam extremus liber tertius agit de morte, quartus de amore, quintus ostendit hominem ad excelsiorem cultus gradum nitentem, sextus Athenienses pestilentia morientes.

Digitized by Google

tius non solum arti poeticae suae oboedivit, verum etiam legi cuidam morali. Is enim fuit simul magister civium suorum, qui semper et ubique homines ad frugalitatem admonuit, sed luxuriam impugnavit. Nihil autem magis cupiebat quam philosophicis praeceptis lectores liberare metu mortis et religione, ut tranquille vivere et aequo animo mori possent. Tanquam sacerdos exclamat (III 830)

Nil igitur mors est ad nos neque pertinet hilum!

Inde etiam προσωποποιία illa Naturae, quae senem alloquitur insatiabilem semperque plures annos requirentem atque admonet, ut vitam, quippe qua usus est tota, relinquere discat, cum eadem sint omnia semper. Talem doctrinam oportuit collocari in medio fere opere, sicut Vergilius palingenesiam, celeberrimum dogma Stoicorum, in medio fere carmine posuit. Summas et maturissimas cogitationes voluit Lucretius recipere in finem libri tertii, ut occuparent insignem partem operis. Haud scio an ea fuerit suprema fere voluntas illius sinceri investigatoris veritatis.

Huic disputatiunculae subiungamus duas observationes criticas. Legimus V 200

principio quantum caeli tegit impetus ingens
inde *avidam* partem montes silvaeque ferarum
possedere, tenent rupes vastaeque paludes
et mare quod late terrarum distinet oras.

Multi illud *avidam* sollicitaverunt legentes alius aliud, at Birt (Berl. phil. Woch. 26 Jul. 1919) proposuit *unam*. Frustra! Illi viri docti non intellexerunt poetam montes silvasque comparasse cum feris bestiis avidis, quae quasi partem terrae devoravissent. Ejusmodi pars necessario magna esse debet, quae ποιητικῶς *avida* vocatur. Scriptores nostrates eadem metaphora usi loquuntur de parte leonis (leeuwendeel). Idem autem valet illud *avidam* atque V 1025 bona magnaque pars, quae est locutio vulgaris, ut declarant Terent. Eun. 123, Val. Max. II 9, 7 cet.

Codices exhibent V 1442

Iam validis saepti degebant turribus aevum
et divisa colebatur discretaque tellus,
iam mare velivolis florebat *propter odores*
auxilia ac socios iam pacto foedere habebant.

Digitized by Google

Unde natum est illud *propter odores*, quod sententiam pessumdat? Est nimirum glossema vocis *florebat*, quod interpres, qui fortasse naves turibus et unguentis oneratas comparavit cum floribus in prato suavem odorem exhalantibus, scripsit dextrorsum super verbum translatum. Facile deinde additamentum integram lectionem extrusit. *Velivolis* autem requirit, sicut multi viderunt, *navibu(s)*, qua locutio plus quam semel utitur Ennius (cf. Annal. 387 cet.) Praeterea proximus versus flagitare videtur subiectum generale vel vocabulum subiecti indefiniti vice fungens, quocirca scribendum censeo

iam mare velivolis florebat *nàvibu'*, *vulgo*
auxilia ac socios iam pacto foedere habebant.

(algemeen beschikte men reeds over de hulptroepen der bondgenooten, gelijk bij verdrag was bepaald).

Saepissime littera *s* metri causa in pede quinto neglegitur cf. V 627 posterioribu' signis, V 1106 rebu' benignis, I 186 infantibu' parvis; II 623 numini' divae cet. *Vulgo* autem, quod secundum Indicem Lucretianum a Paulsonio confectum persaepe in libris de Rerum Natura adhibetur, in fine versus legitur V 911 et III 266.

Digitized by Google

AD TERTULLIANI APOLOGETICI CAP. VII, 11, 12.

SCRIPSIT

JOS. SCHRIJNEN.

Omnes Tertulliani codices, ne Fuldensi quidem excepto, quem cum viris doctissimis Rauschen, Löfstedt, aliis omnium librorum Mss. facile principem habeo, haec habent: „Omnium est aestimare, quantacumque illa ambitione diffusa est (ita Fuld., *sit* cet.), quantacumque adseveratione constructa, quod ab uno aliquando principe exorta sit necesse est. Exinde in traduces linguarum et aurium serpit, *et ita modici seminis vitium cetera rumoris obscurat*, ut nemo recogitet, ne primum illud os mendacium seminaverit, quod saepe fit aut ingenio aemulationis, aut arbitrio suspicionis, aut non nova, sed ingenita quibusdam mentiendi voluptate".

Optime de hoc loco difficillimo vir doctissimus H. Schrörs in opusculo c. t. *Zur Textgeschichte und Erklärung von Tertullians Apologetikum* (Leipzig 1914) ita disseruit: „In dieser Stelle ist modici.... obscurat dunkel und hat zu Emendationsversuchen gereizt. Öhler legt ihrer gleich drei vor, ohne indes einen anzunehmen; sie können auf sich beruhen bleiben. Waltzing S. 147 will obscurant lesen und übersetzt: Le vice inhérent à cette humble semence est à tel point dissimulé par l'éclat des rumeurs qui circulent ensuite. Dazu gibt er die Erklärung: L'éclat qu'acquiert plus tard la renommée, les bruits qui circulent plus tard (cetera rumoris) obscurcissent l'humble origine de la renommée, et empêchent de remonter à cette origine. Allein cetera lässt sich nicht zeitlich fassen, im Sinne einer späteren ausgebreiteten Entwickelung, sondern das Wort reiht einem gegebenem Teile einen anderen, ihm

Digitized by Google

gleichstehenden an. Hier würde also das modici seminis vitium ein Teil des rumor sein, oder es würde ihm der aus ihm entstandene (seminis) rumor paralell gestellt sein. Dieses aber will gerade der Schriftsteller nicht sagen, vielmehr ist sein Gedanke: das eine verdeckt und verdunkelt das andere, so dass man es nicht mehr erkennen kann. Dazu konnte er um so weniger das Wort cetera gebrauchen, als er ihm gerade das modicum als Gegensatz gegenüberstellt, wie er denn auch in der Paralellstelle Ad Nat. 1, 7 sagt: „modicum originum maius rumoris obscurat" (p. 101, 102).

Recte autem Waltzing, verba *cetera rumoris* sententiae subiectum esse oportere perspexit. Tertullianus enim uberum adolescentis mendacii amplitudinem adeo mendacem rumoris originem abscondere dicit, ut nullus iam de mendacii origine cogitet. Quod iam Pamelium nec non etiam Hartelium, ingeniosum Tertulliani interpretem et emendatorem, cognovisse ex elucubratione quae inscribitur *Patristische Studien II*, p. 37 (Wiener Sitzungsberichte CXXI, 1890) sat superque perspicuum. Adicio, omnes codices, ne uno quidem excepto, habere *obscurat*.

Sine dubio vitium in vocabulo *cetera* latet. Quam Gerh. Esser proponit lectionem: *excetra rumoris* — quem sequitur Rauschen in *Florilegii Patristici* fasciculo XII, p. 13 — haec mihi locum haudquaquam sanare videtur. Animum quidem advertit vir doctissimus ad locum gemellum *De Patientia* cap. V, ubi Engelbrecht locutionem *excetra delictorum* explicat: excetra = hydra quae semper nova ex se parit delicta. At „excetram delictorum dominum improbatorem malorum offendere" (quod locus allatus *De Patientia* habet) dicere quidem fas est, excetram autem, i. e. vermem sive hydram, „modici seminis vitium obscurare" vix tolerari posse existumo.

Haud gravate cum viro doctissimo Schrörs facio, qui imaginem e vita herbarum desumptam Tertullianum hic ad unguem tractasse putat: „Man hat nicht erkannt, dass der Schriftsteller hier das bis ins einzelne durchgeführte Bild vom einer rankenden Pflanze gebraucht, und hat darum falsch übersetzt. Princeps (= das, was das erste in einer Reihenfolge ist, den Anfang macht) bedeutet hier nicht „Urheber" (Kellner, Walt-

Digitized by Google

zing) sondern Wurzel; traduces (von traduco = hinüberführen) nicht „Leitung" (Kellner), oder rivus (Rauschen) oder Kanäle (Waltzing), sondern Ranken; semen nicht Same (Waltzing), sondern Setzling, wie auch 9, 8 dieses Wort gebraucht ist. So entsteht folgendes Bild: das lügenhafte Gerücht geht aus einer eizigen Wurzel hervor, aus ihr sprossen kriechende (serpit) Ranken, die durch die Zungen und Ohren der es weiter Verbreitenden gebildet werden, und die Ranken werden zu einem dichtenden Geflecht des Geredes (rumoris), das den kleinen Setzling (modicum semen) und dessen Fehler ganz verdeckt (obscurat)". Hactenus argumentatio mihi optima videtur. De vocabulo vero *traduces* animadvertere libet, vi quidem etymologica hanc vocem tam *rivum*, quam *ductum*, *fossam*, alia significare posse. At cum e sermone sociali rustico exorta sit, traduces significatione primaria non *translationes*, sed *ramusculi* dicendi sunt, qui ex uno trunco, vel uno arboris brachio diffunduntur et in alium locum deducuntur interse connexi. Quae vox postea ad sermonem generalem transiens significationem suam amplificavit. Sensus autem primarius frequenter apud Tertullianum occurrit, e. g. *De Praescriptione* cap. XX: Et perinde ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinae ceterae exinde ecclesiae mutuatae sunt et cottidie mutuantur ut ecclesiae fiant; et ib. cap. XXXII: Perinde utique et ceterae exhibent quos ab apostolis in episcopatum constitutos apostolici seminis traduces habeant. Ipsemet Rauschen concedere debet: „Dennoch möchte ich es an unserer Stelle mit Ranke übersetzen, weil in der Parallelstelle Ad Nat. I, 7 das Wort quodammodo beigefügt ist (in traduces quodammodo linguarum), ein Beweis, dass es sich um eine bildliche Redeweise handelt (*Prof. Heinrich Schrörs und meine Ausgabe von Tertullians Apologeticum.* Bonn 1914, p. 93)". Nota autem vocem *quodammodo* hic non tam ad *traduces* quam ad *linguarum* et *aurium* spectare; quam vocem cum Tertullianus iam maturior, stilo proprio magis exculto, Apologeticum componeret, ut superfluam resecavit.

Pergit deinde vir doctissimus Schrörs hoc modo: „Aber cetera rumoris? Es passt nicht in das Bild und dürfte zu

Digitized by Google

ändern sein in cetra (= Schild), ein Wort, das nicht selten ist (s. Thes. ling. lat. zu caetra). Aus cetra konnte sehr leicht das bekanntere cetera verlesen oder verschrieben werden". Hanc coniecturam (quam in translatione Souteriana, Cambridge 1917, reperies) minime probo. *Cetrae (caetrae)* vocabulum non pluris est quam *excetra,* quippe quod imagini arboris sive fruticis non magis conveniat. Accedit quod vox rarissima est et apud Tertullianum non occurrit. Schörs, vim singulorum verborum adcurate inspiciens, voces *principem*, *traducem* („ingelegde rank, inlegger", tum significatione laxata „rank" generatim), *serpere* ad vitis imaginem pertinere aestumat, mihi autem hederae („klimop: woekerplant") potius in mentem venit[1]), ita ut genuina lectio *(h)edera rumoris* mihi esse videatur, quam postea praepostere intellectam facile in *cetera rumoris* mutari potuisse, nemo est qui non videat. At in libro *De Corona* cap. VII, ubi occurrit haec sententia: Liberum, eundem apud Aegyptios Osirin, Harpocration industria hederatum argumentatur, quod hederae natura sit cerebrum ab heluco defensare, — voces *hederatum* et *hederae* errori non dabant locum. Verto igitur: „Vandaar (van den wortel) uit kronkelt het zich in ranken van ooren en tongen, en aldus overschaduwt (welhaast) een woekerplant van geruchten het gebrek van het kleine zetplantje, zoodat niemand er meer aan denkt of niet wellicht die eerste tong een leugen gezaaid heeft, wat toch zoo vaak geschiedt cet."

Denique conferenda sunt quae locus gemellus *Ad Nationes* cap. VII habet: Fama quantacumque ambitione diffusa est, ab uno aliquando ore exorta sit necesse est, exinde in traduces quodammodo linguarum et aurium serpit et modicum originum vitium rumoris obscurat. Hic ante vocem *rumoris* vocabulum aliquod excidisse verisimillimum est; quem hiatum Hartelius vocabulo *maius* complendum esse censet. Mea autem sentia verbo *(h)ederae* interposito hic quoque locus, qui summas interpreti exhibet molestias, facile sanari potest.

1) Cfr. Prop. IV 7, 79—80: pelle hederam tumulo, mihi quae pugnante corymbo | molli contortis alligat ossa comis.

Digitized by Google

DE MARTIALIS EPIGR. X, 79.

SCRIPSIT

I. I. HARTMAN.

Syllogae cui titulus *Sertum Nabericum* (editae apud Brillios anno huiusce saeculi septimo) disputationem inserendam curavi de hisce Horatii versibus ex Epistola XIX libri prioris:

rupit Iarbitam Timagenis aemula *lingua*
dum studet urbanus tenditque disertus haberi.

Sic enim nunc legitur, at ego non *lingua* sed *cena* legendum esse ibi sat fuse demonstravi. Et nunc quoque idem illud tam firmiter mihi est persuasum ut satis mirari non possim esse etiam qui istud *lingua* aequi bonique consulant.

Quid enim rei est? Totius epistolae (certe prioris partis) hoc est consilium ut perstringantur inepti homines qui specie decepti ineptissimum in modum alios imitentur, simiae potius quam homines. Numida ergo ille Iarbita, qui Romam migravit ut ibi opibus, quas in patria sua collegit, fruatur et cum summis viris amice et familiariter vivat iisque a vulgo assentatorum par habeatur, et alios quos imitetur aemuleturque elegit et Timagenem, nam

studet urbanus tenditque disertus haberi.

Quid ergo ut eo perveniat, hoc est ut *urbanus* et *disertus* videatur facit? Maledicum Timagenem et alii multi aequales sunt experti et ipse Augustus (vide Senecam de Ira III. 23). Hancine ergo eius maledicentiam aemulatum esse Iarbitam (scilicet ut *urbanus* et *disertus* haberetur) statuamus? Fac ita se rem habuisse: quid perversa ista et praepostera aemulatione est assecutus Iarbita, ipso Horatio teste? *Rupitne* eum

Digitized by Google

Timagenis aemula *lingua*? Quid hoc est, atque adeo quid esse potest? Utcumque ex his verbis efficias mordacitatem et acerbitatem exitio ei fuisse gravesque eum poenas dedisse alicui homini praepotenti; quamquam vereor ut Latine *rumpi* is dici possit, qui supplicio sit affectus. Mira res foret profecto, nam ipsi Timageni, quem sibi tamquam exemplum Iarbita proposuit, pepercisse, atque adeo maledicta eius aequo tulisse animo diserte idem declarat Seneca l. l. Atque iterum rogo: quo modo quae hactenus ab Horatio dicta sunt, nunc inter se cohaerent? Iarbita urbanus et disertus haberi studuit: ergo Timagenis est aemulatus acerbitatem. Iam hoc incredibile: an ideo Timagenes eloquentiae et urbanitatis famam adeptus est quod mordacibus dictis et alios et ipsum Augustum appetivit? Quid deinde? Graves dedit cavillationis et dicacitatis illius poenas: quid hoc ad satiram in homines qui falsa decepti specie alios imitantur etiam in iis rebus quae vitandae fuerant potius?

Quid revera factum sit satis dilucide et argute ipse Horatius docuit quamdiu librarii eum vocabulo quod est *cena* uti passi sunt: Timagenes, vir opulentus ut opinor (aliquamdiu enim amico est usus Augusto) ut famam eloquentiae sibi pararet (historicus enim fuit, teste Seneca, et historia est, ut ait Cicero „opus oratorium maxime") saepe ad cenam lautam et opiparam invitabat clientes, quibus probe pastis atque suppotis aliquid nuper a se scriptum recitaret. Nec perdidit operam. Ratus ergo Iarbita in cena clientibus apposita omnia esse, et ipse tam saepe ad tam luculentas epulas turbam invitabat togatam ut *rumperetur*. Quid autem est *hominem rumpere*? Nimirum metaphorice, nam ut proprio sensu homo hominem rumpat fieri nequit. Rupta est rana Aesopi, quae se *inflavit* ut bovi par esset corporis magnitudine. Dixeris totam illam fabulam esse excogitatam ad eos notandos qui sumptibus contendunt cum locupletioribus; certe in nullos alios magis illa fabula convenit. *Rumpitur* ergo qui nimiis sumptibus ad inopiam redigitur, decoquit, ex locuplete pauper fit. Confer italicum *banca rotta*, quo non ipse quidem negotiator sed tamen *mensa* eius *rupta* dicitur et inde commune illud omnium populorum *banqueroute*; cetera vide in longiore illa disputatione, quam

Digitized by Google

supra indicavi, et unde nonnulla huc transtuli coartata et hic illic leviter immutata. Ubi quae dicta sunt nemo melius illustrat quam Martialis variis locis, e quibus primum hoc affero epigramma (6, 48):

Quod tam grande sophos clamat tibi turba togata,
Non tu, Pomponi, cena diserta tuast.

Iam habes hic divitem rhetorem, qui non tam ad edendum bibendumque invitat clientes quam ad laudandum plaudendumque. Sed totam narrationem de Timagene et Iarbita ita exornat Domitiani laudator ille, ut tamquam in tabula picta tibi stet ante oculos, epigrammate 10, 79 quod totum hic exscribo:

ad lapidem Torquatus habet praetoria quartum,
ad quartum breve rus emit Otacilius.
Torquatus nitidas vario de marmore thermes
exstruxit; cucumam [1]) fecit Otacilius.
Disposuit daphnona suo Torquatus in agro;
Castaneas centum sevit Otacilius.
Consule Torquato vici fuit ille magister,
Non minor in tanto visus honore sibi.
Grandis ut exiguam ranam bos ruperat olim,
Sic, puto, Torquatus rumpet Otacilium.

Fac rhetorem fuisse divitem illum Torquatum, idem fecisset quod Pomponius. Quid Otacilium censeamus? Torquatum hac quoque in re esset imitatus, ut non minus *aemula cena* rumperetur quam olim Iarbita.

1) *Cucuma* parvum balneum.

Digitized by Google

DE TEXTU EVANGELIORUM IN SAECULO SECUNDO.

SCRIPSIT

A. POTT.

Res critica novi testamenti eodem fere tempore praeclarissimos tres magistros amisit: Merx, von Soden, Gregory. Brevi ante mortem fructus, quos ex studiis suis perceperunt, in lucem proferre et permultas quaestiones viris doctis proponere eis licuit. De forma, quae vocatur occidentalis [1]), quam ipse nonnullis annis ante textum antecanonicum nominavi, illi magnopere inter se dissentiunt. Gregory iudicat inter textum, qui ab evangelistis profectus est, et textum, qui dicitur canonicus (quia eo fere tempore exstitit, quo canon absolutus est), hunc textum retractatum („Überarbeitete Text") esse diversa forma et diversis linguis traditum. Merx, vir linguis eruditissimus, textum veterem syriacum, quem dixit vetustissimum cognitorum textuum, cum commentariis edidit. Soden, nisus inquisitione expleta omnium manuscriptorum, ut historiam textus revelaret, studuit; recensionibus tribus, quae fere a. 300 p. Ch. n. factae sunt, I, H, K, [2]) reconstructis formam, quae fundamentum recensionum illarum esse videatur (I H K), textum

1) Huius sunt testes D = ð 5 et cognati; versiones vetustissimae, syriacae s^{cr} et latinae it et af (id est europaea et africana forma textus qui dicitur Itala versio; patres saec. sec.

2) I est textus Pamphili (et Eusebii?), qui in Palaestina, H textus Hesychii, qui in Aegypto, K (sc. κοινή) Luciani, qui Antiochiae legebatur.

Digitized by Google

saeculi secundi, quin etiam textum originalem esse dixit [1]). Haec tria iudicia inter se contraria demonstrant quaestionem gravissimam rei criticae esse, qualis sit textus saec. sec. Ad hanc quaestionem solvendam hac commentatione aliquid conferre quam maxime cupio.

Textus I habet formas varias. Una earum est I α, quae complures species complectitur. Harum una quae designatur per $\mathfrak{d}$ 5 sqqu. repraesentatur $\mathfrak{d}$ 5 et cognatis. Quia hi testes secundum opinionem multorum textum saec. sec. referunt, in relatione eorum ad I α I I H K tota quaestio posita est. Hanc simul cum aliis quaestionibus Soden sententia, quae vocatur *Tatian-Hypothese*, se soluturum esse professus est. Tatiani ille diatessaron fontem esse perhibet fere omnium lectionum, quae ab I H K dissentiunt [2]). „Die Textgeschichte", inquit, „mindestens bis zur Entstehung der 3 grossen Recensionen einschliesslich ist im Grunde nichts, als ein Konkurrieren zwischen I H K und Ta" (= Tatian; § 380); „hätte Tatian kein Diatessaron geschrieben, so würden wir.... eine sehr durchsichtige Textüberlieferung besitzen"; „die Abweichungen im Wortlaut des Diatessaron von dem I H K-Text... sind aber in Wirklichkeit zum weitaus grössten Teil gar keine Varianten"; Tatian „ist nur der Anlass für Varianten geworden". I H K igitur textus est saec. sec. et hypothesis illa de Tatiano in re critica quasi ovum Columbi.

An consistere poterit?

Sententia illa tam simplex est, ut a multis comprobetur. Tamen propter id ipsum, quod per eam tot quaestiones facillime solvuntur, suspicionem quam maximam mihi movet. Non pauci iam et contra fundamentum et contra singulas res pugnaverunt. Quia Soden ad universam explanationem suam vel ad textum reconstructum eos allegare potuit, necesse mihi videtur, sen-

---

1) Cf. Soden, Griechisches N. T. Text mit kurzem Apparat, Handausgabe. Göttingen V. + R. 1913 p. XII; in hac commentatione hic liber vocatur: „Handausgabe".

2) Die Schriften des N. T. in ihrer ältesten erreichbaren Textgestalt; hergestellt auf Grund ihrer Textgeschichte von D. Herm. Frh. v. Soden I Untersuchungen II Text und Apparat Berlin 1907 Glaue (II Göttingen V. + R. 1913); hic liber a me vocatur: „Hauptausgabe"; cf. § 379.

Digitized by Google

tentiarum ordinem quasi gradatim, quoad opus est, examinare. Si licet nonnulla hoc loco commemorare, quibus contradicendum mihi est, neque legibus ipsis neque rationi eas adhibendi semper consentire possum. I H K pro canone aliorum textuum habetur, etsi auctoritas eius nondum probata est; et δ 5 sq. in restituendo I α textu et I α in restituendo I textu loco suo demoventur. *Hauptausgabe* tabulis lectionum sequentibus iudicia praemittit, quamquam tabulae non omnes testes producunt, et, si supplentur, iudicia non probant aut fortasse improbant. *Hauptausgabe* et *Handausgabe* saepe dissentiunt in lectionibus I diiudicandis. Lectiones in *Hauptausgabe* reiectae in editione textus ut lectiones fortasse originales afferuntur et ibi magni aestimatae hoc loco negleguntur. Si Tatianus fons variarum lectionum vocatur, dolendum est, quod inter Tatianum armenium et arabicum non semper accurate discerni videtur; id quod T scripsit, hoc tempore semper accurate constitui posse non puto.[1]) Sed satis superque. Iam si nonnulla contradicere audeo, fateor me mihi conscium esse, quam difficile et anceps sit, tantam auctoritatem quanta Sodeni est impugnare, praesertim cum eius discipulus sim, quem ipse in rem criticam introduxit. Sed iam eo tempore, quo collationes operi eius feci, in eadem opinione versabar, quam nunc habeo et per plus quam viginti annos tentationibus factis tenui[2]). Textus H et K exacte reconstructos esse, non item I multisque locis non posse dici, quid I legat, multis mirum est visum. Quibus ex causis id fieri non possit, me intellegere puto et spero, me demonstraturum esse lectiones bonas, quae δ 5 seq. repraesentantur, textui saec. sec. adscribendas esse.

I.

De textibus restituendis.

1) I H K. Quinque regulae, quas Soden proposuit, ad tres

1) Discrepantias Sodenii, quae ad textum Tatiani pertinent, indicare hac commentatione satis habeo; eas corrigere ubique fieri posset, longum esset.

2) Der abendländische Text der Apostelgeschichte u. die Wirquelle, Leipzig, Hinrichs 1900; der Text des N. T. nach seiner geschichtlichen Entwicklung, Leipzig, Teubner 1. Aufl. 1906, 2. Aufl. 1919; ein griech. syr. Text des Matth. ε 351 im Verhältnis zu T$^{s^{er}}$ Ferrar, Teubner 1912.

Digitized by Google

rédigi possunt: 1° lectio duabus recensionibus repraesentata in textu collocanda est; 2° si duae recensiones lectionem habent congruentem cum eodem loco alterius evangelii aut alio loco eiusdem evangelii (quam lectionem parallelam vocamus), ea lectio praeferenda est, quae a lectione parallela dissentit, nonnullis exceptis; 3° lectionem a Tatiano allatam perspicuum est a textu originali aberrare; sed si cum Tatiano duae recensiones congruunt, tertia autem cum lectione parallela congruit, haec est prava. Quae regulae etsi non dubitandae videntur, tamen prima est recta, quoad recensiones illae duae testes liberi et suae potestatis sunt. Quod non semper accidit. Nam H Alexandriam ducit et I Caesaream. Soden autem dicit: „In Alexandrien und Caesarea, den beiden Werkstätten des Origenes, beherrschte sein Geist naturgemäss die ganze Arbeit.... Die beiden Textformen (H und I).... weichen denn auch nicht allzu oft von einander ab" (Handausgabe, XIII). Consensus igitur inter I et H nos revocat ad unum testem, Origenem. Ergo saepenumero textum secundum primam regulam Sodeni restituere nihil aliud est ac iudicio et voluntate I H praeferre [1]). In Evang. Luc. cp. 15 textui H paucis I aut K testibus citatis I H K adaequatus est [2]) 15, 24 ἀπολωλως ην I K debet I H K esse; tamen ἀπολωλως sine ην H ponitur I H K, quia I K originem ducat ex 15, 32. Sed praeterquam quod locus posterior neque bene notus vix aliquid valuerit, 15, 32 I non eadem praebet, quae 15, 24 ἀπολωλως ην, sed sine ην (ut H), ut hic locus illi omnino non respondeat; et K si utroque loco idem exhibet, 15, 32 ad 15, 24 adaequatum esse consentaneum est. Quod etsi Soden non ignorat, tamen I K in editione textus lectionem non sine dubio originalem affert. Unde lucide apparet, eum a se ipso dissentientem H consensui I et K anteposuisse.

---

1) Quantopere hic textus Origenis correctus ad textum aegyptium (H) appropinquet, apparet nobis eum cum textu a Nestleo edito comparantibus. In evangelio Luc., cap. 15 + 16, quae a Sodenio saepius ad rem probandam adhibita sunt, I H K a textu Nestlei modo quattuor locis discrepat: 16, 6; 15, 29; 16, 27; 15, 16. Cognatio intima clarius etiam apparet comparatione horum capitulorum cum textu a Blassio edito, qui forma quaedam textus antecanonici existimari potest; ab hoc I H K discrepat 119 locis.

2) Velut 15, 12 ὁ δὲ H Io 1279 κ∂4; 15, 17 H Ii exc 1054, alii.

Digitized by Google

Atque de altera quoque regula fieri potest, ut aliquis hic vel illic aliter sentiat. Ubi I K lectionem parallelam exhibent, H nescio quo pacto textum mutavisse potest; aut in eis partibus primi et tertii evangelii, quae ex Marco sumptae *Markusstücke* dicuntur, I K Matthaei et Lucae cum I Marci congruere possunt et lectionem Marci primarii (*Urmarkus*) servavisse, in H sublatam. His talibusque exemplis non statim cum Sodenio H idem ac I H K et originalis textus perhibendus est, sed rationes, quae ad condiciones inter lectiones diiudicandas pertinent, summi momenti esse possunt, quas Soden neglegere solet. Itaque hac etiam regula H praeferri manifestum est. Imprimis autem tertiae regulae illud obiciendum est, quod tum demum nobis suspicari licet, Tatianum recessisse a textu originali, cum id ad consilium eius quadrare videtur. Atque cum constet lectiones encratiticas vix inveniri, nullae nisi lectiones parallelae secundum consilium eius fictae existimari possunt, quippe cum Tatianus harmoniam evangeliorum efficere statuerit. Potius putandum est reliquas omnes lectiones eius esse originales. Nam et Tatianus unus ex vetustissimis scriptoribus ecclesiasticis est; et Soden haec dicit „(Hauptausgabe p. 1646): es ist doch selbstverständlich, dass er für seine Arbeit sich möglichst gute Handschriften zu verschaffen gesucht hat, und dass ihm dies gerade in Rom auch gelingen musste". Et quamvis magni aestimemus artem criticam Origenis, tamen verisimile non est, eum saeculo III° Alexandriae codices, qui cognatione tenerentur cum exemplari originali, facilius sibi comparasse quam Tatianum saeculo secundo Romae. Qua de causa igitur Tatianus in suspicionem adducitur? Tatianus persaepe δ 5 sq sequitur, qui sunt optimi testes I. Ubicunque (exceptis locis parallelis) T I K consentiunt, I K loco I H K haberi non nequit, nisi Tatiano de industria probro vertitur, quod textum corrupit. Velut Lc. 15, 12 καὶ l ο δ ε contra H Io 1279 κ δ 4. Quaeritur igitur, quid fuerit in I? Hauptausgabe XXVI scriptum videmus: „hinter K werden durch „gegen" stets alle die Zeugen aufgezählt, die statt dieser K Lesart die Textlesart vertreten. Die in dieser Reihe nicht erscheinenden H oder I Codices... bieten dann die K Lesart". Cum hoc loco perpauci codices I = H habeant, sequitur, ut I = K ponendus sit: καὶ.

Digitized by Google

Quo facto T I K = I H K statuendi sunt. Sed H pro I H K locatur; quod esse non potest, nisi prius Tatianus arguitur a textu originali aberrare. Aliam quidem rationem Handausgabe adhibet. Apparatus eius praebet κατὰ l. ὁ δὲ T K. In conspectu siglorum p. XXVI dicitur: „Wo hinter der Variante nur K steht, ist die Textlesart für H und I, wo I K steht, ist sie für H gesichert". Inde efficitur, ut hoc loco textus ὁ δὲ pro I H accipiendus sit. Atqui secundum Hauptausgabe in I K κατὰ substituendus est. Aut igitur I hic non idem est atque in Hauptausgabe; aut illic et hic I idem esse perhibetur quod H, ut illic duo illi testes levissimi Io 1279 κ δ 4 vice I fungerentur, quod fieri nequit [1]). Quae cum ita sint, concedi necesse est Sodenium a Tatiano data opera abhorrere, ut H praeferat in restituendo I H K.

2) I. Historiam I textus multis difficultatibus obnoxiam esse Soden contendit. Quo fieri videtur, ut regulae textus constituendi vel ratio, quae intercedit inter I α (δ 5 sq.) et I, non satis perspicuae sint. Sequimur primum Handausgabe, qua Soden ipse Hauptausgabe explanavit. Secundum hanc editionem (p. XVIII) I textus fundamento 36 codicum (Evangeliorum) constitutus est, quorum species paene integra est (non „Kompromisstext"). Hos 36 codices p. 1186—1220 Hauptausgabe Soden allatos esse dixit [2]). Vocat eos: „unmittelbare Zeugen der I-Form" et partim originem ducunt ex classe Φ [3]). „In jede derselben (36), inquit, sind in verschiedenem Masse K-Lesarten eingedrungen, glücklicher Weise an so verschiedenen Stellen, dass die Reconstruction des gemeinsamen Archetyps d. h. eben des I-Textes (!) keine wesentlichen Schwierigkeiten

1) Exemplo Lc. 15, 12 probatur, quanta sit dissensio inter Haupt- et Handausgabe in textu I restituendo, de qua re postmodo dicemus.

2) Illic non exstant nisi 27 codices. Pagina 1220 interrumpit descriptionem familiae cuiusdam. Paragraphis usque ad finem huius descriptionis additis, evadunt 38 codices.

3) Huc quadrant, quae Soden in Hauptausgabe p. 1187 in medium profert: „Diese Codices sind als direkte Abkommen des Urtyps zu rekognosciren, stellen also unmittelbare Zeugen (!) desselben dar". Consentaneum est eos partim contaminatos esse. „So, inquit, gibt es unter ihnen eine regelrechte Stufenreihe von stolzen Edellingen fast rassereinen Bluts (!) bis zu solchen, bei denen die Herkunft kaum mehr sicher zu entdecken ist".

Digitized by Google

macht". Liquido igitur apparet I reconstructum esse ex his 36 MSS.. Sed iam ea quae sequuntur rem obscurare videntur: „ein Teil derselben (!) scheint in den Evangelien einen I sehr nahe stehenden gemeinsamen Archetyp, von mir Iα genannt zu repräsentiren"; haec legentes auctor relegat ad p. 1276—1323. Pars eorum testium, qui enumerantur p. 1186—1220, non simul p. 1276—1323 inveniri possunt, ubi Iα MSS. exstant; pars eorum, qui directi testes sunt partim ex classe Φ oriundi, nimirum textu Iα repraesentari non potest. Iam quaero, nonne haec obscuritas illata sit, cum Soden in restituendo I textum Iα cum his directis testibus partim ex classe Φ ortis aemulantem fecerit? Inspiciamus Hauptausgabe. Hic recte describitur, quomodo textus I restitui coeptus sit (p. 1041 § 207), his verbis: „Die Fährte von I wurde durch das häufige Zusammentreffen von it af s^{sc} Ferrar evgl. 1 und D gefunden; bald sprangen 3 Untertypen hervor: η (H^r geführt von Evgl. 1 = δ 254); i (F = Ferrar) und Iα, der reinste von allen (δ 5, 050, alii)". Exspectamus has tres formas textus fingi et I ex his tribus formis consentientibus vel invicem correctis componi, ratione adhibita formarum it af s^{sc}. Et profecto hanc viam Soden ingressus textus η et ι formis absolutis reliquit et omnibus aliis demum I (§ 278 sq.) formis perfectis Iα formavit etiamque quaestione de I ad finem perducta de it af s^{sc} (§ 356 sq.) egit. Quare a ratione inita desciverit, Soden non dicit; sed causam cognoscere postea conabimur. Hae aliae I formae magis magisque forma K contaminatae sunt; maxime pervulgata earum est Φ. Quaeritur utrum textus I secundum regulam qualitatis forma Iα ducente an secundum regulam quantitatis omnium I formarum restituendus sit? Illud coniciendum esse videtur. Sed § 207 clauditur his verbis: „die Aufgabe, den Urtext der Recension I zu rekonstruieren, schliesst als Vorarbeit die Rekonstruction aller jener Typen in sich, die eine Variante desselben darstellen". Haec verba, ut arbitror, ad regulam quantitatis spectant. Primum igitur singulas formas I investigare et tum ex maiore parte earum textum I constituere necesse erit. Sed ubi prima earum finita est, iam inscriptione ultimae § η opprimimur: „Abweichungen des Typs η von I". Unde hae varietates cognosci possunt,

Digitized by Google

quippe cum textus I plane ignotus putandus sit? Sed hic Soden id quod animo eius obversabatur, nescio an praeceperit. Nulla autem mora interposita iudicium legimus formam η (§ 215 p. 1060) exceptis nonnullis codicibus, quibus textus I ipse nobis servatur, optime formam I repraesentare. Quinam sunt codices, in quibus I ipse exstat? Si eos haberemus — quos non exstare Soden recte § 207 dixit — opus esset nos incipere textum I eorum ope restituere. An illi 36 codices, de quibus Handausgabe dicit, ei ante oculos versantur? Ibi declaraverat non esse difficile I reconstruere horum fundamento (Handausgabe XVII). Et hic (Hauptausgabe p. 1187) eos appellat: „direkte Abkommen des Urtyps, unmittelbare Zeugen, stolze Edellinge fast rassereinen Bluts". Sed quominus I ex his 36 codicibus componamus, prohibemur iam ea re, quod inscriptione partim valde depravati I codices partim paulo meliores familia Φ oriundi vocantur [1]). Idem apparet ex eis, quae initio de eis proferuntur § 247 (p. 1186): „Die bisher besprochenen I-Typen weisen über sich zurück auf einen gemeinsamen Urtyp". „Diese gemeinsamen Lesarten repraesentieren das Erbe des gemeinsamen Urahn, der Recension I". Si haec re vera ita se habent, arbitrari debemus I textum iam esse repertum et quidem secundum η ι sq. nihil adiuvantibus his 36 testibus I formae. Patet igitur Hauptausgabe et Handausgabe inter se dissentire. Id vero constat nullos exstare codices integrae I formae minimeque sinceros testes esse I formae illos 36 codices. Extremo demum loco omnium decem I formarum in Hauptausgabe agitur de. Iα. Quodsi in hac eius dissertatione demonstraturus erat, quomodo I ortus sit, (§ 207), manifestum Iα nihil valuisse ad textum I conformandum; nam deterrimae omnium I formarum adiungitur, cum iamdudum textus I constitutus sit aut esse videatur, certe firma norma ad diudicandas formas adhibeatur. Caput quod inscribitur Feststellung der Recension I (§ 297) docet nos omnino textum I e testibus I collectis per se ipsum exsistere. Vocabulum „Zusammenstellung", quo Soden utitur, ambiguum

1) „Nur wenige der nicht von Φ vertretenen Lesarten haben sich in ihm durchgerettet" (§ 255).

Digitized by Google

est. Pertinere enim potest aut ad quantitatem aut ad qualitatem aut ad certamen, quod inter has duas fit. Respicit fortasse certamen, in quo regula quantitatis principatum obtinet. Nam „an sich", inquit, „können Lesarten, die nur ein einziger I-Typ vertritt, I Lesarten sein".

Atque ut complectar, quae adhuc disputavi: Iα consilio posthaberi in restituendo I negari non potest. Ratio erat vestigium, quo ad I ducimur, non omittere (§ 207) et secundum eas formas, quarum vestigium deprehenderat, it af s^{sc} non exceptis, I textum reconstruere. Quam rationem ab ipso probari ex § 297 concludere possumus; de multis enim locis, quibus de I iudicium facere difficile est, haec dicit: „Häufig helfen dabei die älteren Übersetzungen, die meist, wie sich später [1]) zeigen wird, den I-Text zur Grundlage haben". Si regula quantitatis plurimum valet, textus I non iam § 208 sq. pro norma adhibendus erat praesertim multo ante Iα. Sin regula qualitatis plurimum valet (secundum Hauptausgabe textus 36 MSS.) Iα omnibus erat praeferendus, quod unus maxime ad I ducit, quod est, ut verbis Sodeni utar, „der reinste von allen" (§ 207), „der welcher der Recension I am nächsten steht" (§ 278). Quod ultimo loco postulavimus, eo corroboratur, quod § 297 demonstratur Iα et ι summo cognationis vinculo inter se contineri; atque uterque est ex illis tribus textibus, quos Soden vestigium I existimat. Sed hac ipsa observatione abusus est ad Iα detrectandum; nam pro certo affirmat lectiones singulares, quae sunt in Iα et ι, maximam partem I textui non esse adscribendas (§ 1354). Cur ab inita ratione recedit vel Iα loco, quo dignus est, depellitur?

Priusquam ad haec respondere conabor, quaero an apparatus clarior sit in restituendo I textu. Quod ut examinemus, iterum Lucae Evang. capite 15 [2]) utamur. Familiae I hunc ordinem tenent secundum p. 1353: Iα $\iota\eta\Phi\kappa\sigma\sigma\pi\beta\rho$; in apparatu vero hunc: Iα $\eta\iota\Phi\beta\sigma\pi\sigma\kappa\rho$. Familia ι praeponenda η est, quod (§ 297) I$\alpha\iota$ magis inter se cognatae sunt; $\Phi\sigma\sigma$ hoc ordine succedere debent, quod (p. 1506) $\sigma\sigma$ propinquiores inter se sunt

1) § 352 sq.

2) Sed non in omnibus codicibus exstat Evang. Luc. 15.

Digitized by Google

quam π [1]); certe principatus convenit I α [2]). Ubi illi tres praecipui textus firmiter constituti sunt, exscripti typis pinguibus sunt. Textus I non est facilis ad legendum, quoties testes eius inter se discrepant. Praecipitur legentibus hoc (p. XXVI): „Hinter K werden durch ein gg. (= gegen) eingeführt alle die Zeugen aufgezählt, die statt dieser K Lesart die Textlesart vertreten. Die in dieser Reihe nicht erscheinenden H oder I Codices... bieten dann die K Lesart". Quomodo igitur, ut exemplum afferam, de Luc. 15, 2 iudicandum est? om τε K (typis pinguibus) gg. H (typis pinguibus) I α δ 5 sq. β 1043 κ δ 270/1246 (typis macris). Si I = K esse constaret, littera I typis pinguibus ante K ponenda esset (velut 15, 23 ενεγκατε; I K typis pinguibus). Cum I modo alterutram lectionem exhibere possit [3]), et scire velimus, quid Soden iudicet, necesse est textum I auctoribus illis testibus pro textu H arcessitum esse. Quod haud scio an ex duabus rebus effici possit: et quod H et I non saepius inter se differunt (Handausgabe XIII), et quod apparatus Handausgabe praebet: om τε K. Scribit enim Soden: „Wo hinter der Variante nur K steht, ist die Textlesart für H und I, wo I K steht ist sie für H gesichert" (p. XXVI) [4]). Sequitur igitur, ut I secundum perpaucos testes constitutus sit (quaero an secundum regulam qualitatis?). Quot qualesque testes ab eo requiruntur? Plurimis locis quaestio exoritur, utrum textus I secundum paucos et partim leviores testes idem ac H putandus sit an I pro K habendus sit; atque ita I K loco H in textum editionis ut I H K ponendus erat. Velut: 15, 7 εσται p. ουρανω H I σ 207/1353; 15, 10 γινεται χαρα H Io 129/1353 [5]); 15, 12: ο δε H Io 1279 κ δ 54; 15, 17 εφη H I ι exc 1054; 15, 32 εζησεν H I 22. 1246. His

1) κ videtur in apparatu suum locum occupare; forma β autem secundum p. 1353 ante ρ sub fine ponenda est.

2) H quod I praecedit, pluris existimatur.

3) Hauptausgabe XXV: „Ist die Lesart für die betr. Recension sicher gestellt, so wird deren Siglum fett gedruckt. Innerhalb der I Recension verteilen sich die Codices auf die I-Typen". Hoc plerumque accidit; sed unam ex eis formis I repraesentare opus est.

4) Cum hoc loco tum plerumque talis lectio in Handausgabe pro certo affirmatur; in Hauptausgabe ubi distinguitur typis pinguibus et macris, non affirmatur.

5) χαρα εσται δ 5 i exc 211 σ 207 = I?

Digitized by Google

aliisque locis aut I idem ac H est habitus, ut I α contra regulam qualitatis et quantitatis suo loco demotus sit, aut I idem ac K habitus est, ut, cum I K idem ac I H K existimandus sit, I (I α) pro H abiectus sit. Saepe I α multis adstipulantibus non pro certo I esse dicitur, quia typis non pinguibus exscriptus est. 15, 1 om $\iota\iota^2$; 15, 3 om $\lambda\epsilon\gamma\omega\nu$; 15, 8 $\sigma\upsilon$ (H); 15, 9 $\sigma\upsilon\gamma\kappa\alpha\lambda\epsilon\iota$ (H; ?); 15, 14 add $\tau\sigma\upsilon$; 15, 16 $\chi\sigma\rho\tau\alpha\sigma\theta\eta\nu\alpha\iota$ (H) [1]); $\epsilon\kappa$ (H); 15, 20 $\epsilon\kappa\upsilon\tau\sigma\nu$; 15, 21 add $\pi\sigma\iota\eta\sigma\sigma\nu$-$\sigma\sigma\upsilon$; 15, 22 non add $\tau\eta\nu$ (H); add $\alpha\upsilon\tau\sigma\upsilon$; 15, 24 om $\eta\nu^2$; 15, 28 $\delta\epsilon^2$ (H) [2]). Si licet pauciores testes adhibere, tales loci multiplicari possunt. Utut de singulis iudicamus, semper demonstrant, I α non tantum valere quam exspectamus. Apparatus est incertus in iudicandis I lectionibus et I α minoris pretii esse confirmat.

Liceat nobis paucis verbis attingere, quomodo textus I formatus sit [3]). (Cyrillus Hierosolymitanus et) Eusebius Caesariensis legunt I; cuius inter formas I α illi maxime affinem esse, saepe lectionibus in uno I α textu servatis, Soden dixit. Sed inter lectiones p. 1495 ex evang. Matthaei et Marci enumeratis ne una quidem est, quae a solis I testibus afferatur, binae etiam sine ullo et binae cum uno levissimo I teste [4]). Cognatio huius textus cum Φ et eius familia certe aeque angusta est atque cum I α. Revera inter has 27 lectiones I proprias non plures quam 8 in apparatu typis pinguibus textui I vindicatae sunt [5]). Harum 6 [6]) Eusebius cum I α (δ 5) et testibus Φ legit; cum Φ (I α) contra δ 5 Matth. 13, 4; cum δ 5 contra Φ (?) Matth. 21,

1) I H K contra H; I igitur = K contra δ 5 η^a i/22 192 sq. 1353 1416 pa af f s^c.

2) Contra T.

3) In § 339 qua agitur de insignibus et propriis I lectionibus quasdam discrepantias deprehendimus (p. 1493). Congruunt et Hauptausgabe et Handausgabe his locis: Matth. 27, 36; Lc. 1, 34; 9, 55; 22, 47; Joh. 19, 16. Quod contra hic, non aut in Handausgabe aut in Hauptausgabe textus I designatur Matth. 5, 4; 25, 1; Mc. 7, 29; 14, 16; Lc. 1, 35 (Marc. Tert.!); Joh. 1, 28. Hic et in Hauptausgabe, non in Handausgabe Mtth. 1, 11; 21, 18 (Hauptausgabe = I H K, Handausgabe $\sigma\epsilon$ $\zeta\omega\sigma\sigma\upsilon\sigma\iota$). In evgl. Mtth. 1, 16 hic ω $\mu\nu\eta\sigma\tau\epsilon\upsilon\theta\epsilon\iota\sigma\alpha$ $\pi\alpha\rho\theta\epsilon\nu\sigma\varsigma$... sed in Haupt- et Handausgabe I = $\tau\sigma\nu$ $\alpha\nu\delta\rho\alpha$ $\mu\alpha\rho\iota\alpha\varsigma$ $\epsilon\xi$ $\eta\varsigma$ $\epsilon\gamma\epsilon\nu\nu\eta\theta\eta$....

4) Sine: Mtth. 26, 50 Mc. 15, 33; cum: Mtth. 23, 38: 168; Mc. 15, 30: 1468.

5) 7, 15; 8, 10; 8, 13; 13, 4; 27, 42 sec. l.; Mc. 12, 32; 14, 70; Mtth. 21, 11 (= I H K).

6) 7, 15; 8, 10; 8, 13; 27, 42 sec. l.; Mc. 12, 32; 14, 70.

Digitized by Google

11. At duae dissentiunt, a lectionibus I typis pinguibus exscriptis 26, 50 cum Φ contra δ 5 (I α); 27, 42 pr. l. cum δ 5 Φ. Reliquis 17 locis, quos ad I pertinere non constat, Eusebius 7 cum Φ δ 5 (I α) [1]); 2 contra Φ δ 5 [2]); 3 cum δ 5 contra Φ [3]); 5 cum Φ contra δ 5 (I α) [4]). Tabula proxima continet lectiones, quae textui I non pro certo adscribi possunt. Inter 23 Matth. sunt 12 cum δ 5 [5]), quarum 2 cum I H K [6]), 2 ob locos parallelos [7]), 2 ex aliis causis addubitandae sunt [8]). Reliquarum 6 sunt 3 cum Φ [9]), 3 sine Φ [10]). His contrariae sunt 8 cum Φ [11]). Aliter res tibi se habere videbitur locis 13 ex Marco depromptis, cum 11 cum δ 5 et 4 cum testibus familiae Φ consentiant [12]). Sed primum est mirum, quod una lectione excepta (14, 69) Eusebius ubique in apparatu deest; deinde in eis 5 loci paralleli [13]), quorum 3 et praeter eos 2 in apparatu tertio [14]); reliqui 2 [15]) eo minus aliquid probare possunt, quod lectiones I dubie ad arbitrium electae sunt. Maioris momenti essent lectiones Eusebii singulares; quarum nulla cum δ 5 aut cum melioribus testibus I α congruit, sed 4 cum testibus Φ [16]). Sed Soden non omnes Eusebii lectiones

---

1) 14, 20 sec. l.; 27, 39 pro 40; 27, 43; Mc. 14, 67 sec. l.; 15, 32; 15, 34; — 19, 9 (Φ 370, 1443).

2) Mc. 14, 67 (cum I α); 16, 2 (c. I α η).

3) δ 5 = I α 24, 20; 27, 46; Φ = I α Mc. 14, 68.

4) 18, 20; 23, 38; Mc. 15, 30 + 33; Φ = I α 22, 13.

5) 10, 25 δ 5 loco 050; 12, 17 (loco 16) — ξεν δ 5, — σσεν η Eus.; 13, 29 συν αυτοις δ 5 p. σιτον, ante σιτον o 90/70 af vg. Eus.

6) 5, 11 sec. l. ρημα (contra I!) it s^{c} T Tert. Orig.; 5, 11 tert. l. s^{a} af it Tert.

7) 10, 17 T 168..κ af s^{a} Orig. Tert.; 13, 22 δ 1—2 af it.

8) 13, 30 af it partim; 26, 14 η abq. Orig.; duae in apparatu tertio, qui complectitur lectiones, quas Soden vocat „Zufallslesarten", Eusebio non commemorato.

9) 4, 12; 13, 26; 13, 48.

10) 5, 11 H δ 48 s^{c} af T; 13, 17 ι lat.; 23, 37 lat. s^{a} Orig. Ir.

11) cf. 9, et 8, 13 (0 50, 337, o 270, σ 377...); 10, 18 (133, 337, $o\sigma$...); 10, 25 (050 syr. af.)

12) 14, 66 pr. l. 1336 sq. δ 5 sq. alii it s^{a}; 12, 30: 1442 δ 5 alii; 12, 32: 95 δ 5 alii; 14, 69: 1246 I α alii syr. lat.

13) 14, 10; 14, 11 + 66; 15, 21 + 34.

14) 14, 10 + 11; 15, 34; 15, 29 (δ 5 non προ- sed παρ-); 15, 33.

15) 12, 31 δ 5 i lat.; 14, 67 I α 0 14, 133, 93 i η δ 254 ŝq.

16) 5, 28 εμβλεψας Tu T Φ 1441 alii Orig. Eus. (εμβλεπων I α 600/70 Eus.);

Digitized by Google

in apparatu perscribit. In manibus habeo tabulam Eusebii lectionum, quae in Luc. Evang. reperiuntur. Nullo fere loco Eusebium solum cum Iα testibus video, ut aliae I formae, versiones, patres absint. Exceptis lectionibus propriis et Eusebii et textus δ 5 (Iα), quae casui debentur vel ut leviores neglegendae sunt, hos locos addo, quibus testes Φ aut familiae Φ contra omnes Iα (δ 5) cum Eusebio faciunt: primum apud Sodenium notatos [1]): 2, 14 *ευδοκια* T Orig. I; 3, 16 *υμας*: 1354 it syr.; 10, 1 *χωραν* 448 η 1131; 10, 20 *εγγεγραπται* 1246 η δ 457 (I H K); 14, 15 *οστις* 1353 η ι alii (I H K); 19, 27 *εκεινους*; 19, 41 *αυτη*; 19, 42 *και γε*; 19, 43 *και-και* syr. T; 22, 54 *οικιαν*; 1246 alii (I H K); 23, 35 *ο υιος* 1354, 1368, ι *ο* 1279 alii; 23, 56 om *και μυρα* 1386, η σ 351; 24, 1 *μνημειον* 1386 sq. e. q. s.; tum apud Sodenium non notatos: 2, 5 *απογραψασθαι*; 3, 16 add. *οπισω μου*; 3, 22 ω; 3, 23 add. *του* a. *ιωσηφ*; 4, 1 om *εν*; 4, 16 non om *την*; 6, 14 om *και* tert. l.; 10, 10 *εισερχησθε*; 11, 22 add. *ο*; 12, 26 *ουτε* etc.. Ex his tabulis manifestum est, Eusebium Φ aut familiae Φ propinquiorem esse quam textui Iα (δ 5). Hoc iudicium firmatur, si reminiscamur, quoties Eusebius proprias lectiones δ 5 (Iα) improbaverit vel I H K aut K contra δ 5 (Iα) habeat. Quare conficitur; primum I textus recte restitui nequit, quod regulae quantitatis et qualitatis inter se discedunt; deinde si regulam quantitatis sequimur, textum invenimus, qui ad Φ et familiam Φ proxime accedit [2]); tum hic textus est re vera

13, 56 *παρ ημιν* Φ δ 30 π alii (3 app.); 23, 37 add *αυτης* Φ δ 30 Iα 168 alii af it syr. Orig.; 23, 39 Φ^{a} σ 207 sq. it (3. app.).

1) Cum nonnullis Iα contra δ 5 : 1, 26 : 1353 Φ δ 30, 1441 (Iα 337); 2, 12 : 1442 (Iα 050, 93); 2, 15 : 1386 (050, 93); 3, 1 : 247, 1354, 1386 sq. (168); 3, 2 : δ 260, 1354, 1386 sq. Φ δ 30 alii (050, 93, 286, 337); 3, 23 : 1353 Φ 1260 (133); 4, 16 : (58) 70, 1317, Φ multi (168, 286); 4, 20 Φ^{r} (133, 93); 6, 13 : 1246, 1353, 1493, Φ multi (168); 12, 49 : 1246, 1353 sq. Φ multi (050 sq.); 19, 17 : 1246 Φ (337); 21, 23 I (contra δ 5); 21, 35 I (contra δ 5 σ 207); 22, 3 : 448 sq. 1353, 1385 sq. 1493 Φ multi (050); 22, 4 : 1353, 1443 Φ^{b} (133); 22, 4 tert. l. I (contra δ 5); 22, 5 : 192 sq. 1246, 1353, 1443, Φ^{b} (050, 337); 22, 7 L (contra δ 5); 23, 34 I (contra δ 5 sq.); 23, 46 : 192 sq. 1246 Φ 72 (050); 24, 1 : 192, 1443, (050, 337); 24, 13 : 1353 (050).

2) Is est textus, de quo Soden respiciens illos codices p. 1186—1220 enumeratos dicit: „Die Reconstruction des gemeinsamen Archetyps d. h. eben des I-Textes macht keine wesentlichen Schwierigkeiten". Sed hac ratione adhibita familia Iα omittitur.

Digitized by Google

similis textui Eusebii. Simulatque hoc textu Eusebium usum esse probabile factum est, mea quidem sententia textus Eusebii instar I textus adhibendus fuisset. Ne ita iudicaret, duabus causis Soden prohibitus est: primum quod textum I solum ex codicibus restituere voluit, tum quod (§ 207) ϑ 5 Ferrar evgl. 1 af it ^{sc} vestigium ad textum I indagandum et I α (ϑ 5 sq.) purissimum omnium textuum declaraverat. Itaque fieri non potuit, quin I α postponeretur, et Φ praeferretur in restituendo I. Studio commotus ex codicum lectionibus textus formandi, qui cum textu Eusebii congrueret, et quem I appellare in animo haberet, a ratione sua discessit. Quo facto non ϑ 5 Ferrar evgl. 1 it af ^{sc} ducibus I α formatur, ϑ 5 sq. in I textu restituendo neglecti sunt, textus I minime restitui potest. Si I α multo meliorem quam Φ et I α 1 artiore inter se cognationis vinculo teneri quam reliquas partes I (p. 1354) Soden iure contendit, sequi mihi videtur, ut I α proavus textus I (Eusebii) sit. I α af it ^{sc} textibus inter se cognatis nos ad I referri rectissime Soden dixit; quare consensu eorum textus oritur, qui secundo saeculo attribuendus est. Haec sententia confirmatur eo quod Tatiano Marcioni Justino multae lectiones cum eo communes sunt. Nisi Tatianus has lectiones ab I H K discrepantes consilio finxit, textus variis lectionibus abundans saeculi secundi est.

3) I α. Ut I α in restituendo I, ita textus ϑ 5 seq. in restituendo I α neglectus est. I α secundum ϑ 5 050 133 600—93 168 337 1337 1468—94 286 reconstructus est [1]). Classis codicum 94 sq. rationem non habendam esse nisi in Matthaeo Soden contendit; classis codicum 93 sq. solum in Marco (§ 280 sq.). Iam ea re quanti sit pretii ϑ 5 sq. perspicitur. De his Soden iudicium tulit hoc: „sie repraesentiren den Archetyp von I α am besten; 0 50 ist nächst ϑ 5 der beste Zeuge von I α" (p. 1297 lin. 9 + 19). I α igitur praeter ceteras textus formas valere ad I formandum efficitur. Quin etiam auctoritas ϑ 5 seq. duobus modis imminuitur. Primum ubi ϑ 5 sq. et 93 seq. contrarii sunt, 93 seq. cum I α aequantur (§ 286). Hoc uno argumento nobis probare conatur, cum dicit: „93 f vertritt zuweilen eine Lesart, die bei der nahen Verwandtschaft von

1) Codices 130; 293; 529 ut levissimi testes omissi sunt.

Digitized by Google

I $\varkappa$ mit I fast mit Sicherheit für I α zu reklamiren ist". Hoc est deterere differentias, quamquam manifestum est a solis differentiis nos proficisci posse, ut codices in classes vel familias digeramus. Nonne δ 5 seq. multo saepius optimo iure I repraesentare censentur? δ 5 seq. reici in I α restituendo etsi pluris aestimantur, probabile non est nisi ubi de lectionibus singularibus aut K agitur, quod in Marco neque contenditur neque accidit. His tribus conditionibus 93 sq. contra δ 5 sq. ad I α pertinere affirmat Soden: a) „Dass Lesarten, in denen δ 5 mit 0 50 f oder einem derselben zusammentrifft, nicht durchweg dem Archetyp I α angehören, sondern die gemeinsame Abstammung von einem I $\varkappa$-Zweig verraten, machen folgende ihnen im Unterschiede von 93 f. angehörende Lesarten gewiss" (p. 1294). Quis est textus ille, quem Soden „I $\varkappa$-Zweig" nominat? Omnes rami, ut cum Sodenio loquar, textus I $\varkappa$ in Marco enumerati sunt: duo illi δ 5 sq. et 93 sq. Non ramum textus I α esse δ 5 0 50 sed ipsum I α, apparebit, si tabulam testium complevero testes a Sodenio adhibitos uncis circumdans; 1, 21 lat. s^{h}arm; 1, 22 af bc ff^{2}; 1, 26 (Φ δ 30) Φ δ 362 72 π 18 σ 226/243, 1354 lat.; 1, 28 (Φ π 18) ρ 72 σ 351/1353 f 1416 lat.; 1, 29 (Φ) 95 lat.; 1, 40 β 1349, o 551 70, 1416, 1343, it; 1, 40 sec l. π 18 lat arm; 2, 1 (o 1279) π 18 lat. [textus originalis?]; 2, 4 (Φ) σ 1132 $\varkappa$ 1390 ρ 1083 af it syr.; 2, 15 af it; 2, 19 (η) ι^{a} Φ 3015, 309 alii af it syr Ta; 3, 7 af it; 4, 6 af; 4, 19 (ι 1211 Φ 309) af it; 5, 22 (syr. sah bo) lat. [I H K]; 5, 23 (i) af ac syr T; 5, 40 pr. l. af it; 5, 40 sec. l. it T [textus originalis?]; tertio l. lat.; 6, 2 (η 183 f) I α 337 (in 93 sq.!) f ff^{2} ρ syr (T?); sec. l. (ι $\varkappa^{a}$) η 203 Φ 309 alii/192 b g ff^{2} r i; 6, 12 (it); 6, 36 lat. 6, 50 it; 7, 27 pr. l. 1443 a n [I H K]; sec. l. a; 9, 11 a; 9, 42 lat.; 10, 20 af l. q r^{2} l.; 10, 41 it; 11, 1 (Φ 3016) lat Orig. [textus originalis?]; 11, 11 sah 93 (in 93 f!) it; 11, 13 : 1443 af it; 11, 25 : δ 260, 1443 a i; 13, 18 (r bo): a q (c); 14, 5 (i): q r i; 14, 17 (π 18) it; 14, 21 a ff^{2}; 14, 66 it (ar); 15, 4 (η) Φ 1289 lat. (I H K); 15, 30 (sah bo) af (I H K); 15, 34 (s^{c}) Φ 413 af i [1]). His testibus additis, tabula prorsus alia facta est. His

1) Supra omnes lectiones versionibus firmatae enumeratae sunt. Ecce reliquae: 2, 12 I α 014 ϕ 1441; 3, 2 (Φ 309) I α 286 ϕ 1441 alii 1493 (text. orig.?);

Digitized by Google

locis Soden non omnino neglegit versiones (5, 22; 6, 12; 15, 34); cur eas non semper addit? Earum lectionum, quae δ 5 0 50 sq. contra 93 sq. communes sunt, ipse fontem postulat, quem ramum I α appellat. Qualis fons aut ramus sit, conspicuum esse arbitror. Nam cum fere semper versiones antiquae cum δ 5 ita conspirant, ut tamen inter se varient, fundamentum et δ 5 sq. et af it syr^{sc} communem illum fontem esse apparet, praesertim cum haec cognatio iam antea animadversa sit. Si hic fons ab optimis testibus I α (interdum et ab 93 sq.), et omnibus versionibus, et nonnumquam etiam aliis textus I testibus bonis praebetur, non ramus I α sed ipse I α est neque profecto deterior familia 93 sq. Qui textus, cum saepius textus originalis vel fortasse originalis sit, non progenies I esse potest, sed proavus I esse debet, cuius rei cognoscendae iam antea occasio erat. Summa autem asseveratione affirmo nusquam de locis parallelis qui vocantur agi et modo perpaucis T accedere. Soden, ut hanc necessariam ratiocinationem declinaret, 93 sq. textui I α aequavit et hunc ramum obscurum in quaestione sequenti praetermisit.

Item iudicandum est de aliis duabus tabulis cognationis. δ 5 sq. et 600 habere contra 93 sq. lectiones, quae vix I α attribuendae sint, dicit Soden. Quaero num hoc iudicium eo praeparatum sit, quod 600 simillimum K esse contendit (p. 1276)? Lectionum 16 e Marco commemoratarum nulla est in K [1]); nam exceptis duobus locis semper versiones antiquae conspirant, etsi non exscriptae sunt, cum multis alternantibus I testibus; T autem paucis modo locis congruit neque usquam solus. In altera autem tabula Soden dicit, 0 50 et 133 proprias esse undecim [2]) lectiones; sed re vera ex his Marci lectionibus

---

3, 28 (ι β) 1353 (I H K); 3, 33 σ 377; 4, 5 (δ 1); 5, 37 [δ 1]; 6, 11 (κ ρ, I α 286 φ 1096 alii 192 f 1354; 7, 10 (ι η 183 f) 287 arm; 7, 31 : 81 sah; 7, 36 (φ δ 362/1442) 81; 7, 37 (η) ο 90; 8, 8 κ δ 4; 11, 30 κ δ 4 [textus orig.?]; 14, 62 : 93 (!); 14, 68; ι δ 505 368 f Eus.; 14, 72 η; 15, 33 (s^{a} om).

1) 1, 38 pr. l. lat. syr. T; sec. l. lat. s^{c} T; 2, 7 (η) it [I H K]; 2, 21 : 337 (!) φ 1096 alii [I H K]; 3, 3 af it partim T; 3, 7 lat. s^{a}; 3, 14 af it arm; 3, 15 it; 4, 18 lat. [I H K]; 5, 9 (ι) it; 5, 17 lat.; 7, 16 (ο 1279) lat. syr.; 7, 26 I α 014, 1354 i; 8, 21 (1341 sah.) φ 1098 alii; 9, 31 af it [I H K]; 10, 4 (φ) af [I H K].

2) 1, 28 (η φ) I α 0 14 sq. 93 sq. ο 129 af it s^{a} T; 1, 44 (loco 40; φ)

Digitized by Google

nulla est in K, sex ab omnibus versionibus defenduntur, earumque nonnullae et aliae tres etiam ab aliis I α (a familia 93 sq.!). In priore tabula complures textum originalem exhibent.

Tum auctoritatem δ 5 sq. in restituendo I imminui perspicitur, si observamus, quomodo singuli codices detractentur. Unumquemque enim codicum, qui familiam δ 5 sq. repraesentant, Soden scoriis purgare vult; quae remanent, textum I α esse contendit (p. 1297). Sed lectiones eiciendas revera scorias esse unde constat? Lectiones δ 5 sq. proprias I α esse Soden recte arbitratur, ubi aliae I formae aut codices eandem lectionem habeant, exceptis locis, quibus „Paralleleinwirkung" quae vocatur conspiciatur. Huic recto iudicio non accommodata est ratio, qua ibi scoriae eiciuntur velut 050 (p. 287). Tamquam a scriba quodam inepto profecta lectio Marc. 3, 34 eicitur κυκλω ante τους (= K), cum in apparatu eadem lectio originalis esse posse existimetur [1]). Eiusmodi discrepantia et inconstantia totas tabulas in suspicionem adducit.

Ex his tabulis codicis 050 lectiones ex Marco excerpo has, quae tamquam per errorem scribarum ortae reiciuntur, testes ibi commemoratos uncis includens et aliis explens: 10, 43 [2]): 133 af; 11, 3 ι 1054, Φ nonnulli, alii c ff^2 l; 1, 5 ι δ 505, Φ partim, alii, f; 2, 12 I α 014 sq. af b c q; 5, 21 T s^{s} sah; 9, 45 ι^{a} alii; 14, 30 ι δ 505 k; 8, 14 I α 014 sq. s^{s}; 8, 29 T 014 sq. η s^{sc} alii; p. 1299 lectiones quas Soden „Konsonantfehler" vocat 6, 34 I α 014; deinde quas „Schreibfehler" vocat: 7, 26 I α 600 ι δ 505 alii; tum 6, 19 Φ alii; 5, 13 (δ 1) Φ 309 alii; 2, 24 (δ 5) lat.; p. 1300: 3, 27 Φ δ 362 a d ff^2; tum quas „Omissionen" vocat: 1, 5 (Φ 211, 1386) ι 1054 alii; 1, 9 a; 2, 8 (δ 1 Ir 77) η 203 ff^2; 3, 2 ι 226 Φ 72; 5, 5 Φ 1094 alii b ff^2 i; 7, 23 ι 368; 8, 25 (1354); 10, 25 δ 5 a ff^2 s^{s}; 10, 27 (δ 1 Io 129); ι 1211 alii; 10, 38: 1385 s^{p}; quas „Wortum-

I α 014 sq. 1386 ac; 2, 2 (bo s^{p}) I a 014 sq. sah it partim syr. T; 5, 43 q; 6, 2 : 243 alii; 6, 33 (I α 014); 7, 11: I α 93 (!) alii syr T; 9, 2 (I α 337 β Φ? 370 sq.) η 346 alii; 11, 18 af syr Orig.; 12, 11 error; 14, 41 (I?) I α 93 (!) in app. I.

1) τους κυκλω haud scio an I α sit secundum δ 5 af b; κυκλω a περι 133 sq. 168 η i | 370.

2) ειναι p. υμιν δ 5, 1337 sq. 050 sq. af s^{sc} (I α); sed μεγας εν υμιν ειναι δ 5 1337 sq.; εν υμιν ειναι μεγας 050 sq. af s^{sc} (I α); μεγας γενεσθαι εν υμιν H I.

Digitized by Google

stellungen" vocat: 10, 43 sq. (1341) [1]); 13, 9 (s^s); quae „Parallelen" vocat (p. 1301) 1, 34 δ 5 lat.; 2, 18 δ 5 93 *i* Φ δ 30 alii lat. syr. T; 2, 22 multi; 3, 16 o 129 sq. alii; 4, 12 multi; 6, 27 T 1385 sp; 9, 11: 014 sq. a c^2 l sp; 11, 10 ℵ arm; 11, 31: 014 sq. *i* δ 505 a s^c; 12, 2 af; 14, 9 Φ δ 309 alii; 14, 30 s^c T; denique quas „ernstere Sonderlesarten" vocat (p. 1302) 3, 23 δ 5 93 alii a b c sp; 7, 19 T a n sp; 10, 9 a; 3, 10 *i* o 90 alii; 3, 23 *i* 014 sq_1; 9, 6 textus fortasse originalis (!) (014 Orig. ελαλει); 10, 13 Φ 167 sq. alii; 6, 33 Φ 167 alii; 2, 14: 014; 15, 32 Φ δ 362 alii; 3, 20 af ff^2; 4, 28 (o 1222; 551) af; 7, 36: 014 sq.; 9, 17 s^{sc}; 9, 49 af; 15, 40 et 47 ℵ partim. Iterum testibus his omissis aut completis forma textus valde immutata est. Harum lectionum etiamsi complures tollendae sunt, quia vitiosae aut levissimae sunt, tamen Sodenio assentiri non possumus iudicanti eas esse errores scribendi aut scorias. Secundum Sodenii rationem multae non eiciendae, sed propter auctoritatem testium ex I α derivandae sunt.

Venio iam ad δ 5. Hic mihi tantum demonstrandum est familiam δ 5 sq. in restituendo I α textu non satis magni aestimatam esse [2]). Itaque satis hoc loco habeo ea persequi, quae Soden „Spuren redaktioneller Tätigkeit am Text" nominat (§ 241, p. 1309). Primum I α adimuntur lectiones, quas correctas aut effictas secundum K esse censet. Lectio quae primo loco commemoratur 10, 4 δουναι γραψαι (quae ex Matth. 19, 7 transcripta Sodenio videtur) in K nusquam invenitur, sed c q ff^2 (s^s γραψαι και δουναι) confirmatur; verum non sequitur, ut, cum neque it ex syr neque syr ex it provenisse possit, hoc loco iterum ramus ille obscurus I α, fons graecus δ 5 it af syr. appareat: id est textus I α ipse. Quod vero attinet ad [3]) lectiones ab ipso „scheinbare Sonderlesarten" vocatas (p. 1310), quas partim nondum correctas esse dicit, in eo errat, quod (Marc.) 9, 22 αυτον omitti contendit; nam δ 5 habet αυτον. 8, 32 om αυτον, sed in apparatu omissio vocabuli αυτον

1) In apparatu deest 050.

2) Cum non opus sit omnes familiae textus exhibere, 133 praetermittere mihi liceat; forma huius textus haud scio an similis fuerit 050.

3) Cum Soden „die zahlreichen K Lesarten, die I α noch fremd waren", omittat, eas hic examinare nequeo.

Digitized by Google

est textus fortasse originalis; 7, 21 K μοιχειαι πορνειαι κλοπαι φονοι, δ 5 πορν. κλεμμ. μοιχ. φον.; cur haec lectio auctoritati textus K attribuitur? 11, 13 collocatio verborum δ 5 refertur ad K, secundum apparatum e textu fortasse originali profecta est (I = K = Orig.); cur igitur ad auctoritatem K revocatur? [1]) 13, 14 lectionem ex K partim repetitam esse ait, cum vocabulum εστηκος conglutinatum sit ex I εστηκοτα et K εστος; recte nisi K εστως praeberet atque Soden in apparatu lectionem δ 5 variam esse iudicaret textus I H K (εστηκοτα), non K; 13, 25 ait: K Wortstellung, aber εκ του; in apparatu autem legimus: K του ουρανου εσονται, sed οι εκ του ουρανου εσονται δ 5 sq. 168, 1337 ι Φ permulti (οι?) b c ff² q (haec lectio quaero an I sit). Praeterea cum ex omnibus quae ex Marco repetitae sunt lectionibus hae duae restent 4, 41 om αυτω ante υπακουει, K autem υπακουουσιν αυτω (I H K αυτω υπακουει) et 8, 37 η τι γαρ, K autem η τι (I H K τι γαρ), Soden immerito has lectiones δ 5 secundum K correctas aut formatas esse existimare et hac sententia textum δ 5 in suspicionem vocare puto. Eodem modo iudicandum est, ubicumque de locis qui vocantur „Parallelstellen" et „Omissionen" dicit, lectiones non aptas esse ad decernendum, cui principatus sit, cum tamen indicet, quam saepe af it cum lectione δ 5 conspirent, ut non stirpem communem sed Tatianum pro fonte habeat. Quod vero attinet ad collocationem verborum: „ein geübtes Sprachgefühl" inquit (p. 1321), „wird erkennen, dass die Umstellung in der lateinischen oder syrischen Sprache Bedürfnis war, also wohl erst aus der Übersetzung in δ 5 eingedrungen ist", latinam aut syriacam linguam ad textum δ 5 formandum valuisse non nego (Harris, Chase); hoc unum modo quaero an sensus linguarum vel consensus testium in hac re momentum habeant [2]). Secundum sensum linguae latinae verbum ante subiectum poni Soden autumat (Mc.) 1, 30 κατεκειτο δε ante η πενθερα lat 600; 5, 9 (loco 3) εστι μοι ονομα λεγεων q r, sed omnes testes latini exceptis q r ponunt re vera εστι in fine; 9, 22 βαλλει p. υδατα sic ponunt pleri-

1) Accedit quod o a καιρος δ 5 sq. 133 ρ 17 Orig. contra K praebent.

2) Lectiones cum lat. et syr. versionibus communes asteriscis ornatae sunt; alii testes rursus perraro indicati sunt; quare et hic ut antea auctoritas tabulae immutatur.

Digitized by Google

que latini, sed non a f af, et *βαλλει* legunt modo b i q teste Gregory, b i ff² af teste Sodenio. Latinitatem vix redolent hae lectiones 8, 27 *ειναι* a *οι ανθρωποι* a f ff² l q Tert contra *ειναι* p. *οι ανθρ*, b g² i k Tert; 2, 9 *εγειρε...* ante, *αφεωνται* p. *η ειπειν* a ff² r; 3, 14 it partim, *δωδεκα* vocabulum quod nominamus „Wanderwort", quod varios locos obtinet in codicibus; 7, 24 q r ff² f, *εκειθεν* „Wanderwort"; 10, 22 *πολλα χρηματα* a b c ff² contra q f g¹ (Mtth. 19, 22); 12, 37 it partim, *ηδεως* „Wanderwort". Hoc loco removendae sunt lectiones, quas nullus aut unus solus testis latinus habet; 4, 26 (1442); 10, 12 (non lat. v. S. Gregory); 10, 15 + 14, 69 contra d(!); 12, 41; 15, 13; 12, 6 vg. (v. S. cf. vers. 4 + 5); 7, 19 (v. S. Mtth. 5, 38); 15, 4 af ff² q (δ 3, *παλιν* Wanderwort). Non ad proprietatem linguae latinae versiones lat. et syr. inter se conspirantes revocandae sunt, sed ad fontem textus communem 5, 30 + 37 (Φ 1333); 10, 1; 10, 11; 12, 20 (1443, cf. I *α*); 16, 4 (93). Item testes I et I *α* testes, qui non omnes latinitate imbuti esse possunt: 5, 31 : 133, 93 af a q i; 8, 8 : 93 q [H 56]; 13, 22 (collocatio: 1337, *αυτοις*: 1341 T af it); 14, 65 : 93, 1337 q.; 11, 13 : 600 168 1386 sq. it; 12, 19 b ff² i l graec. pauc. test. Gr. contra a c q k; 12, 35 (collocatio: b c q ff², sed *ειπεν*: Φ 309 af b q r i (Lc. 20, 41). Tum ordo verborum 3, 26 contaminatis evangeliis Marc. et Matth. intelligi potest 12, 26; 6, 3 Matth. 13, 56 (it Φ δ 30) et sec. l. *εισιν* p. *ημας*, indidem; 15, 22 (s[s]) Matth. 27, 32. Restant 9, 11 *πρωτον ελθειν* (lat.); 9, 42 *εβληθη* (!) p *θαλ* lat.; 16, 1 om *ελθουσαι* af c ff² n (Matth. 28, 1?); 12, 31 *εντολη αλλη* solum cum uno c: maius his praeceptis aliud non est, ff² praeceptorum aliud (it et syr. aliter ponunt). Sed ut concedatur latinas et syriacas versiones momento esse potuisse, non dubito, quin his tabulis de textu graeco δ 5 sq. it af syr. communi cogitare cogamur. Etiam in lectionibus propriis, de quibus Soden § 292 agit, vis latinae versionis multo minoris aestimanda est; velut si δ 5 nullos testes latinos habet 8, 7; 16, 3; 16, 6 [1]); 11, 7 (contra d, cum Ir (1341); 11, 33 contra d); 12, 36 (contra d; cum arm.); 1, 45; 12, 17 (δ 1!); 3, 33 (δ 1! arm); aut unum solum 6, 28;

1) Nihilosecius Soden contra testes suspicatur fundamentum esse latinum.

Digitized by Google

3, 23; aut multos graecos testes I et I α vel Origenem secum habet 13, 11; 2, 21; 9, 18 (δ 2); 16, 6. Quod autem ad praepositiones attinet, $\varepsilon\nu$ et $\varepsilon\iota\varsigma$ permutare non modo Latinis in usu est (sic Soden), sed etiam magis in graeca dialecto, quae vocatur $\kappa o\iota\nu\acute{\eta}$ [1]). Tum legimus: „Am deutlichsten tritt der Einfluss der participienarmen lateinischen Syntax hervor in der häufigen Unwandlung des Particips in das verbum finitum" (p. 1328). Sed 1, 37 $o\tau\iota$ $\varepsilon\upsilon\rho o\nu$ δ 5 it syr. arm. cop, $\varepsilon\upsilon\rho o\nu$ $\kappa\alpha\iota$ δ 1 + 2, solum K $\varepsilon\upsilon\rho o\nu\tau\varepsilon\varsigma$, ita ut Sodenio K instar I H K sit; 2, 12 et 8, 26 latini testes ipsi participium habent [2]). His Soden addit: „Sollte auch nur ein Teil der bisher gesammelten Lesarten von δ 5 dem Urtext angehören, so wäre kaum begreiflich, warum nicht wenigstens einer der anderen I α Zeugen die eine oder die andere derselben erhalten hätte, sowie dass die orientalischen Übersetzungen so selten eine derselben aufbewahrt haben". Ut quaestionem, quae sit lectio originalis hoc loco praetermittam, testibus supra completis, qui in tabulis Sodeni modo partim adlati sunt, manifeste ut mihi videtur demonstratur et versiones antiquas et I α testes cum codice δ 5 facere [3]). Hic operae pretium non est, tabulas sequentes examinare, cum vis latinorum in δ 5 mihi non neganda, sed minoris aestimanda sit [4]). Nimirum ipse Soden concedit, textum antiquiorem servatum esse posse, praesertim cum lectio δ 5 lat. etiam s^{sc} confirmetur; hoc concesso tamen contendit, lati-

1) Quod praepositiones verbis praefixae permutantur, elegantiae studio Graecorum tribuit Soden.

2) Locis duodecim enumeratis hos testes invenimus: 1, 37 it syr. cop. arm. go ($\varepsilon\upsilon\rho o\nu$ δ 1 + 2; 56; 1016); 2, 16 it partim, s^{sc} hiatus; 3, 21 lat. s^{sc}; 4, 36 lat. I α ι, s^{sc} hiatus; 7, 19 r i contra d, cf. s^{a} 1354; 9, 25 lat. s^{sc}; 10, 16 δ 5 sq. 014 lat. s^{sc}; 10, 22 it partim, s^{sc}; 14, 1 T I α 168 + 337, ϕ 309 lat. s^{sc}; 14, 57 af s^{sc}; sine lat. 2, 12 (s^{a} hiatus); 8, 26 s^{a}.

3) Etiam aliam tabulam eligo, ut pernegem vim latinorum non esse dubiam p. 1332 : 1, 38 pr. l. T δ 5—600 pa lat. syr.; sec. l. T δ 5—600 lat. syr. H 76 (cf. I α 337 ι δ 505 ϕ 1454); 12, 24 Orig.; 14, 15 cf. supra; p. 1333 : 2, 4 add. δ 5—050 sq. ϕ alii s^{sc}; 4, 9 o 1222 $s^{p.\,l.\,m.}$; 4, 36 H δ 48 cf. 014 (s^{a} hiatus); 5, 8 it partim T sah; 6, 55 : 1386 sq. s^{sc}; 7, 4 δ 5 sq. 1386 sq. arm.; 8, 2 T ϕ^{a} β o 1279 alii; 13, 2 δ 5 sq.; 14, 36 cf. 014 ι + 1354; 15, 8 : 93, 1443; 15, 38 T; 16, 6 δ 5 sq. 93 alii.

4) p. 1330 : 11, 32 $\alpha\lambda\eta\theta\omega\varsigma$ = vere; in apparatu Soden videtur lectionem non ad vim latinorum sed ad Joh. 7, 40 (nescio an merito) referre.

Digitized by Google

nam lectionem modo ad s^s, modo ad s^c momenti fuisse, quae sententia neque probatur neque probari potest. „Nach all diesen Abzügen", inquit, „bleiben nun ganz wenige δ 5 ausschliesslich eigentümliche Lesarten" (p. 1338); quarum nonnullae lectiones, quia testes saepe antea inventos habent, non „unice" δ 5 propriae sint [1]). Examinans δ 5 lat Soden operam dat, ut omnes lectiones quae δ 5 et latinis testibus communes sunt, cum latinorum auctoritate exstitissent, in restituendo I α reiciat. Saepius concludit, cum nonnullis locis auctoritas latinorum certe appareat, lectiones communes originem ducere ex latina versione [2]), quamquam auctoritas latinorum ut arbitror, nisi vi linguae cogente non agnoscenda et testibus aliis consentientibus repudianda est. Multi loci, qui vi linguae liberi aliis testibus firmantur, nos cogunt, ut concedamus textum graecum omnibus communem esse. Reiectis igitur lectionibus, quae aut communes aut proprie scoriae sint, δ 5 eodem modo ac 050 repellitur ratione repugnante, qua Soden recte dicit lectiones δ 5 sq. proprias I α esse posse, si aliae I familiae aut alii I codices eandem lectionem praebeant.

Re vera si secundum § 293 textus I α ex consensu I α codicum restituendus est, hoc fieri non potest nisi damno qualitatis (δ 5 sq.). Lectiones igitur et K et parallelae et propriae in textu I α substituuntur, ut haec textus forma textum I depravatum repraesentet. Primum quod ad lectiones K attinet, multae earum a Tatiano confirmantur. Quam rem cum Soden hic non notet, alioque loco textum δ 5 (I α) a Tatiano infectum esse contendat (ego ipse dixerim δ 5 (lat. syr) cum Tatiano fontem communem habere) haec lectio non ex K, sed ex Tatiano aut fonte communi fluxit [3]). Deinde si versiones antiquae et plurimi I codices accedunt, mea quidem sententia I α non

1) 1, 27 cf. T; 1, 34 T; sec. loco ff^2; 4, 21 af it; 4, 28 δ 5 sq. δ 1 (cf. 337 ρ δ 398 1386); 9, 12 δ 5 sq. ϕ^{α} alii; 15, 46 I α 93.

2) Similis conclusio omnibus locis apparet, quibus agitur de sententia quae vocatur „Tatianhypothese".

3) 1, 23 (non 27) T lat. syr. K I (exc. ν) [Lc. 4, 33]; 8, 21 T it syr. K I α ι (contra ν φ) δ 1 [Mc. 16, 11]; 8, 26 p. 1341: μηδε ειπης τινι εν τη κωμη, in apparatu, so T K, sed μηδενι... δ 5 sq. 93 af it partim; 9, 23 T it k (Gregory) syr. K I α (Joh. 5, 44); 15, 12 T K I α (Mtth. non 20, 32 sed 27, 21); 10, 27 T K I α (I).

Digitized by Google

pendet a textu K, sed I α est instar I et K [1]); denique 12, 19 et 14, 10 sunt I H K. Lectiones quae vocantur parallelae omittens modo commemoro Sodenio placuisse δ 5 050 93 (id est omnium optimorum codicum) lectiones communes ex I α familia tollere. Postremo etsi proprietates praetermittendae esse videntur, quippe quae textum I α dissentientem a textu I significent, tamen ex consensu δ 5 sq. et 93 in Evang. Marci Soden colligit codicem 93 textu δ 5 sq. infectum et lectiones communes I α abrogandas esse. Immerito; nam etiamsi 93 textu δ 5 sq. infectus sit, hae lectiones meliorum testium I α sunt, et 93 omnino in evangelio Marci testis bonus I α est (p. 1281) [2]). Quo iudicio Soden postquam ad imminuendam auctoritatem textus 93 viam munivit, iam ut δ 5 sq. ita 93 lingua latina infectum esse contendit (p. 1345); qua de sententia idem dicendum est atque de ea, quam similiter de δ 5 sq. tulit [3]). Atqui tabula sequitur lectionum, de quibus Soden haec duo iudicia fert: „dazu kommen endlich folgende Sonderlesarten, von denen am ehesten einige ernstlich für I und den Urtext in Frage kommen" (p. 1346). „Bei den meisten dieser lateinischen (!) Lesarten ist aber die Zugehörigkeit von I α selbst ganz zweifelhaft". Post-

---

1) 1, 13 (Mtth. 4, 2 Luc. 4, 2) K = I α c ff^2 syr. arm. go I plurimi contra (014 ι^a ϕ^a it Euseb.); 4, 12 H Iα^1 exc. Iα 014 + 168 η b; 6, 43 (Mtth. 14, 20) K it syr. I α I (exc. 014) η i; 9, 41 K it s$^{p. i. m.}$ δ 1 I α ι, ut mea opinio fert contra I, sed p. vers. 37 + 39; 11, 17 (non sed 19, 46) H I exc. ι; 12, 8 (Mtth. 21, 39) = K I exc. ϕ (non η, App.); 11, 15 (Mtth. 21, 20) K I α η $\iota^{a?}$; 14, 50 [Mtth. 26, 56] K I α η ι; 12, 19 K I.

2) 93 sq. autem non sunt magni pretii: 168 habuit sua fata; codex 337 saltuatim collatus est; 1337 et 1468 fratres peiores, qui multis locis et ab I α et ab 93 decedunt (p. 1289).

3) Vis latinae linguae neque accipienda neque probanda est, si Tatianus congruit: 15, 11 s^a sah. 050 sq.; 16, 4 s^a pa δ 5 sq.; si textus fortasse originalis est: 6, 27 T s^p δ 5—133 ($\alpha\lambda\lambda\alpha$); 14, 18 $\lambda\epsilon\gamma\epsilon\iota$ I α; si versio syriaca aut permulti graeci testes eadem habent: 3, 6 (050; $\epsilon\upsilon\theta\upsilon\varsigma$ „Wanderwort"); 5, 21 (I α; δ 2); 14, 69 (I α; Eus.); 15, 9 (I α); 8, 35 (δ 5, 168); 11, 29 (I a; arm.); 14, 61 (I α exc. δ 5; H 1016 Lc. 22, 67) 6, 34 (δ 5—133); 15, 9 (I α); 8, 29 (δ 5 alii sah): si Orig. eadem habet: (14, 36 δ 5); 12. 42 (I a alii Lc. 21, 3); 10, 35 (I α, a); 11, 13 (δ 5); 12, 42 $\delta\epsilon$ (I α); si aut unus aut levissimi testes latini eandem lectionem adhibent: 4, 41 (q; 050 seq.); 5, 3 sec. l. ($\alpha\upsilon\tau o\upsilon$, vg.); 8, 8 ($\delta$ 5 H 56; d q); — 6, 7 autem $\delta o\upsilon\varsigma$ l. $\kappa\alpha\iota$ $\epsilon\delta\iota\delta o\upsilon$, cum in lingua latina, quam Soden egentem participiorum vocat, verbum finitum in participium mutatum esset; 11, 11 (I α; Mtth. 21, 10); e. q. d. s.

Digitized by Google

quam tabulam testibus ex apparatu complevimus, invenimus, nullam lectionem I textus esse, cum fere omnes modo I α testibus confirmentur et solum sex praeter I α perpaucis aliis testibus [1]). Quin I α sint, non est dubium; nam etsi non ab omnibus testibus I α defenduntur, tamen duobus vel tribus optimis testibus (δ 5 050 93) et communi fonti attribuendae sunt, quod testes it aut af textus alternantes eas lectiones fulciunt, et plerumque syr [2]) aut Origenes [3]) accedunt et vis latinorum vix apparere potest. Et quam inconstanter Soden interdum iudicet, hic denuo perspicitur. Hoc loco secundum iudicium eius diligenter examinandum est sintne hae lectiones textui originali tribuendae; contra in volumine, quod praebet textum, in secundo apparatu enumerantur vel in tertio [4]), quo continentur lectiones casu ortae. Quomodo postquam peiores testes pluris aestimati, latinorum auctoritas et scoriae exstirpatae, reliquae multae I testibus apparatuque repugnantibus lectiones fortasse originales existimatae sunt, Soden iudicare potest, I α singularem textum esse, quo nullus sit purior? Consilio ac industria auctoritatem textus δ 5 sq. in restituendo I α et I diminuens contradictionem tollit, quae in ea re conspicitur, quod auctoritas δ 5 sq., etsi optimi testes I α sunt, tamen non maximi momenti est. Qui autem hanc rationem non probat, iam hic intelligit δ 5 sq. (it af syr. T) textum graecum repraesentare, qui cum lectiones fortasse originales habeat et versionibus antiquis firmatus sit, non progenies sed proavus I α sit.

II.

De coniectura ad Tatianum pertinente et de versionibus antiquis.

Usque ad aetatem Origenis (I H K) lectiones patrum et

1) 3, 22 ϕ 1216; 4, 19 ϕ 167, 1444, 1386; 6, 55 $\rho \cdot \delta$ 398 $\nu \phi$ 72, 1386; 7, 37 : 81; 11, 21 o 1279; 11, 27 ϕ 327.

2) 6, 33 s^c; 7, 30 T syr.; 7, 37 s^p; (9, 18 arm.); (11, 32 arm.); 12, 38 s^c; (14, 4 arm.); 14, 22 T syr.; 14, 65 T; 14, 72 syr.; (16, 1 arm.); e. q. d. s.

3) 1 σ, 46; 11, 13; 11, 21....

4) 3, 32; 5, 38 + 39 + 40; 6, 48; 7, 6 + 27; 8, 2 + 11; 9, 1 + 18; 10, 49; 11, 21 + 27; 12, 2 + 33 + 38; 13, 8; 14, 3; 15, 1; 16, 6 a + b; aliae lectiones in app. secundo.

Digitized by Google

versiones latina antiqua et syriaca antiqua respiciendae sunt (§ 332). Cum earum relationem directam statuere difficillimum sit, cogimur conicere lectiones discrepantes, quas I H K praebent, e communi graeco fonte pendere. In dissertatione de I Soden interdum existimare videtur ipsum I esse textum qui quaerebatur [1]). Nunc autem existimat se textum invenisse in opere Tatiani, quod ante a. 172 p. Ch. confectum Diatessaron vocatur, priusquam Tatianus haereticus Roma decessit [2]). Hac opinione inductus, si hoc dicere fas est, Soden ea, quae affirmat, pro demonstratis habere et nobis commendare videtur. Ex eo quod ϑ 5 sq. it af syr. cum T congruunt, Soden colligit haec: 1° „es ist undenkbar, dass ein Werk von so weitgreifendem Einfluss nur in der syrischen Sprache existiert habe" [3]). Atqui consensus non demonstrat originem, quippe qui e communi archetypo natus esse possit; id quod demonstrandum est, suggeritur vocula illa: „von so durchgreifendem Einfluss". Tum: „Ebenso", inquit, „unwahrscheinlich aber wird es dann, dass T. das Werk erst als Ketzer verfasst habe. Wie sollte es da zu solcher Verbreitung und solchem Ansehen in der griechischen und römischen Kirche gelangt sein" (1537). Haec conclusio per se recta est; sed contradicit sententiae, quam ipse protulit. Nam Diatessaron etiamsi scriptum est, antequam T haereticus factus est, id est inter 160 et 172 (sic ego quoque sentio), non probabile est tam celeriter quasi triumphans usque ad Europam (it), Africam (af) Galliamque (Ir) opus viri adeo haeretici (inter annum fere 160 et annum fere 200) pervenisse. Ea re quod lectiones eius communes tam late propagatae sunt,

---

1) Secundum § 207 hae versiones sunt pars, ut Soden ait, vestigii, quo ad I ducimur; et in § 247: „Diese gemeinsamen Lesarten", inquit, „(der bisher besprochenen I-Typen) repraesentiren das Erbe... der Recension I... Die Existenz dieses Urahns werden uns seiner Zeit auch die ältesten Uebersetzungen bestätigen... Sie können nur einen griechischen Text zur Vorlage gehabt haben, der alle diese Lesarten in sich vereinigte".

2) Tatianus armenius (Te) melior est quam arabicus (Ta); in hunc sp se intulit. Quod si ita se habet, sequitur ut, quibus locis Te solus Ta I H K adversatur, non primo adspectu Te dubius vel reiciendus sit (p. 1541), quasi constaret I H K textum praestare textui Te, quod nondum est demonstratum.

3) Diatessaron graeca lingua scriptum esse mihi quoque demonstratum videtur. Locus allatus invenitur p. 1536.

Digitized by Google

movemur, ut earum communem archetypum fuisse concedamus. Hoc quamquam multis locis ita se habere videri posse dicit Soden (p. 1538), tamen id existimat „fast unwiderleglich dadurch ausgeschlossen, dass es sich um eine in einer Parallelstelle gesicherte Lesart handelt". Et pergit ita: „Es ist doch kaum eine andere Deutung möglich, als dass sie hier (in T) ihre Originalstelle haben". Magnam vim Tatianum habuisse in K in Evang. Marc. demonstrare conatur § 355 atque inde conclusiones latissime patentes ducit: „Nach diesen Stichproben dürfte es kaum einem Zweifel unterliegen, dass K einen grossen Teil seiner Lesarten aus T Diatessaron bezogen hat. Ist aber Tatians Text noch um die Wende des 4. Jahrh. in Syrien so angesehen gewesen, dass er bei der dort entstandenen Recension des Textes der 4 getrennten Evangelien so starken Einfluss übte, so kann es nicht überraschen, wenn... auch die viel älteren Übersetzungen... unter Tatians Einfluss standen" (p. 1544). Cum versiones ϑ 5 sq. infecisse putet, Tatianum auctorem omnium ab I H K discedentium lectionum esse et sententiam, quae „Tatianhypothese" nuncupatur, demonstratam esse existimat.

Si tantum interest demonstrare K a T infectum esse, probationem firmissimis argumentis niti oportet. Aliter vero res se habet.

Si T K s^p idem habent, fieri potest, ut K recentiores textus T formas per s^p infecerit; si T K s^{sc} congruunt, s^{sc} fons K esse potest (velut fons ϑ 5). Quod Soden etsi concedit, tamen fieri potuisse non putat propter indolem harum lectionum: „Es sind durchweg Parallellesarten und zwar gewählt nach den harmonistischen Grundsätzen Tatians" (p. 1543). Matthaeum sequi, solum Marco et Luca consentientibus eum repudiare, Lucam Marco anteponere usus est. Sed hae rationes non ad Tatianum unum pertinent, sed ad originem omnium lectionum parallelarum explicandam valent. Nam Matthaeus est magis notus quam Marcus et Lucas et consensus eorum magis quam Matth. Qui id experiri vult, aliquem Lucam velociter transferat iubeto: saepius audiet lectionem, quae in Matthaeo reperitur; sed ex eiusmodi translatione nemo colliget, Tatianum textum infecisse. Ex lectionibus, quae ex Marci cp. 1—7 enumeratae sunt, eae quae in K s^p et in K s^{sc} congruunt,

Digitized by Google

eximendae sunt, quia argumenta ex iis peti non possunt [1]). Solis lectionibus I K, quae versioni syriacae adversantur, uti possumus. Sed hic 1, 38 non est respicienda om αλλαχου, quia T vacat in Handausgabe et Hauptausgabe et syr. om (!); 7, 24 και l. δε sine T cum I s^s it; 4, 11 δεδ. a γνωναι (Mtth. 13, 11) T Orig. (!) I K; 7, 6 αποκριθεις (Mtth. 15, 3) I H K it arm (duobus locis certe I). Lectiones parallelae, quae sui iuris exsistere possunt, hae: 1, 11 (H 376; I α 014, η 203, ι 1211 Φ multi, it partim); 1, 19 (δ 2 + 3, multi ι Φ ο σ, it partim arm aeth. go); 2, 17 (δ 3 I α 286 η 203 ι multi Φ it partim); 2, 20 (multi η ι Φ af it). Restant solum 5, 1 ηλθον (δ 1 + 2, δ 5 η Φ partim it) et 5, 11 (δ 5 ι, pauci Φ it). Quae cum ita sint, non confirmatum, imo ne probabile quidem videtur T ipsum ad K quicquam momenti habuisse.

1) De versione antiqua latina.

Cum diceret (§ 355) multo magis quam K versiones antiquas a Tatiano regi, Soden ea praeoccupavit, quae paginis sequentibus (§ 356) explanat. Versiones antiquae it et af sui iuris sunt. Quae eis communes sunt et ab I H K discedunt, lectiones communem archetypum graecum postulaut (p. 1547). Plurimae earum in diatessaron inveniuntur saepe cum δ 5 s^{sc} coniunctae. Cum igitur saeculo secundo praeter I H K nullus

1) Tamen eas inspiciamus. T ad K nihil refert, a) si T contra K habet: 1, 16 αυτου l. του Σιμ. T I α alii lat. syr. (I), add. αυτου a. του K; add. αμφιβλησστρον K, add. τα δικτυα T I α lat. s^p s^{sc}; 7, 21 sq. μοιχειαι a πορν. (Mtth. 15, 19) K, a κλοπαι T (a φον, δ 5); b) si T K textus originalis aut fortasse originalis est: 2, 9 non om και it syr. (I H K); 4, 16 add. αυτον T H K (textus originalis?); 5, 1 γαδαρηνων T K (textus fortasse orig.); 6, 22 αυτης της I H K (T in apparatu deest, ut saepius); 6, 41 non om αυτου I H K = I K; 6, 48 non add. σφοδρα I H K; c) si T idem ac I habet: 1, 24 οιδα (it syr. alii); 2, 16 και οι φαρ. Handausgabe I (lat. syr.); 4, 1 (syr. it); 7, 2 εσθιοντας Handausgabe I (syr.); 1, 39 ην I? Handausgabe; d) probabiliter non valuit, si T cum plurimis I congruit: 1, 14 add. της βασιλειας δ 5 multi η ι Φ it partim; 1, 23 om ευθεως I exc η it syr. arm. go; 2, 22 εκχειται I pl.; 2, 23 εν τ. σαββ. δια I exc 600 + 286; 3, 30; 4, 30 Orig. (!) δ 5 alii syr. it; 5, 3 I α alii it partim, syr.; 5, 12 in Φ + σ (cf δ 5 af) it syr.; 6, 8 η ι Φ lat. syr.; 6, 11 I, it plerique; 6, 34 δ 5 I pl. it partim, syr.; 6, 51 δ 5 I pl it partim syr.; 7, 15 I exc I α syr. arm. Aug.; 7, 27 pr. l. I exc. I α syr.; sec. l. δ 5 pl. it syr.; 7, 29 I α I pl. it syr.; 7, 31 I exc. I α syr. Hi sunt 30 loci. Paucis locis reliquis testes quoque invenimus. Profecto hoc testimonium suadet, ut fontem statuamus, qui textui Tatiani subiciatur neve T ad K ullum momentum habuisse opinemur.

Digitized by Google

alius textus fuisse possit, Soden putat Tatianum fontem esse a se investigatum. Prima tabularum, quibus hanc sententiam probare coepit, ex Matth. cap. 1—16 pro T it af 66 lectiones affert. Sed ex hoc numero eximendae sunt a) eae quae ab I H K omnino discedunt (p. 1548) [1]); b) eae, quae textum originalem referunt [2]); c) eae quibus T discrepat ab it af (δ 5 syr.) [3]); d) ambiguae lectiones, ubi non constat, quomodo T scripserit, aut ubi it dilabuntur aut ubi it et af inter se dissentiunt [4]); f) eae quas patres antiquissimi tuentur, qui a Tatiano regi non possunt [5]); g) eae in quibus H et T congruunt, cum ipsae I H K aut originales esse possint [6]); h) eae quae parallelae sunt [7]). Restant modo 11 loci [8]), quorum duo

---

1) 9, 35 T Iα alii lat. s*; 6, 4 pr. l. hic T non add. αυτος pariter ac I H K Orig. lat. s**; secundum apparatum T add., sed ita ut haec lectio textus originalis esse perhibeatur.

2) 7, 13 om η πυλη δ 2 af it Cl. Orig.; 7, 14 etsi lectio eadem et par est, tamen in volumine textus primum locum occupat in apparatu primo, alterum in apparatu secundo; utroque loco T deest in apparatu.

3) 2, 6 T βηθλεεμ Ιουδα, δ 5 it af s** βηθλεεμ της ιουδαιας; (6, 4 cf. 1); 10, 10 add. εστιν T p αυτου, it af a γαρ (δ 5 p γαρ).

4) 4, 5 εστησεν T δ 5 sq. lat. (statuit), af dicit; 8, 7 om και Ta (Te?) af it partim (contra a c ff² f l.); 12, 14 T? it partim; 6, 4 pr. l. add. εν τ. φαν. T (it deest) af non add; 6, 6 cf. v. 4; 9, 2 σοι αι αμ. σου T (it?), σοι om σου (δ 5) af; 12, 50 T (H) contra af it partim; 16, 5 μαθ. αυτου a εις T Orig. (!), p. επελ (δ 5) it, e sine αυτου; in Haupt- et Handausgabe desunt 7, 24 + 26 T it af; 11, 23 T; 11, 26 T it (contra af); 9, 28 T; 12, 46 T; 13, 52 T it; 14, 29 T af (pr. l.); 16, 23 T af.

5) 3, 9 Cl.; 3, 10 Ir; [6, 4 Orig.; textus originalis]; [7, 13 Orig.; textus fortasse originalis]; 7, 23 Just. (af it s*); 9, 6 εγειρε sine και T (δ 1 !), add. και (δ 5 af it partim) Tert.; 10, 18 (H 56 multi I, lat.) Orig.; 16, 4 Orig. (contra δ 5 it partim); [16, 5 Orig.]; 10, 13 Orig.; 16, 19 (H 56 δ 5 syr. it partim) Tert.; 16, 20 Orig.; [2, 6 (contra it af) Orig.]; 2, 6 sec. l. Tert.; 5, 46 Athen.; 5, 4 sq. πραεις a πενθ Orig. (δ 48; δ 5 alii). Soden Tatianum non parum momenti habuisse putat ad Cl. Ir., nihil momenti ad Orig. Tert.

6) Lectiones antea commemoratae: 4, 5 + 8; 8, 7 (δ 1) sah Iα 133 syr. af it partim; parallelae: 8, 9 H δ 1 + 2 (bo Iα 600 370 it Chrys.), 12, 50 H contra af it partim; 16, 8 δ 1 + 2 (alii, δ 5 sq. alii lat.); 15, 4 δ 1 + 2 (alii δ 5 alii lat. syr.); aliae: 8, 13 H δ 1 + 2 sah bo Iα 600, 337 alii lat. syr. cf. v. 4 (!); 14, 27 δ 1 + 2 (s^p); 14, 28 H I (lat, syr.) cf. v. 29.

7) Loci paralleli hic enumerantur 8, 5 – 12, 44; (iam antea commemorati:) 4, 5 + 8 + 9; 7, 23; 8, 9; 9, 6; 15, 4; 16, 8. Non hic sed in apparatu enumerantur: 8, 10 I (H δ 3 alii; lat. syr. Eus.); 8, 25; 11, 19 (s**); 12, 11 (δ 5 af it syr.); 14, 25 (s**); 15, 1 (δ 5 lat. s**); 15, 8 (δ 5 φ δ 30 lat. syr. Cl.); 16, 3;

Digitized by Google

in apparatu desunt, duobus T deest, reliqui etiam alios testes habent. Quae cum ita sint, Tatianus fons omnium harum lectionum esse non recte dicitur, sed denuo comprobatur δ 5 af it s^{sc} patres (T non excepto) graeco textu usos esse ab I H K discedente. Ad hanc tabulam altera accedit 32 lectionum, ubi textus af it Tatiano contrarii sunt (p. 1548); etsi eas Tatianicas esse nunc demonstrari non potest, Soden tamen re vera Tatianicas esse contendit. Cuius conclusionis, quae permira nobis videtur, hoc unum argumentum affert, quod has communes af it lectiones modo s^{sc} modo δ 5 quoque praebeant. Haec argumentatio recte se haberet, si δ 5 af it s^{sc} e solo Tatiano, non ex alio fonte, fluxisse constaret, quod de textu δ 5 non probavit et de s^{sc} probare nondum conatus est. Rursus suggeritur, quod demonstrandum erat. In hac tabula miror multas lectiones textum originalem aut fortasse originalem referre neque eam rem adnotatam esse [1]). Ut ex T provenerint, fieri non potest, non solum quod originales sunt, sed etiam quod e septem locis 6 Tatiano, qui nobis in manibus est, adversentur, et ita quidem, ut 5 locis T lectionem exhibeat parallelam. Sed cum Soden lectiones parallelas Tatiani maxime proprias esse censeat, atque af it etiam contra H Orig.

16, 18 (H 56 I ϕ^{α} alii); 6, 1 (K); 7, 29 (H δ 3 alii, I α 94 sq. alii); 9, 26 (K); denique iam antea commemorati: 6, 4 + 6; 8, 13; 9, 2; 10, 10; 11, 23; 11, 26; 12, 50; 15, 17; 16, 8 + 13; 9, 28.

8) 9, 33 *ουτως* a *εφανη* H δ 48 δ 5 I ϕ^{α} 1416 go; 5, 13 om *στι* δ 5 sah (syr.?); 9, 25 + 38 mittat l. eiciat deest in apparatu; 10, 4 add. *και* a *λεγ.* δ 5; 10, 42 *ελαχ.* l. *μικρ.* δ 5 sed add. p. *τουτων* ϕ δ 30 alii; 10, 13 om *μεν* deest T in apparatu ϕ δ 30 413; 14, 29 *πετρ.* a *υπο* deest T in apparatu, I 96 vg.; 16, 16 om *δε* s^{c} pa sah; (non δ 5!); 14, 19 add. *αυτου* I α 050 *ι*/95; 14, 33 *ελθ.* (δ 5 alii s^{sc}; *προσελθ.* 050 *ι* alii).

1) 3, 1 non add. *δε* I (I α) af b g^{1} q ff^{1} s^{sc} contra H K [Lc. 3, 1]; 5, 11 non add. *ρημα* H δ 5 s^{sc} Tert. lat. Eus. contra T. Orig. I [Lc. 6, 22]; 5, 11 sec. l. non add. *ψευδομενοι* I (δ 5) s^{a} af it partim Tert. Orig. Eus. contra T H K; 8, 13 non add. *και υποστρ...* s^{sc} contra T I δ 2 + 3 + 48 + 371 [Lc. 7, 10]; 9, 12 non add. *αυτοις* H I α δ 5 alii lat. s^{a} contra T [Mc. 2, 17]; 12, 15 non add. *οχλοι* (H δ 1 + 2) I α 600 lat. contra T. Orig. I [4, 25; 8, 1]; 16, 28 non om *οτι* H I α alii syr. af it contra T. Orig. [Lc. 9, 27]; accedit textus fortasse originalis l. 16 *μνηστευθεισα...* af it s^{c} I α [contra T. addita genealogia „der Mann der Maria, der aus ihr J. Ch. erzeugte"; s^{a} *ιωσ. δε ω εμνηστ. π. μ. εγ. ιη.* = I H K, *τον ανδρα εξ ης...* Tert. H + I + K]; 10, 42 *απολ. ο μισθ.* T I α δ 5 af it s^{sc} bo [contra Mc. 9, 41].

Digitized by Google

textum originalem esse statuerit, rationi a se ipso adhibitae repugnat, quod tales lectiones e Tatiano, quem necessitate coactus ipse finxit, antiquiore derivandas esse contendit. Et tantopere animo averso est a Tatiano, ut 10, 42 potius lectionem parallelam in textum I H K quam aliam Tatiani I α s^s af it testimonio probatam in textum originalem ingerat (cf. ea quae infra annotantur). Ceterum 1, 16 et af it et Ta(!) intercedunt inter s^s et H; s^s autem est textus originalis etiam secundum Sodenium. Sed si ut ille hic putat, s^s contra H multis horum locis contra I H textus originalis est et fere semper s^s cum δ 5 af it congruit, aliis quoque locis textum originalem haud scio an repraesentent, qui ab I H K discedit. Quorum communis textus ut hic a T discrepat, ita saepe discedens ab I H K procul dubio non ex T esse potest. Ab hac tabula complures lectiones alienae sunt; velut ubi it et af inter se discedunt [1]); aut ubi lectio Tatiani servata ab af it discedit [2]); aut ubi parallelas legimus, et cum saepius testes H ita legant, hae lectiones nihil probant [3]). Restant non plures quam decem loci, quorum pauci paralleli esse possunt [4]). Postremo lectiones undecim, quae in tabula alia exstant, textus graeci esse posse, qui non I H K sit, Soden concedit (p. 1549) [5]).

---

1) 8, 6 om *κυριε* δ 2 af s^r, non om it; 4, 3 *προσηλθεν αυτω ο πειρ. κ. ειπεν* af, add. *αυτω* δ 5 it, *προσηλθ. ο πειρ. ειπεν αυτω* T H I [Lc. 4, 3].

2) 4, 6 ut l. *και*^{2}; Te legit Lc. 4, 10 add. *του διαφ.* et om *και*^{2}-*σε* (s^a add. non om); 16, 11 om *δε* lat. δ 5 K [v. 6], *αλλα* l. *δε* T H, 1016 multi I [v. 12], *δε* s^s multi I.

3) 4, 9: T H I α δ 5 sq. alii [Lc. 4, 6]; 5, 32 δ 5 T (contra I α] K [31; 19, 9]; 6, 15 T H δ 371 alii δ 5 (I α) alii syr. [v. 14]; 9, 22 T δ 2 δ 5 ρ 1341 s^s [Lc. 8, 48 Mc. 5, 34]; 15, 39 T s^s I 1089 [Mc. 6, 45 Mtth. 14, 23 I π 18 sa it vg.]; 9, 6 H δ 1 (!) I α δ 5—600 s^{sc} Tert. (Mc. 2, 11 Lc. 5, 24]; 6, 25 om *και τι πιητε* δ 2 alii, multi in I, s^c Orig. dial. Adam. [Lc. 12, 22]; 10, 18: δ 5 + 247 s^s [Mc. 13, 9]; 15, 14 δ 1 + 2 alii [Lc. 6, 39].

4) 5, 41 δ 5 sq. s^s; 6, 21 [cf. Lc. 12, 34]; 6, 32 δ 2 I α 168 s^c Cl. [Lc. 12, 30]; 7, 21 H δ 3 alii I α 050 alii s^{sc}; 8, 8 it partim s^{sc} [v. 7]; 9, 9 δ 5 sq. alii Eus. [15, 21 + 29]; 10, 14 δ 5 alii [21, 17]; 15, 38 δ 2 δ 5 alii s^c [15, 21]; 16, 7 δ 5 s^s [12]; 16. 22 s^c it partim. Duae tabulae aliae p. 1549 ad hanc quaestionem nihil valent.

5) 1, 16 haec lectio iam commemorata est inter eas quae nunc fortasse Tatianicae esse dicuntur. 3, 16 non add. *και* a *ερχ*. I H K lat., om *ερχ* T [Mc. 1, 10 Lc. 3, 22] af hiatus; 5, 38 om *και* lat. δ 5 ι Orig. [Ex. 21, 24]; 7, 10 η l *και* s^c lat., η add. *και* T H I [Lc. 11, 12]; 7, 17 *καλους καρπους* lat., *καρπ. αγαθους*

Digitized by Google

Cum in his omnibus Tatianus aliam lectionem servaverit, quam fere semper a loco parallelo sumpsit, non dubitandum est, quin Soden iniuria contendat, Tatianum harum quoque lectionum fontem esse posse. Atque si respicimus ad has tres tabulas, quae lectiones af it contra I H K tractant, multae lectiones omnino tabularum sunt, solum perpaucis sententiae quae vocatur „Tatianhypothese" ratio haberi potest; sed 42 (19 [1]) + 12 [2]) + 11 [3])) certe graecum textum requirunt, quo Tatianus non usus est.

Disquisitio de textu af (§ 358, p. 1550) incipit: „Lesarten, welche eine andere griechische Vorlage als I H K voraussetzen sind sehr selten". Prima tabula continet 39 locos sine T [4]); altera 15 [5]) habet lectiones, quae vocantur Tatianicae; harum autem habitus ac pondus significatur his duabus: 4, 16 *ειδεν φως* Tert. I α δ 5 alii H 56 sq. K, quae lectio est ex Jesaia 9, 2, et 7, 24 om *τουτους* δ 1 (!) I α 337 φ δ 30 alii a q ex Lc. 6, 47, ubi T ad tam puros testes quam Tert. δ 1 momentum habuisse non potest [6]). Cum reliquis locis [7]) fere semper δ 5 sq. s^{sc} cum Tatiano af conspirent, aut haec familia a T infecta est, ut Soden opinatur, aut textum cum Tatiano communem habet, ut contendimus, quod saepius H testes et uno loco Athen. (Tert.) idem legunt, et quod eis quae hactenus

---

T s^{c} [Jac. 3, 17]; 7, 25 sq. *και* ter om; 8, 28 *γερασηνων* lat. [Mc. 5, 1 I H K δ 5 lat.], *γαδαρηνων* T I H K (δ 5 hiatus), *γεργεσηνων* Orig. K (Soden tria illa nomina distribuit in singula evangelia ut fit in δ 2; syriaci testes inter se discedunt); 9, 10 om *και*[2] δ 5 sq. s^{sc} lat. (H δ 2 1016 sah bo; alii) Mc. 2, 16]; 9, 15, *μητι* δ 5 lat. s^{p}; 9, 21 *αψωμαι μονον* δ 5 lat., om *μονον* T δ 2 Io 551 at [Mc. 5, 28]; — 2, 1 add. civitate.

1) 9, 35; 6, 4; 7, 13 + 14; 2, 6; 10, 10; 3, 9; 3, 10; 7, 23; 9, 6; 10, 18; 16, 4; 16, 5; 16, 13; 16, 19; 16, 20; 2, 6; 5, 46; 5, 4 f.

2) 3, 1; 5, 11 bis; 8, 13; 9, 12; 12, 15; 16, 28; 1, 16; 10, 42; 4, 3; 4, 6; 16, 11.

3) Cf. supra: 5, p. 296.

4) 1, 19 af: eam latenter dimittere, T *λαβρα απολυσαι μαριαμ*; 1, 20 hic: ei in somnis af; in apparatu *και οναρ αυτω* af it 050 alii; 5, 25 te tradat af, in app. te T K [Lc. 12, 58], af non te.

5) Nam 4, 20 + 9, 8 sunt proprietates; T non est in apparatu.

6) Parallelae sunt quoque lectiones 2, 20; 5, 11; 6, 5 (v. 6); 7, 24 pr. l.; 9, 17 + 20.

7) 5, 36 δ 5 s^{sc} (*η* Cl.); 5, 46 H 26 δ 48 pa bo δ 5 s^{sc}; 6, 1 Athen. s^{p} go arm.; 6, 33 Cl.; 7, 29 g; 8, 8 s^{sc} pa; 9, 34 δ 5 syr.

Digitized by Google

effecimus ad talem singularem textum revocamur. In tertia tabula 17—1 lectionum [1]) modo 3 a Tatiano confirmantur (4, 16 om χωρα και Cl. s^{c} a c; et duae lectiones parallelae 5, 39 om δεξιαν [Lc. 6, 29] δ 5 s^{sc} Cl. Orig. Adam — Dialogus Adamantii secundum p. 1523 non a Tatiano infectus est et ibi haec omissio non derivatur ex Tatiano — 9, 22 om in [Mc. 5, 34] δ 2 δ 5 s^{s} 1341 a b c q); 5, 12 a Tertulliano probatur (add. οι πατερες αυτων [Lc. 6, 23] δ 5 ο 90 bc; Tert. secundum p. 1614 rarissime a Tatiano pendet et in Tatianicis quae ibi notantur lectionibus haec lectio non est); 8, 22 autem af (s^{sc}) [Lc. 9, 60] om ο δε atque T ιησους p. ο δε cum I K addit. Licet aliae lectiones [2]) levioris momenti ad sententiam, quae vocatur „Tatianhypothese", quasi demonstrata esset, se accommodent, tamen hae quinque quam maxime ei officiunt. Cum in tabulis af it 109, hic 63 lectiones ab I H K discedentes ex his perpaucis capitibus enumerentur, Sodenio assentiri non possum, hunc numerum minimum esse (p. 1551). Quid valeant hae lectiones in restituendo graeco textu originali, nisi textu Tatiani examinato demonstrari non posse dicit Soden. Has, quatenus improbantur, a Tatiano deducit, quatenus probantur, af pluris aestimat. In qua disquisitione cum I H K textus canonicus sit, necesse est, eas improbari; quaero autem, cur ex qualitate lectionis alicuius concludendum sit utrum a Tatiano pendeat necne. Nihil mihi rem ita diiudicans antiquius habere videtur quam ut Tatiani textum omni auctoritate privet.

Disquisitio de textu it probabiliter instituta est. Non paucae lectiones it cum in textu Tatiani inveniantur, inde eas derivandas esse Soden existimat et numerum earum tantum esse ut doceat Tatianum magni momenti fuisse ad hunc textum (p. 1557). Nexus sententiarum, quo ad hanc conclusionem pervenit, permirus mihi videtur. Etenim cum partes it (abc

1) 8, 8 est erratum typographicum pro 8, 6 et commemoratum iam antea in tabula af it.

2) 2, 1 και l. δε af, it ουν; 4, 22 [Mc. 1, 20] s^{s} it partim, I α 337 alii; 5, 33 [22] s^{s} Ir; 6, 6 s^{s} it partim pa; 6, 14 s^{s} δ 5 (it); 6, 26 s^{c} sah; 6, 27 s^{c} it partim φ 190; 6, 28 pr. l. s^{c}; sec. l. s^{c} it partim pa; 9, 25 s^{s} it partim δ 5 φ δ 30 1444; 9,27 δ 3 + 56 ι s^{s}.

Digitized by Google

et gh magis quam d f) cum T congruant, lectiones earum ex Tatiano esse (p. 1557 + 59) contendit; codices cum nonnullis locis a Tatiano stent, lectiones suas ex T habere (p. 1564); quare licere codicum it lectiones ab I H K discedentes praetermittere in restituendo it textu, quippe quae ex T esse putandae sint; reliquas lectiones docere, quatenus it pendeat a textu ab I H K recedente. Qui autem non consilio ac industria textum I H K praeferet, Sodenio hac in re manus dare gravabitur. Quae cum ita sint, necessario ut de af, ita etiam de it sentit (§ 361): „Der it-Text bietet nicht allzuviel Abweichungen von I H K". Sed iam hic miror audiens plurimas earum ut in af ita in it ex T esse, numerum vero earum esse maiorem. Atque hic tabulae continent tantummodo 16 capitula Mtth. Talium lectionum quae Tatianicae esse probari posse dicuntur, fere 121 colligo (ex his fere 72 cum s^{sc}, fere 35 cum I α *i*); et talium quas tunc Tatianicas esse ostendi non posse dicit (p. 1567—1568) fere 113 (ex his fere 58 cum s^{sc} et fere 55 parallelas lectiones), quae tamen ex T esse a Sodenio existimantur; et alias fere 84, quas perpaucas appellat, de quibus quaeri possit, sintne forsitan ex T oriundae. Hoc numero (109 af it, + 318 it = 427 lectiones ex modo 16 capitibus) refelli mihi videtur sententia eius et, quod it non multas lectiones ab I H K discedentes praebere dicit, et quod it respiciens non dubitat, quin I H K, cum versio latina antiqua fieret, ab omnibus approbatus Evangeliorum textus fuerit (p. 1569). Deinde eandem rationem viamque sequens nunc demum affert eas lectiones, quae maxime repugnant suae de Tatiano coniecturae, praeclaras illas 27 „western non interpolations". Has plerumque cum textu δ 5 sq. consentire notum est. Vide autem quantopere sententiae Sodeni hoc loco (p. 1570 sq.) et in apparatu prolatae inter se pugnent. Primum hic et in apparatu textus originalis hae lectiones vocantur: Matth. 6, 15 non add. τ. παραπτωματα υμων T (H δ 2 alii) I $\ddot{\alpha}$ η lat. (s^s hiatus) s^p Eus.; 23, 26 non add. και της παροψιδος δ 5 sq. η af it partim s^s Ir Cl. contra T H K (additio „kann aus T sein" p. 1570), sed in apparatu textus fortasse originalis. Deinde hic textus originalis, sed in apparatu textus originalis uncis inclusus hae lectiones: Lc. 24, 51 non add. και ανεφερετο εις τον

Digitized by Google

ουρανον (δ 2 δ 5 lat. s^s Aug.); 24, 40 non add. 40 δ 5 af it s^{sc} contra T omnes. Tum hic textus fortasse originalis, in apparatu modo uncis inclusus: Lc. 24, 52 non add. προσκυνησαντες αυτον δ 5 af it s^s Aug. (cf. 24, 51); 24, 36 non add. και λεγει υμιν δ 5 af it contra T (Joh. 26, 19). Tum hic lectiones improbatae ex T, in apparatu textus originalis uncis inclusus: Mtth. 21, 44 non add. v. 44 δ 5 af it s^s Orig. (H δ 48) [Mc. 12, 11]; 27, 49 αλλος δε... non add. (δ 3 + 48 alii) K δ 5 alii af it syr. arm. go [Joh. 19, 34]; Lc. 12, 39 non add. εγρηγορησεν αν και (δ 2) δ 5 af it syr. Marc. contra T [Mtth. 24, 53]; Joh. 3, 31 non add. επανω παντων εστιν (δ 2) δ 5 93 ℓ lat. s^{sc} Tert. contra T K [31 a]. Tum hic verisimiliter textus originalis, in apparatu improbatae et in secundo apparatu positae Mtth. 6, 25 non add. και τι πιητε (H δ 2. 1016) I α 600 alii s^s af it pa sah contra I H K [Lc. 12, 29]. Tum hic textus fortasse originalis, in apparatu secundo improbatae Mc. 2, 22 non add. αλλα-βλητεον δ 5 it [T add. Lc. 5, 38]; 10, 2 non add. προσελθ. οι Φαρ. δ 5 af it syr. contra T [Mtth. 19, 3]; Lc. 24, 6 non add. ουκ εστιν... ηγερθη δ 5 af it [c + Marc. solum ηγερθη]-in tertio apparatu. Tum hic et in apparatu improbatae et in apparatu secundo positae Mtth. 9, 34 non add. v. 34 T δ 5 af a s^s [Mtth. 12, 24; Merx]; 13, 33 non add. ελαλησεν αυτοις δ 5 af s^{sc} (T παρεβηκεν l. ελαλησεν); Lc. 24, 3 non add. του κυριου ιησου δ 5 af it Eus. [add. ιησου T H 376 sq. Io 1279 syr.; 27, 58]; Joh. 4, 9 non add. ου γαρ-σαμαρειταις (δ 2) δ 5 af it [Tisch. Bl. W = H. om; Soden Merx non om]; Lc. 24, 12 non add. v. 12 T I α δ 5 af it [Mtth. 28, 10 Mc. 16, 9]; additio est mea quidem sententia originalis et propter v. 34 deleta; in apparatu tertio positae: Mc. 14, 39 non add. τον αυτον λογον ειπων δ 5 af it, sed T secundum Matth. 26, 42 haec verba post προσευξατο habet; ex Lc. in Mtth. posuit; omissio haec igitur est ex alio textu communi; Lc. 5, 39 non add. v. 39 δ 5 af it, praestat haec verba delere cum Sodenio propter Mtth. 9, 17 Mc. 2, 22, sed T haec verba legit; 22, 62 non add. 62 af it, deleta sunt haec verba secundum Joh. 18, 27 [T ea habet]; Lc. 12, 19 non add. κειμενα... πιε δ 5 af it (partim translatio), T habet haec verba; res est incerta; 12, 21 non add. δ 5 a b difficile est diiudicatu; Lc. 24, 9 non add. απο του μνημειου δ 5 af

Digitized by Google

it omissio ex T, quia hoc verbum post Mtth. non convenit (cf. Mtth. 16, 8 om s^{sc}). Denique duae lectiones auctoritatis plenae sunt in apparatu secundo. Lc. 10, 41 sq. Soden quamquam p. 1571 se textum genuinum coniectura assequi vix posse existimat, tamen in apparatu cum Origene legere suadet v. 42 ολιγων δε εστιν χρεια dicens Tatianum encratitico sensu correxisse et scripsisse ενος δε εστι χρεια; δ 1 + 2 aliosque textus non bene coniunxisse: ολιγων δε εστι χρεια η ενος; male omisisse ολιγων δε εστι χρεια δ 5 af it s^{sc} Cl. Neglecto v. 41 hic versus 42 restitui non potest. Canoni critico obtemperantes, qui iubet textum brevissimum praeferri, nihil legimus nisi μαρθα μαρθα μαρια την αγαθην μεριδα εξελεξατο (om μεριμνας-πολλα af it s^{s}, δ 5 nihil nisi θορυβαζη; om 42 ολιγων-πολλα δ 5 af it s^{sc} Cl.; om γαρ δ 5 af it s^{sc}); ne nomina concurrerent, primum adiectum est vocabulum θορυβαζη; deinde textus amplificatus est verbis μεριμνας και θορυβαζη (H) περι πολλα; tum additum est aut ολιγων εστι χρεια aut ενος δε εστι χρεια, ita ut e vocabulo πολλα fluxerint quae sunt ei contraria cum ολιγων tum ενος. Tatianus certe non legit idem quod δ 5 af it s^{sc}. Similiter res se habet Lc. 22, 19 sq., ubi iam v. 15 sq. omissiones invenimus: om τουτο s^{s}, v. 16 om οτι δ 5 (φαγομαι δ 5; απ αυτου δ 5 i; vers. 17 (om λαβετε; af?) om τουτο δ 2 af, om και^{2} δ 5 af syr.; vers. 18 add. τουτου Marc. s^{s}; απο του νυν ante ου δ 5 af syr. (η σ 207); vers. 19 om το-δεδομενον T δ 5 af it, om τουτο-αναμν. δ 5 af it; vers. 20 om δ 5 af it s^{sc}. Hunc brevissimum textum esse originalem opinor; transpositionem autem versuum 17 sq. post v. 19 s^{s} assimilatam esse textui recepto (cf. librum meum: der Text des N. T. nach seiner geschichtlichen Entwicklung, Teubner 2 Aufl. 1919). Non neglegendum est, quod T perpetue discedit et ab δ 5 af it (s^{s}) et ab I H K. Harum 27 lectionum originales esse non semper pari iudicii firmitate 14 Soden ipse asseverat: Mtth. 6, 15 T; 6, 25 T.?; 21, 24 T; 23, 26 contra T; 27, 49 contra T; Mc. 2, 22 contra T; 10, 2 contra T; Lc. 12, 39 contra T; 24, 6 T?; 24, 36 + 40 + 51 + 52 contra T; Joh. 3, 31 contra T. Quibus mihi licet adiungere 10, 41 sq. et 22, 19 sq. contra T; et fortasse Mtth. 9, 34; 13, 33; Mc. 14, 39; Lc. 24, 3 (contra T omnes lectiones). Si in medio

Digitized by Google

relinquo: Joh. 4, 9; Lc. 12, 19; 12, 21; et Lc. 5, 39 (contra T); 22, 62 (contra T); 24, 9 + 12 (T) cum Sodenio improbo, e viginti locis sedecim a Tatiano discrepant. Quarum lectionum vis multum valet et ad evertendam sententiam, quae „Tatian-hypothese" vocatur, et ad textum probandum, qui ab I H K discedit et iam a T adhibitus est.

2) *De syriaca versione antiqua.*

Codices illi duo s^s et s^c praebent unam eandemque translationem; cum inter se discrepant, s^s fere praeferendus est; s^{sc} a T infecti sunt, s^c magis quam s^s. Hae regulae fere ab omnibus probantur. Sed quaerendum est, quantum momenti T habuerit ad textum s^{rc} formandum. Iam initio (p. 1575) duo iudicia invenimus, quibus s^{sc} accommodantur ad I H K. Primum enim si additamentum in T s^c it exstet, et $s^s = I H K$ sit, $s^s = s^c$ Soden putat. Sed eiusmodi lectio non est additamentum, nisi I H K textum originalem et canonem esse demonstratum esset; et it congruens cum s^c non magis ostendit lectionem, quae additamentum vocetur, a diatessaron derivatam esse quam in iis, quae antea exposuimus, consensus inter it et T illum textum ab hoc profectum esse demonstrat. Deinde ubi T s^c et s^{sp}, quin etiam ubi s^c sine T et s^{sp} inter se discedunt, s^c ex T originem ducere et $s^{sp} = s^{sc}$ esse putat Soden. Dicit enim: „ein sicherer Nachweis, dass sp schon auf einen der Zeugen eingewirkt hat, ist nicht zu erbringen". Sed ibidem in summa pagina legimus: „so ist auch an folgenden Stellen sicher nachzuweisen, oder wenigstens aufs höchste wahrscheinlich zu machen, dass s^c sp = Einwirkungen erlebt hat". In media autem pagina merito suspicatur s^s infectum esse a sp (Mtth. 20, 15). Profecto si s^{sp} aut s^{cp} congruunt, concedendum est textum antiquiorem a recentiore esse depravatum et textus antiquus alter putandus est s^{sc}; aliter enim sentire idem est atque s^{rc} accommodare ad I H K.

Non mirum est, quod in s^{sc} lectiones libere transferuntur. In his Soden numerat et abiudicat exemplari graeco, de quo quaeritur — velim animadvertas, quantopere in sequentibus tabulis numerus lectionum variarum allatarum ubique minuatur — primum transmutationes verborum 23 in ev. Mtth. (p.

Digitized by Google

1598). Sed nonnullas [1]) earum ad graecum fontem revocare necessario cogimur, quod Tert. et Orig. eisdem utuntur — id quod ille silentio praeterit — 5, 45; 16, 19 — et quod testes it af accedunt (5, 36; 8, 27; 11, 5; 20, 23), quare aliae quoque lectiones, quas nonnulli I testes praebent, e textu illo graeco manasse possunt (12, 11; 6, 28; 20, 6; 20, 26 bis; 24, 36); ceterum modo 10 a T confirmantur. Deinde omissiones 24, quarum 17 (non 8) aliis testibus [2]) adiutae rursus ad communem graecum textum nos revocant (Just. Orig. ∂ 1 ∂ 5 af it); etiamsi Soden hic omissiones s^{sc} Tatiano imputat, tamen secundum apparatum eius T ex 24 his locis 15 non omittit (7, 12 solum om *και*; 8, 4; 9, 18; 14, 14; 17, 4 sec. l.; 21, 41 pr. l. + sec. l.; 22, 21; 22, 23; 24, 32; 24, 39; 25, 41; 26, 59; 27, 64; 27, 75). Tum: „mit vermuteten T-Lesarten", inquit, hängen zusammen 16, 11 s^{s} om *εν αυτη*", quod T haec verba a *τις* ponat; sed T cum ∂ 2 (non ∂ 1!) + 1016 sah (in I) ponit p. *εστι* I 1353, om *τις* Φ ∂ 30; 23, 3 om *και τηρειτε* s^{s} H ∂ 2 I *α* 337 + 70 Chrys., *τηρειτε και ποιειτε* T (multi I K) it Ir (cur igitur s^{s} om ex T?). Hae 49 lectiones vocantur „offenkundige T-Einwirkungen" (p. 1580), quamquam modo 19 cum T congruunt et propter alia subsidia (∂ 5 af it; Tert. Orig. Just.) verisimiliter aut certe non ex T sunt. Rursus igitur nobis suggerit, quod demonstrandum erat. His enim lectionibus probare vult alias has omissiones, quae s^{sc} cum testibus secundum sententiam eius a T infectis communes sunt, a T profectas esse, etsi T nunc eas non habet: 18 [3]). Sed his lec-

1) 2, 11 aeth; 5, 36 T ∂ 5 *η* af Cl.; 5, 45 T lat. Orig. Tert.; 6, 28 s^{c} I *α* 050; 8, 27 s^{c} af pauci I Chrys.; 11, 5 s^{c} I *α* 050 *ι* contra om T s^{a}(!) af Cl.; 16, 19 s^{c} T ∂ 5 lat. Tert. (H 56); 20, 6 it partim; 20, 23 I *α* 93 nonnulli Φ q Chrys.; 20, 26 Chrys.; 20, 26 sec. l. (non 28) T s^{c} *σ* 351 alii Chrys.; 24, 36 s^{a} I 96 (non s^{c}: in app.); T comitatur 2, 2 + 11; 12, 25; 17, 17; 20, 17; 22, 1.

2) 5, 13 T ∂ 5 af it sah Cypr.; 8, 4 *η* ∂ 254; 12, 45 T pauci Φ it sah; 14, 14 ab ff^{2}; 17, 4 pr. l. T s^{c} ff^{2}; sec. l. s^{c} H I; 17, 20 (loco 30) T H ∂ 48 Φ Chrys.; 18, 22 T ff^{2}; 21, 41 pr. l. ff^{2}; sec. l. I *α* 050 lat. Ir.; 22, 20 ∂ 5 af it; 22, 23 s^{a} ∂ 2; 23, 13 T Just. Orig. (in app. non om ∂ *ε* s^{a} Orig.) ∂ 2 multi Φ alii; 24, 32 s^{a} sah (Mc. 13, 28); 24, 39 ∂ 1 ∂ 5 s^{a} it sah bo; 26, 29 T s^{a}; 26, 75 ∂ 5 lat. (af hiatus) s^{a}.

3) 9, 27 H ∂ 3 + 56 *ι* af a s^{a}; 12, 15 textus originalis I H K ∂ 1 + 2 I *α* 600 lat. [Burkitt add. s^{sc} *οχλοι* T I Orig.; parall.]; 13, 33 ∂ 5 af [*παρεδηκεν* T alii]; 13, 46 ∂ 5 sq. *ι* af it s^{c}; 16, 2 ∂ 5 a c g s^{a}; 19, 9 H ∂ 2 + 56 ∂ 371

Digitized by Google

tionibus improbatis adnumerari non possunt, quae in apparatu eius textus originalis aut fortasse originalis sunt (12, 15; 21, 44); atque etiam ubi H testes Orig. ∂ 5 af it iis astipulantur, ex eis quae adhuc exposuimus, praestat concludere communem graecum textum servatum esse (9, 27; 13, 33; 13, 46; 16, 2; 19, 19; 19, 22; 21, 23; 21, 24; 27, 14; 27, 24; 27, 41; 27, 51; 28, 3) [1]). Sed § 366 demum varietates I H K invenimus, quas Soden pondus habere contendit. De quibus argumentatur in hunc modum: „Lassen wir alle in T wiederkehrende Abweichungen des s^{sc} Textes von I H K beiseite, so reduciert sich die Zahl der Sonderlesarten auf ein überraschend kleines Mass. Und dies ist ein neuer Grund, nicht ihm die grosse Anzahl der mit T gemeinsamen Abweichungen von I H K originaliter zuzutrauen". Quomodo licet hunc numerum praetermittere? Quomodo si emendationes tabularum recordamur, multae quae a textu Tatiani abhorrent Tatianicae existimari possunt? Ita nimirum perpaucae restant. Tamen Soden usus ratione illa, quam novum argumentum nominat, eodem revolvitur; nam plurimis deletis perpaucas relinqui consentaneum est. Iterum suggerit, quod ei demonstrandum est. Ut parallelas omittam, cum aliis de causis tum quod non omnes enumerantur (p. 1586), ex 15 additamentis [2]) omittenda sunt 18, 28, quod idem

---

sah I α ∂ 5 ι ∂ 505 alii af it; 19, 22 ∂ 5 h f s^{s} (af *και*); 19, 29 ∂ 5 it partim (Mc. 10, 30); 21, 23 af it ϕ 287; 21, 24 H 26 + 56 bo lat.; 21, 44 text. fortasse orig. H ∂ 48 ∂ 5 af it Orig.; 26, 29 H 76 sq. multi I Cl. Chrys.; 26, 64 ϕ ∂ 30 s^{s}; 27, 14 ∂ 5 it s^{s}; 27, 24 ∂ 1 (!) sah ∂ 5 sq. af s^{s} Chrys.; 27, 41 ∂ 5 ϕ^{a} K^{i} 370 sq. lat. s^{s}; 27, 51 ϕ ∂ 30 541 Orig. Eus.; 28, 3 lat. s^{s}.

1) Libenter concedo s^{sc} textu T usum esse; ex T nonnullae parallelae erunt; sed num encratiticae lectiones sint, quaestio est. Pagina 1585 tres encratiticae putari possunt; Mc. 9, 29 nescio quare transmutatio *νηστεια* a *προσευχη* T syr. encratitica sit; cur non additio *νηστεια* potius improbanda sit nescio neque satis intelligo quam ob rem textum originalem non formaverit secundum illud „non add. ∂ 1 + 2 af Cl. Mtth. 1, 25 er lebte rein mit ihr, bis sie" (T s^{c}) est fere idem ac I H K; sed om *ουκ εγινωσκεν αυτην εως ου* s^{s} af putanda est lectio huius textus formae ac minime encratitica. Postremo Mtth. 1, 19 „Joseph, weil er ein gerechter Mann war" T s^{c} (s^{s} „ihr Gatte") [Merx Luc. 208]; id genus lectiones in aliis quoque textus formis occurrunt.

2) Mtth. 3, 15 *και εβαπτισθη ο ις* s^{c}; *ινα βαπτισθη* $s^{s} = s^{sc}$ Merx: „wohl ursprünglich"; 4, 24^{a} cf. Lc. 4, 40; sec. l. *παντας* l. *αυτους* a (non p) *εθερ.* ∂ 5 it pa; 6, 30 s^{c}; 9, 16 s^{s} pa; 9, 24 s^{s} add. „weiter fort"; 9, 28 s^{s} Mc. 9, 24; 10, 23 *εξ αυτης* p. *φευγετε* sed 1) Merx Burkitt s^{s}: *καν εν τη ετερα* (T *εκ ταυτης*)

Digitized by Google

in textu T legitur, et 4, 28 + 9, 28, quod lectiones parallelae sunt; hae autem textui, quem quaerimus, ab I H K abhorrenti attribuendae sunt: 4, 24b; 14, 9; 20, 23; 21, 29 propter testes, 3, 15 autem propter id quod Merx affert, 10, 23 denique propter testes et propter id quod Merx et Burkitt contendunt. In 8 [1]) particulis res similiter se habent. Quod autem ad 50 quae supersunt attinet, 22, 13 certe non impugnanda est, quia lectio est originalis, et 17 [2]) aliae non singulares, sed testimonio δ 5 af it s^{sc} textui huius familiae vindicantur. Merito Soden: „Gemeinsamkeiten", inquit, „zwischen s^{sc} Orig. würden dem s^{sc} Text Gewicht verleihen", quorum alter ab altero originem ducere non potest. Communes 35 lectiones sunt ab I H K alienae. Operae pretium est animum intendere ad sententiam, quam Soden de eis protulit. Lectiones 15 quia Tatani sint, (4 earum in Mtth.) [3]) ex T a s^{sc} Orig. receptas esse posse ait; aliae 11 essent ex loco parallelo, in quibus: „die Begegnung Zufall sein könnte" (2 earum in Matth.) [4]) — sed quaero num ut hic ita consensus inter T et δ 5 aut inter T et af it casu effectus sit? —; de 3 omissionibus Soden dicit: „sie dürften eingedrungen sein" (2 in Mtth.) [5]); in 3 aliis locis (1 in Mtth.), quamquam facillimum erat secundum iudicium

---

διωκουσιν υμας φευγετε εις την αλλην T Orig. H 56 δ 5 050 93 η ι s^{a} af it

2) Merx: „unentbehrlich und per homoioteleuton ausgefallen"; 14, 9 δ 5 af it; 18, 28 T H 1016; 18, 34 a b; 20, 23 lat.; 21, 29 δ 5 af it; 26, 60 s^{a}.

1) 6, 15 s^{c}; 6, 22 s^{c}; 6, 32 s^{c}; 8, 5 s^{a} af; 14, 1 δ 5 σ 207 pa; 15, 24 δ 5; 17, 20 δ 3 I α 94 sq. pauci φ sah Orig.; 27, 63 δ 5 σ 207 Chrys. Orig.

2) Mtth. 22, 13 text. orig. δ 5 lat. Ir. (contra T H); 18, 26 δ 5 σ 1222 lat. sah; 18, 29 pr. l. af sah (και it); sec. l. δ 5; 15, 14: 050 c Athen. (!); 15, 30 δ 5 sq.; 19, 17 δ 5 φ 253 (lat.?); 12, 12 δ 5 af it; 26, 67 δ 5 lat. pa sah; 27, 53 δ 5 lat. pa; 9, 25 δ 5 φ δ 30 it af; 10, 13 δ 5; 11, 2 δ 5 φ alii; 16, 7 δ 5 af it; 17, 7 δ 5 sq.; 17, 14 δ 5 lat.; 18, 20 δ 5 g^{1} Cl.; 26, 71 δ 5 π 17 lat. Orig.; — 2, 23; 3, 3; 8, 17 (T!); 14, 10; 15, 9; 16, 9 sq.; 6, 29; 15, 6; 17, 24 bis; 20, 2; 21, 19; 8, 33; 9, 8; 9, 16; 9, 31; 10, 11; 10, 21; 11, 9 + 20; 12, 35; 14, 2; 17, 15 + 24; 20, 21; 26, 23; 26, 24; 27, 17 + 27 + 44 + 52 + 59.

3) 11, 4 T H 56 bo s^{ac} pa Orig. (Lc. 7, 22 ειδετε l. βλεπετε); 21, 30 T Orig. δ 2 δ 5 it arm. Eus.; 22, 13 Just (!) T Orig. δ 2 s^{p} (Soden hic et Gregory contra app. Sodeni); 25, 20 T (?) Orig. pauci I, it partim.

4) 10, 18 s^{a} pa it bo Lc. 21, 12 (Orig. deest in app.); 17, 20 H δ 3 sah bo I α 94 sq. 3 φ syr. Orig. (Mc. 11, 23 non parall., in app. non notata).

5) 23, 38 I α 168 c 1054 sq. φ alii s^{a} Cl. Orig. Meth. (Jerem. 22, 5); 27, 28 δ 1 (!) δ 5 σ 207 it s^{a} (v. 31?).

Digitized by Google

Sodeni lectionem mutare, 26, 71, tamen re vera solum a duobus graecis testibus mutata est (ϑ 5 π 17 it; Orig. deest in app.). Nihilominus duas omissiones originales existimat 21, 44 ϑ 48 ϑ 5 af it Orig. (sed etiam s^{s} in app. textus fortasse originalis); 28, 7 ϑ 5 93 lat. Orig. Kυ (sed etiam s^{s}, in tertio app. posita et abiecta!). In hac tabula necesse est animadvertere, primum quod ipsis verbis quibus utitur rem sibi non plane constare significat (können, dürfen, wohl); deinde quod et ipse duas lectiones originales putat; tum quod de his locis 21, 30; 25, 20; 10, 18; 17, 20; 23, 28; 27, 28 propter eosdem a quibus afferuntur testes (ϑ 5 af it s^{s}) eodem modo censendum est atque de illis.

Tanto numero lectionum, ad quem supra commemoratae accedunt, quaestiò exstitit, num textus Orig. alias varietates I H K textus praebeat, quae forsitan ei communes cum ϑ 5 af it s^{sc} sint sive congruente sive dissentiente T. Quae si ita sunt, tales varietates novum ac grave argumentum afferre possunt, quo alium textum atque I H K exstare demonstratur. Concedendum est lectiones, cum Origenes ex memoria eas afferat, alio loco ortas esse (p. 1511); sed quae causa est cur credamus similem lectionem ϑ 5 af it s^{sc} esse ex T? Si Iα (s^{s} lat.) Orig. congruunt, lectionem ab Orig. servatam esse Soden (p. 1513) dicit; sed usque adhuc eiusmodi locis auctorem T esse putaverat, sive T eam lectionem habet sive non habet. Ceterum si Orig. lectionem ex loco parallelo ex memoria fingere potest, cur non Iα s^{s} lat. idem facere possunt? Soden proprias lectiones non perpaucas licentia Origenis ortas, et ubi reperiantur, excerptas ex Origene esse pronuntiat (p. 1517). Quam incerta et falsa haec conclusio sit, uno exemplo pro multis confirmaverim. Mtth. 23, 37 Orig. om εαυτης add. αυτης p. πτερυγας, Φ H 76 non om sed add. Primum enim lectio non est propria Origenis; secundum apparatum hi sunt testes om ϑ 1(!) Iα 133 Ir Cl., add. T H 76 Iα 168 Φ^{a} alii it af s^{s} Cl. Deinde Ir Cl. T af it s^{s} hanc lectionem apud Orig. repperisse non possunt, cum multo antiquiores sint quam Orig. Talibus locis Soden contendere solet T auctorem esse (cf. p. 1609; immerito). Hi testes pro communi textu graeco contra I H K testantur. Praeterea Soden Origenis has lectiones „für

Digitized by Google

den Urtext in Frage kommende" vocat (p. 1519 + 20); 7, 13 om πυλη δ 2 I 1246 af it Cl. (δ 5 + s^s hiatus); 7, 14 om πυλη I α 337 af a h Tert. Cl. Cypr. Eus. (δ 5 + s^s hiatus) tamen in secundo apparatu; 10, 17 om δε T δ 5 168 af it s^s sah Eus. Chrys. Tert. tamen in secundo apparatu [1]); 5, 11 om ψευδομενοι I H K δ 5 af it s^s Tert. Eus. [2]); 5, 45 ος I H K Marc Just. Ir Athen Tert. Cl. Eus. lat. syr. [3]); 11, 27 a) εγνω Just. Ir Cl. Eus. Did. it; b) om τις επιγινωσκει T s^c I partim Ir; c) αποκαλυψη Just. Ir Tert. Cl. Eus. Did.; apud Orig. autem non invenitur ea collocatio verborum, quae cum hac lectione cohaeret τον πατερα... τον υιον π 19 Marc Just. Ir Eus. alii (contra T); haec tota lectio est propter patres procul dubio textus originalis et tamen in apparatu secundo affertur; 13, 36 (non 26) διασαφησον I H K δ 1 + 2 050 Φ^s it; 26, 34 (non 33) προ αλεκτοροφωνιας H 56 I η^s δ 457 a (Mc. 13, 35) in tertio apparatu. Quare confirmatur textum Origenis multas ac graves lectiones ab I H K discrepantes praebere. Sequitur igitur primum propter Justinum et Marcionem, ut textus graecus antiquus exstiterit ita certe, ut ipse Soden lectiones illas textum originalem aut fortasse originalem existimet; deinde hunc textum repraesentari ab δ 5 af it syr. patribus; tum textum illum a T non factum, sed ei iam praesto fuisse. Neve haec quaestio intermittatur, iam § 371 ratione habita, examinemus, sitne re vera Orig. a T infectus. Soden dicit: „Nur verhältnismässig selten finden sich Spuren des Diatessarontextes". Jure; sed miror, quare 90 lectionum parallelarum modo 13 a T derivet [4]) et aliter de δ 5 sq. lat. syr. iudicet; et quare inter Orig. et T consentientes Clementem intermedium fuisse coniciat, quamquam hae lectiones raro Origenem cum Cl. consentire demonstrant. Quare illud tenendum est textum graecum antiquitus exstitisse ab I H K diversum.

Quaestio autem quae ad lectiones H s^{ec} communes attinet,

---

1) In apparatu 16, 6 Lc. 12, 1. Sed propter hoc unum vocabulum προσεχετε, cum reliqua sint prorsus diversa, de loco parallelo cogitari non potest.

2) 5, 22 om εικη I H K: Orig. Just. Tert. Eus. δ 1 + 2; Merx iure: „aus pseudoasketischer Rücksicht".

3) 11, 19 in apparatu haec lectio non enumeratur.

4) In Mtth. modo 7; ex eis 7, 18 cum Tert Adam est textus fortasse originalis!

Digitized by Google

hic praetermitti potest, praesertim cum Soden recte censeat non demonstrari posse H codices antiquiores ab s^{sc} infectos esse (p. 1591) [1]). Eo magis nobis persuadent textum olim fuisse existimantibus graecum. Et profecto tali textui favet una lectio etiam de sententia Sodeni, plures propter patres (Just. Athen. alios) aut familiam textus antecanonici.

Digna commemoratione videtur ratio quae inter s^{sc} et δ 5 intercedit. Allatae sunt lectiones s^{sc} δ 5 it af T communes, quas derivatas esse ex T aut it (af) Soden dixit. Restant lectiones, quibus s^{sc} δ 5 sine T congruunt; de quibus dicit: „dass sie zur Zeit nicht auf T-Einfluss zurückführbar sind, also eine direkte Beziehung zwischen δ 5 und s^{sc} anzunehmen nötigen, falls sie nicht etwa dem Urtext entstammen" (p. 1592) [2]). In quibus 5 saltem dignae sunt quas respiciamus. Sed cum rationem concludit, hoc quod dixit eas fortasse e textu originali fluxisse rursus plane omittit; etenim, ut exspectabamus, s^{sc} mixtum esse ex I H K et T censet. Ut ad hanc sententiam pervenire posset, sententiis duabus, quae inter se distant, lectio s^{sc} accommodata est ad I H K. Inter lectiones 167 usque ad p. 1589

---

1) H est fere I H K: 10, 2 T d; 19, 29 T it af δ 5; 8, 9 (Lc. 7, 8) T Iα 600 it Chrys., non s^{sc} (!), parall. — δ 1 s^{sc}: 2, 13 + 3, 12 in apparatu desunt T s^{sc}; 16, 22 λεγει T ι 226, transmutatio verborum δ 1 I = Iα δ 5 sq. 93 η ι ϕ partim Orig., sed om T s^{c} (s^{a} hiatus); 17, 23 (T, I multi, Orig.) + 25 deest (T +) s^{sc}; 27, 41 deest s^{sc}, T δε l. και, δ 1 = I H K; non „nachweislich mit T". P. 912 I: 12, 31; 17, 25; 18, 1; 27, 41; secundum apparatum 16, 22: hi testes mea quidem sententia fontem communem indicant, praesertim 16, 22; 17, 23; 19, 29 Orig,; 12, 31 Athen. Ad 14, 24 Soden iudicat δ 1 s^{c} Iα 0 50 sq. ι sah bo pa T posse illum textum ante T esse; ad lectionem similem s^{a} cf. Merx p. 234. — δ 2 s^{sc}: 21, 30 T Orig. alii δ 5 it (s^{sc} deest in app.); 22, 23 T s^{a} pa; 23, 13 T Just. (!) s^{c} (contra s^{a} Orig. δ 5 sq. lat. I cf. v. 15 sq.); 24, 28 T? sah pa lat. s^{a} Lc. 17, 37; 25, 33 T s^{a} pa sah (v. 33a). „Zur Zeit nicht für T nachweisbar": 9, 5 sah s^{a}: 9, 31; 22, 23; 23, 3 Iα 337, 70 Ch. (cf. supra).

2) 10, 6 παγετε neque hic Lc. 10, 3, neque in apparatu Mtth. 28, 10 est locus parellelus; 10, 13 εσται; sec. l. ει δε μη γε (Lc. 10, 6; ει H 56 σ 1226 κ 1250); 11, 2 ιησου multi ϕ Chrys. Merx; 13, 54 πασα ι (2 ϕ); 14, 1 σ 207 pa; 14, 27 om o ις pauci I H (δ 2) Eus. (Mc. 6, 50); 15, 24 ταυτα; 25, 28 om o ις pauci ϕ (Mc. 7, 29); 16, 22 om σοι af it (τουτο σοι δ 5 93 o 1222 s^{a} hiatus); 17, 24 ειπον πετρω 1443 pa (T add. αυτω s^{c} it I 247; δ 5 exstat ex T?); 18, 20 ουκ εισιν γαρ Cl. (Orig. om εισιν; textus est incertus); 18, 29 καγω; 26, 67 αλλοι lat. pa sah; 27, 63 οτι σ 207 κ 294 Orig. „Von Interesse nur 18, 20"; fortasse quoque 11, 2; 16, 22; 17, 24; 27, 63.

Digitized by Google

enumeratas modo 25 textus Tatiani erant; totidem textuum Justini Athen. Ir. Tert. Orig. complures textus originalis aut fortasse originalis erant; accedunt hae cum Orig. et cum ϑ 1 + 2 communes, qui testes alias existimantur a T fere non intacti, iterumque plures earum a ϑ 5 af it confirmatae sunt. Soden quidem dicit: „die Richtigkeit dieses Ergebnisses wird gestützt durch die Analogie von af it". Sed si recordabimur numerum locorum af it patrum, qui aliter aut omnino non apud Tatianum leguntur, permagnum esse, et conclusionem arbitrariam fuisse lectiones ex T esse, cum nunc non in Tatiano extent, de s^{sc} iudicabimus, ut de (ϑ 5) af it iudicavimus, s^{sc} similiter ac testes huius familiae sive cum T sive sine eo — exceptionibus concessis — graecum antiquum textum repraesentare. Cum Soden in fine quaerit, utrum I H K an T textum originalem puriorem praebeat, hanc quaestionem ita non recte nobis proponi contendimus; usque ad hoc tempus modo quaerere possumus, an alius textus fuerit praeter I H K, qui in Tatiano non tam bene conservatus sit, quam in cognatis Tatiani. Hoc autem negari non potest.

(Continuabitur).

Digitized by Google

DE QUATUOR LOCIS IN HORATII „DE ARTE POETICA".

SCRIPSIT

I. I. HARTMAN.

Vs. 51

Si forte necesse est
indiciis monstrare recentibus abdita rerum et
fingere cinctutis non exaudita Cethegis,
51 continget dabiturque licentia sumpta pudenter.

Quaenam est ista in ultimo versu farrago verborum temere coniectorum? Quae est licentia, quae *postquam sumpta iam est* datur etiam immo vero *dabitur*? Nihil nos proficere istud *sumpta* (quod in quibusdam fit editionibus) cum sequenti versu iungendo cuivis legenti fit manifestum. Ecquid *sume* pro *sumpta* legamus? Tum certe omnia fiunt et perspicua et venusta.

Ad vs. 104. Lepidissimus hic locus depravatus est vitio quod leni possit sanari medela. Et aliis et his Horatius poetam alloquitur tragicum:

Si me vis flere, dolendumst
primum ipsi tibi, tum tua me infortunia laedent
Telephe vel Peleu! male si mandata loqueris,
aut dormitabo aut ridebo.

Quam ieiunum est, quam languidum istud *male loquere*, si iam ullus in istis vocabulis sensus est! Et quid sibi illud *mandata* vult? Utrum actorem an poetam tragicum monet Horatius? Hoc, ut opinor. Et hoc habet verus dolor ut *suis*

Digitized by Google

(non, hercle, *mandatis*) utatur verbis; cf. „*tua* infortunia", et totum illud: „si me vis flere dolendumst primum *ipsi tibi*".

Denique lege: „*mala* si mandata loqueris" ut *mandata* habeat emphasin. Aliter, ut opinor, loquitur qui dolet ipse, aliter nuntius qui de alienis narrat doloribus.

Ad vs. 153 sqq.:

> tu quid ego et populus mecum desideret audi,
> si plosoris eges aulaea manentis et usque
> sessuri, donec cantor „vos plaudite" dicat:
> aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores e. q. s.

Primum horum versuum, quem nonnulli editores alio traiiciunt, ego una litura delendum censeo. Proprium est venustissimi huiusce libelli ut ad novam paragraphon (ut eo utar vocabulo) sin subito transeatur.

Sed minus etiam ferendus sequens versus, qualis nunc legitur. Ingratam repetitionem: plausoris... plaudite (parum enim refert utrum *plausoris* hic an *plosoris* legas) Lucianus Muellerus defendit afferendis hisce:

S. I, 1, 92:

denique sit *finis*, quaerendi, cumque habeas plus, pauperiem metuas minus et *finire* laborem incipias

et S. I, 3, 1

> Omnibus hoc vitiumst *cantoribus*, inter amicos
> ut nunquam inducant animum *cantare* rogati

quae quam συκινὴ ἐπι κυρίᾳ sit me docente opus non est. Et — nam hoc gravissimum — potestne in rerum esse natura *plausor* qui *non* manet aulaea? Egregie ergo Peerlkampius: *spectatoris* pro *si plosoris*.

Ad vs. 252:

> iambus
> pes citus, unde etiam trimetris adcrescere iussit
> nomen iambeis, cum senos redderet ictus.

Pro *iussit*, cui nullus hic locus, legendum esse *ius est* olim demonstravi. Structurae, ceteroquin quoque minime rarae, insigne exemplum habes

S. I, 6, 25:

> quo *tibi*, Tilli
> sumere depositum clavum fierique *tribuno*.

Digitized by Google

Denique auctor sum ut posthac omittantur versus 306—308:

munus et officium, nil scribens ipse, docebo,
unde parentur opes, quid alat formetque poetam,
quid deceat, quid non, quo virtus, quo ferat error

quod est languidissimum interpretamentum lepidissimorum versuum qui proxime praecedunt:

fungar vice cotis, acutum
reddere quae ferrum valet exsors ipsa secandi.

Ad Hor. S. I. 6, 59.

Maecenati primum suum cum illo congressum in memoriam revocat poeta et alia referens et haec:

non ego me claro natum patre, non ego circum
me Satureiano vectari rura caballo
sed quod eram narro.

Quid, obsecro, sibi primo horum versuum vult illa emphasis, quae est in repetito isto *ego*? At sequentia laborant defectu multo graviore quam haec est abundantia. An magnis divitiis et claritudine natalium opus est ut, quamvis saepe (*vectari*), equo veharis vel nobilissimo? Talem equum *conducere* potest quivis paulo opulentior. Et istud *circum rura* quid ornamenti addit sententiae? Num forte praestantius est *circum rura* quam (ut hoc utar) per silvas aut in litore equo vehi? Vere dives, ut equidem opinor, atque adeo ἀρχαιόπλουτος (hoc enim opus hic) is demum potest haberi cui tanta sint latifundia *(paterna* praesertim) ut ea pedibus obire non possit sed frequenter ad eam rem in equum escendat. Quodsi tum egregio utitur equo (nam adiectivo q. e. *Satureianus*, licet obscura sit eius origo, *nobilem* significari equum manifestum est) divitiarum suarum insigne dare documentum studet. Duplici ergo unius versus morbo medeberis legendo

non ego me claro natum patre, non *mea* circum
me Satureiano vectari rura caballo
sed quod eram narro.

I. I. H.

Digitized by Google

AD QUOSDAM TATIANI ADVERSUS GRAECOS ORATIONIS LOCOS.

SCRIPSIT

J. DE ZWAAN.

Ipse Eduardus Schwartz, qui librum optime edidit (*T. V.* IV 1, 1888), in praefatione confessus est plurima restare difficillima et obscura. Etiam post eius labores et aliorum (Kukula, Ponschab, Wilamowitz, Aimé Puech), quorum nomina notissima sunt, observatiunculas quasdam amicis Tatiani gratas fore spero, quam parvi licet sint momenti. Interpretatio enim textus *Orationis adversus Graecos* maximi est momenti ad perspiciendam indolem Christianismi Orientalis, quod genus Christianismi, quamvis numquam prorsus neglectum, nostris temporibus certe haud neglegendum est. Est enim testis praestantissimus, quomodo Oriens capta captorem ceperit et non modo novas superstitiones sed aliam mentem intulerit imperio Romano. Orientalismus ipse — quae res summi ponderis nobis quidem videtur, brevitatis causa hoc nomine opinionem publicam de mundo invisibili indicantibus, qualis aetate imperatoria valebat apud civitates circa fines Parthorum et Romanorum — multum refert ad interpretationem fontium religionis nostrae et criticen quae dicitur historica in hisce rebus exercendam. Liceat igitur proferre quae inter legendum notanda visa sunt. Magis ex re fortasse erit si res minoris pretii breviter ad finem relegabimus: nihil enim prodest ordinem orationis ipsius religiose observare.

In c. XIV editio Schwartziana haec praebet (p. 15, ll. 17 sqq.): ὥσθ' ὅπερ ἐστὶν αὐτοῖς περιττὸν (sc. τοῖς δαίμοσι)

Digitized by Google

ἐν τῷ νῦν, μὴ ὁμοίως τοῖς ἀνθρώποις ἀποθνήσκειν, τοῦθ' ὁπόταν μέλλωσι κολάζεσθαι πικρὸν αὐτοῖς * * οὐ μεθέξουσιν ἀιδίου ζωῆς ἀντὶ θανάτου ἐν ἀθανάτῳ μεταλαμβάνοντες. Hunc locum non sanandum esse Kukula et Puech putaverunt. Observandum tamen est πικρόν pro παρόν quod codices praebent a Wilamowitzio luculenter emendatum esse. Schwartzius in adnotatione supplet: πικρὸν αὐτοῖς ⟨ἀποβήσεται· τῶν γὰρ νῦν αἰώνων παρεληλυθότων⟩ οὐ μεθέξουσιν ἀιδίου ζωῆς, ἀντὶ ⟨τκύτης⟩ ἐν ἀθανάτῳ ⟨θανάτου⟩ μεταλαμβάνοντες, quod a Tatiani stylo alienum esse facile perspiciet lector. Nodus totius difficultatis mihi in verbis ἀντὶ θανάτου ἐν ἀθανάτῳ latere videtur. Hic iam Maranus viam ducit, legens uno verbo et levissima mutatione ἀντιθανάτου. Composita cum αντι-non minus quam sex in ipso indice verborum praesto sunt, verbalia — ut vocantur — quidem, sed satis quae comprobant eiusmodi compositum a Tatiani dicendi genere non abhorrere. Non igitur opus tot verbis est ut lacunam expleamus. Simpliciter legendum: τοῦθ' ὁπόταν μέλλωσι κολάζεσθαι πικρὸν αὐτοῖς· ⟨πόν⟩ου μεθέξουσιν ἀιδίου, ζωῆς ἀντιθανάτου ἐν ἀθανάτῳ μεταλαμβάνοντες. Ut versione explicem: „*quamobrem idipsum quo nunc magis fruuntur — scilicet non sicut homines mori — tunc instante poena amarissimum istis: doloris participes erunt aeterni, vitam morte peiorem accipientes*". Quod quomodo pertineat ad indolem Christianismi vulgaris in partibus orientalibus imperii perspicies manu volvens quae Bardesanes in *Dialogo de Fato* (syriace: De legibus Regionum) scripsit ut a Deo removeret primas causas mali. Ingeniose enim Deum ratione paedagogica omnes animas dicit ipsarum culpa necessariis malis puniri iussisse ut ex hoc condicione sacram eius voluntatem in fine perciperent et voluntaria oboedientia omnia in harmoniam revocarentur. Eadem fere fuit Origenis sententia: homines docti pondus opinionis doctorum persenserunt de reditu omnium fragmentorum divinae substantiae in unum quamquam minime ad Christianismum quadrantis: indoctis talia curae non erant.

Ad C. XV, XVI (p. 17, ll. 8 sqq.) Puech monet „Kukulam recte observasse textum MSS. non esse corrigendum", quem e contrario Schwartzius in apparatu critico graviter corruptum

Digitized by Google

censet. Sunt autem haec: *Δυνατὸν δὲ παντὶ τῷ νενικημένῳ πάλιν νικᾶν, τοῦ θανάτου τὴν σύστασιν παραιτούμενον· τίς δέ ἐστιν αὕτη, εὐσύνοπτον ἔσται τοῖς βουλομένοις ἀνθρώποις τὸ ἀθάνατον.* (XVI) *Δαίμονες δὲ οἱ τοῖς ἀνθρώποις ἐπιτάττοντες οὔκ εἰσιν αἱ τῶν ἀνθρώπων ψυχαί.* Schwartzius in praefatione huiusmodi medelam proponit (p. VIII): *Τίς δέ ἐστιν αὕτη ⟨ἡ κλῆσις,* cf. l. 5 sq.*⟩ εὐσύνοπτον ἔσται τοῖς βουλομένοις ⟨μαθεῖν παρὰ τοῦ πνεύματος ὃ δίδωσι τοῖς⟩ ἀνθρώποις τὸ ἀθάνατον.* Mihi haec parum arrident, cum praesertim Puech iam rectissime monuerit, *αὕτη* non referre ad partem contextus quae longe abest sed ad ipsum vocabulum *σύστασιν*, cuius interpretatio non ita difficilis est. Locus, non quidem graviter corruptus, hoc modo sanandus videtur: *Τίς δέ ἐστιν αὕτη, εὐσύνοπτον ἔσται τοῖς βουλομένοις ἀνΑθΕωΡΗσΑι τὸ ἀθάνατον. Δαίμονες δὲ οἱ τοῖς ἀνθρώποις.* Ex aberratione oculorum et simul propter analogiam cum *βουλομένοις* ex *ἀναθεωρῆσαι* lectio inepta orta est. Quid enim vult *βούλεσθαι τὸ ἀγαθόν* in contextu qui de *εὐσύνοπτον εἶναι* aget? Loci Latine versi sensus perspicuus erit: „*Quivis victus resurgere ad victoriam potest, mortis natura reiecta. Quaenam ista sit haud difficile perspiciet qui diligenter considerare velit quid sit ipsum ›immortale‹. Daemones autem hominibus insidiantes non hominum sunt animae*". Tatiani fide haud difficilis erit notio *σύστασις τοῦ θανάτου*. Est quidem ut dicit. *Σύστασις* opponenda *ὑποστάσει*, *ὑπόστασις* autem *ὑποθέσει*. Est autem *ὑπόθεσις* id quod mente nostra velut internam rerum structuram putamus esse. Mente concipientes e. g. causam structurae crystalli, supponimus matteriae, i. e. *ὑποτίθεμεν*, contextum quiddam invisibile reticulatim dispositum. Quod si re vera et materialiter, ut ita dicam, *esse* demonstratur, id ipsum nondum *ὑπόθεσις* sed *ὑπόστασις* ipsius crystalli est. Si enim dissolvitur aqua, forma visibilis cubi vel rhombi iam nusquam est. Attamen ista *ὑπόστασις* in aqua salsa latet. Exsiccata materia se in formam, quae *ὑποστάσει* congrua erit, iterum contrahet. Materia igitur in statu congruentiae cum *ὑποστάσει* ipsius *συνίστασθαι* dicitur. *Σύστασις τοῦ θανάτου* ideo metaphorice usurpatur pro congruentia statûs mortalitatis, in qua omnia quae vivunt versantur, cum invisibili quadam concatenatione, quae res vel substantia — si sensu moderno hoc verbum sumere licet — mortis metapho-

Digitized by Google

rice dici potest. Haec est *ὑπόστασις τοῦ θανάτου*, quam, si ad Deum referre vis, sicut apostolus ad Romanos (VIII 2), *νόμον ἁμαρτίας καὶ θανάτου* (opp. *νόμος τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς*) vocabis. Apostolus Paulus autem *νόμον* non impersonalem quandam regulam naturae sed ipsam voluntatem personalis Dei vocat. Quantum intersit inter Tatiani et eius modos cogitandi et itidem quomodo notio ista *νόμου* apud Paulum a nostra abhorreat quoad artius cum Tatianea congruit, non est quod hic diiudicemus.

Legimus in C. XI (p. 12, ll. 6 sqq.): *Πλειόνων χρήζουσιν οἱ πλουτοῦντες καὶ δι' ἀξιοπιστίας μετὰ τῆς δόξης γίνονται πένης δὲ ὁ μετριώτατος τῶν καθ' ἑαυτὸν ἐφιέμενος εὐμαρέστερον περιγίνεται.* Haec omnium consensu corrupta sunt. Ponschab et Kukula existimant locum levissima mutatione, sc. *γινόμενοι* pro *γίνονται*, rectum sensum dare. Puech, aliam viam ingressus, *μετὰ τῆς δόξης γίνονται πεν⟨έστεροι⟩* scribere vult. Schwartz et Wilamowitz consentiunt in lectione *οἱ πλουτοῦντες [μετ]' ἀξιοπιστίας [καὶ διὰ] τῆς δόξης γίνονται πένη⟨τε⟩ς, [ὁ δὲ] μετριώτατος κ. τ. λ.*, tralaticia emendatione locum nec ipsi prorsus sanantes. Etenim si latine exprimere sensum conaberis, non poteris non haerere in inextricabili ut puto difficultate. Vox ipsa *ἀξιοπιστία* versionem *ἀξιόπιστον* esse non sinit.

Legi velim: *Πλειόνων χρήζουσιν οἱ πλουτοῦντες καὶ δι' ἀξιοπιστίας τῆς δόξης μεταγίνονται*, praepositione *μετὰ*, quae ex *μεταγίνονται* incuria irrepsit, prorsus deleta. Hoc modo lusum verborum menti Tatiani velut Semiticae prorsus aptum restituerimus. Est enim *μεταγίνεσθαι mutari*: divitiae, pernicies divitum, mentem eorum captant in degenerationem. Est iterum *γίνεσθαι μετά τι*, *fieri*, *nasci post quid*: non est si divitiae absunt, nativitas istorum ex foeditate divitiarum. Est etiam tertius usus, e. g. in II Macc. II 2 obvius, ubi *μεταγινόμενος exsul* vocatur. *Τῆς δόξης μεταγίνονται*: *gloriae aeternae* exsules sunt propter ista. Talia apud scriptores Syriacos et Hebraïcos, in ipsis evangeliis et apud Paulum satis obvia. Est varietas quaedam figurae sermonis quam Rabbini *chidam*, i. e. *aenigma* vocant. Textum hoc modo ex omni parte aptum et perspicuum habebimus, quem sic vertere licebit: „*Divitibus rebus plurimis*

Digitized by Google

opus est et verisimilitudine speciei (vel: *opinionis, famae, gloriae) animus eorum mutatur* (vel: *ex splendore caelesti pelluntur), pauper autem vel artissimis terminis circumscriptus, si modo quae licent vult, commode servatur*".

Iterum locus difficilior censetur c. XVI (p. 17, ll. 22 sqq.): Ἀλλ' οὔτε ἡμᾶς τὸ ἐν κόσμῳ λέληθε καὶ ὑμῖν εὐκατάληπτον ἔσται τὸ θεῖον τῆς ἀπαθανατιζούσης τὰς ψυχὰς * * ὑμῖν προσελθούσης. Βλέπονται δὲ καὶ ὑπὸ τῶν ψυχικῶν οἱ δαίμονες, ἔσθ' ὅτε τοῖς ἀνθρώποις ἑαυτοὺς ἐκείνων δεικνύντων, ἵνα τε νομισθῶσιν εἶναί τινες ἢ καί τι βλάψωσι καθάπερ πολεμίους, φίλοι κακοὶ τὴν γνώμην ὑπάρχοντες. Schwartzius lacunam, quam asteriscis notavit, explere vult lectione ⟨λόγου δυνάμεως⟩. Ego quidem proponere velim ⟨γνώσεως⟩, quia de sapientia illa (cf. XII, p. 13, l. 26, XIX, p. 21, l. 10) agitur de qua Reitzenstein multa luculenter et diserte monuit. Γνῶσις Orientalismi est specialis notio, quam ex scriptis Hermeticis et lucubrationibus gnosticorum cognoscere licet et quae itidem in mente auditorum Pauli e. g. saepius obvia est ut ex ἀντισπασμοῖς sermonis apostolicae apparet. Observanda quoque ironica collocatio γνώσεως et prioris partis sententiae. Maiorem autem difficultatem reliqua pars huiusce effati praebet. Schwartzius haec levigavisse putat legendo ἵνα [εἶναί τι] νομισθῶσιν ἢ καί [τινΑς] βλάψωσιν κ. τ. λ. Delet igitur τε et levem tralationem accepit.

Si autem tralatio necessaria erit, quod omnino affirmare velim, maiore ambitu opus est. Lectio vera mihi videtur: ἵνα τε νομισθῶσιν εἶναι [φίλοι, κακοὶ τὴν γνώμην ὑπάρχοντες,] ἢ καί τι [νΑς] βλάψωσι καθάπερ πολεμίους, ἢ τῆς εἰς αὐτοὺς θρησκείας τοῖς ὁμοίοις αὐτοῖς τὰς ἀφορμὰς παρασχώσιν. Sententia tota latina sic fere est: „*Non fugit nos quidem status mundi (infralunaris) nec fugiet vos vel paullulum divinitas illius sapientiae quae vobis suppliciter adiit animasque immortales facit. Daemones etiam a psychicis adspiciuntur cum interdum adspectu hominum semet ipsos produnt, ut amici putentur, malitiam semper mente volventes, vel etiam ut quosdam velut inimicos noceant, sive ut (hominibus) similibus ipsorum occasiones praebeant rituum quibus eos venerentur*".

Digitized by Google

Reliqua minoris momenti sed fortasse non prorsus neglegenda nunc exponere liceat. Caput VII, p. 7, ll. 10 sqq. ita legitur: Ὁ μὲν οὖν λόγος πρὸ τῆς τῶν ἀνθρώπων κατασκευῆς ἀγγέλιον δημιουργὸς γίνεται, τὸ δὲ ἑκάτερον τῆς ποιήσεως εἶδος αὐτεξούσιον γέγονε τἀγαθοῦ Φύσιν μὴ ἔχον ὃ * * πλὴν μόνον παρὰ τῷ θεῷ κ.τ.λ. Lacunam Kukula explere vult ὃ ⟨μὲν οὔκ ἐστιν ὄν⟩, Schwartzius magis feliciter ὃ ⟨τέλειον μὲν ἴσμεν ὑπάρχον οὐδαμοῦ⟩ πλὴν κ.τ.λ. Mihi minor ambitus praestare videtur: ὅ⟨περ οὐδαμοῦ⟩πλὴν μόνον παρὰ τῷ θεῷ κ.τ.λ.

Iterum c. XII, p. 13, ll. 15 legimus apud Schwartzium Ὅμως δ'οὖν καὶ οἱ δαίμονες, οὓς ὑμεῖς οὕτω φατέ, σύμπηξιν ἐξ ὕλης λαβόντες, κτησάμενοί τε πνεῦμα τὸ ἀπ' αὐτῆς. Kukula ὁμῶς legendum esse putat, cui assentior, πνεῦμα enim τὸ ἀπ' αὐτῆς luce clarius respicit ad explicationem quam Tatianus supra (ll. 8—11) dedit de πνεύματι ὑλικῷ. Solummodo dubito an ὁμοίως legendum sit.

Ad c. III (p. 4, ll. 2 sq.) Schwartzius in praefatione libri, p. VII, refert, de quo infra. Textus habet: καὶ ὁ θεὸς κακῶν ἀποδειχθήσεται κατ' αὐτὸν ποιητὴς, ἐν ἀμάραις τε καὶ σκώληξι καὶ ἀρρητουργοῖς καταγινόμενος. Ἐμπεδοκλέους γὰρ τὸ ἀλαζονικὸν αἱ κατὰ τὴν Σικελίαν τοῦ πυρὸς ἀναφυσήσεις ἀπέδειξαν, ὅτι μὴ θεὸς ὢν τοῦθ' ὅπερ ἔλεγεν εἶναι κατεψεύδετο. Vox ἀμάραις secundum Puech — et id quidem recte — non quadrat ad reliqua, ubi de animantibus est sermo. Verisimile mihi videtur Tatianum scripsisse: ἐν ἀμάραις τε καὶ σωλῆΣι καὶ ἀρρητουργΕίοις i. e. *in fossis, cloacis et latebris Sodomitarum.* Vehementia et acerbitas ei nusquam desunt, verecundiam erga aliter sentientes frustra quaeres.

Posteriorem partem sententiae Schwartzius in praefatione ita emendavit: ὅτι, μὴ θεὸς ὢν, τοῦθ', ⟨ᾧ⟩περ ἔλεγεν, εἶναι κατεψεύδετο, quod ipse vertit „*se deum esse, cum non esset, eo quod dixit ementitus est*". Minus aptam ibi lectionem ⟨δι' ὧν⟩περ censet. Sed ambae inutiles mihi quidem videntur.

In c. XX, p. 22 ll. 29, 30 iam Maranus vidit ὑμῶν pro ἡμῶν legendum esse in sententia Ἡμεῖς δὲ τὰ ὑφ' ⟨ὑ⟩μῶν

Digitized by Google

ἀγνοούμενα διὰ προφητῶν μεμαθήκαμεν. Id quidem rectissime, quia nulla mentio fit ἀντιθέσεως inter ignorantiam Christianorum, quae lumine prophetico pellitur, et tenebras idololatrarum, quas lumine naturali pelli non sinerent.

Tres observationes in c. XII hanc seriem claudant. Πᾶσαν ἔστιν ἰδεῖν τοῦ κόσμου τὴν κατασκευὴν... γεγονυῖαν ἐξ ὕλης καὶ τὴν ὕλην δὲ αὐτὴν ὑπὸ τοῦ θεοῦ προβεβλημένην, ἵνα τὸ μέν τι αὐτῆς ἄπειρον καὶ ἀσχημάτιστον νοῆται. Vox ἄπειρον, a Wilamowitzio restituta pro MSS. ἄπορον, Schwartzius (praef. p. VIII) nescit an mutanda sit in ἄποιον. Etenim mutanda: quadrat optime ad ἀσχημάτιστον et ad sententiam Tatiani ipsissimo loco de προβολῇ τῆς ὕλης.

Scholium (ex codice Parisino 174 [P], saec. XII) Arethae episcopi Caesareae in Cappadocia (860—950 ±) ad p. 13, l. 11. Schwartzius in p. 46 exscripsit: πνεῦμα καὶ τὴν ἐν τοῖς οὖσιν ἀκουστέον δημιουργικὴν δύναμιν, καθ' ἣν ἕκαστον εἶδος, τοῖς ὑπ' αὐτὸ τὸ ὅμοιον τοῦ προαγαγόντος ὑφίστησιν. Nescio an post προαγαγόντος legendum sit ⟨γενομένοις⟩. Huiusmodi omissa in scholiis saepius inveniuntur. Sensus mihi videtur hic: „Πνεῦμα *etiam intellegitur potentia formativa, secundum quam utrique generi* (hominum scilicet qui τὸν διάκονον τοῦ πεπονθότος θεοῦ aut acceperunt aut non) *exsistentiam dat, quippe qui gignantur sub regimine semper sui simili Procreatoris*".

Ut finem faciam locum subobscurum ex eodem capite proferre velim. Legimus p. 13, ll. 23—28: Ὁ δὲ τῶν ὅλων δεσπότης ἐντρυφᾶν αὐτοὺς (sc. τοὺς δαίμονας) εἶασε μέχρις ἂν ὁ κόσμος πέρας λαβὼν ἀναλυθῇ, καὶ ὁ δικαστὴς παραγένηται, καὶ πάντες οἱ ἄνθρωποι διὰ τῆς τῶν δαιμόνων ἐπαναστάσεως ἀφιέμενοι τῆς τοῦ τελείου θεοῦ γνώσεως τελειοτέραν διὰ τῶν ἀγώνων ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως τὴν μαρτυρίαν λάβωσιν. Haec admodum clara et perspicua, sed Schwartzius vocem ἀφιέμενοι e coniectura pro ἐφιέμενοι, quod codices exhibent, posuit. Mallem ἀφιστάμενοι, nisi lectio manuscripta ab hac emendatione ninis discreparet. Unde ortum enim caperet si ea prisca fuisset veritas. Tamen ἀφιέμενοι in contextu parum placet. Vertamus: „*Dominus autem*

Digitized by Google

universi daemones luxuriari passus est usque dum finem faciet solvendo mundum et adveniet iudex omnesque homines capiant... quid? Et quomodo? Τελειοτέραν τὴν μαρτυρίαν sed cuius rei, pravitatis aut fidei? Διὰ τῶν ἀγώνων, estne hoc διὰ τῶν προεληλυθότων τῇ τῆς κρίσεως ἡμέρᾳ ἀγώνων vel aliud quid? Explicatio Graecorum qui ἐφιέμενοι scripserunt responsa prorsus opposita dat iis quae Schwartzio hoc loco placere videntur. Talia permulta in promptu sunt. Utinam quis nobis commentarios omni numero absolutos daret! Tanto labore Tatianus certe dignissimus est.

Ad Ovidii Metam. III, 87 sqq.

(Cadmus serpentem vulneravit)

Sed leve vulnus erat, quia se retrahebat ab ictu,
laesaque colla dabat retro, plagamque *se*dere
*ce*dendo arcebat, nec longius ire sinebat.

Hunc ego verborum lusum considerandum do iis qui nunc *amikitia*, *fakere* simm. pronuntiant. Nam quin lusus verborum insit in his: *Sedere cedendo arcebat* quis dubitet? Et nonne totis versibus 88 et 89 poeta serpentis imitatur sibila?

I. I. H.

Digitized by Google

VERBA SACRAMENTI IN PAULI AD CORINTHIOS I

Cap. XI : 24.

SCRIPSIT

J. DE ZWAAN.

Locus ille vexatus antiquitus sonabat: ἔλαβεν ἄρτον καὶ εὐχαριστήσας ἔκλασεν καὶ εἶπεν· τοῦτό μού ἐστιν τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν. Interpretatio vulgaris pendet a loco parallelo in Lucae evangelio c. XXII 19 b. 20, ubi sequitur τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον. Talia in textum nostrum quoque irrepserunt. Est autem textus Pauli solus antiquissimus et versus Lucae, etiam si genuini sint, seriorem traditionem praebent. Quod minus ad interpretationem et minime ad explendam ellipsin valent, sequitur ex indagatione MSS. et versionum. Gravissima probabilitas est ut hosce versus irreptitios iudicare debeamus. Haec an recte sint iudicata, in medio relinquimus, quia constat omni modo sensum Paulini textûs ex ipsius verbis — non aliunde petendum esse. Et hic nulla via nos ducit ad eiusmodi interpretationem, quoniam ipse Paulus de calice loquens nihil etiam illo loco (vs. 25) dicit praeter: τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καίνη διαθήκη ἐστιν ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι. Abest igitur etiam hic in antiquissima traditione interpretamentum, quod in Lucae textum ad vs. 20 irrepsit, sc. (ἐν τῷ αἵματί μου) τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον, ubi sensus ad αἷμα sed constructio ad verbum ποτήριον animum advertit!

Non est autem in Pauli verbis I Cor. XI 24 ellipsis, ut vulgo putant. Si modo recte nobis in memoriam revocamus

Digitized by Google

imaginem mentalem, ut ita dicam, quam sibi figurabant priscae aetatis discipuli ad verba τὸ σῶμα τοῦ κυρίου (τοῦ Χριστοῦ), perspicitur difficultas et nexus τῶν διανοιῶν per se clarus erit.

Difficultas vulgo creditur esse in fine verborum, ubi verba τὸ ὑπὲρ ὑμῶν pendere videntur, et obscuritas certe inest comparationi — si enim comparationem dicere licet — τοῦ σώματος cum *pane*. Ubi quaeso, nexum inveniamus inter ἄρτον et σῶμα? Nititur haec comparatio, ut docemur, relatione evangelica de verbis Christi in coena, ubi ipse Christus corpus suum cum pane comparaverit. Versu priore Paulus ad haec ipsa revocat verbis παρέλαβον ἀπὸ τοῦ κυρίου ὃ καὶ παρέδωκα ὑμῖν ὅτι ὁ κύριος Ἰησοῦς ἐν τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδετο ἔλαβεν ἄρτον *et seq.* Haec in dubium vocare ego certe nollem, sed hisce rectissime observatis nondum explicatum est quomodo *in mente hominum Levantinorum* —, si voce hodierna uti licebit — nexus inter aspectum panis et abstractam ut dicunt notionem corporis cuiusdam Christi originem capere potuerit. Haec enim quaestio eo magis ad rem pertinere videbitur, cum observabimus apostolum verba τὸ ὑπὲρ ὑμῶν *non* explicavisse implemento τινι velut: ἐκχυννόμενον, quod apud Lucam extat, vel: κλώμενον ut codd. *Sinaiticic*, C^3, $D^{b.c}$, *E. F. G*, *K. L. P*, Latini *d. e. g.*, *Syr*^{utr} et alii legunt, vel: διδόμενον aut: θρυπτόμενον ut alii testificantur. Omnes illi testes probant lectionem originalem non posse explicari, si enim nihil aliud afferes quam memoriam ultimae coenae et passionis Domini in cruce. Attamen oportet explicetur.

Hisce perpensis fortasse observare licebit doctrinam Pauli et opiniones aequalium eius de mundo invisibili alia fuisse quam quae apud nostrates valent. Magis accesserunt ista ad placita Stoicorum. Imprimis revocanda in memoriam est illa de *sphaera* doctrina, omnibus philologis hasce res colentibus nimirum notissima. Naturalis enim, ut ita dicam, forma corporis pneumatici, σώματός τινος πνευματικοῦ, putabatur esse τὸ σφαιροειδές. Exempla eius rei ad manum sunt. Unum solum afferam quod apud Eusebium obvium in *Praep. Evangelica* I § 8 (Ritter et Preller, *Hist. Ph. Gr.* 9 § 19). Est placitum Pseudo-Plutarchi; φησὶ δὲ τὸ ἐκ τοῦ ἀιδίου γόνιμον θερμοῦ τε καὶ ψυχροῦ κατὰ τὴν γένεσιν τοῦδε τοῦ κόσμου ἀποκριθῆναι καί TINA ἐκ τούτου ΦΛΟΓΟΣ CΦΑΙΡΑΝ περιφυῆναι τῷ περὶ τὴν γῆν ἀέρι

Digitized by Google

ὡς τῷ δένδρῳ φλοῖον. ἥστινος ἀπορραγείσης καὶ εἴς τινας ἀποκλεισθείσης κύκλους ὑποστῆναι τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην καὶ τοὺς ἀστέρας.

Simili quodam modo explicare velim picturam mentalem sub qua fideles priscae aetatis inter audiendum voces sacramentales τοῦτό ἐστιν·τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν rem ipsam et nexum eius cum pane, quem in mensa aspiciebant, sibi figuraverint.

Ὁ κύριος τὸ πνεῦμα ipse Apostolus eos instruxerat. Πνεῦμα autem est materia πυρωδὴς levissima quaedam et divina. Ut omnia caelestia corpus πνευματικόν — et id ipsum τὸ σῶμα τοῦ κυρίου apud eos esse constabat — formam τελεῖαν, h. e. *rotundam*, habere debebat.

Panis autem sacramentalis *rotunditate sua* non potuit non revocare aspicientes ad illam ipsam figuram mentalem rotunditatis h. e. omnipraesentiae corporis Christi post reditum eius in statum pneumaticum.

Iam facile perspicitur quid sibi velit τὸ ὑπὲρ ὑμῶν. Non opus est qualicumque interpretamento. Simpliciter sumenda sunt verba ista sensu locali: *hoc est corpus meum quod supra vos est.*

Eo ipso sensu perspicuum est quod animus auditorum ad caelestia attendebatur vocibus istis sacramentalibus. Quomodo specialem communionem et praecipue specialissimum nexum, quo panis ille benedictus cum pneumatico Christo cohaereret, sibi figuraverint, inexplicatum manet, sed non prorsus obscurum. Πνεῦμα enim proprie est τὸ διῆκον διὰ πάντων, hic autem potius συσταλὲν ἐν ἑνὶ ἐκ τῶν πάντων. Sed minime certum existimabitur talem revera fuisse sententiam eorum, quamquam multi hodierni fines inter Pauli opiniones et religiones, quae μυστήρια nuncupantur, non satis luculenter distinguunt. Ego quidem multum inter illa interesse sentio.

Eadem observatio fortasse quoque ad figuram rotundam calicis extendere liceret.

Digitized by Google

THE MAID OF THE MOOR-LANDS.

„What does that smile mean, maid of the Moor-lands,
Rippling like wavelets on silver-ribbed sands?"
„Wind of the West, O Wind of the West,
How can I tell thee what's locked in my breast?
Thine is the magic, thine the soft might,
Hast touched me to wonder, surprise and delight.
The Spring's in my veins: I feel his dear guile;
— Nay, tell me thyself, gentle Wind, why I smile!"

„What is that laughter for, maid of the Moor-lands,
Shaking as jewelled foam creaming the strands?"
„Wind of the South, O Wind of the South,
How may I name the joy bursts from my mouth?
Summer's warm breath hath caressed the rich sod,
Hath dwelt on my lips, like the kiss of a god!
Discourse to me, Wind, of this ardour divine
That fills me with mirth, as a draught of new wine!"

„What art thou weeping for, maid of the Moor-lands,
Shielding thine eyes with the mist-wreathing hands?"
„Wind of the East, O Wind of the East,
What mean these tears I shed, that I know least.
Cold is the pressure of sorrow, despair,
Laid to my heart by this dank Autumn air.
That which hath stirred in me sickens, betrayed
By its pain, O stern East Wind, and lo, I'm afraid!"

„What art thou brooding o'er, maid of the Moor-lands,
Watching the mystical wave of Time's wands?"
„Wind of the North, O Wind of the North,
I muse o'er the Hope attends Love's going forth.
Knowledge is come to me; Reason supreme
Hath lodged in the heart of me — therefore, I dream!
As Earth thrusts her shoots through pale Winter above,
So Joy, and the Pain, of Life quicken to Love!"

A. Blakiston.

Digitized by Google

NYMPHA ERICA.

„Dic, quid in ore tuo risus scintillat, Erica,
Undula ceu crispis rutilans illudit arenis?"
„Prodere qui possum — ne quaeras, aura Favoni! —
Qualiacumque meo pectore clausa iacent?
Nempe tuast artis magicae vis atque potestas,
Qua mihi miranti gaudia blanda moves.
Venae vere tument, grata velut illice captae:
Quin age et hic risus quid velit ipse doce!"

„Cur tollis tremulos, praedulcis Erica, cachinnos,
Litora ceu circa distinguit spuma refulgens?"
„Auster, qua ratione alacrem tibi pandere fando
Laetitiam, nostro quae ruit ore, queam?
Aura aestiva tepens ditis coquit ubera glebae,
Applicat et labris oscula casta meis.
Quis divinus adest ardor, mihi, vente, susurra,
Qui veluti vetulo nectare corda replet!"

„Cur tegit ista manus, nebulas qua texis, ocellos,
Dic age, quid gemis et ploras tam flebile, Erica?"
„Eure, procellosum flamen, quis credere possit?
Fletus assidui me quoque causa latet.
Frigida curarumst moles, spes omnis ademptast,
Quid quod et autumni me premit atra dies!
Quicquid adhuc viguit languet: sine viribus aegra
Praeque dolore vagor; vente ferox, metuo".

„Quid perstas meditans et contemplaris, Erica,
Arcanos motus, virgae quos Temporis edunt?"
„Quod Spes nascenti, Boreas dux, adstat Amori,
Id mecum reputo multaque iam meditor.
Hanc mentem tetigit praeclara Scientia rerum
Cum Ratione intrans — somnia nunc video!
Terra velut per humum gelidam sua germina mittit,
Sic ad Amorem abeunt Plausus et ipse Dolor".

P. H. Damsté.

Digitized by Google

EARTH'S MANY VOICES.

Speak to me, then, with that clear call which floats
Through all the Beauty that mine eye entrances,
And let me hear Thy Voice, whose lucent notes
Have each their thousand liquid utterances!
Soft, placid lispings of a summer sea;
Deep-throated boomings of the raging surge;
A dancing brooklet's murmur, and the glee
Of glancing eddies by a torrent's verge;
Sad, gentle sobbings of a languid wind,
And heady blusterings of the tempest's fray;
The plash of rain on fevered Earth's parched rind,
And droppings chill that cleanse her lush decay;
Hail's sharp artillery, and the snow flakes blown
Upon a breath as light as Life's last sigh;
When wracked by torrid suns, the rock's sweet moan, —
In steely frost's embrace, its rending cry;
The jagged lightning's riving crack, that rolls
In solemn diapason down the skies;
The whispering trees, whose groaning limbs and boles,
That travail mightily, majestic rise
Each with her several voice; a bursting pod;
An opening bud; the very leaf's unfold;
And ceaselessly, by Nature's magic rod,
The tender shoot's disdain of clinging mould.
Ah! let me hearken well, that not a strain
Of all this melody escapes my heart!
Open mine ears, that every rare refrain
I, musing, catch ere it in muteness part!
When as, in mystic tones, Thou speakest plain,
Grant that I be not deaf, Lord, to Thine Art!

A. Blakiston.

Digitized by Google

VOX MAXIMA MUNDI.

Eia age, funde illo claro clamore loquelas
  Per quaecumque tuens splendida detineor,
Et vocem mihi volve Tuam, quae mille canoris
  Quamvis ipsa sonans est modulata modis!
Sunt maris aestivi tenues placidique susurri,
  Sunt strepitus, raucis quos rotat aestus aquis;
Murmura sunt rivi salientis, cantica sunt quae
  Sub torrente crepant verticibus nitidis.
Tristia nunc languens ducit suspiria ventus,
  Nunc graviter reboans saeva procella gemit.
Cum stridore ruit sitientes imber in agros
  Et loca senta situ frigida gutta lavat.
Grandine pugnat hiems acri nivibusque caducis:
  Lenius haud umquam vita caduca fugit.
Saxum flebiliter queritur modo sole perustum,
  Nunc pressum nimio clamat acerba gelu.
Aetherio caelum resonat tellusque fragore,
  Fulgore et rutilo fulgura dissiliunt.
Arbor quot viridans, quot habet lethargica voces,
  Sive comas molles seu sua membra movet!
Ipsaque dum tollit teneras ad sidera frondes,
  Turgida cum foliis germina lene crepant,
Protinus et magico Naturae concita thyrso
  Lentam dedignans gemma resolvit humum.
Ah! Genitor, sine percipiam, ne quis sonus umquam
  Concentus tanti me fugiens lateat!
Auribus instilla rarum quemcumque sonorem,
  Quem captem meditans, ne mihi mutus eat!
Tu cum verba, Pater, sine voce loquentia dicis,
  O utinam patulis auribus ista feram!

P. H. Damsté.

Digitized by Google

QUERIMONIA.

O spes fallaces hominum! Versiculos hosce, quos ineunte anno huic volumini inserendos curavi:

Barbariem terrarum orbi iam saepe minatam
Servitium, prae quo libera Persis erat,
Te (sc. Anglia) duce, te socia, te milite vicerat ille

laetis plausibus et approbationibus exceptum iri exspectaveram ab omnibus quidem populis, sed vel maxime a gente Germanorum, cum ab omnibus eius civibus, tum vero a viris doctis. At, eheu, nuntius ad me pervenit, propter innocua illa disticha graviter illos mihi irasci omnes, sed praeter ceteros philologos, placidum genus et pacis otiique cupidissimum. Quid quod deliberare inter se illorum audio collegia, quomodo possint de antiqua nostra Mnemosyne graves sumere poenas. Quid est in clara luce caecutire, si hoc non est? Quae enim est illa *barbaries? Est* autem? Immo vero *fuit*. Nam abiit, excessit, evasit, erupit. Ipse populus Germanus eam pepulit in exsilium: factionem illam dico militarem, quae diu miseros oppressit cives et ad vim cunctis mortalibus inferendam dura nimis exercuit militia. Nunc iacet oppressa, universa, ut tunc putabam, plaudente et gaudente gente humana; nunc iacet monstrum istud, vinctum oppressumque. De qua re quod sum gratulatus toti genti humanae, ecquid dignus eram cui ex animi sententia plauderent quotquot sunt in orbe terrarum viri literarii, sed praeter ceteros ii qui *hodiernae* sunt Germaniae gloriae decorique?

I. I. Hartman.

Digitized by Google

PEERLKAMPIANA.

SCRIPSIT

I. I. HARTMAN.

Ohe, actum *aiunt*, ne agas.
non agam? immo haud desinam
(Terentius).

Omnibus qui nunc aliquam lucubrationem philologicam in lucem edunt vel posthac edituri sunt, eum apprecor successum quo usus est Peerlkampius, cum Horatii Carmina et Epodos, a se purgata et additamentis liberata doctorum permisisset iudicio.

Ridebunt, sat scio, aequalium multi hasce preces meas et „πολεμίοις καὶ ἐχθροῖς γένοιτο τοῦτό γε" clamabunt. „An unquam quisquam ex animi sententia Peerlkampio plausit vel se eandem sequi sectam clara declaravit voce? Omittamus enim Lehrsios Gruppiosque qui sententia eius tam audacter sunt abusi ut totam eam redderent ridiculam. Immo vero ne adversarios quidem eiusmodi nactus est Peerlkampius, quorum observationes in usum suum ita posset convertere ut mutando, demendo, addendo suam ipse doctrinam posset corrigere. Qui de eius studiis Horatianis scripserunt vehementer in eum sunt invecti gravique indignatione levitatem eius notarunt. Tacuerunt reliqui et in alia omnia abierunt".

Vera haec videntur omnia — refutantur tamen una hac re quod tandem aliquando Horatii Peerlkampiani nulla iam in librariorum scriniis supererant exemplaria. „Tandem aliquando" aio, nam inter priorem et alteram editionem paulo minus triginta intercesserunt anni.

Digitized by Google

At id ipsum Peerlkampio laudi fuit gloriaeque. Apparebat enim non subitum in eius opus factum impetum a rerum quamvis ineptarum, dummodo novae essent et inauditae, curiosis, sed aequabili tractu quicunque se ad Horatio operam dandam accingeret exemplum eius emisse, legisse, in capsis reposuisse donec omnia suum sibi emptorem essent nacta. Quo cum perventum esset, librarius-editor, vir cautus et circumspectus minimeque nummorum prodigus, tamen denuo librum in lucem emittere ausus est, hic illic mutatum correctumque. Quodsi non eodem fere tempore nox illa ingruisset barbariae qua homines magis magisque ea tantum curare coeperunt quae aliquam afferre utilitatem, id est aliquam lucri et emolumenti dare spem viderentur, eaque omnia contemnere quae menti tantummodo excolendae essent idonea literarumque bonarum studium magis magisque negligebatur, nostra aetas tertiam, quartam, quintam fortasse Peerlkampiani Horatii vidisset editionem. Nemo enim aequalium nostrorum adeo est praesentis temporis admirator et contemptor praeteriti, nemo tam pertinaciter suo stat iudicio quin, simulatque Horatio operam dare decrevit, duos sibi comparet magistros quos in quavis re dubia consulat interrogetque: Bentleium et Peerlkampium.

Numquam duo nomina tam indissolubiliter inter se iuncta fuerunt quam illa Nederlandici huius et illius Anglici philologi. Neque mirum id quidem est: magnam enim rem Horatii hi editores habent communem: singularem veri bonique perspicacitatem natam e doctrina immensa semperque parata eique innixam. At — nolim enim quid sentiam reticere simulataque premere verecundia — Peerlkampius mihi semper maior visus est et numquam videri desinet. Bentleius enim, licet plerumque legentem sibi teneat devinctum, tantique acuminis et tam vastae doctrinae impleat admiratione, interdum tamen ei bilem movet videnti minutiis eum adhaerentem, suis implicitum inventis, semper docentem, numquam non sibi placentem plaudentemque. Talem eium experti sunt qui Phaedro eius usi sunt: bilem enim iis saepe hic movit editor, sescenties versibus inferciens *cum*, *ut*, *ubi* ne (id quod orationi Phaedrianae proprium est) inter se exciperent sententiae nullo inter se dominationis servitiique iunctae vinculo; vel qui Teren-

Digitized by Google

tium eius pervolvunt, cuius tot versus ille legibus a se latis parere coëgit, ne vocabulum quod emphasin haberet in thesi vel synisesi lateret et similia. Quanto latior est area, quam legentibus aperit Peerlkampius! Invitat eos ille incitatque ut ipsius observationes secum perpendant, ut quid quoque loco deceat, quid non cogitent statuantque, denique exemplis quodammodo, non praeceptis, eos philosophiae quae aesthetica dicitur docet elementa.

A Peerlkampio nemo non abit, si non doctior at excultior et ad dignoscendum quid sincerum sit, quid vitium crepet aptior.

Neque minus *demonstrandi* ratione egregii illi inter se discrepant critici. Peerlkampius opulenti alicuius patricii instar est, qui hospitibus supellectilem suam insigni arte factam, vasa argentea fictiliaque rara atque antiqua conspicienda exhibet, simulque quibus indiciis quid genuinum sit quid adulteratum intelligatur re ipsa docet. At Bentleius saepe artificis similis est, cuius praestigiis adstupeat spectator.

Idem tamen Bentleius, id quod res ipsa fert, convincendi et in suas partes pertrahendi arte longe Peerlkampium superat vincitque. Quam salse saepe iocatur, quam apte nova inmiscet antiquis, quam lepida semper e suo thesauro promit exempla! Peerlkampiana vero gravitas illa, quam modo laudabamus, saepe demonstrationi nocet obstatque. Unam tantummodo eius novi annotationem ubi iocari non est dedignatus.

Carminis II, 8 prima stropha haec est:

> Quid bellicosus Cantaber et Scytha,
> Hirpine Quinti, cogitet Hadria
> divisus obiecto remittas
> quaerere nec trepides e. q. s.

Ergo Cantaber metuendus est, est enim *bellicosus*, Scytha metuendus non est. Quidni? Interiacet enim inter eum et Quintium Hirpinum... non tota fere Europa, sed Hadria, isque est... obiectus. Dixeris divinam Providentiam ideo mare Adriaticum creasse ne bonus ille Quintius Scytharum metu sollicitam ageret vitam. Et sunt cetera carminis eiusdem farinae: nullus est versus, paene dixerim nullum est vocabulum, quod non absurdo aliquo laboret vitio. Omnia acute ingenioseque detexit Peerlkampius, omnia graviter notavit. De isto autem

Digitized by Google

Adria divisus hoc fere observat non minus inepte acturum fuisse civem Lugdunensem, qui tumultuantibus Russis sic amicum Amstelodami viventem consolaretur: „Russos timere noli: interiacet enim inter te et illos totum Ya flumen".

Unico hoc contentus fuit ioco Peerlkampius: at perpetua fuerat perstringendum cavillatione totum carmen. Tamquam in scenam fuerant introducendi senes isti, quid agerent, quid dicerent ignari et a sobrio rusticoque convivio ad summam ebrietatis delapsi turpitudinem. Sic demum sperari poterat vel ipsos Kiesslingios praesentes futurosque persensuros talia ne ab aegrotante quidem vel somnolento Horatio scribi potuisse.

Nunc saepe res sic se habet: quaecunque ad aliquem locum Horatio abiudicandum afferri possunt argumenta, ea omnia probe perspexit et cognita habuit Peerlkampius, sed saepe unum illud quod totam rem conficit tantum abest ut satis in clara ab eo ponatur luce, ut nobis, sero natis eius discipulis ex Peerlkampii sit protrahendum annotationibus et ita illustrandum ut splendeat fulgeatque. Primum afferam exemplum e c. IV, 8, sed de hoc carmine me disputare non posse intelligo, nisi prius de famosa illa,

lege Meinekiana

quid censeam declaravero. Statuit ergo Meinekius omnia Horatii carmina disticha et monosticha tamen in quaternorum fuisse divisa versuum strophas. Miram hercle legem et ipsi hominis naturae repugnantem! Vide mihi ipsum Horatiani operis exordium:

Maecenas, atavis edite regibus,
O et praesidium et dulce decus meum!
Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse iuvat, metaque fervidis.

Bellam profecto stropham apteque clausam! Audi porro evitata rotis.

Quis unquam novam stropham sic inchoavit?

At omnino quis potest credere Horatium tam insanam legem esse commentum seque ei adstrinxisse, qui in Epodis nullum eiusmodi studii reliquerit vestigium?

Et tamen incredibile istud sat specioso se tutari potest argumento. Unicum enim carmen (hoc nostrum dico IV, 8)

Digitized by Google

quod iam versuum suorum numero legi Meinekianae refragetur, tam manifestis laborat additamentis, ut non sit temerarium coniicere hoc quoque olim e quaternorum versuum strophis constitisse.

Me si rogas, equidem hoc argumento utendum censeo ad rem prorsus diversam demonstrandam. Credo enim interpolatores aut interpolatorum ultimum, operam dedisse ut additamentis suis eum implerent versuum numerum qui, nullo versu residuo, in strophas scilicet quaternorum versuum digeri posset, idque iis in ceteris carminibus ut perficerent contigisse, in hoc non contigisse.

Sed hoc mitto, ad ipsam huius me converto carminis interpolationem:

Non incisa notis marmora publicis,
per quae spiritus et vita redit bonis
post mortem ducibus, non celeres fugae
reiectaeque retrorsum Hannibalis minae,
non incendia Carthaginis impiae
eius, qui domita nomen ab Africa,
lucratus rediit clarius indicant
laudes quam Calabrae Pierides e. q. s.

Quid hic non reprehendendum? Omnis ludibrio habetur historia, confunduntur inter se duo Scipiones, Ennius Scipionis Aemiliani fit aequalis, et quod minus etiam tolerabile est, laeduntur aures nostrae puerili hoc Asclepiadeo:

non incendia Carthaginis impiae.

Nihil horum Peerlkampii fugit acumen iudiciumque. Sed quod unum omnium est absurdissimum vitium, id nobis e silentio potius intelligendum reliquit quam quod disertis verbis sit profatus. Ut enim incredibiles istos in historiam commissos errores taceamus, hoc argumento utitur poeta: „res a Scipione gestae non tam clarum eum reddiderunt quam Carmina Ennii." At, obsecro, si quis rebus gestis inclaruit, qua via et qua ratione illud evenit? Ut opinor, carmina poetarum et narrationes historicorum eas celebrarunt et memoriae tradiderunt: possuntne ergo ullo modo *inter se opponi* res a duce aliquo gestae et carmina de ipsis illis rebus gestis? Quod tamen hic fit.

Digitized by Google

Age iam ad eandem lucem duos ex *Epodis* locos consideremus et in eandem sententiam de iis disputemus.

Sed ante omnia palam declaro confiteorque totum mihi illud epodorum opusculum mysterii instar esse. Quid enim? Paenultimum eius carmen (16) anni est 41, at cum id quod nunc primum est componebat iam a Maecenate praedium in Sabinis acceperat. Est ergo epodos I scripta eodem fere tempore quo S. II, 6 (hoc erat in votis), hoc est anno 31. Igitur per plus decem annos huic opusculo dedit operam Horatius, tum demum in lucem edere decrevit. At quam varium illud est et multiplex! Modo poeta acerbissimis conviciis et maledictis in certum aliquem inimicum vel inimicam invehitur, modo leniter et urbane perstringit in universum aequalium mores; nunc de tristi patriae sorte lamentatur, nunc ob reportatam exsultat gaudio victoriam; de suis agit amoribus poesique et quid non? Interdum eum praesertim rei metricae dare operam credis: incipit enim a decem carminibus, quae sunt verae epodi, utpote quae constent e trimetris et dimetris iambicis inter se alternantibus, sed sequuntur septem quae epodorum nihil habent; unum versus genus (iambelegum 13) ab ipso esse inventum perquam est credibile; paenultimi carminis (16) senarii sunt puri omnes (arduum, hercle, opus poetae latino!), ultimi vero senarios adeo limavit ut etiam rationem haberet legis quam multis saeculis postea erat inventurus Porsonus (pausam Porsonianam). Hoc certe iuvenile opus dixeris, sed hanc palinodiam scriptam esse *post* cetera omnia carmina, ubi Canidia ridetur vel dilaceratur, res ipsa clamat. Denique, quocumque te vertis, numquam rem eo perducis ut de totius libelli historia, indole, consilio tibi certam informes opinionem quam paucis possis enuntiare verbis.

Hoc tamen septendecim illa odaria inter se habent commune: versibus limpidissimis, auditu suavissimis, tersissimis, oratione vero perspicua, et quatenus non obstat ipsius argumenti spurcities — id quod in duobus fit tantummodo — pura et quam maxime eleganti sunt composita. At ceteris omnibus magis has meruit laudes illud *Beatus Ille*, quo nullum in latinis literis carmen notius atque laudatius esse arbitror. Sed ne hoc quidem statim veram suam naturam prodit legentibus. Aliquamdiu tibi rem

Digitized by Google

esse putas cum poeta qui toto, ut aiunt, pectore amat vitam rusticam, odit urbanam, ideoque commoda et amoenitates agrorum, silvarum, rivorum vividis depingit coloribus, sed sub finem haec omnia subito in risum iocumque convertuntur: audis enim non poetae ipsius esse verba illa verum ruris amorem spirantia, sed feneratoris cuiusdam Alfii, qui temporis iudicium secutus multa declamavit ut et ipse probe nosse videretur quae vera esset felicitas, revera tamen nihil magis amat quam nummos, lucrum, fenora. Est ergo totum carmen multo similius satirae atque cavillationis iocosae lepidaeque quam idyllii Theocritei Virgilianive, de quo genere maior multo pars te cogitare cogit.

Sed totius sermo est tam tersus, venustus, simplex, tam egregie decet loquentem ut nihil hic feras, quod sit obscurum horridum intricatum, nihil quod sine ullo totius carminis emolumento aliquam eius partem verbis oneret vero carentibus pondere.

Merito ergo Peerlkampius ista

quis non malarum quas amor curas habet
haec inter obliviscitur?

quae corrigere, scilicet, nunquam fortasse desinent viri docti, una litura delevit, quo facto omnia bene procedunt.

Sed aliud additamentum, multo etiam absurdius venustissimum dehonestat carmen.

Laudavit poeta dapes inemptas ab uxore rustica bene apparatas et: „non me" exclamat

non me Lucrina iuverint conchylia
magisve rhombus aut scari.

Non satis hoc visum sciolo, sed addidit:

Si quos Eois intonata fluctibus
hiems ad hoc verrat mare

βομβαλοβόμβαξ. Quorsum iste verborum strepitus in tam placida amoenae regionis descriptione? Verte vernacule ut penitus sentias quam sint haec ridicula et absurda:

„Wanneer soms een stormwind, *ingedonderd* in de Oostersche wateren, er eenige naar deze stranden *sleurt*"

(nam non est dubium quin interpolator, quamvis fuerit insulsus homo, tamen non tam fuerit expers omnis latinitatis, quin sentiret hic *verrat* esse legendum, non *vertat*. Ipsum illud

Digitized by Google

si quos et sequens coniunctivus verbum *verrat* flagitat, respuit vero commune istud et quotidianum *vertat*).

Nam quod certatim annotant editores „*intonata*, intransitive ut *pransus*, *titubatus*", quem movebit? Et quis mortalium credat *intonandi* verbum ullo modo sic adhiberi posse ut huc quadret?

Haec omnia probe Peerlkampius perspexit, sed argumentum quod solum per se luce clarius prodit impostorem, id disertius ab eo enuntiatum vellem. Quid enim rei est? Quidquid ad illa „non me iuverint magis... scari" sic addideris ut additur istud *si quos* e. q. s., plane pessumdederis veram loci sententiam. „Si sedula uxor mea" ait simulatus ille vitae rusticae amator „inemptas dapes apponat

non me Lucrina iuverint conchylia
magisve rhombus aut scari."

„Non me iuverint magis scari" ait, id est „scaros non curo, non moror". Ergo scaros neque habet neque habebit et ne habere quidem vult vel potest. Rem exemplo illustrabo hodiernis auribus apto. Homo, qui abstemius herbis vivit et urtica, si sic loquitur: „si meum lactis habeo poculum et cichoreae malvarumque aliquid ostrea non curo" sani hominis utitur sermone. Sed ineptit et nugatur, si quid in hunc modum addit: „si qua mihi e Zeelandia ab amico die natali meo mittuntur".

Alterum e *quinta* peto epodo sed prius haec praefanda videntur: Canidia ista quis est?

Verane saga, quam fama erat lunam et sidera de caelo devocare et mortuos in vitam revocare posse?

Quidni? Indoctae turbae semper fuit quidvis credendi plena facultas. Et pocula miscebat amatoria?

Hoc quoque poetae affirmanti credamus, licet res sit minus innocua. At eadem nobis depingitur tamquam terribilis venefica, quae ne pueros quidem dirissimis cruciatibus necare vereatur ut efficacem paret potionem. Quis, obsecro, hic quoque poetae praebeat aurem? Per longam enim annorum seriem scelestam mulierem impune tulisse tot et tanta maleficia sumendum sit. Nam et Satira I, 8 nobis saga Canidia describitur: hanc autem satiram natu maximum esse ex omnibus Horatii operibus vulgo recte statuitur. At recurrit eadem mulier ultima libri

Digitized by Google

secundi satira, quae haud paucis annis postea est composita. Tantamne rem tam negligenter tractasse triumviros nocturnos quis nobis probabit?

Scin quo modo talia satiricorum sint consideranda crimina? Eodem modo quo ea quae de suis inimicis narrant Comici Attici. Qui si dicunt quempiam hoc vel illud commisisse, id certe ab eo numquam commissum esse pro certo constat. Orestes ille qualis revera homo fuerit nusquam traditur. Unum scimus: eum *non* fuisse λωπυδύτην, *nam* talem eum nobis depingit Aristophanes. Per risum iocumque hoc ei nomen a sodalibus est inditum, perstititque in sermonibus colloquiisque otiosorum, secumque omnia traxit quae illud vocabulum audientium mentibus suggerere solet, donec tandem aliquando natus est Orestes, qui ad portam exspectat ambulantes, et Herculeo fuste concidit ut semimortuos (quidni et mortuos?) spoliare possit. Similiter se res habet in Pollionis fratre et in cinaedo Thallo apud Catullum neque minus apud Martialem in Hermogene illo qui tantus esset mapparum fur ut eo appropinquante vela substringerent nautae. Sic ab Horatio semel dicta est saga et venefica Canidia, labente tempore *facta* est omnium quotquot sunt maleficarum crudelissima saevissimaque. Ut equidem opinor, de vulgo meretricularum una fuit, quas adolescentuli leviores deperibant, sed prae rivale aliquo opulentiore Horatium nostrum sprevit, qui iusta ira motus libenter arripuit maledicendi facultatem quam ipsa ei praebebat Canidia: erat enim aliquot annis maior quam poeta noster. Ergo *anum* eam appellitavit, quo nullum est maledictum mordacius in mulierculam quae quam plurimis placere cupit. Hinc illae lacrimae. Quae enim magis inter se sunt cognata vocabula quam illa *anus*, *venefica*, *maga*? Et quae semel hoc accepit nomen, tandem aliquando tamquam omnibus Medeis terribilior legentibus ante oculos ponitur funestas suas et ferales exercens artes. En satis lepide excogitatam satiram. In qua quis quidquam dictum ferat quod sit obscure enuntiatum, atque adeo vim faciat manifestam certae legi cultioris latinitatis? Quod tamen hic fit. Magicis enim artibus ad se retrahere studet Canidia senem a qua spernitur. Sed cognoscit irritos esse conatus suos. Ergo et alia de perfido lamentatur amatore et haec

Digitized by Google

69 indormit unctis omnium cubilibus
oblivione paelicum

Quid sibi velint inepti hi versiculi interpolatoris semidocti aliquatenus tamen coniicere possumus. In mente habebat haec Catulliana:

et ille nunc superbus et superfluens
perambulabit omnium cubilia

et nunc conflare hanc studuit sententiolam quam lamentanti praeberet Canidiae: „iam video quid rei sit: me contemnit improbus et mecum omnes mulierculas: ad delicatos pueros ardorem suum contulit senilem". Proscripsit interpolationem Peerlkampius, sed nescio an in eius annotatione parum eluceat illud argumentum quo tota fraus in legentium incidat oculos quamvis infirmos. In tersissima purissimaque latinitate vox quae est *paelex* nunquam refertur ad maritum sed semper ad legitimam uxorem. Semele non Iovis est paelex sed Iunonis. At qui minus accurate scribunt mature iam a certa hac deflexerunt norma. Sic tandem aliquando eo est perventum ut *paelex* poneretur pro *meretrice* et *scorto*. Fugit hoc Vondelium nostrum, quem a Seneca tragico pendere aiunt. At scin quam bene ille Senecam intellexerit? In Phaedra nutrix alumnam suam a nefario amore hoc argumento abducere conatur: „genus omne (sc. mulierum) profugit" sed respondet Phaedra: „paelicis careo metu", i. e. „non ergo mihi metuendum est ne alia mulier Hippolytum a me abducat". Ultima sic vertit Vondelius: „voor hoer te gaan wat schaadt 't?" Non minus turpiter Horatii interpolator ille sermonis Latini perfregit leges.

Quid sibi velint ista roget quispiam. Viderint qui legerint. Equidem mihi operae pretium fecisse videbor si vel unus philologus paulo acutior denuo se accinxerit ad Peerlkampii perpendendas observationes. Multum enim profecturum censeo qui Peerlkampium suo pretio aestimare didicerit.

Atque a Peerlkampio τὸ ἐνδόξιμον λαβών Horatio quoque et Horatium legentibus proderit ille.

Digitized by Google

DE TEXTU EVANGELIORUM IN SAECULO SECUNDO.

SCRIPSIT

A. POTT.

(Continuatur e pag. 309).

III.

De lectionibus ab aliis patribus allatis.

Iam quaeritur, num id quod cognovimus, lectionibus patrum confirmetur. Primum consideremus lectiones Clementis [1]). Eum

1) Contra Lake Soden liberum arbitrium nobis dat p. 2121 existimandi documenta, quibus Clementem a T infectum esse probare vult, nullius esse momenti; locos Mtth. 5, 25 + 28 + 48 missos fecit; sed 3, 10; 5, 36; 3, 11 sq.; 3, 9 retinuit. 3, 10 autem non satis est τας ριζας T s^{c} it Cl. et in apparatu tertio του δενδρου adnotare; sed του δενδρου habent etiam T s^{a} Cl. Haec lectio de sententia viri doctissimi Merx textus originalis est. το δενδρον est populus Iudaeorum; arbor habet radices late diffusas. Quia antecedente versu liberi (τεκνα) cum vocabulo λιθοι comparantur, Iudaei cum arboribus conferuntur; ita ortus est textus canonicus την ριζαν των δενδρων. — 3, 9 δυνατος T af it Cl.: si forte Ta δυνατος posuisse ex Rom. 4, 21 videtur (sive potius Ta δυνατος scripsit secundum vocabulum quod sequitur θεος), tamen verisimile est Te habere δυνατει pariter ac s^{c}. — 3, 11 non intellego quod Soden dixit: „beide bieten im engeren Anschluss an Luc. textum, während add. οπισω μου p. ερχεται δε, συναξει aus Matth. übernommen ist"; profecto in apparatu legimus βαπτιζω υμας Lc. 3, 16 T contra Cl. Just. om εις μετανοιαν Lc. 3, 16 T contra Cl.; v. 12 διακαθαρει Lc. 3, 17 T Cl. Ir.; αυτου^{3} p. αποθηκην Lc. 3, 17 T Ir. alii contra om αυτου Cl. Just. Iα I. — 5, 36 ποιησει a τριχα potius in apparatu quidem cum T Cl. sed etiam cum δ 5 (ποιειν τριχα μιαν) syr. af et paulo post μελαιναν λευκην T contra Cl. Hi loci igitur non demonstrant Clementem lectiones sumpsisse ex Tatiano.

Digitized by Google

legisse I H K Soden contendit et primum contra H [1]). Exempla, quae infra posui et quae sequuntur, sumo ex Luca. In his 10 locis secundum apparatum Cl. legit contra I H K (H): 14, 13; 14, 26; 16, 9; 17, 28; 18, 29 et hic quidem et aliis 5 locis cum I aut cum fortasse I, partim cum Marc. partim cum textu fortasse originali. Deinde eum legisse contra I [2]) Soden docet. Ut praetermittam inter 8 has lectiones (nam 18, 25 omittenda est) certe 13, 21 lectionem I dubiam esse, fere semper δ 5 af s cum his lectionibus congruunt, ut si non I etiam non I H K sint, sed putandae sint textus huic familiae communis. Tabula Cl. I H K contra K praetermitti potest, ut veniamus ad lectiones, quibus de sententia Sodeni Cl. certe cum T congruit. Reperiuntur in Luc. 12 (p. 1597) [3]), atque harum 7 aut 8 iterum cum δ 5 et af it s^{sc} conspirant. Sed si illis 18 locis testes non ad T nos revocaverunt (contra S.), hoc, quod hic Cl. et T congruunt, nos non cogere mihi videtur,

---

1) Lc. 7, 20 I; 7, 28 non om προφητης Mtth. 11, 11 contra T H I, sed δ 5 (v. 26) pauci φ f g s^{a} Tert. (c. Marc); 12, 20 απαιτουσι Marc Orig. I (? Urtext); 12, 37 I; 14, 13 ποι. δοχ. I (contra I H K); 14, 26 hic την εαυτου ψυχην (I H K) in apparatu ψυχην εαυτου H δ 1 + 2 alii ι δ 505 1033 lat. (contra I H K; Joh. 12, 25 non parall.); 16, 9 ποι. εαυτ. I K (textus fortasse originalis, contra I H K); 17, 28 και ως T K (in app. Cl. non notatur) multi I s^{a} (Handausgabe) contra I H K (ομοιως καΐως) [Ceterum Cl. non habet quae sequuntur Tatianicas lectiones]; 18, 29 γον. a. αδελφ. K I? contra I H K, Cl. in app. non notatur; 23, 34 ουκ ειδοτες a. ποιουσι verba igitur liberrime allata ex I H K = Te (I). Cl. modo semel cum T I et semel cum Te I contra Ta legit.

2) Luc. 3, 17 διακαΐαραι I H K a c f (e) Ir. T; 8, 16 επι της λυχνιας σ 1226 (I H K om της, I επι την λυχνιαν); 13, 21 ενεκρυψεν [Handausgabe εκρυψεν I?] δ 5 I cf. Mtth. 13, 33; verisimile est duobus locis H habere verbum simplex et I compositum; 15, 30 σιτευτον μοσχον I H K δ 5 (alii) af; 16, 20 om ην-ος (contra T!) δ 5 multi I af a syr. Adam.; 16, 21 om τ. ψιχ. af it s^{a} Adam.; 18, 22 ουρανοις δ 5 (alii) af a; 18, 25 εισελευσεται lectio propria, contra I H K.

3) Luc. 2, 14 omittenda est lectio, quod secundum Sodenium collocatio verborum apud T incerta est et in apparatu non commemorata. 6, 43 om γαρ (Mtth. 7, 18) δ 5 a s^{ep} sah; sec. l. μην l παλιν, cum sit lectio propria, non est respicienda (T om. παλιν); 10, 21 add. ιη a (non p) εν πν. I α 050 alii af it partim s^{p}; 10, 36 om των τριων δ 5 a; 10, 42 δε l γαρ K, om γαρ δ 5 lat. s^{sc}; 12, 15 lectio propria, non in apparatu; 12, 20 τινος δ 5 lat. Ir. Tert. (aut Marc.; app.); 16, 20 s^{p} (in apparatu deest Cl.); 17, 4 αφες δ 5 σ 207 syr. lat.; 18, 8 om πλην, lectio propria, non in apparatu; 19, 8 των υπαρχ. μου δ 5 alii (in apparatu deest T); 22, 32 lectio propria, non in apparatu; 24, 42 om και-κηρ. δ 5 af s^{a}.

Digitized by Google

ut aliter sentiamus [1]). Nihilomagis concedendum est in Sodeni sententiam dicentis (p. 1598): „an diesen nachweisbaren Übereinstimmungen mit dem Diatessaron reiht sich aber eine Anzahl von Lesarten, die wahrscheinlich auch im Diatessaron standen, da sie δ 5 af it s^{sc} oder wenigstens einige dieser von T abhängigen(!) Zeugen gemeinsam bieten". Agitur enim de (22—3) 19 [2]) locis non ab aliis testibus confirmatis nisi familia δ 5 af it s^{sc} et partim ab Athen. Ir. Orig., ut rectius sit contrarium concludere. Parallelis locis, ut semper, praetermissis, praesertim cum secundum Sodenium nunc non confirmati sint, restant 24 propriae lectiones, et 33 quas Soden inter proprias lectiones numerat [3]), inter quas 25 modo a δ 5 sq. confirmatae.

1) Recte notat Soden ipsa verba textus Tatiani nunc incerta esse. Temerarium igitur vel hac una de causa videtur omnes fere varietates textuum ad hunc textum incertum referre. Ego autem ea imprimis respicio, quae Tatianum scripsisse Soden opinatur, non quae Tatianus ipse scripserit.

2) δ 5 (sq) af it s^{sc} confirmant aut coniunctim aut partim Lc. 3, 23 T (!) Ir Athen.; 6, 22 om *και ονειδ.* (δ 5 it transmutant); 9, 62; 10, 41 *συ περι πολλα ταρασσ.* postulant, ut omissionem in s^{s} af it factam esse credamus; 10, 42 om *ολιγων-πολλα*; sec. l. *δε* T K (om. familia huius textus); 11, 7; 11, 43 (δ 2); 12, 11 (Orig. T^{2}, σ 207); 12, 19; 12, 20 *απαιτ. τ. ψυχ.* (δ 5 *o* 1279, 1493. H 376 c ff^{2} Ir. Or.); sec. l.; 12, 37; 14, 8; 14, 10; 14, 20 (σ 207); 16, 19 *γουν* l *δε* (om *δε* δ 5 alii); 17, 4; 18, 8 (Orig.); 20, 34 (Aug. Cypr. Orig.). Sine δ 5 (sq) af it s^{sc}: 3, 23 sec. l. *ερχομ. επ. τ. βαπτ.* Ir; 16, 19 sec. l. *ην* a *τις, ος* l *και* lectiones propria Cl.

3) Lectiones propriae sine testibus 1, 35 pr. et sec. l.; 3, 17 (*του*); 6, 22 pr. et tert. loco; 9, 62 tert. l.; 10, 41 om *μαρθα* bis; 12, 12 *τι* l *α* cf. v. 11; 12, 19; 12, 20 pr. et tert. l., quarto *γαρ*; sept.: *γενηται*; 12, 32 sec. l.; quarto: *παραδ.*; quinto add.; 12, 36 sec. l.; 14, 8; 16, 21 tert. l.; 19. 8 pr. et tert. l.; 22, 31 pr. et tert. l.; 23, 46. Cum testibus familiae δ 5 sq.: 2, 1 *εκελευσεν* s^{s}; 3, 23 *ωσ* δ 5 *ι* alii, Eus., 6, 22 sec. l. om *υμας* δ 5 φ 1289; [6, 38 transmutatio Eus. Orig.]; 9, 62 transmutatio δ 5 af it Ir; sec. l. δ 5 sq. κ δ 4 H 56; 10, 29 om *μου* (*μοι* af it); 10, 33 *ουχι κατα τυχην* cf. v. 31, *κατα τυχα* δ 5; [10, 37 *ουτως* A^{3}]; 10, 42 *και* s^{r} (*η* δ 5); 12, 5 *φερωσιν* δ 5 b q Orig.; [sec. l. *απολογηθητε* φ δ 30]; 12, 15 transmutatio δ 5 c; [12, 19 sec. l. *αποκειμενα* 3 in I, Orig. cf. 19, 20]; tert. l. *σοι* s^{s} sah bo; quarto om *αναπαυου* (cf. δ 5 af it); [12, 20 sec. l. *ι* δ 505, i Or.]; quinto *παραλαμβ*, af?; sexto: om *απο σου* c Marc.; 12, 32 *φοβεισθε* lat.; 13, 32 tertio om *υμων* Marc.; 12, 36 [H δ 6 + 10 16, 1?]; 12, 37 *εγρηγοροτας εύρη* δ 5; 12, 48 *ω πλειον εδοθη ουτος και απαιτηθήσεται* (*πλεον απαιτησουσιν* δ 5 *ι* 226); *απ* δ 5 133; 12, 58 *απαλλαγηναι* δ 5; 14, 10 transmutatio, *αναπιπτε* δ 5; [16, 20 *εις* 33, 70, 1386 Adam]; 16, 21 om *και* lat.; sec. l. *εκ* it (376); 17, 4 om *και* syr. (H 376); 19, 8 sec. l. transmutatio b; [22, 31 sec. l. om *του* σ 351 φ 253]; 24, 43 *φαγων* om *δε* 050 *ι* alii s^{r} b ff^{2} q Athen. Aug.

Digitized by Google

Quae cum ita sint, Clemens non I H K, sed textum legit, qui a T differebat, ϑ 5 sq. affinis erat partimque ad textum Marc. et Adam. accedebat.

Si lectiones Hippolyti (p. 1604) pervestigamus, ad conclusionem similem ac de Clemente pervenimus. Quod modo perpauca vestigia textus T apud Origenem secundum Sodenium exstant, hic minoris momenti est. Eo magis textus Tertulliani mihi curae est (§ 372 p. 1610). Soden censet Tertullianum graeco textu usum esse (quare hic cognationem inter eum et it af praetermittam) sc. I H K; eum perpaucas lectiones a T sumpsisse; nonnullas eius lectiones quae ab I H K secedant, fortasse originales esse. Antequam accuratius textum hunc consideremus, reminiscamur lectionem tam gravem Joh. 1, 13 ος εγεννηϑη contra Valentinianos factam, qua ille cum Irenaeo et b congruit. Tabulae primae complectuntur lectiones ab I H K abhorrentes, quae ut ad arbitrium vel casu factae improbantur. In his complures in apparatu Marcioni tribuuntur. De quibus hic infra enumeratis postmodo dicturus sum, cum de Marcione agam. Sed cum neque Tert. eas ex Marcione receperit, neque fortuito in illis Tert. cum Marcione congruat, eas non casu aut consulto effectas esse intellegemus, sed pro gravibus lectionibus ab I H K abhorrentibus accipiendas esse. Arbitrarias lectiones dicit Soden has [1]): Luc. 1, 17 δυναμει και πνευματι (anima 35); 10, 9 om εφ υμας (resurr. 33) af c I 121, 70 [Mc. 1, 15]; 21, 26 om δεομενοι et τα μελλοντα γενεσθαι (resurr. 22); 24, 39 om μου[2] (carne 5) 050 alii af c f Marc. Eus. apud Soden text. fort. orig. (!); sec. l. om ψηλαφησατε-ιδετε; tert. l. om σαρκα, και ταρκα p. εχει ϑ 5 sah. Adam. Ir. [2]); lectiones parallelas [3]): Luc. 6, 29 σοι l. σου (fuga 13) sed σου p. χιτωνα T I α 168 i^a Φ^a 1353 alii, om σου I α 133; 22, 10 invenietis (bapt. 19); lectiones proprias [4]):

1) Lc. 6, 28 om Marc. 4, 16; Soden non in app.; sed cf. και a προσευχεσϑε Marc. I 192 sq. 1386 syr. Adam (Soden); 10, 27 om και εξ ολης της διανοιας σου Marc. 4, 25 ϑ 5 70; 24, 6 om ετι ων Marc. 4, 43 deest in app.

2) In apparatu desunt; 1, 17; 21, 36; 24, 39 sec. l.

3) Lc. 3, 4 vias Marc. 5, 3; 4, 32 add. omnes Marc. 4, 7; non in app. 6, 29; 22, 10.

4) Luc. 12, 53 add. et bis Marc. 4, 29; 10, 22 pater tradidit Marc. 4, 25; 12, 4 nullam in vobis potestatem Marc. 4, 28 (δυναμενων s^{vt}; similiter Just.!);

Digitized by Google

Luc. 1, 35 πνευμα θεου (prax. 27); 6, 29 faciem (pat. 8); 9, 62 operi (idol. 6); (hae omnes desunt in apparatu); lectiones Tatianicas: Luc. 1, 35 add. εκ σου (prax. 27) I α 050 multi (I?) T Ir. Adam. Marc. (4, 7); 21, 36 καταξιωθητε (resurr. 22) I(?) T K; hae etsi secundum rationem Sodeni pro lectionibus originalibus habendae essent(!) [1]): 21, 27 πολλης και δοξης (resurr. 22) δ 5 lat. syr. (Marc. om και δοξης); 21, 36 στησεσθε (resurr. 22) δ 5 af it s^{sc}. Ex his 15 modo locis 7 testibus in apparatu eius omnino carent; reliquae 8 familia δ 5 sq. it af syr. repraesentantur, in quibus nonnullae aut a Marcione vel Adam. fultae aut textus originalis sunt. Tales lectiones non possunt abici ut arbitrariae aut Tatianicae. Hoc numero commoti quaerimus num aliae lectiones exstent, quae cum iisdem testibus ab I H K recedant. Et sane in apparatu Sodeni alias 17 reperio: 2, 49 οιδατε δ 5 Φ δ 30 178 af it Ir.; 2, 49 ειναι με δ 5 sq. η ι alii lat. syr. Ir. Did.; 3, 16 om αγιω Cl. Aug.; 4, 27 Naaman b c (Marcion νεεμαν); 4, 34 om εα δ 5 pa af it s^{sc}; 6, 36 om και I α 133 alii it (c d) s^{s} Cl. Ath.; 6, 37 om και^{1} T δ 5 133 alii lat. syr.; 6, 38 om γαρ T 050 sq. ι (partim) it s^{sc}; 9, 52 πολιν I α 168 337 alii lat.; 9, 62 om αυτου η^{a} alii (δ 1) it partim Orig.; 21, 27 νεφελαις I α 93 alii af it (contra T); 21, 36 ουν I K it (exc. a) af s^{sc} s^{h} (text. orig. fort.); 21, 36 καταξιωθητε T (I) δ 5 lat. s^{sc}; 21, 36 στησεσθε δ 5 af it s^{sc}; 21, 36 παντα ταυτα Φ 72. σ 351 alii af a i; 24, 25 ελαλησα υμιν Marc.; 24, 39 om μου^{2} (text. fort. orig.) I α 050 η ι (partim) af it (partim) Eus. (Marc.). Qua re cognita comparans verba a Roensch allata has alias lectiones adicio [2]): 1, 17 coram populo (anima 35); 1, 28 add. ευλογημενη... T δ 5 it syr. alii (virg. vel. 6); 1, 43 om τουτο (carn. 21); 1, 43 ελθη p. με s^{s} (carne 21); 2, 23 τω κυριω p. κλ. (carne 23); 3, 6 κυριου l. θεου (resurr. 59); 4, 3 του θεου ει I r 1083 lat. (prax.

8, 25 qui Marc. 4, 20 I 192 it partim; 16, 12 meum Marc. 4, 33 it partim af σ 207.

1) Luc. 24, 6 quae l. ως Marc. 4, 43 δ 5 s^{sc}.

2) Item omitto lectiones Tert. cum Marcione communes [Luc. 6, 9 loco nominis Marc. ponendum est Tert.: απολεσαι I H K = δ 5 η ι ο 1279 σ 207 alii it syr. (Marc. IV 12). Ubi Tert. cum I H K consentit, ibi congruit etiam cum δ 5 lat. s^{s}, velut 7, 27, om εγω; 6, 36 non ουν...

Digitized by Google

6); 4, 34 οιδαμεν (Mtth. 22, 16 H δ 6 1016; prax. 26); 4, 34 υιος (cf. 4, 41 H 376; prax. 26); 6, 31 ita = ομοιως s^s a r (scorp. 10); 7, 28 om προφ. T I α 133 93 337 alii af it (bapt. 12); 8, 17 ουδεν l. ου af a i r (paen. 6); 8, 17 om γαρ εστι (H 014; paen. 6); 8, 18 autem (fuga 11); 9, 26 δε sp; (idol. 13; om γαρ r^2 s^s: scorp 9 fuga 7); om και τους εμους λογους (om λογους δ 5 a l s^s Orig.); add. εμπροσθεν των ανθρωπων (Mtth. 10, 33) s^{sc}; add. et ego; penes patrem meum qui est in caelis (idol. 13); 9, 62 aratro (idol. 6); 10, 9 add. οτι ι 1211 φ 1454 de crastino (orat. 6); 14, 14 om γαρ I 121 (δε l γαρ η ι alii af it s^{sc}; resurr. 33); 14, 26 non est me dignus (fuga 7); 15, 21 deliqui pater, nec dignus (praem. 8); 15, 29 εντολην σου ουδεποτε s^s (pud. 8); 20, 25 om τοινυν T δ 5 ο 1222 lat. s^{sc} (Mc. 12, 17; scorp. 14); 21, 24 add. τοτε (resurr. 22); 21, 31 add. παντα I 1043 af (resurr. 22); 22, 31 postulavit satanas, verum ego (fuga 2); 22, 42 παρενεγκε (Mtth. 8, 4) δ 5 sq. η ι alii lat. (orat. 4); ποτηριον τουτο (Matth. 26, 39) multi I f ff^2; om ει βουλει I η 178 a; θελημα p. γινεσθω (orat. 4); 24, 39 om σαρκα και (carn. 5; και σαρκα p. εχει δ 5 Adam. Ir. [1]). Hae sunt 36 lectiones, 17 propriae et 19 cum familia δ 5 sq. communes. Primum igitur numerum lectionum ab I H K abhorrentium duplicari videmus comparantes eum cum numero lectionum, quem Soden praebet (32 + 36); deinde in his 68 lectionibus 24 sine testibus sunt et 44 familia antecanonica confirmantur (praeter paucas solum ab ea [2])); tum his non continentur loci numero plurimi, quibus Tertullianus non solum cum hac familia sed etiam cum I H K congruit, neque copia illorum, quos Tert. sive ex Marcione sive cum Marcione habet. Quae cum ita sint, Tert. non I H K, sed textum exhibet, ad quem constituendum textus in δ 5 af it s^{sc} servatus permultum valuit. Huic sententiae ad quam iam pervenimus, eo plus tribuendum est, quod Soden ait, „dass Tert. die Evangelien als instrumenta betrachtete und mit Aktentreue verwertete (p. 1614), sich um einen authentischen Text ernstlich bemüht

1) Supra enumeravi omnes locos a Roensch allatos — ut supplerem locos a Sodenio laudatos — exceptis iis, qui ex Marcione deprompti sunt, de quibus postea agetur.

2) Ab H K fere omnino non.

Digitized by Google

hat und persönlich in der Lage war, sich einen solchen innerhalb der Grenzen der Möglichkeit zu beschaffen (p. 1615), und eine ähnliche Bedeutung für die Reinheit des Textes hat wie Origenes (Handausgabe XI sq.)". Quae si recte se habent, textum ab I H K diversum magis magisque apparere videmus, ut iam satis mirari nequeam, quid causae sit, cur multae illae lectiones, quae in I α af it s^{sc} et apud patres exstant, a Tatiano abhorrentes ab eodem Tatiano profectas esse existimentur. [1])

Iam transeamus ad Irenaeum. Cuius lectiones (§ 373 p. 1615) accuratissime translatas esse ex I H K Soden perhibet; non raro autem verba Tatiani afferri. Primum complures locos, quos sine testibus colligit, tamquam lectiones proprias, improbat tamquam vitia memoriae, omissiones, recordationes e. q. s. De nonnullis locis recte id dici potest [2]). Plures autem propter testes, qui addendi sunt, e quodam exemplari fluxisse patet [3]). In lectionibus parallelis, de quibus iudicium semper difficile et incertum est, permultae sunt non verae parallelae; et si aliis solum δ 5 sq. sed etiam Tert. Orig. testimonio sunt, Tatianum earum auctorem fuisse contendi non potest [4]); neque

---

1) His testibus adhibitis diiudicari potest, quo iure Bousset contra me contenderit Tertullianum legisse I H K.

2) Luc. 21, 36; 1, 17; 9, 61; 19, 8; 9, 42; 24, 47; 7, 15; 4, 6; 17, 27 sq. et decem lectiones propriae (sine testibus).

3) 8, 51 *της παιδος* s^{sc}; 9, 62 *επιβαλων* p. *αρατρον*, Tert. *αροτρον* (*την χειρα*) *επιβαλων* (idol. 12); sec. l. *βλεπων* p. *οπισω* δ 5 af it Cl.; 2, 20 om *και αινουντες*, s^{sc} *και λεγοντες*; 2, 22 om *αυτων-μωυσεως* (*αυτου* l *αυτων* δ 5 286 η δ 457 lat. s^{a}; Blass = Ir.); 6, 31 *ομοιως* δ 5 sah af; 9, 62 om *αυτου* (δ 1) η^{a} alii a b Tert. (idol. 12); 10, 16 *και* l *οδε-ακουετε* (s^{a} om *εμε-ακουετων*; s^{c} I η 183 *i* 3017 *o* 1279 sq. *και o* l *οδε*; similiter Tert. δ 5); 12, 36 om *ευθεως* e Cypr. (p. *ανοιξ.* Cl.); 17, 28 om *ομοιως* ϕ 1094 s^{vp}; 17, 29 om *και θειον* af it s^{c}; 18, 7 om *και-αυτοις* Macar. (v. 8 p. *λεγω* i 368, 219); 19, 42 om *νυν* af it s^{sc} Te; 21, 35 om *πασης* η^{a} s^{sc} ff^{2} (cf. 050 alii); 24, 46 om *τη τριτη ημερα* it partim; 5, 36 om *απο* + *σχισας* a f s^{p} K I multi (Mtth. 9, 16); 6, 29 *σοι* (Matth. 5, 40) it Tert. (fuga. 13); 9, 61 *επιτρεψον*..... (v. 59) δ 5 bo.

4) 1, 35 *εκ σου* I af it partim syr. Tert. (prax 27) Marc Adam [Matth. 2, 6? non parall.]; 1, 55 *εις τον αιωνα* (δ 1 + 2) δ 5 K alii; 1, 76 om *δε* lat. s^{a} K I; 4, 18 add. *ιασασθαι*... [Jes. 61, 1] K multi I (pauci H); 6, 4 om *λαβων* I (δ 2) [Mtth. 12, 4]; 6, 25 om *νυν* δ 5 alii it Marc. (IV, 15); 6, 26 add. *υμιν* δ 5 alii it syr.; 6, 29 remitte ei et pallium I *i* (*αυτω* δ 5 alii I af it syr. Cl. Orig. [Mtth. 5, 40]; 10, 19 *διδωμι* δ 5 alii c s^{sc} K; 14, 27 *ακολουθει μοι* pauci I Tert. (de fuga 7) [Mtth. 10, 38]; 16, 31 *πιστευσουσιν* δ 5 σ 207 it syr.; sec l add. *αυτω*

Digitized by Google

magis Tatianicae esse possunt lectiones, quae in Tatiano non sunt. (Soden: „sie sind in T verloren gegangen") [1]). Reliquas proprias esse lectiones contendi non potest propter testes, quos Soden hic fere semper omittit [2]). Quod autem statuit de uno horum locorum 12, 38 fontem graecum textum fuisse, idem de omnibus statuendum est. Sed si hic sive Tatiano sive nunc primum Marcioni maximam vim attribuit, id nimirum cavit, ne textum graecum alium ac I H K proponeret.

Textum Romae vulgatum c. anno 150, Ephesi fortasse iam a. 135, Justinus nobis ostendit. Eum fuisse I H K Soden ipse ita contendit, ut verba addat: „in der Hauptsache" (p. 1621). In principio occurrit Luc. 3, 22 *υιος μου ει συ σημερον γεγεννηκα σε* δ 5 it Cl. Orig. Meth. Diog. Did. Const. Cypr. Aug. alii. Haec lectio est secundum p. 2122 procul dubio textus originalis. In editione autem neque in textu neque in primo apparatu, sed in secundo legitur. Circumdatur aliis duabus: 1° Matth. 25, 41 *ο ητοιμασεν....* δ 5 *η* Ir. Tert. it Cl. Orig. Aug. quae in textu editionis posita est; 2° Matth. 4, 17 om *μετανοειτε-γαρ* af s^{sc} Cl. Orig., quam in primo apparatu lectionum fortasse originalium invenimus. Hoc loco omnes tres lectiones fere similiter ponderantur, quod lectiones certae sint, in editione textus dissimiliter. De baptismo Jesu narratio mira est vulgata cum multis quidem varietatibus; ita ab Justino Matth. 3, 17 *κατελθοντος του ιη επι το υδωρ και πυρ ανηφθη εν τω ιορδανη*, similiter a g^1 Te Eb-Ev. Ps-Cypr. Sever. Rectissime Soden: „es ist der unmittelbare Zusammenhang zwischen Justin und Tatian sehr zweifelhaft (p. 1623)". Hae igitur 4 lectiones

---

it part. syr.; 18, 7 *προς αυτον* I it partim Marc.; 18, 8 om *οτι* δ 5 *ι* δ 505 it; 19, 42 *και συ* p. *εγνως* I K (T af it om *και*); 21, 34 om δε I sah.

1) 2, 49 *οιδατε* Tert. (prax. 26) af it s^{r} δ 5 φ δ 30; sec. l. *με ειναι* Tert. lat. s^{a} l; 6, 26 *ταυτα* I *α η ι*; [7, 26 omnes *και* a *λεγω*]; 16, 9 *εκλειπητε* it I nonnulli; 16, 31 resurgens ad illos eat *πορευθη* it partim s^{a}, *απελθη* δ 5 af it partim Adam.; 19, 5 *οτε* l *γαρ* δ 5 lat.; 24, 39 *οστεα... σαρκα* Adam.; gravissima autem est haec 12, 38 *και εαν ελθη εσπερινη φυλακη...* δ 5 *η* (050 *ο* 129) af it Marc. (testes leviter inter se discrepantes).

2) 1, 26 it; 3, 23 δ 5 s^{a} T Hipp.; 6, 26 pr. l. I *α* 133; sec. l. Marc. (IV, 15); 9, 60 δ 5 c; 9, 61 lat.; 9, 62 I *α* 133; 12, 42 I multi; 16, 9 (non 19) *ος* bl. it Marc. (Blass); 17, 17 sq. it; 19, 42 cf. s^{a} T; sine testibus 1, 38; 2, 20; 2, 26; 6, 25; 12, 50; 13, 7; 14, 12 + 13; 16, 31; 24, 35.

Digitized by Google

praebent textum ab I H K differentem, qui auctoritatem textus originalis aut fortasse originalis habet; a Tatiano non pendet (quod de Justino per se consentaneum est), familia δ 5 af it s^{sc} patribus saeculi secundi firmatus est. Qua re cognita, de reliquis lectionibus Justini rectius iudicandum est. Justinus quidem liberrime verba affert; ei textus nondum sacrosanctus est.

Paucae igitur lectiones certae esse possunt. Quod ad lectiones parallelas attinet, quas praetermittere soleo, vereor ne ipse fecerit has: Luc. 6, 28 υπερ I exc. I α 133; 6, 29 χιτωνα... ιματιον Marc. (IV 16) Tert. (fuga 13; pat. 7) Iren (4, 13) Cl. it partim; 6, 30 add. τω δ 5 Cl. Did.; 6, 36 ως I α 133 Cl. Orig. Did. alii; 6, 36 ο πατηρ υμων ο ουρ. I ι Φ 1454 Cl. Orig. alii; 10, 16 ο δε εμου ακουων... T Ps-Ign. Cypr., similiter δ 5 η 183 ο 1222 (cf. supra Ir.); 11, 52 κλεις T. syr. Tot testes inter se diversos lectiones suas ex Justino hausisse verisimile non est. Easdem lectiones Bousset ex fonte quodam derivat, qui Justino quasi exemplar praesto fuerit et auctoritate textum nostrum Evangeliorum saepius superaverit: is est meo quidem iudicio textus aliquis saeculi secundi, qui ab I II K differt. Recordationes vocat Soden in Luca has duas: 6, 36 add. χρηστοι + χρηστος (35) cf. Bousset: Ps = Cl. Hil. Epiph. Ps = Athen.; 12, 48 πλεον (7, 43) l. πυλυ δ 5 e. Undecim lectiones in Luca nullo alio testimonio corroboratas arbitrarias esse dicit aut lapsus memoriae. 3, 16 ηξει γαρ (Bousset: „Quelle"); 3, 22 επιπτηναι (Bousset, Resch.; Val. Cels. Hil. Sever.); 3, 22 εν εδει περιστεραις (ibidem); 6, 14 επωνομασε δ 5 lat.; 6, 29 τον αιροντα lat. (Blass); 6, 29 η l. και s^{s} (cf. supra); 6, 34 ει γαρ (cf. Bousset p. 79); 10, 27 σου^{1}-σου^{2} I α 337 (scl. καρδιας); σου^{3}-σου^{4} ο 90 (: ισχυος); Bousset om ολης της ψυχης σου I σ 207, om εξ... διανοιας δ 5, 70, it Marc.; add. κυριον Did.; 12, 48 ω πλεον εδωκεν ο θεος πλεον και απαιτηθησεται, δ 5: εδωκεν + πλεον (Cl.), I Φ 1444: add. και, δ 5 pauci ι Φ ο 90 σ 337 απαιτουσιν (Cl.). Sed cum fere omnes variis testibus confirmentur, ab Justino non factae sed acceptae sunt; testes earum probant fontem antecanonicum. Cur hunc fontem putemus, Soden non satis causae esse concedit, nisi lectio a testibus adhibita sit, qui neque Justinum neque Clementem sequantur. Sed quaero num omnes hi testes I δ 5 sq. s^{s} lat. Tert. Ir.

Digitized by Google

Orig. Tat. Marc. Justinum sequi possint? Re vera pro Tert. Cl. Orig. Ir. Justinum fontem esse *posse* Soden dixit (p. 1623); hoc modo omnes variae lectiones ut usque ad hunc locum ad Tatianum ita nunc ad Justinum referuntur!

Marcion nos revocat ad annum c. 140. „Wo, inquit Soden, „eine Abweichung von I H K nicht offenkundig in der Linie seiner Sonderlesarten liegt..., ist... sein Text zunächst vorurteilslos als ältester auf uns gekommener Zeuge zu betrachten" (p. 1624). Secundum hanc rectissimam rationem ea, quae ipse exposuit, examinare mihi liceat. Marcion sententia Sodeni in textu Lucae saepius lectiones ex Matth. recepit; cum alia ratione usus sit atque Tatianus, raro in locis parallelis congruunt. In tabula autem lectionum parallelarum [1]) δ 5 af it

---

1) Ex his 86 enumeratis, quarum una duplex commemorata est, in apparatu modo 27 lectiones acceptae sunt: 6, 20 *των ουρανων*(?) T I α 337 alii c f s*; 6, 21 *χορτασθησονται* T ι δ 505 ο 129 af it s*; 6, 21 *γελασονται* af Orig. Eus.; 6, 31 *ουτω και υμεις*, om *ομοιως* cf. δ 5 af sah Ir Cl., om *και υμεις* text. fort. orig. δ 1 I α 133 a ff. s* Ir contra Matth. 7, 12, *ομοιως* a *ποιειτε* s* a; 6, 37 *ινα* T δ 5 alii af it partim s^{sc}; 17, 2 add. *ουκ εγεννηθη και* it Adam; 6, 26 om *παντες* T δ 5 a; 8, 45 *μου ηψατο* δ 5 alii a c q l Orig., 9, 22 *μετα ημερας τρεις* δ 5 af it Adam; 9, 41 om *και διεστρ* af; 11, 13 *οντες* T δ 5 alii Adam.; 11, 20 *εγω δε* δ 5 1443; 12, 10 *ος δ αν ειπη* (non *ειποντι* af Tert.) b ff^2 i q (add. *αν* δ 5); 12, 30 *οιδεν δε* (*γαρ*)... δ 5 af it Cl.; 12, 31 *ζητειτε δε* δ 5 af a; 16, 16 *εως μεχρι* δ 5 K; 16, 23 *τω κολπω* T δ 5 lat. syr.; 18, 21 om *μου* δ 5 s^{c} Adam; 19, 26 *δοκει εχειν* I α 050 alii s^{c}; 18, 22 om *στι* s^{p}; 21, 8 add. *ο χριστος* T σ 207 af it s^{p}; 22, 4 *αυτον παραδω αυτοις η ι* multi K Orig. Eus.; 22, 8 *ινα φαγωμεν το πασχα* I ι; 22, 14 *δωδεκα* T I φ 1091 ο 129 sq. σ 1132 alii; 23, 2 om *ημων* φ^{a} alii; 24, 6 *οσα* δ 5 syr. c; 24, 37 *αυτον φαντασμα ειναι* δ 5 Adam. Reliquae 59 in apparatu pro Marc. non notatae sunt: 5, 34 *δυνανται* δ 5 β 121 af it; 5, 36 transmutatio T; 6, 20 *αυτων εστι* (H 014); 6, 38 *ω μετρω* T δ 5 *η* c Cl. Eus. Orig.; 8, 21 *τις μου*....; 8, 24 *εγερθεις* δ 5 ι δ 505 K alii; 8, 24 *τη θαλασση* cf. φ 1260. 1354; 9, 18 (*λεγουσιν*) *οι ανθρωποι* T I φ^{a} σ 1226 alii af g^{1} Adam.; 9, 18 *τον υιον του ανθρωπου* T.; 9, 20 *αποκρ. πετρ.* δ 5 I plurimi af c syr. (K) [Soden bis]; 9, 20 *συ ει ο χριστος* T f l s^{sc}; 12, 51 *ηλθον... βαλειν... στι* T φ δ 30 (σ 207) alii it partim s^{vp}; 12, 51 *αλλα* δ 5 sq. ι δ 505 ο 551 lat.; 17, 2 *συνεφερεν* δ 5 af; 18, 19 *εις εστιν αγαθος*; 18, 20 *φον... μοιχ... σ* 1132 sq. it af syr.; 4, 27 *εν ημεραις*; 4, 34 om *εα* δ 5 af it syr. Tert.; 5, 14 om *περι τ. καθ.*; 5, 24 *εξουσιαν εχει* ante *ο υιος* it af; 5, 24 *αρον... και* T δ 5 φ δ 30 alii it syr.; 6, 29 *χιτ.... ιματ.* it Ir (T?); 8, 8 om *ακουειν* (Blass in textu); 8, 46 *εξελθουσαν* δ 5 I Did; 9, 1 om *αποστολους* δ 5 *η* alii s^{c} Adam (K); 9, 6 *πολεις και ο* 1279 syr. ff^2 l Adam (cf. δ 5); 9, 26 *καγω επαισχ. αυτον*; 9, 35 *αγαπητος* T δ 5 I; 9, 41 add. *προς αυτους*; 9, 41 *εως ποτε* I α 286 *η* δ 254 alii af; 10, 22 om *και στραφεις* δ 5 I s^{sc} lat.; 11, 11 add. *εξ* δ 5 I; 12, 8 *ενωπιον*;

Digitized by Google

s^{sc} apparent; itaque omnes hos textus ut a Tatiano ita a Marcione dependere opus est; sententia quae „Tatianhypothese" vocatur, supplenda est simili sententia, cui nomen Marcionis indatur. Aliae lectiones similes a Sodenio existimantur eis, quae apud Tatianum exstant. Inter collocationes verborum prima est nobis utilissima Lc. 7, 9 *τοιαυτην πιστιν ουδε εν τω ισραηλ ευρον*. Agitur de verbis antepositis *τοιαυτην πιστιν* ante *εν τω ισραηλ*. In ea Marcion congruit cum T δ 5 af it, qui testes secundum apparatum *εν τω ισραηλ* p. *ευρον* ponunt: *ουδε τοιαυτην πιστιν ευρον εν τω ισραηλ*. Si rationem Sodeni constanter adhibeamus, δ 5 af it ex Tatiano penderet. Ex Matth. 8, 9 autem comperimus Te idem ac I H K legisse: *παρ ουδενι τοσαυτην πιστιν εν τω ισραηλ ευρον*, unde apparet haec verba ter a textu Marcionis dissentire; Ta autem *ουδε εν τω ισραηλ τοσαυτην* (similiter K) secundum quidem Luc. 7, 9 sed bis ab eo abhorret. Cum hic Ta infectus sit a K, Te est textus Tatiani. Sequitur δ 5 af it non e Tatiano fluxisse. Matth. 8, 9 δ 5 habet hiatum; af it *παρ ουδενι* et *τοσαυτην*; it *ευρον* ante *τοσαυτην*; af *εν τω ισραηλ* post *ευρον*; solum Ephr. in tertio loco et dumtaxat in af lectio parallela exstare potest. Textum canonicum Lucae *ουδε* sequitur, quod verba *εν τω ισραηλ* antecedit. Quare *τοιαυτην πιστιν ουδε εν τω ισραηλ ευρον* secundum Marcionem textus proprius et singularis est, qui δ 5 af it propositus fuerit. Comparantibus eum cum textu canonico Lucae *ουδε εν τω ισραηλ τοσαυτην πιστιν ευρον* Soden immerito pronuntiasse videtur: „diese Wortumstellung ist belanglos". Immo plurimum interest, utrum centurio pio Iudaeorum populo opponatur, quod ad quantitatem fidei attinet (in textu canonico)

12, 10 *ος αν* δ 5; 12, 10 *ειπη*; 12, 10 add. *αυτω* T δ 5 *o* 129 sq. *σ* 207 af syr.; 12, 31 *του θεου* T I (exc δ 5) it s^{sc}; 12, 31 add. *παντα*. Epiph. δ 5, I it, non add. Tert. I *α* 286 alii af s^{sc}; 12, 59 *τον εσχατον κοδρ.* δ 5 lat. syr.; 13, 9 *εσπειραν εν τω...*; 16, 12 *ευρηθητε* T s^{p}; 16, 31 *ο δε ειπεν*; 17, 14 *δειξατε* I *φ* δ 1444 *σ* 207; 18, 22 add. *ταυτα* *φ* alii s^{vc} (K); 18, 35 add. *και ιδου*; 18, 35 *επαιτων* ante *εκαθητο* δ 5 af it partim Adam: 18, 42 *αποκρ. ειπεν ο ιη* af (cf. δ 5 Adam); 21, 27 *απο των ουρανων*; 21, 30 om *βλεπ. αφ εαυτων* T δ 5 1443 s^{sc} lat.; 21, 30 om *ηδη*^{2} T I *α* 337 *φ* 1216 alii lat. syr.; 21, 30 *ηγγικε*; 21, 32 *ο ουρανος και η γη*; 21, 33 *ο δε λογος...*; 22, 8 *απελθοντες*; 22, 47 *καταφιλησαι*; 22, 47 *και ειπεν* (cf. I *o* 551 a b r.); 24, 7 *τον υιον του ανθρωπου* p. *δει* δ 5 I it; 24, 26 *οτι* T δ 5 Adam.; 24, 26 *εδει ταυτα*.

Digitized by Google

an probitas fidei consideretur, quae apud eum, non apud Iudaeos reperitur (in textu antecanonico). In Matth. textus fere omnium consensu traditus respondet textui canonico Lucae. Itaque secundum praecepta artis criticae statuendum est, hunc Lucae textum accommodatum esse textui Matth. et textum antecanonicum Marcionis δ 5 af it textum originalem esse [1]). Non praetermittenda est historia Lc. 9, 28 sq. In hac deest v. 31. Zahn putat Marcionem hunc versum data opera omisisse, cum a se impetrare non posset, ut Eliam et Mosem dominum de passione edocuisse crederet. Sed hic sensus his vocibus iniuria tributus esse mihi videtur; nam Iesus eis docentibus non egebat, cum ipse passionem suam praedixisset. Huic iudicio Zahnii viri doctissimi Sodenium non assentiri patet, quia hanc omissionem inter lectiones „tendenziös" vocatas non commemorat. Itaque lectiones ab I H K alienae non sunt parvi momenti. Fugere nos non potest in hoc textu cognatione quadam contineri Marcionem cum δ 5 af it s^{sc}. Iam versu 30 Marcion verba usque ad vocabulum *αυτω* habuisse et verba *ηλιας-δοξη* ex usitato textu postea inserta esse mihi videntur. In δ 5 s^{sc} lat. ita ut apud Marcionem v. 30^{b} + 31 initio defuerunt; quorum tres variae formae textus non sunt nisi supplementum, quod in af imperfectum remansit; item versu 35 variantes lectiones δ 5 et s^{sc} textum brevem Marcionis postulant *εκ της νεφελης φωνη*. Comparantibus nobis textum hunc cum textu usitato non veri simile videtur nomina Mosis et Eliae originalia esse. Nam

---

1) In apparatu non notatae sunt de Marcione hae transmutationes: 7, 9 (cf. supra) δ 5 af it T; 9, 30 *δυο ανδρες* I 1416 pa lat. syr. (fortasse ex v 32); tertio loco *ηλιας και μωυσης*; cum Moses secundum temporum ordinem prior sit, haec collocatio verborum originalis esse videtur et canonica positio correcta esse una cum Matth. Marc.; 9, 35 *εκ της νεφελης φωνη* cohaeret cum omissione non notata *και εγενετο* et *λεγουσα*: om *και* it, om *εγενετο* I κ 71 (δ 5 *ηλθεν*, s^{sc} Ta *ηκουσθη*: ex duobus his testibus concludi potest omissionem esse originalem), om *λεγουσα* I α 133 c l s^{s}; 16, 25 *αβρααμ δε ειπεν* e (Blass) 16, 26 *υμων και ημων* I α 050 σ 207 alii af b; 21, 33 *η γη και ο ουρανος* (Blass cf. Zahn Iren. 5, 35, 2) [cf. 32 *ο ουρανος και η γη* l *η γενεα αυτη* Zahn: „stylistische Glättung bei Marcion"; Ritschl Hilgenfeld: textus orig. apud Marc.; ego quaero cur non textus canonicus effectus sit ex Mtth. Mc.?] De Marcione notatae: 9, 22 *γραμμ... αρχ* lat. s^{sc}; 9, 30 sec. l. om *οιτινες ησαν* s^{sc} (*ην δε* l *οιτινες ησαν* δ 5 a, *ησαν δε* lat.) cohaeret cum omissione v. 31 exc. *εν δοξη* (af om *εν ιερ*); 11, 41 *εσται υμιν* δ 5 alii a syr.; 17, 22 *ιδειν* a *μιαν* T i^{a} it syr. (δ 5 om *ιδειν*).

Digitized by Google

primum eis verba τους δυο ανδρες v. 32 contradicunt, quod fieri non potest, ut nomina ibi inserantur. Tum putare non possumus visione Eliae quaestionem exstitisse, quando Elias reversurus sit (v. 10), quia textus ad Iohannem relatus non respicit ad visionem antea narratam et quia eodem modo quaerendum erat, quando Moses rediturus esset. Multo probabilius est colloquium causam fuisse cur alter vir Elias esse crederetur, unde collectum est, alterum virum Mosen fuisse. Hoc modo iam in textu Marcionis nomina, primo loco Eliae, ingesta sunt. Et profecto huius rei indicium est, quod apud Lucam τρεις sequitur σκηνας. Verba τρεις seq. dependent a nominibus in versu 30. Qui autem sunt in v. 34 αυτους? s^{sc} habet lucide ιδοντες δε εισελθειν εκεινους et εκεινους etiam I K, quem textum T sp recte interpretantur ιδοντες τον μωυσην και τον ηλιαν id est nubes opacans duos viros aufert ut Iesum in ascensione (act. 1, 9); discipuli pavent, quia nunc cognoscunt illos duos divinos quosdam esse. Contra in Mtth. Mc. vocabulum αυτοις sive αυτους ad Iesum et duos viros refertur, primoque loco ad Iesum ut s^{s} quoque αυτον legit (Mc. 9, 7). Hic vocabulum επισκιαζειν adhibitum est eodem sensu, quo Lc. 1, 35 et nubes est tamquam columba spiritus sancti (Mtth. 3, 16 sq.); vox autem interpretatur et illic et hic id quod evenit. In duobus his ordinibus textus apparent duae variae opiniones. Ut Lc. textus canonicus ad Mtth. et Mc. accommodatus est, ita textus antecanonicus secundum Marc. δ 5 af it s^{sc} originalis textus est [1]). In lectionibus, quas Soden nomine „Stylglättung" complectitur [2]) (exempli causa 6, 22 et 21, 28),

---

1) Iam Marcion αγαπητος loco εκλελεγμενος ex Mtth. Mc. consilio correxit; sed a ff^2 s^{s} ($s^{p.\,i.\,m.}$) εκλελεγμενος et textus ipse I α 050 sq. [ψ^{s} 178] εκλεκτος habet, ut δ 5 correctus sit. Ceterum T plane ab iis abhorret.

2) In apparatu desunt: 4, 27 ουκ l ουδεις αυτων (Tert. c. Marc. ουδεις αυτων); 5, 36 + 9, 22 om οτι; 6, 9 μη l κακοποιησαι; 6, 17 εν αυτοις; 6, 22 εσεσθε b c ff^2 l m q af (Blass); 6, 26 add. και hic Soden b f q sed et Ir.; 6, 46 καλεις... ποιεις (lectio est inserta); 8,25 ος l οτι T sed l 192 quoque; 8, 46 και l εγω Marc. apud Epiph., om εγω: εγνων γαρ Marc. apud Tert., και γαρ εγω b f^2 l q); 9, 19 λεγουσιν αυτω οι μαθηται [και λεγουσιν s^{s}, απεκριθησαν e, om αποκρ. T lat. s^{sc}]; 16, 26 δυνανται; 16, 31 ουδ αν [αν δ 1 + 376; δ 5 κ δ 4 1246 Adam.]; 17, 2 περιεκειτο... ερριπτο T δ 5 af a s^{sc}; 20, 35 ους δε κατεξ...; 20, 36 γεγονοτες Iust. (s^{sc} om οντες); 21, 19 δε p. εν T s^{c}; 21, 28 τουτων δε γινομενων

Digitized by Google

potius in textu canonico levigatio scriptionis esse videtur. Non neglegendum est, quod Iustinus accedit (20, 36); et explicandum est, quomodo tot locis huius textus familiae, sed paene nusquam extra eam levigatio necessaria videri potuerit. Porro dicit Soden nonnullas lectiones, quamvis ad tales, quae sensum mutent, viam patefaciant, tamen redundare e textu liberrime tractato [1]). Sed saltem 9, 40; 16, 16; 16, 23 + 25 propter testes et propter mutationem sensus textum firmum ostendunt; Soden ipse de 6, 19 + 11, 41 + 16, 26 aliter iudicat (p. 1627). Miror quod Marcion 6, 19 + 16, 26 non adnotatus est: 6, 19^{h} om *οτι-παντας* cf. 5, 17 δ 5 *o* 129 A 3 om *και-ην*; 16, 26 *οι ενταυθα* loco *οι θελοντες ενθεν* (om *ενθεν* δ 5 af c, *ελθοντες* l *θελοντες* it partim); denique 11, 41 *ονται υμιν* l *ενοντα* T f [*υμιν* s^{sc}, *ονται* b d s^{l}, om *τα ενοντα* af Cypr.]. Quae certum quoddam consilium Marcionis produnt, exstirpanda sunt [2]); sed multis locis

---

(Blass); 21, 29 *ιδε*. In apparatu Marc. notatus est: 9, 22 *λεγων* l *ειπων*; 17, 21 om *η ι* δ 505 φ 1454 alii; 17, 22 *οταν* (H 56) *o* 551. 1493; sec. loco *επιθυμησητε* (δ l) *η σ* 351 alii; 20, 36 *μελλουσιν* δ 5 sq. af it.

1) In apparatu desunt: 6, 31 *υμιν γενεσθαι παρα των ανθρωπων* cf. Zahn; 7, 9 (l. 10) *τοιαυτην* l. *τοσαυτην* iam tractata est haec lectio inter eas quae verba transponunt; 9, 40 *εκβαλειν αυτο* p. *ηδυνηθησαν*, om *ινα-αυτο*, s^{c} *θεραπευσαι* (T s^{a}) *και εκβαλειν αυτο*; 16, 16 *εξ ου* it Just. (quae coniungit cum Mtth. 11, 13); 16, 23 *εταρας ουν* coniungit igitur *εν τω αδη* cum *εταφη*, *δε* l *ουν* af c r l vgl. (eodem modo coniungentes); 16, 25 add. *συ η ι* 1211 alii b s^{p} Adam.; sec. loco *οδε* l *ωδε η* δ 254 pauci (Zahn, Blass fort. recte); 18, 19 om *αυτω* c i l; sec. l. *λεγετε*; 18, 22 om *δε* s^{sc}; sec. l. om *αυτω* s^{a} it (H δ 371); 18, 37 *απηγγελη* cf. 8, 20. In apparatu est: 6, 38 om [*και*] *σεσαλευμενον* T (?) s^{p} I 1443 sed s^{a} quoque.

2) Receptae sunt lectiones in apparatu pro Marcione: 10, 21 *ευχαριστω* (Orig.: *εξομολογουμαι ισον εστι τω ευχαριστω*); om *πατερ* K *ι* 86 Cl. Hom. (*κυριε πατερ* af it partim); om *και της γης* (T.); 10, 24 om *και βασιλεις* δ 5 af it partim; 10, 25 om *αιωνιον* g^{2}; om *διδασκαλε* δ 5; 11, 2 *εξελθετω*... I *α* 133. 214 Greg. Max. (cf. δ 5 *εφ ημας*); 11, 42 *κλησιν*; 12, 8 om *αγγελλων*; 12, 14 om *μεριστην* δ 5 I *α* 168 *σ* 207 s^{sc} c; 16, 12 *εμον σ* 207 af l; [21, 19 *κτησεσθε* Marc. loco *εσεσθε* cf. 050 alii lat. syr.]; 21, 30 add. *καρπον αυτων* δ 5 *σ* 207 alii lat. s^{sc}; 23, 2 add. *και καταλυοντα*... af it; add. *και αποστρεφοντα*... af c = in summa 15 loci. Non receptae et quidem a) lectio omittitur: 6, 35 *θεου* (add. e); 6, 36 *ωκτειρεν* (*οικτιρει* a b); 8, 18 *και μη ακουετε*; 8, 21 *τους λογους μου*; 10, 21 *απερ ην κρυπτα σοφοις* af; 10, 22 *αποκαλυψη*; 10, 24 *οι*; om *ηθελησαν*...; *ουκ ειδον*...; 11, 3 om *σου* (*ημων* I 371 s^{sc}); 11, 4 *αφες ημας*...; 11, 29 *αιτει*; 13, 28 *οτε παντας*... (*ιδητε* 050 Marc.); 14, 21 *κινηθεις*; 17, 14 *απεστειλεν αυτους*...; add. i. f. 4, 27 (Epiph. contra Tert.); 21, 13 *και σωτηριον* (Epiph.

Digitized by Google

tale consilium animadvertere non possum; etiam 23, 2 [1]) mihi valde dubium videtur: *και καταλυοντα τον νομον και τους προφητας και κελευοντα φορους καισαρι μη διδοναι και αναστρεφοντα τας γυναικας και τα τεκνα.* Prima sententia de lege tollenda fortasse excogitata est, cum maxime contraria sit Mtth. 5, 17. Sed ineptum est consilium talibus viris attribuere, qui etiam in ipso textu testes falsi existimantur et quorum secunda sententia, de vectigalibus, secundum 20, 25 non recta est. Praeterea haec verba ab af it confirmantur et denique, id quod placet Blassio, ante *και κωλυοντα* facillime interiisse et textui originali tribuenda esse possunt. Altera autem lectio *κελευοντα μη* loco *κωλυοντα* non a Tertulliano et non pro certo ab Epiphanio tradita non mutat sensum. Tertia denique, si non bona, attamen af c in v. 5 confirmata est. Aliae autem et ipsae tales, quae facillime excogitatae esse possint, a patribus ecclesiae confirmantur et auctoritatem textus originalis sibi deposcunt. In eis sunt: 10, 21 sq. *ευχαριστω και* (Tert.) loco (Epiph.) *εξομολογουμαι* (om *πατερ*) *κυριε του ουρανου* (om *και της γης*) *οτι απερ ην κρυπτα σοφοις και συνετοις απεκαλυψας νηπιοις· ναι ο πατηρ οτι ουτως εγενετο ευδοκια εμπροσθεν σου.* Ad vocabulum *ευχαριστω* in memoriam revoco Iren. I 13, 2, ubi affert ex Matth. *ουα* loco *ναι*, interiectionem laetitiae, quae voci *ηγαλλιασατο* Luc. et fortasse *ευχαριστω* respondet. V. 22 om *και στραφεις... ειπεν* δ 1 + 2 δ 5 133 *η ι* δ 505 alii lat. s^{sc} (text. fort. origin.), *παντα μοι παρεδοθη* (*παραδιδοται* I, nonnulli, Iust.) *υπο του πατρος* (om *μου* δ 5 a c l s^{s} Iust. Ir.). Tertullianus IV 25 scripsit: nemo scit (*οιδεν* Did. Ath.), sed II 27 nemo cognovit (*εγνω* Iust. Cl. Orig. Eus. Did. it), ut,

---

contra Tert.); 22, 8 *ειπεν τω...*; 23, 2 *κελευοντα...*; 23, 3 *χριστος*; 24, 21 *ενομιζομεν* s^{er} T); *λυτρωτης* (Sever) = in summa 22 loci. b) lectio quidem exhibetur sed sine nomine Marc. 10, 22 transmutatio *ο* 90 b; 15, 10 om *των αγγελων* I φ 253; 16, 25 om *σου* δ 5 *ι* 1246 lat. Adam.; 16, 26 om *ενθεν* δ 5 af c; 16, 26 *ωδε* δ 5 lat.; 16, 31 *ηκουσαν* Adam. Chrys.; 16, 31 *απελθη* δ 5 af it Adam.; 16, 31 *ακουσωσιν* Adam.; 21, 30 *γινωσκεται* δ 5 = in summa 9 loci.

1) 11, 29 c. v. 11 sq. Consilium Marcionis prodit omissio sequens; 17, 14 (cf. *αυτους* I *α* δ 5 *ι* alii lat. syr.; *υπαγετε* l. *πορευετε* T *σ* 207 it partim; om *πορ.* teste Epiph., it e Tert.); 17, 14 fine 21, 13; 15, 10 (liberrime); 12, 8 (δ 2 cf. Mtth. 10, 32); 21, 19 lectio pertinet ad omissionem versus 18: Marcion syr. (cf. Mc. 13, 13 (cf. *κτησεσθε*).

Digitized by Google

cum Marcion Iustinus it cognatione quadam inter se coniuncti sint, *εγνω* in textu ponendum sit: *ουδεις εγνω τις εστιν ο πατηρ ει μη ο υιος και τις εστιν ο υιος ει μη ο πατηρ*. In hac transpositione verborum pater obtinet principem fortasse locum inter ea quae filius revelat. Irenaeus etsi hanc collocationem probat I 13, 2 (cum *εγνω*) IV 11, 2 tamen hunc eundem textum quem impugnat, quippe qui Gnosticorum sit, in Luca originalem esse arbitratur (cf. Merx Matth. p. 201). Concinunt Iustinus (c. Tr. 100; apol. maior. 63 bis, *εγνω*), Cl. homil. 18, 13, Ir. syr.; arm. Eph. [1]). Quare recte iudicari mihi videtur, hic Orthodoxos textum depravavisse et Marc. Just. alios textum originalem servasse [2]); et hi quidem versum ita claudunt *και ω εαν ο υιος αποκαλυψη* (Iust. Tert. Ir. Cl. Did. Orig.). Marcionem v. 23 legisse puto *στραφεις δε* (δ 5 af) *προς μαθητας* om *κατ ιδιαν* (δ 5 af it s^{sc} φ δ 30 alii) *ειπεν αυτοις* (δ 5 *η* af s^{sc}) *μακαριοι οι οφθαλμοι οι βλεποντες α βλεπετε· λεγω γαρ υμιν οτι* (om *πολλοι*) *οι προφηται* (om *και βασιλεις* δ 5 af it Meth.) *ουκ ειδον α υμεις βλεπετε* om *και-ηκουσαν* (a i l; postrema verba textus canonici sunt ex Matth. sumpta). Suspicionem non movent nisi verba *πολλοι* et *ηθελησαν-ιδειν* omissa et has duas lectiones habet Marcion solus. Versus 21—24 sunt corpus perpetuum. Hic textus, ubi lectiones propriae eius ab Iustino (graecis latinis syriacis patribus) confirmantur, una cum lectionibus, quibus cum δ 5 af it s^{sc} congruit, textus originalis existimandus est (Merx). Huc accedunt variae lectiones orationis dominicae 11, 2 sq. (*πατερ*; loco *αγασθητω*:) *ελθετω το αγιον πνευμα σου εφ ημας* (*ελθετω η βασιλεια σου*); *τον αρτον σου* (*τον επιουσιον*) *διδου ημιν το καθ ημεραν* (*και αφες ημιν τας αμαρτιας ημων* om *και γαρ-ημιν*) *και μη αφες εισενεχθηναι εις πειρασμον* [3]). Quod Harnack adversarius textus antecanonici

1) Item I *o* 90 *π* b (a: quis est pater nisi filius; k: patrem quis agnoscit nisi filius).

2) Ir. alii habent *τον πατερα*... secundum Matth.; T interrogationem *τις εστιν* secundum Lucam.

3) In apparatu est: 11, 2 *ελθετο*... sed *το αγιον* p. *σου* et p. *ημας* add. *και καθαρισατω ημας* I *α* 133. 214 Gr. Naz., Marc.; add. *εφ ημας* p. *ονομα σου* δ 5; (Blass habet precationem ad spiritum pertinentem loco eius quae ad regnum pertinet, secundum Gr. Max.; *εφ ημας* testatur: Sanday). In apparatu non est: *σου* p *αρτον* cf. om *ημων* I 371 s^{sc}; om *και γαρ-ημιν* c k.

Digitized by Google

precationem ad spiritum pertinentem originalem in ipso textu Lucae putat, satis est causae, cur eam textum fortasse originalem putemus [1]). Nobis non necesse est examinare, utrum haec precatio originalis in ore Jesu ipsius sit an forma veterrima precationis ecclesiasticae. Vocabulum σου post αρτον gnostice interpretari solent itaque totam sententiam ut Marcioniticam repudiare. Haec interpretatio valere non potest, nisi verbum illud allegorice de Christo secundum Joh. 6, 27 intellegimus. Sed ad verum propius accedere videmur, si verbum illud pneumatice ad verbum dei referimus. Ac si Origenes lectionem tamquam Marcionis contemnens de secta Marcionis dixit αλληγοριας και αναγωγας φευγουσιν, τις εστιν ο αρτος του θεου, sectatores Marcionis in vocabulo αρτος verbum dei subaudivisse certum est. Concedo verbum ita intellectum redolere Johannem; sed sunt lectiones, in quibus Luc. et Joh. conspirant. Neque contenderim precationem ab Jesu ipso profectam esse non posse. Quod haec lectio late diffusa est, demonstrat Marcionem eam non finxisse sed traditam accepisse. Si Matth. solet numerum septem membrorum fingere et si textus brevior semper praeferendus est, ab eo critico, qui consilio lectiones parallelas ut inter se accommodatas reiciat, hic textus antecanonicus Marcionis originalis esse existimandus est. Postremo 16, 31 (ει μωυσεως και των προφητων) ουκ ηκουσαν, (ουδ αν τις εκ νεκρων) απελθη ακουσωσιν αυτου [2]); hae aliaeque lectiones adeo non Marcioniticae sunt, ut Blass et Merx eas textui originali vindicent [3]). Restant igitur lectiones quae consulto

---

1) Utrum haec precatio primo an secundo loco sit, hic disserere opus non est. Qui studet arti criticae, sequetur Marcionem contra Gregorium.

2) In apparatu Marcion non commemoratur: 16, 31 ηκουσαν Adam. Chrys.; απελθη (H 014) δ 5 af b c q l Adam.; ακουσωσιν αυτου pa Adam. (sine αυτου); 24, 21 sec. l. Sever. (Blass).

3) Praeter eas quas supra attulimus 10, 21 sq.; 11, 2; 16, 31; hae desunt in apparatu: 6, 36 ωκτιρεν υμας Cypr. (οικτιρει ab Blass); 13, 28 sec. l. κρατουμενους (om υμας-εξω s^* ι δ 505 alii); 16, 25 om σου δ 5; 1246 lat. Adam. Orig.; 16, 26 om (θελοντες) ενθεν (H 014) δ 5 af c; ωδε l. προς υμας δ 5 lat.; 22, 8 (loco 28, 8) και ειπεν τω πετρω και τοις λοιποις; 24, 21 ενομιζομεν s^{vc} s^b T (Merx); hae in apparatu exstant 10, 25 om διδασκαλε δ 5, om αιωνιον g^2 (Bl.); 12, 14 om μεριστην (H δ 48) δ 5 + 168 σ 207 c s^{ac} (cf. i δ 505 Bl. M.); 21, 30 add. τον καρπον (αυτων δ 5 alii lat. s^{ac}.

Digitized by Google

correctae sunt aut esse possunt 6, 35 θεου l. υψιστου (sed add. p. υψ. e;?); 8, 18 add. και μη ακουετε (sed Matth. 13, 13...?); 8, 21 τους λογους μου; 11, 42 κλησιν (consilium non perspicuum est nisi in omissione sequenti; in app.); 13, 28 οτι παντας τους δικαιους ιδετε (sed ιδετε δ 2 I α 050; in app.); 14, 21 κινηθεις (sed dubium est num ipsum Marcionem citaverit; Tertullianus dicit verbum motus contradicere doctrinae Marcionis?); 16, 22 εμον σ 207 af l (?; in app.); 23, 3 χριστος. Quod saepius mirum in modum Marcion et δ 5 inter se consentiant, Soden notis marginalibus factum esse contendit. Licet hoc de singulis locis recte dicatur, tamen ubique illae lectiones ex notis marginalibus originem ducere non possunt, praesertim cum Soden ipse earum 36 numeret et 13 alias in tabulis eius inveniamus [1]), praetermissis lectionibus similibus, quae textum Marcionis exhibent. Hic numerus permagnus facit, ut textum δ 5 correctum esse secundum Marcionem arbitremur. Cogeremur igitur dicere textum δ 5 esse correctum secundum et it (atque etiam secundum varios testes) et af et s^{sc} et Adam. et Tat. et Marc. Harum collationum numerus maior est quam ut probabiles esse videantur. Mitto quaerere, num fieri potuerit, ut tot testes inter se alternantes ipsius textus lectiones raro occurrentes ex Marcione deprompserint; nam Soden multimodis quidem id factum esse contendere potest [2]); sed manifeste fallitur. Sed quod ad it af attinet,

1) Soden adnotat lectiones communes inter Marc. et δ 5: sine aliis I testibus a) locis parallelis: 4, 34; 6, 31; 6, 37; 9, 22; 12, 30; 12, 31; 12, 59; 17, 2; 18, 22 (loco 21); 18, 35; 24, 6; [in summa 12]; b) locis non parallelis: 17, 2 (af a s^{sc}); 10, 24 sec. l. (af it); 10, 25 sec. l.; 16, 26 sec. l. (lat.); 16, 31 (lat.); 18, 42 (lat.); 24, 39 [in summa 7]; cum I testibus a) locis parallelis: 5, 24 (φ δ 30 alii); 5, 34 (β 121); 8, 24 (ι δ 505 alii); 8, 45 (ο 1279 alii); 8, 46 (I pl.); 9, 35 (I pl.); 10, 22 (I pl.); 11, 11 (I pl.); 11, 20 (1443); 12, 51 (δ 5 sq. alii); 16, 16 (φ) [in summa 11]; b) locis non parallelis: 11, 41 (β 449 alii); 20, 36 (δ 5 sq.); 16, 25 (1246); 21, 30 (σ 207 sq.); 9, 6 (cf. ο 1279); 11, 2 (cf. I α 133 alii); [in summa 6] = 36. Ipse addo: sine I testibus a) locis parallelis: 12, 31; 18, 35; b) locis non parallelis: 7, 9 (transmutatio); 10, 22; 16, 26 sec. l. (ωδε); cum I testibus a) locis parallelis: 8, 24 (add. θαλασση φ 1260); 9, 20 (I pl.); 12, 10 tert. l. (ο 129 sq.); 24, 7 (I pl.); b) locis non parallelis: 16, 31 (κ δ 4. 1246); 10, 23 (η αυτοις); 12, 14 (168 alii om μερ.) = 12; quorum est summa 48 loci.

2) I testes 1) cum δ 5 supra (id est cf. 1)) a) locis parallelis 11 + 4 = 15; b) locis non parallelis 6 + 3 = 9; 2) sine δ 5 a) locis parallelis 6, 20 (I α 337 alii);

Digitized by Google

Soden censet it et imprimis af non esse infectas a Marcione (p. 1628). Praeter paucos locos parallelos Soden modo 6, 28 add. *και* affert, quod b f g ex versu 22 secundum Tertullianum contra Marc. habere possunt; et 21, 30, ubi *τον καρπον αυτων* p. *προβαλωσιν* „vielleicht", inquit, „eine Notwendigkeit der lateinischen Sprache". Sed contra Marc. it additamentum ponit post verbum et item ℵ 5 σ 207 sq. β 247; atque 17, 2 ego Zahnio et Blassio assentior contra Sodenium iam in textu Marcionis *περιεχειτο* et *ερριπτο* exstitisse dicentibus; nam et ℵ 5 a s^{sc} T eadem legunt et antecedens *συνεφερεν* cum ℵ 5 af textum firmum postulat. Quare mihi liceat has Marc. et it af communes lectiones ex tabulis a Sodenio de Marcione confectis supplere [1]), et lectiones Marcionis et syr. adicere, quas ille neglexit [2]).

6, 21 (ι ℵ 505 alii); 19, 26 (050 alii); 21, 8 (σ 207); 22, 4 (η ι alii); 22, 8 (ι); 22, 14 (η ι); 23, 2 (ϕ^{s}); 9, 18 (ϕ^{s} alii); 12, 51 (φ ℵ 30 alii); 18, 20 (σ 1132 sq.); 9, 6 (ο 1279); 9, 41 (I α 286 alii); 12, 31 (I pl.); 17, 14 (φ 1444 alii); 18, 22 (φ); 21, 30 sec. l. (I α 337 alii) = 17 loci; b) locis non parallelis 9, 30 (1416); 16, 26 (050 alii); 17, 22 (ι); 8, 25 (I 192); 17, 21 (ι ℵ 505 alii); 17, 22 (ο 551 alii); 17, 22 sec. l. (η alii); 6, 38 (1443); 16, 25 (add. συ η φ alii); 16, 25 (ο δε η φ alii); 10, 22 (transmutatio ο 90 π); 10, 23 (om φ ℵ 30); [11, 3 σου cf. om ημων 371]; 15, 10 (φ 253); [13, 28 ιδετε 050]; 16, 12 (σ 207); 21, 19 (cf. 050) = 17 loci; quorum est summa 58 loci.

1) Lat. cum ℵ 5 sq. a) locis parallelis: [6, 31 om ομ. l. ουτως af]; 6, 37; 6, 26a; 8, 45 it; 9, 22; 12, 10; 12, 30; 12, 31 (af a); 16, 23; 24, 6 (c); 5, 34; 6, 38 (af c); 9, 20 (f. l.); 12, 51 sec. l.; 17, 2 (af); 4, 34; 5, 24; 12, 10 (af ff^{2}); 12, 31 (it; Marc. teste Epiph.); 12, 59; 18, 35; 24, 7 (it) = 22 loci; b) locis non parallelis: 7, 9; 11, 41 (it); 17, 2 (af a); 20, 36; 10, 22 (om μου a c l); 10, 23 (αυτοις af); 10, 24 (sec. l.); 12, 14 (e); 16, 25; 16, 26 (af c); sec. l. (ωδε); 16, 31; 21, 30; 9, 6; 18, 42 = 15 loci. Sine ℵ 5 a) locis parallelis: 6, 20 (c f); 6, 21 pr. t. sec. l.; 17, 2 (it); 9, 41 (af); 21, 8; 22, 4; 9, 18 (g^{1} af); 9, 20 sec. l. (f l); 12, 51; 18, 20; 5, 24; 6, 29 (it) 9, 6 (ff^{2} l); 9, 41 (sec. l. af); 12, 31 (it); 18, 42 (af); 21, 30 sec. l. = 18 loci; b) locis non parallelis: 9, 22 + 30; 16, 25 (e) + 26 (af b); 17, 22 (it); 6, 22 + 26 (b f g); 16, 16 [16, 23 δε l. ουν]; 16, 25 (b); 18, 19 (c i l); 18, 22 (sec. l. it); [6, 35 add. e]; 6, 36 (ab); 10, 21 quarto (af); 10, 22 (transmutatio, b); 10, 23 (om); 10, 24 quinto (a i l); 10, 25 (g^{1}); 11, 4 (af c); 16, 12 (af l); [21, 19]; 23, 2 (καταλ.); 23, 2 (αποστρ.) = 24 loci; quorum est summa 79 loci.

2) Syr. cum ℵ 5 a) locis parallelis: 6, 37; 16, 23; 18, 21 (s^{c}); 24, 6; 9, 20; 4, 34; 5, 24; 9, 1 (s^{c}); 10, 22; 12, 10 tertio; 12, 59; 21, 30: 12 loci; b) locis non parallelis: 11, 41; 17, 2; 10, 22 (om μου s^{s}); 10, 23 (add. αυτοις); 12, 14; 21, 30 = 6 loci. Sine ℵ 5 a) locis parallelis: 6, 20 (s^{s}); 6, 21 (s^{s}); 19, 26 (s^{c}); 18, 22 (s^{p}); 21, 8 (s^{p}); 9, 20; 12, 51 (s^{vid}); 18, 20; 9, 6; 12, 31 (s^{c}); 16, 12 (s^{p});

Digitized by Google

Marcion prius et acrius quam alius quisquam haereticorum impugnatur. Quae cum ita sint, nonne fieri potuerit quaero, ut lectiones eius acciperentur tam frequentes non solum lectiones parallelae sed etiam plures varii generis. Nonne fieri potuit, ut lectiones eius tam celeriter per tres linguas diffunderentur? Marcionis lectiones nisi in familia ϑ 5 seq. lat. syr., sed hic per omnes testes huius familiae dispersas invenimus. Nonne fieri potuit, ut lectiones eius huic uni familiae variis viis et quidem nonnullis textibus eius familiae guttatim instillatae sint? Quomodo intelligi potest eadem in eadem familia textus, quod ad Tatianum attinet, reperiri, etsi Marcionem et Tatianum raro inter se conspirare hae tabulae ostendant? Cogimur ut existimemus textum perantiquum graecum exstitisse, qui ab I H K abhorreret et familia ϑ 5 sq. it af syr repraesentaretur et a Marcione et Tatiano adhiberetur. Ex hoc textu fluxerint 13 lectiones, de quibus Soden: „sie kommen, dadurch dass Marcion sie mit verschiedenen alten Zeugen vertritt, wenn nicht für I H K, so für den ältesten Text ernstlich in Frage" (p. 1628). Sed solum una in editione textus pro I H K habetur: 16, 21, ubi textus incertus est. Aliae quoque lectiones textum originalem aut fortasse originalem repraesentant. At 7 in secundo, 6 in tertio apparatu exhibentur. Quis est qui ibi textum originalem se reperturum esse exspectet? Praeterea Marcion non adnotatus est 12, 30 + 58; 16, 21 + 28; 21, 30; semel, 8, 42, lectio omissa est. Auctor igitur, cum textum ederet, sententiam suam non paulum immutavit. Iam vero reminiscamur multas lectiones Marcionis neglectas et multis locis nomen Marcionis omissum esse. Lectionum hic commemoratarum (87 + 11 + 24 + 13 + 46 + 13) numero 194 in apparatu textus 51 (27 + 5 + 4 + 15) universae notatae sunt. In apparatu editionis 181 locos nomine Marcionis insignitos numero; eorum 35 [1]) cum I H K concinunt, numquam sine I

18, 22; 21, 30 (sec. l.) = 13 loci; b) locis non parallelis: 9, 22; 9, 30 pr. et sec. l.; 17, 22; 9, 19; 21, 19 (s^c); 6, 38 (s^{vid}); 16, 25 (s^p), 18, 22 pr. et sec. l.; 10, 23 (om); [11, 3 om ημων]; [21, 19]; 24, 21 = 14 loci; quorum est summa 14 loci.

1) 4, 41 ϑ 5 133 alii lat. s^1 contra T; 6, 16 ϑ 5 *i* *o* 129 *σ* 207 lat. s^c; sec. l. non add. και 1 1443 lat. syr.; 6, 40 ϑ 5 sq. *η* *ι* lat. Ir. contra T; 8, 3 I *α* alii

Digitized by Google

testibus, plerumque cum δ 5 versionibusque, quo fit ut ne hi quidem loci demonstrent Marcionem legisse I H K. Etiam reliqui 91 loci [1]) (181 — [55 + 35]) fere nusquam sine I testibus aut

---

it partim contra T; 9, 3 δ 5 η ι alii lat. syr.; 9, 22 I α I; 9, 52 δ 5 sq. alii c; 9, 57 δ 5 alii af s^{vt}; 10, 1 „70" I pl. b f g s^{h} s^{p} contra (δ 1) δ 5 af it Adam. Ir. Hic autem Tert. non verba ipsa affert, sed libere iis alludit scribens: adlegit et alios 70 apostolos super 12 (c. M. IV 24); textus igitur Marcionis restituendus est (dialog. e Marc. sec. Orig. I 806 : 72; haec lectio est difficilior et originalis 10, 5 δ 5 ι af; 10, 11 δ 5 η alii lat. s^{vt} contra T; 11, 2 non ημων I α 133 η s^{s} (contra δ 5 T ex Matth. 6, 9); non εν τοις... I α 133 η s^{s} (contra δ 5 T); tertia precatio omittitur η s^{s} (contra T, Mtth. 6, 28); 11, 4 septima precatio omittitur I α 133 η s^{s} (contra δ 5 T); 11, 11 δ 5 sq. ι alii Adam.; 12, 27 δ 5 s^{c} Cl. (contra T Mtth. 6, 28); 12, 31 I α 286 η alii af a s^{vt} (contra δ 5 Mtth. 6, 33); 12, 39 δ 5 af ι s^{vt} (contra T Mtth. 24, 43); 12, 53 δ 5 σ 207 (contra T); 12, 58 δ 5 ι (contra Mtth. 5, 25); 16, 12 δ 5 sq. alii lat.; 16, 18 δ 5 ι lat.; 17, 2 δ 5 sq. ι alii lat.; (non Mtth. 18, 6); 17, 10 δ 5 alii lat. s^{vt}; sec. l. δ 5 ι alii; 18, 19 δ 5 omnes; 19, 26 δ 1 + 2, ι s^{s}, non add. απ αυτου T secundum 8, 18, sed cum Tert. alludat, textus incertus est; 20, 1 δ 5 η alii lat. syr.; 21, 25 I α 050 η ι alii lat. syr.; 21, 34 δ 5 σ 207 lat. (contra T); 21, 35 δ 5 σ 207 lat. (contra T); 22, 16 I η alii lat. syr. (contra δ 5 Mtth. 26, 29); 24, 38 καρδιας (contra δ 1 δ 5 af it s^{s}; teste Tert.; sed dial 857 εις την καρδιαν = δ 5).

1) 4, 27 ελισσαιου Marc. Epiph. Orig. K f g contra H I δ 5 ι multi; sed ελισαιου Marc. Tert. δ 5 sq. multi it; νεεμιαν Marc. (?) K, νεεμαν Marc. Epiph. 315 f = νεμαν 050 af a g ff^{2} contra ναιμας δ 5, ναιμαν I H K; 6, 9 τοις σαββασιν Mtth. 12, 11 sq. Marc. I exc. δ 5 K af contra τω σαββατω δ 5 lat. syr. I H K; 6, 26 υμας καλως ειπωσιν af q (δ 1), om υμας ι δ 505 b [contra δ 5 καλως υμιν ειπωσιν (exemplar δ 5 verisimile sine υμιν: om παντες δ 5 Marc.)]; 6, 28 add. και I 129 sq. 1386 s^{s} ff^{2} Just. Adam. (contra δ 5); 6, 31 add. ουτως a και Mtth. 7, 12 cf. s^{s} a r ομοιως a. ποιειτε, δ 5 af sah Ir. Cl. om ομοιως; 6, 34 απολαβειν I (δ 5) Just.; 6, 37 om και I α [δ 5) η ι alii lat. syr. T; 6, 38 add. και (sed om σεσαλ. T s^{vt} 1443) a υπερεκχ. I nonnulli s^{vt}; 7, 27 add. εγω (Mtth. 11, 10 T I ι φ alii); om εμπροσθην σου δ 5 a r l; 8, 3 add. και p. αιτινες δ 5 ο 1279 alii a c q l; 8, 20 εξω εστηκασιν Mtth. 12, 47 δ 5 ο 129 af c; 8, 42 αυτους; 9, 30 om οιτινες ησαν s^{vt}; 9, 31 om οι οφθεντες, cf. om οι δ 5 lat. Orig.; add. τη I ο 551; 9, 33 τρεις σκηνας (Mtth. 17, 4) I α (δ 5) ι alii lat. syr.; μωυση μιαν T I 1385 ff^{2} syr.; ηλια μιαν T I α 133 η ff^{2} syr.; 9, 41 om και διεστρ. af a; 10, 4 om και I α 168 r 77; 10, 5 om πρωτον δ 5 r; 10, 22 om μου δ 5 it partim Justin; 10, 27 και om... και δ 5 it; 10, 28 ειπας syr.; 11, 5 om προς αυτους δ 5 c; 11, 11 τινα l. τις I exc. δ 5 it s^{vt} Adam; om ο I η Orig.; om αρτου-η (δ 1) I δ 260 alii it partim s^{s} Orig.; επιδωσει αυτω I exc. δ 5 133 Adam. Orig. (Mtth. 7, 9); και l. μη I α 337; 11, 20 εγω δ 5 alii; 11, 23 add. υμων Mtth. 7, 11 T ι 226 alii it s^{p}; 11, 28 ποιουντας cf. 6, 47 ο 1222; 11, 38 διατι (Mtth. 15, 2) δ 5 lat. s^{vt}; 11, 41 οντα υμιν T f, οντα b d, υμιν s^{vt}, εστιν υμιν δ 5 alii it syr.; 12, 1 om πρωτον T b s^{s}; φαρισαιων a ητις (Mtth. 16, 6) T I (exc. δ 5) it; 12, 5 om εχοντα εξ. I β 350 Orig.; om την (Mtth. 5, 29) δ 5 133 alii; βαλειν δ 5 Just. Cl.; 12, 10 ειποντι ante εις σ 1226 a af;

Digitized by Google

versionibus sunt. Quantopere diversam textus formam in editione exhibuisset, si non solum illi 181 sed etiam hi (194 — 51 =) 143 loci, id est 324, in apparatu notati essent. Quam aliter res administrata fuisset, si fere semper eadem familia testis loco adhibita esset. Tum Soden, sicut eodem fere numero lectionum inter T et familiam illam (δ 5 sq.) adductus Tatianum auctorem omnium varietatum I H K textus fuisse contenderat, ita eadem ratione usus has omnes lectiones, quibus δ 5 af it syr. ab I H K discrepant, Marcioni attribuere debuisset. Sed cum T et M raro inter se conspirent, saepius autem Justinus sive cum T sive cum M consentiat, manifestum est exstitisse textum ab I H K dissidentem, quo iam Marcion Justinus Tatianus usi sint, scilicet textum, qui adhuc in δ 5 sq. af it s^{sc} servatus est; cuius et plurimae lectiones a Sodenio fortasse originales dictae sunt, et ad quem pertinet magna copia lectionum, quae, quamquam in dissertatione eius originales existimatae, tamen in editione in apparatu secundo vel tertio collocatae sunt.

Iam ad finem quaestionis perveni. Nam omnia quae patres apostolici praebent, allusiones sunt, non citationes; quae tamen

---

12, 20 απαιτουσιν cf. 6, 30 I (δ 5) Cl. (text. fort. orig.); om απο σου Cl.; 12, 30 ζητει δ 5 lat. Cl.; 12, 32 om υμων Cl.; 12, 49 εις δ 5 it Cl.; 12, 53 om αυτης (δ 2) l Eus.; sec. l. διαμεριςθησεται Iα (exc. δ 5) η ι alii it s^{c}; 12, 56 ουρ.... γης (Mtth. 5, 18) δ 5 alii lat. s^{sc} T; 12, 59 κοδραντη (Mtth. 5, 26) δ 5 lat. s^{sc}; 13, 28 ιδητε Iα 050; 14, 16 (Mtth. 22, 2) εποιησεν δ 5 alii it Cl.; 16, 22 om του ι alii; 17, 1 om αυτου σ 377 alii e; 17, 10 αχρειοι δουλοι ι δ 505 alii; 17, 22 ιδειν μιαν T i^{a} it syr.; 18, 7 προς αυτον I (exc. δ 5); it om αυτω; 18, 18 om αρχων lat.; 18, 19 add. ο πατηρ arm. Orig.; 18, 22 om ετι s^{p}; 18, 31 περι του υιου δ 5 alii lat. syr.; 18, 33 τη τριτη ημερα (Mtth. 20, 19) Iz (exc. δ 5 sq.) alii it; 18, 35 εν ι δ 505; add. τη ι cf. 19, 1; 18, 39 δε δ 5 af; 20, 1 om τον λαον bo (p. ιερω δ 5 af syr.; 20, 19 om εγνωσαν... ταυτην [s^{c} ante και[3]; s^{a} ante v. 17]; 21, 8 λοιμοι... λιμοι σ 207 it s^{sc}; 21, 18 om (Mtth. 24, 9) syr.; 21, 28 om υμων δ 5; ηγγικεν (v. 20) η δ 254 alii; 21, 31 add. παντα I 1043 af; 21, 37 των η alii af; 22, 4 add. τοις Iα 337 alii; 23, 33 ηλθον (Mtth. 27, 33) T I δ 5 sq. alii lat. syr. (text. fort. orig.); λεγομενον Io 129 alii; 23, 46 om ο ις e (δ 5 syr. p. φωνησας); 23, 56 και lat. s^{sc}; 24, 4 εσθητι αστρ. (act. 10, 30) δ 5 lat. syr.; 24, 6 om ουκ-αλλα δ 5 af it; T om εις αμαρτωλων a (om αμαρτ δ 5 it); 24, 25 ελαλησα υμιν Tert.; 24, 31 ηνοιχθησαν (δ 5 ηνοιγησαν); 24, 38 om δια (δ 1) Ir. 77 (cf. δ 5 ινατι); 24, 39 αυτος ειμι δ 5 af it partim; om μου Iα 050 alii af it Tert. (text. fort. orig.); om σαρκα και (δ 5 Adam. Ir. σαρκας p. εχει); οστα δ 5 π σ 207.

Digitized by Google

et ipsae cognationem cum textu antecanonico ostendunt. Omnibus rebus, quas Soden § 379 de textu Tatiani complectitur, secundum ea, quae supra exposui, adversari cogor. Sententia, quae „Tatian-Hypothese" vocatur, lectiones contra I H K communes explicare nequit, cum serio nisi locis parallelis admitti non possit, extra locos parallelos autem arbitraria sit et maxime arbitraria, ubicumque lectio cum Tatiano communis omnino non exstat. Sententiam suam eo demonstratam esse Soden contendit, quod lectiones insignes ante Tatiani tempora nusquam appareant. Sed ex temporibus ante Tatianum (vel potius ex ipsa aetate Tatiani) Justinus et Marcion exstant et lectiones illas insignes servant, quibus partim cum Tatiano partim contra Tatianum de textu familiae consentiunt, quam a Tatiano infectam ille censet. Quod imprimis de Marcione valet, ita ut sententia illa, quae „Tatian-Hypothese" vocatur, complenda sit sententia, quae „Marcion-Hypothese" nominanda sit. Ac licet Soden concedat af rarissime ab auctoritate Tatiani dependere, tamen af paene non paucioribus locis quam it contra I H K textum ∂ 5 sq. s^{sc} habet. Denique ut opinionem suam comprobet, Soden nonnulla capitula elegit — ex Mtth. 1 + 2 et ex Luc. 1 + 2 + 15 + 16 + 24, 13 — 35 — sperans, omnibus testimoniis collectis, fore ut appareret Tatianum magni momenti fuisse ad omnia genera textus et auctorem fuisse paene omnium variarum lectionum. Capita sincere electa videntur, quia res in uno evangelio narratas complectuntur, ut loci paralleli excludantur. Revera autem, quia Soden omnes testes, qui post Tatianum vixerunt, repudiat, Marcion solus restat et cum ille Mtth. 1 + 2 Luc. 1 + 2 non habeat et Luc. 15, 11 — 32 secundum Epiphanium (315 + 338) circumcidat, secundum autem Tertullianum omittat omnino, unum caput remanet et dimidium. Tamen etiam hic nonnullas lectiones Tatiani a Marcione aut ante aetatem Tatiani aut eadem aetate ortas esse confirmatur [1]); aliae hic ut Tatianicae improbatae in editione

1) Luc. 16, 15 εστιν I α 133 + 337 ι alii lat. Tert. c. M. 4, 33; 16, 25 συ η ι 1211 alii b Adam. Orig.; 16, 16, εως (Mtth. 11, 13) I a ∂ 5 φ; 16, 12 δωσει υμιν I α ∂ 5 sq. alii lat. Orig.; 16, 18 om πας (Mtth. 19, 19) ∂ 5 ι alii lat. syr.; 16, 23 τω κολπω ∂ 5 it syr. Adam.; saepius T et M. in apparatu non commemorati sunt.

Digitized by Google

tamquam originales exhibentur [1]); aut ut fortasse originales in primo apparatu [2]); paucae hic quoque fortasse originales existimantur [3]). Hoc igitur argumentum non Sodeni sententiam comprobat, sed id quod supra exposui. Lectiones Tatiani investigari nunc non possunt, cum textus nondum satis constet [4]); easque exacte conferre non debeo, cum hic ex materia et sententiis Sodeni demonstrare velim non esse demonstratum, lectiones δ 5 sq. it af syr. ab I H K abhorrentes Tatiani esse et textum horum testium ante Tatianum et sine eo exstitisse. Hunc textum originalem esse quam maxime verisimile fit testimoniis T M Just. Hoc ea re quoque confirmatur quod T Romae (ut Soden iure dicit) antiquissimos et optimos MSS. libros sibi comparare potuit. Nihilominus in singulis rebus argumentis rei criticae interioris demonstrandum est, quod munus Soden plerumque neglexit, Merx autem nunc fere optime subiit.

Liceat mihi pauca verba facere de Sodeni sententia, quae ad rationem textus et canonis primorum temporum respicit. Sententia Sodeni duae res postulantur; primum ut I H K textus purus et integer servatus sit: id est textus fere sanctus putatus sit; deinde ut Tatianus tanti aestimatus sit, ut opus eius diu permultum valeret ad textum immutandum. Alterum alteri fortasse et utrumque certe opinioni adhuc vulgatae contradicit. Etsi de historia textus prima paulum aut nihil scimus, tamen hoc unum constat: evangelia esse scripta occasione data, eosque qui ea scripserunt aut acceperunt minime id spectasse, ut eis auctoritatem attribuerent, auctoritati scriptorum antiqui foederis i. e. auctoritati scriptorum sanctorum respondentem. Quapropter usque adhuc creditum est plures

---

1) 24, 21 om σημερον T H I η syr., 24, 27 om τι ην T δ 5 I pl. af syr. (I H K uncis); 24, 33 ηθροισμενους (δ 1 + 2) δ 5.

2) 16, 7 om και T H I α 93 ι δ 505 alii lat. s^{er}; 16, 29 αυτω T Adam. I (δ 5) it s^{b}; 24, 29 add. ηδη T H I α 286 η alii lat. Ceterum lectiones in hac § enumeratae aeque frequenter atque alibi cum familia δ 5 it af s^{er} (numero 32) conspirant.

3) 15, 12 και T I H (δ 5) it syr alii (2. app.); 15, 16 γεμισαι... T I multi exc. δ 5) s^{s} it = I H K; 16, 26 επι T (non in app.) I af a Marc. (2. app.); 24, 17 εστε T I it syr. alii (2. app.); 24, 18 ω ονομα T I lat. syr. (2. app.).

4) Valde gaudeo quod audio textum Tatiani brevi a viro quodam doctissimo restitutum iri.

Digitized by Google

varias lectiones — exceptis quae errore scribarum vel quaestionibus dogmaticis aut disciplina ecclesiastica ortae erant — prima parte saeculi secundi exstitisse. Hanc autem vulgatam opinionem Soden contra Lake „eine exorbitante Vermutung" et contra Blass „das denkbar Unwahrscheinlichste" esse dixit (p. 2124 sq.). Nec id mirum; nam haec opinio sententiae ipsius omnino adversatur. Sed Soden ipse hanc opinionem vel nunc alias defendit. Ex his contrariis contraria sequuntur. Summarium historiae textus incipit his verbis (Handausgabe p. V): „Heilige Schriften besassen die Christen von Anfang an in den Büchern des alten Testamentes.... An ihnen lernten sie, Schriften achtsam behandeln und auch den Buchstaben heilig halten.... Sie (scl. evangelia et epistolae) wurden verwahrt, in der Weise, wie man es mit den heiligen Schriften (veteris testamenti) gewohnt war". His verbis, quae ad sententiam eius quadrant, duae res repugnant; primum iam c. a. 100 finis Marci perierat; tum per unum fere saeculum scripta ipsa non sacrosancta habita sunt atque eo minus textus eorum. Id ipsum verbis illis Soden exprimere vult et statim colligit: „Es ist undenkbar, dass man an dem Wortlaut... sich willkürliche Anderungen erlaubte". Sed paulo post (p. VIII) evidenter contraria dicere mihi videtur: „An Änderungen konnte um soweniger jemandem gelegen sein, als dieser Literatur... im Gegensatz zu dem alten heiligen Schrifttum keinerlei massgebende Autorität zukam". Textum I H K incorruptum esse colligit primo loco ex ea re quod evangelia fere tanti aestimata fuerint quanti scripta veteris testamenti, secundo autem loco ex ea re quod contra scripta veteris testamenti eis nulla auctoritas attributa fuerit. Prima quae sequitur sententia, quae Tatian-Hypothese vocatur, manifesto falsa est. Nam patres apostolici textum valde mutare veriti non sunt (— quanto facilius alii textum corrupisse putandi sunt in suum aut paucorum hominum usum scribentes —) et Justinus ita libere textu utitur, ut Soden docte prudenterque dicat: „derselbe ist für ihn noch nicht sacrosankt; nur dem Sinn kommt normative Geltung zu (p. 1621)". Et ipse alio loco ait scripta primo initio in ecclesiis magna auctoritate fuisse. Recte; sed non satis perspicue. Si secundum Sodenium

Digitized by Google

(p. V). Christiani primo initio didicerunt litteras sanctas habere (p. V), auctoritas scriptorum eorum, ut mihi videtur, erat canonica, qua, Sodenio iudice, defensa essent, ne corrumperentur. Aliter vero Soden (p. 2116): „weil der Text nicht kanonisch war, fiel jedes Bedürfnis, ihn zu ändern, weg". (p. 2126). Sane textus aliquis canonicus nonnullis locis dogmatis vel disciplinae causa mutari potest. Sed multo facilius textus aliquis non canonicus a scribis immutabitur ad animos privatim aut in ecclesia permovendos. Circiter a. 190, non antea, evangelia et epistolae dignitate sanctorum scriptorum ornata sunt. Deinde Soden postulat, ut, quod ad historiam textus attinet, Tatianus diu auctoritate floruerit. Sed opus eius circiter inter annos 160—170 factum, iam anno 172, quo condemnatus est, per provincias tribus linguis divulgatum fuisse vel textum ecclesiae constituisse, quamvis desiderium harmoniae evangeliorum magnum fuisse putemus, cogitari non potest; neque magis fieri potuit, ut opus eius condemnatum de aliis textibus triumpharet. Etiamsi concederemus id tam celeriter propagatum esse, tamen sumendum esset, cum Tatianus utpote haereticus paululum post acerrime impugnaretur, omnes qui auctoritate aliqua erant patres voluisse et potuisse lectiones recentes exstinguere. Nonne Tertullianus et Origenes textum authenticum explorare et cognovisse poterant? „Zweifellos, inquit Soden, wenn sie auch nirgends behaupten, Originalhandschriften gesehen oder solche in Besitz zu haben, sie zweifeln doch nie daran, dass sie über den ursprünglichen Text verfügen". (XI). Legentibus nobis illi viri textum originalem habuisse videntur, quamquam investigatione supra facta demonstratum est, textum Tertulliani ab I H K una cum textu, qui secundum Sodenium a Tatiano infectus esset, multo saepius abhorrere quam ille dicit. Circiter 150 annos textus I H K fere purus et integer mansisse tamquam textus inspiratus dicitur, etsi non canonicus erat, contra ubi canonicus factus est, non solum hic illic purgatus politusque esse, sed etiam intra 50 annos permultas varias lectiones uberrime et abundantur affluentes recepisse, ut simul tribus locis recensionem eius fieri necesse fuerit et ex his ipsis recensionibus formae textus quam maxime inter se dissidentes oriri potuerint. Id mihi videtur, ut verbis

Digitized by Google

Sodeni utar „eine exorbitante Vermutung", „das denkbar Unwahrscheinlichste". An neque Hesychius neque Eusebius sciebat Origeni persuasum esse (idque, Sodenio iudice, summo iure) textum originalem se habere? Cur textum eius non amplectuntur, quem uterque facillime adipisci potuit, sed textum restituunt, qui in forma I certe lectiones archihaereticorum Tatiani et Marcionis non plane delet sed potius saepenumero ingerit? Unde hae lectiones sumptae essent, haud scio an tum iam ignotum fuerit. Sed etiamsi ex altera parte tanta auctoritas quanta Origenes est, cuius textum Soden originalem existimari vult (aut fere originalem), ex altera autem parte lectiones originis ignotae sunt, tamen aut eo tempore aut postea tales textus formas inter se certasse verisimile non est. Ceterum haec duo iudicia Sodeni inter se pugnare mihi videntur, cum et Tatianum Romae veterrimos et optimos MS. libros nancisci potuisse dicit et permultas eius lectiones, quae Tatianicae vocantur, quae rationem eius minime attingunt, in textum invasisse perhibet. Gravissimum autem argumentum, quo sententia Tatian-Hypothese vocata refellatur, petendum nobis est ex actis apostolorum. Textum eorum apud testes quosdam tantopere ab I H K discedere inter omnes constat, ut duae formae textus exstitisse videantur. Hi testes sunt ϑ 5 sq. af it s^{sc}, eidem igitur quorum textus in Lucae quoque evangelio multum ab I H K abest. Cum acta minime pertineant ad Tatianum, ut lectiones eorum ita lectiones eiusdem generis et eorundem testium evangelii ex Tatiano sumptae esse non possunt. Quod de Lucae idem de aliis quoque evangeliis valet. Idem genus et iidem testes eandem historiam significant. Textus, qui nititur ϑ 5 sq. it af s^{sc} T M (J), est forma peculiaris textus saeculi secundi.

Digitized by Google

AD SOPHOCLIS ANTIGONAM.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.

(Continuatur e vol. XLVI p. 367).

Vs. 349 sqq. κρατεῖ δὲ μηχαναῖς ἀγραύλου
θηρὸς ὀρεσσιβάτα, λασιαυχένα θ' ἵππον...
οὔρειόν τ' ἀκμῆτα ταῦρον.

Cum deinde equus et taurus memorentur, miror quomodo per ἄγραυλον θῆρα ὀρεσσιβάταν bovem designari sibi persuadeant viri docti. Immo his verbis notantur pecudes, quas Homerus vocat αἶγας ὀρεσκῴους [1]), Hesiodus αἶγας ὀρεσσινόμους [2]), amantes saxa capellas [3]). Autumabant veteres capellas ortas esse a capris feris, quarum species ad hoc tempus in Cretae insulae montibus vagatur [4]).

Vs. 351. Cod. Laur.: ἵππον ἕξεται ἀμφίλοφον ζυγόν, cod. Par. A item, nisi quod pro ἕξεται praebet ἄξεται. Ἕξεται nihili aestimandum et mero scribae errori tribuendum esse videtur, ἄξεται... ζυγόν vero forsitan significare possit: *subiget sub iugum*, licet haec loquendi ratio insolita esset et non nudum accusativum ζυγόν, sed ὑπὸ ζυγόν requireremus. Iam cum metricae rationes nos cogant, ut ante ἄξεται unam syllabam brevem excidisse statuamus, rem acu tetigisse videtur

1) Hom. Od. IX, 155.
2) Hes. Scut. Herc. 407.
3) Ovid. Her. XV, 55.
4) Varr. de re rust., II, 3, 3: caprae, quas alimus, a capris feris sunt ortae.

Digitized by Google

Brunckius scribendo: *ὑπάξεται. Ὑπάγειν ἵππον ζυγόν* iam apud Homerum legitur:

Il. XXIII, 291 *ἵππους δὲ Τρῴους ὕπαγε ζυγόν.*

Cf. ibid. V, 731 sq. XVI, 148, XXIV, 279.

Praestantissimam Brunckii emendationem praeter D'Ooge [1]) et Georgium Kern [2]) nemo probavit. Plerique commentatores tempus futurum hinc alienum esse arbitrantur [3]), licet futurum non minus bene quam praesens in eiusmodi sententiis usurpetur [4]) (cf. e. g. Aristoph. Ran. 98, Eq. 1376: *ἃ στωμυλεῖται τοιαδί*). Nihili pendo ceteras virorum doctorum in hunc locum coniecturas (G. Hermann: *ἐξέτε'*, *sexennem* (equum)! G. Wolff: *ἔσας ἄγει*, Jacobs: *ὁπλίζεται*, Doederlein et Dindorf: *ἀέξεται*, Bellermann: *ἐθίζεται*, Mekler: *ἔθελξ' ὑπαί*). Neque multo his praestat illud *ὀχμάζεται*, quod multis placuit. In verbis sequentibus *ἀμφίλοφον ζυγόν* addubitare vix fas est. Nam vocem *ἀμφίλοφος*, licet nusquam alibi legatur, satis tutantur adiectiva qualia sunt *ἀμφίβροτος* [5]) et *ἀμφιτειχής* [6]).

Vs. 360 sq. Cod. Laur.: *Ἀιδᾶ μόνῳ*
φεῦξιν οὐκ ἐπάξεται.

Cod. Par.: *Ἀιδα μόνον.*

Legendum esse videtur *Ἀιδᾳ μόνῳ* (sive adverbialiter *μόνον*) *φεῦξιν οὐκ ἐπάξεται*, mortem solam non in fugam dabit, solam mortem non fugabit sive abiget. Nota est locutio *ἐπάγειν* sive *ἐπάγεσθαί τινι δίκην, κίνδυνον, νόσον, πῆμα, πόλεμον, δουλείαν*, neque ab re est conferre *Φυγὴν ἐπιβάλλειν τινί*, apud Herodotum [7]), exsilium irrogare alicui. Miror quod interpretes omnes *Ἀιδα* pro genitivo habere malunt, quo facto coguntur verbum quod est *ἐπάξεται* aut cum Jebbio vel Bruhnio durius

1) Soph. Antig. ed. Martin L. D'Ooge, Boston, 1884.

2) Soph. Antig. ed. G. Kern, Gotha, 1883.

3) In sententiis, quibus ingenium et robur humanum extollit chorus, poëta tempora assidue variavit: vs. 343: *ἄγει*. 349: *κρατεῖ*. 351: *ὑπάξεται*. 355: *ἐδιδάξατο*. 359: *ἔρχεται*. 361: *οὐκ ἐπάξεται*. 362: *ξυμπέφρασται*.

4) Cf. Kühner-Gerth, Griech. Gramm. II, 1, p. 171.

5) Hom.: *ἀσπίδος ἀμφιβρότης*.

6) Aesch. Sept. 290: *λεὼς ἀμφιτειχής*.

7) Herod. VII, 3.

Digitized by Google

interpretari aut in dubium vocare. Vix enim exemplis ex auctoribus graecis petitis [1]) conficias φεῦξιν ἐπάγεσθαί τινος significare posse: fugam efficere, in fugam convertere aliquem.

Iniuria Zielinski [2]) arbitratus est voci quae est ἐπάξετʒι hoc loco vim *incantandi* subesse, licet damna, quae per incantamenta vel amorem vel invidiam hominibus infliguntur, optime ἐπάγεσθαι iis dici possint [3]). Quin etiam in devotione illa, quam Zielinski attulit, ubi legitur: φάρμακον ἢ ποτὸν ἢ κατάχριστον ἢ ἐπακτόν [4]), φάρμακον ἔπακτον idem esse censeo quod ἐπίπλασμα sive κατάπλασμα sive ἐπίθημα, emplastrum scilicet, quod ulceri *imponitur* [5]) sive *apponitur* [6]), *superponitur*, *superimponitur*, *superdatur*, *adhibetur*, *admovetur* [7]), graece ἐπιτίθεται [8]) sive ἐπιβάλλεται [8]) vel προσφέρεται [8]) vel ἐπιδεῖται [9]). Num temerarium videtur conicere etiam verbum quod est ἐπάγειν antiquitus eodem sensu usurpatum fuisse?

Vs. 367 sq.

νόμους παρείρων χθονὸς θεῶν τ' ἔνορκον δίκαν
ὑψίπολις.

Sic codices omnes, sed in voce παρείρων misere haeremus interpretes. Παρείρειν enim et παρενείρειν, ut παραπλέκειν et παρεμπλέκειν, significant *inserere*, *innectere*, e. g. filum aureum texto alicui, vel flores sertis. Diceret igitur chorus: ὑψίπολις ille est, qui artibus et artificiis, quorum ope homines in naturam universam dominantur, etiam legum humanarum et divinarum (intellege: observantiae in has leges) nonnihil interserit. Sed hoc ridiculum esset: patet enim chorum sentire observantiam in ius et fas caput rerum esse, prae quo cetera omnia

1) Cf. Thucyd. III, 10; Men. frg. 467 K.

2) Festschr. f. Gomperz, p. 143, 3.

3) Soph. Trach. 491, Eur. Hipp. 318. Cf. ἐπῳλυσίη, Hom. hymn. in Cer. 228, in Merc. 37; Zielinski, Philol. 1896, p. 533.

4) Wünsch, XII; Audollent, 8, 14.

5) Hoc verbo uti solet Plinius, e. g. N. H. XXVII, 24: (alsine) epiphoris peculiariter imponitur; XXIV, 8; v. lex. Forcell. s. v. impono.

6) Plin. N. H. XXIII, 164: myrtidanum ... vulvae prodest adpositu, fotu (potu?) et inlitu; XXIV, 24: styrax ciet menses potu adposituque; XXIII, 67: eadem ex aqua in linteolo adposita vulvas purgat; Seren. Samm. Medic. 413: hederae sucus potu adposituque iuvabit; 443, 971, 1113.

7) Plin. Cels. 8) Galen. passim. 9) Hippocr.

Digitized by Google

sordeant aut saltem minoris momenti aestimanda sint. Quod cum ita se habere cernerent, Thudichum F. Kern Bellermann suspicati sunt παρείρειν hoc loco esse: connectere, contexere, coniungere. Sententia evaderet si non optima, attamen aliquanto tolerabilior, sed ita interpretari non licet, quoniam παρείρειν significationem τοῦ συνείρειν non habet. Boeckhii, quem etiam poëtam tragicum interpretantem propter τὸ αὔταρκες τῆς γνώμης magni facio, sententia de verbo παρείρειν, quod prave nectere et inde conturbare et diruere significare putabat, iure ab omnibus spreta est. Nemini igitur contigit vocem παρείρειν intellegere et probabiliter interpretari. In scholiis autem leguntur haec: νόμους παρείρων χθονός· ὁ πληρῶν τοὺς νόμους καὶ τὴν δικαιοσύνην. Ergo aliud quiddam grammaticus, qui huius scholii auctor fuit, legisse videtur; nam παρείρων nemo sanus per πληρῶν interpretari potest. Itaque in παρείρων satis recenti aetate aliquid a scribis corruptum esse apparet. Iam coniecturis Schaeferi: γὰρ αἴρων et Wecklinii: περαίνων longe praecellit Reiskii coniectura γεραίρων, quam Nauck Jebb Kuiper Bruhn approbant. Dubito tamen, num Sophocles ita scripserit. Nam non solum vox quae est γεραίρειν apud Sophoclem et Aeschylum nusquam legitur, sed etiam τοὺς νόμους γεραίρειν minime usitata locutio fuisse videtur [1]) pro τοὺς νόμους σῴζειν vel σέβειν, τοῖς νόμοις χρῆσθαι vel ἕπεσθαι. Alia emendatio mihi in mentem venit, qua etiam propius ad traditas litterarum figuras accedemus. Cum enim veri similius sit vocem aliquam depravatam esse, quam scribae Byzantini non intellegerent, scribendum esse suspicor:

νόμους γὰρ ὠρῶν χθονός,

i. e. νόμους φυλάττων [2]). Verbum ὠρεῖν, quamquam magna stipatur familia, ipsum apud scriptores nunc non occurrit. Sed apud scholiastas et lexicographos memoria eius non abolevit, et apud Hippocratem lectum esse testatur Galenus [3]). Apud alium quoque scriptorem participium aoristi huius verbi aetate gram-

1) Cf. tamen Eur. Troad. 1210 sq.: νόμους τιμῶσιν. Etiam apud scriptores Latinos perraro legitur: leges colere.

2) Cf. Soph. Trach. 616: φύλασσε... νόμον.

3) Galen. ed. Kühn, XIX, p. 157 (τῶν Ἱπποκρ. γλωσσ. ἐξηγ.): ὠρεόντων· φροντιζόντων, ὅτι καὶ ἡ φροντὶς ὥρα.

Digitized by Google

maticorum exstitisse documento est glossa Hesychii: *ὠρήσαντα· Φυλάσσοντα.*

Vs. 368: *θεῶν τ' ἔνορκον δίκαν.* Genitivum *θεῶν* Jebb Bruhn Bellermann invita grammatica cum adiectivo *ἔνορκον* iungunt, ut *ἔνορκον θεῶν* sit id, in quod homines per deos iuraverunt. Contra apertum est genitivum hoc loco designare auctorem: *θεῶν δίκα* est ius divinitus constitutum, sicut vs. 77 legitur: *τὰ τῶν θεῶν ἔντιμα* et vs. 454 sq.: *θεῶν νόμιμα.* Cf. etiam vs. 287: *καὶ γῆν ἐκείνων* (i. e. *δικμόνων*, vs. 282) *καὶ νόμους διασκεδῶν.*

Vs. 375: *ὃς τάδ' ἔρδει.* Gleditschium secutus novissimus editor Bruhn scribit: *ὃς τᾷδ' ἔρδει.* Ecce necopinato in dispondeum exit stropha, quae magnam partem trochaicos numeros habet et post pulchrum septenarium:

φεῦξιν οὐκ ἐπάξεται, νόσων δ' ἀμηχάνων φυγάς

hucusque commode exibat in clausulam trochaicam: *ὃς τάδ' ἔρδει.* Correctionem istam minime necessariam esse intelleges, si animadverteris *τάδε* haud ita raro pro *τοιάδε* dici. V. schol. *ὃς τοιοῦτον ἐπιτετήδευκε βίον*, et conferas quaeso quae nuper ad vs. 302 adnotavi. Aliud exemplum eiusdem rei exstat vs. 439:

ἀλλὰ πάντα ταῦθ' ἥσσω λαβεῖν
ἐμοὶ πέφυκε τῆς ἐμῆς σωτηρίας.

Coniecturam *τἄλλ'* pro *ταῦθ'*, quam fecerunt Herwerdenus et Blaydesius, Bruhn in editione sua sine iusta causa amplexus esse videtur. Sententia enim evadit optima, modo statuamus hic quoque *ταῦτα* dictum esse pro *τὰ τοιαῦτα.* [1])

Vs. 379. sqq.
ὦ δύστηνος
καὶ δυστήνου πατρὸς Οἰδιπόδα,
τί ποτ'; οὐ δή που σέ γ' ἀπιστοῦσαν
τοῖς βασιλείοισιν ἄγουσι νόμοις
καὶ ἐν ἀφροσύνῃ καθελόντες;

Prioris sententiae inconcinnitati [2]) mederi conatus est Meine-

1) Recte Jebb: „all these things" = „all such objects as the safety of friends."

2) Si scriptum esset: *ὦ δύστηνος καὶ δυστήνου πατρός*, non adiecta voce *Οἰδιπόδα*, verba poëtae non inconcinna forent; cf. Aesch. Eumen. 89: *σὺ δ' αὐτάδελφον αἷμα καὶ κοινοῦ πατρός.*

Digitized by Google

kius, cum pro *καί* legendum esse suspicaretur: *παῖ*. (Cf. Soph. El. 121 sq.: *ὦ παῖ, παῖ δυστανοτάτας Ἠλέκτρα ματρός*). Sed etiam alterum *καί* initio vs. 383 valde displicet, nam participia *ἀπιστοῦσαν* et *καθελόντες* per coniunctionem *καί* coniungi posse, praesertim in tam brevi sententia, quis credat? Vide igitur ne ibi quoque eadem medela requiratur.

Vs. 411 sqq. *καθήμεθ' ἄκρων ἐκ πάγων ὑπήνεμοι,*
ὀσμὴν ἀπ' αὐτοῦ μὴ βάλῃ πεφευγότες,
ἐγερτὶ κινῶν ἄνδρ' ἀνὴρ ἐπιρρόθοις
κακοῖσιν, εἴ τις τοῦδ' ἀφειδήσοι πόνου.

Adverbium *ἐγερτί* non cum participio *κινῶν* coniungendum est [1]); manifestum enim est, quantum ego sentio, *ἐγερτὶ κινεῖν τινα* graece non dici posse pro: expergefacere aliquem. Nullus dubito quin adverbium ultimo loco, ut saepe fit, positum ad verbum *καθήμεθα* referendum sit. Cf. Rhes. 524: *φρουρεῖν ἐγερτί*. Vs. 412, quo custos, vir pro conditione sua loquacior, cursim explicat, qua de causa cum sodalibus *ὑπήνεμος* consederit, cum volubilitate linguae et voce submissiore recitandus est, *ἐγερτί* rursus pleno spiritu et expressius. Si igitur constructionem verborum oculis hominum, qui nunc sunt, repraesentare cupias, hos versus te distinguere oporteat hoc modo:

καθήμεθ' ἄκρων ἐκ πάγων ὑπήνεμοι
(ὀσμὴν ἀπ' αὐτοῦ μὴ βάλῃ πεφευγότες)
ἐγερτί, κινῶν ἄνδρ' ἀνὴρ etc.

Vs. 414 verbis *τοῦδ'... πόνου* significatur vigilia.

Vs. 418 *τυφὼς ἀείρας σκῆπτον οὐράνιον ἄχους*
πίμπλησι πεδίον,

„procella excitavit turbinem caelum altitudine tangentem et campum angore implevit". Recte Herwerdenus id quod scripsit Sophocles, ΑΧΟΣ, pro genitivo accepit. Σκῆπτον scholiastes optime per *στρόβιλον* interpretatur. Eiusdem verba: *σκηπτὸς δὲ λέγεται πᾶν πνεῦμα θυελλῶδες, ὅταν ἐρείδῃ τῇ γῇ καὶ πάλιν ἄνω αἴρῃ* ita corrigenda mihi videntur ut dicat: *σκῆπτος δὲ λέγεται πνεῦμα θυελλῶδες, ὅτὰν ἐρείδῃ τῇ γῇ καὶ πᾶν ἄνω αἴρῃ.*

1) Coniunxerunt Erfurdt Boeckh Wecklein; oblocutus est nemo.

Digitized by Google

Vs. 444 sq. σὺ μὲν κομίζοις ἂν σεαυτὸν ἢ θέλεις
ἔξω βαρείας αἰτίας ἐλεύθερον.

Quaesitum est, utrum ἔξω cum αἰτίας coniungendum sit an cum κομίζοις σεαυτόν. Si hoc verum sit, ἔξω sensu generali accipiendum sit, ut Trach. 799: ἀλλ' ἄρον ἔξω, Oed. Col. 824: χώρει, ξέν', ἔξω θᾶσσον, „cito te hinc aufer". Sin illud anteferetur, vs. 445 pleonasmo laborare videbitur; sed eiusmodi pleonasmi occurrunt etiam alibi; cf. modo Ai. 464: γυμνὸν φανέντα τῶν ἀριστείων ἄτερ, Philoct. 31: κενὴν εἴκησιν ἀνθρώπων δίχα, quae cum emphasi dicta sunt. In re tam ancipiti iuvat adnotare verba ἔξω αἰτίας (cf. *extra culpam*, Cicero) legi Antiph. VI, 15 et apud Suidam [1]) in locutione: αἴρειν ἔξω πόδα αἰτίας, quam confert cum altera: αἴρειν ἔξω πόδα πηλοῦ, et apud Aristidem [2]). Praeterea ἐκτὸς αἰτίας, quod prorsus idem est, legitur Aesch. Prom. 330, Choeph. 1031, Herod. IV, 133 [3]). Quapropter nostro quoque loco ἔξω ab αἰτίας divellere reformidarem.

Vs. 450 sqq.

οὐ γάρ τί μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε
οὐδ' ἡ ξύνοικος τῶν κάτω θεῶν Δίκη,
οἳ τοῦσδ' ἐν ἀνθρώποισιν ὥρισαν νόμους.

Ita codices sine sensu idoneo. Dixerat Creon (vs. 449): „tune ausa es τοῦσδε νόμους, i. e. legem quam de corpore Polynicis tuleram, transgredi?" Responderet Antigone: „ausa sum; non enim Iuppiter et Iustitia mihi haec praedicaverant, qui τοῦσδε νόμους hominibus constituerunt". Sic illa τοῦσδε νόμους diceret τὸν ἄγραφον νόμον, cui edictum Creontis refragatur. Vix credibile videtur Sophoclem tam obscure scripsisse. Boeckhius sibi persuasit per τοῦσδε νόμους in responso Antigones revera prorsus aliam legem significari atque per eadem verba in interrogatione Creontis. Sed qui observaverit, quam concinne et acriter Antigone ubique Creonti respondeat ita ut ipsa

1) Cf. Apostol. I, 65. — Gregor. Cypr. cod. Mosq. II, 32.

2) Aristid. XXXV, p. 178: οὐκ ἔξω ταύτης τῆς αἰτίας εἶναι δόξει. Cf. Soph. Ant. 625: ἐκτὸς ἄτης, Critiae fig. 49 Diels: ζῶντι μὴ οἷόν τε ἐκτὸς ἄτης βαίνειν.

3) Contrarium est: ἐν αἰτίᾳ (Oed. R. 656), εἰς αἰτίαν (Eur. Troad. 305 Antiph. VI, 15).

Digitized by Google

verba interrogantis saepe repetat (cf. vs. 442 sq. 447 sq. 508 sq. 512 sq. 522 sq.), Boeckhio adstipulari verebitur. Haesitare enim et balbutire summum poëtam quis credat? Neque minus nobis displicet ratio, qua G. Hermannus verba tradita tutari conatus est; opinatur enim poëtam locutum esse negligentius, cum hoc fere dicere ei in animo fuerit: *οὐ Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε οὐδὲ Ζεὺς καὶ Δίκη ἦσαν οἳ τούσδ' ἐν ἀνθρώποισιν ὥρισαν νόμους*. Respondebimus verba tradita neminem, nisi prius ab Hermanno admonitum et circumventum, sic intellecturum, negligentiam autem Sophocli obtrudere vix fas esse.

Valckenaerius difficultati, quam optime sentiebat, mederi conatus, scribendum esse coniecit:

οὐδ' ἡ ξύνοικος τῶν κάτω θεῶν Δίκη
τοιούσδ' ἐν ἀνθρώποιστιν ὥρισεν νόμους.

Quam emendationem, quae Sophocle minime indigna esse videtur, probaverunt Dindorf Nauck Jebb Kuiper. Obicere possis in bonis codicibus *τοιούσδ'* non ita facile in *οἳ τούσδ'* mutari. Lenior certe rem palaeographicam spectantibus videbitur coniectura, quae Erfurdtio sufficere visa est: una enim modo litterula deleta, pro *τούσδ'* scripsit *τούς* [1]). Idem placuit Suevernio et nostra aetate docto Anglo M. L. Earle [2]) et Bruhnio in commentariis editioni suae adiectis. Hanc tamen summo iure improbaverat et falsam esse ostenderat Boeckhius; etenim per *τοὺς νόμους* significarentur omnes leges, quibus homines reguntur, non solum, ut requiritur, lex non scripta et divina, cui Antigone contra legem regis obtemperat. Fuerunt etiam qui Valckenaerii emendationi diffidentes vs. 452 inopes consilii potioris interpolatori tribuerint.

Equidem lenissima emendatione hunc versum in integrum restitui posse censeo. Nonne enim apertum est Sophoclem scripsisse:

οὐ γάρ τί μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε
οὐδ' ἡ ξύνοικος τῶν κάτω θεῶν Δίκη.
οὐ τούσδ' ἐν ἀνθρώποισιν ὥρισαν νόμους,

„non *has* leges illi hominibus constituerunt, sed prorsus diversas".

---

1) Praeiverat Vauvilliers, qui scripsit: *τούς γ'*.
2) Class. Rev. 1899, p. 390 sqq.

Digitized by Google

Emphasi inservit hoc genus asyndeti, cuius plane simile exemplum exstat Philoct. vs. 301 sqq.:

ταύτῃ πελάζει ναυβάτης οὐδεὶς ἑκών·
οὐ γάρ τις ὅρμος ἔστιν οὐδ' ὅποι πλέων
ἐξεμπολήσει κέρδος ἢ ξενώσεται.
οὐκ ἐνθάδ' οἱ πλοῖ τοῖσι σώφροσιν βροτῶν.

Vs. 304 sine iusta causa eiecit Herwerden Exerc. Crit. p. 122; idem Bergkio et Wecklinio languere videbatur. Non videntur sensisse, quantum roboris et vehementiae repetitio et asyndeton orationi addant.

Vs. 451 οὔθ' ἡ ξύνοικος τῶν κάτω θεῶν Δίκη.

Iam apud Hesiodum Iustitia Iovis filia Olympo dignatur

Op. 259 πὰρ Διὶ πατρὶ καθεζομένη Κρονίωνι,

et ex illo tempore plerumque species divinae virginis illi tribuitur et in caelo apud deos immortales habitare dicitur. Neque alia imago Iustitiae ipsi Sophocli ante oculos obversabatur, cum Oed. Col. vs. 1382 scriberet:

Δίκη ξύνεδρος Ζηνὸς ἀρχαίοις νόμοις.

Sed multa sunt apud Graecos numina, quae cum principio apud inferos collocata essent, postea in Olympum extulit purior minusque superstitione infecta religio. His Δίκη quoque adnumeranda est, quae antiquitus Diris cognata et consimilis improborum suppliciis praesidebat in Orco quamque populus imprimis numquam τῶν κάτω θεῶν ξύνοικον habere desiit. Quod cum ita se habere apertum sit, tamen hac qua vivimus aetate demum e poëtarum praesertim testimoniis intellectum est. Nam neque Ruhl in dissertatione sua de mortuorum iudicio [1]) neque Radermacher de eadem re agens [2]) adhuc usquam quibus partibus Iustitia in hominibus post mortem iudicandis fungatur exposuerunt. Deinde vero Waser [3]) et Gilbert [4]) summatim, copiosius Hirzel [5]) et Iohanna Harrison [6]) hanc quaestionem tracta-

1) Relig. geschichtl. Versuche, II (a. 1903), p. 33 sqq.
2) Radermacher, Das Jenseits im Mythos der Hellenen, p. 98—105.
3) Pauly-Wissowa, Realencycl. V, 1 (a. 1903), p. 575.
4) Archiv für Gesch. der Philos. 1907, p. 35 sq.
5) Hirzel, Themis, Dike und Verwandtes (a. 1908).
6) Harrison, Themis (a. 1912), p. 519 sqq.

Digitized by Google

verunt. Ad quam si post hos omnes nunc rursus aggredior, id agam, ut locos scriptorum, quos huc pertinere illi viderunt, diligenter componam eorumque numerum pro viribus adaugeam, praesertim cum comparatio horum locorum uni atque alteri tragicorum versui insperatam lucem affundat. Quoniam autem rei caput iam profligatum est, non ab iis argumentis ordiri mihi liceat, quibus maxime res collecta est, sed temporum ratione habita locos scriptorum ordine recensere.

1. Iamblichus, De vita Pythag. IX: (Pythagoras dicebat) *τοὺς ἀνθρώπους εἰδότας ὅτι τόπος ἅπας προσδεῖται δικαιοσύνης, μυθοποιεῖν τὴν αὐτὴν τάξιν ἔχειν παρά τε τῷ Διὶ τὴν Θέμιν καὶ παρὰ τῷ Πλούτωνι τὴν Δίκην καὶ κατὰ τὰς πόλεις τὸν νόμον.* Concinit cum his fragmentum Theagis, philosophi neopythagorici Stob. Flor. I, 67 sq.: *Θέμις γε ὧν φατίζεται* (i. e. nuncupatur, sc. *ἀ δικαιότας*) *παρὰ τοῖς οὐρανίοις θεοῖς, Δίκα δὲ παρὰ τοῖς χθονίοις, νόμος δὲ παρὰ τοῖς ἀνθρώποις.* Ipsius Pythagorae, ut videtur, dictum tenemus; sin minus, Pythagoram hoc dixisse discipuli eius credebant. Si quaeris, unde, ex quonam fonte hoc de Iustitia in Pythagoreorum doctrinam manaverit, animadvertendum est traditionem orphicam hac in re ab illorum ratione diversam esse. Audi e. g. Demosthenem contra Aristog. 11: *..Δίκην, ἣν ὁ τὰς ἀγιωτάτας τελετὰς ἡμῖν καταδείξας Ὀρφεὺς παρὰ τὸν τοῦ Διὸς θρόνον φησὶ καθημένην πάντα τὰ τῶν ἀνθρώπων ἐφορᾶν*; cf. Hymn. Orph. LXII Hermann [1]). Sed fieri potest ut Aegyptiorum fabulas de mortuorum iudicio cognoverint Pythagoraei [2]). Apud istos certe iudicio mortuorum interest dea Veritatis [3]) Mat, quamquam non easdem partes in eo agit atque Δίκη apud Graecos.

2. Apud Parmenidem describuntur fores domus deae (Ἀνάγκης?), quam philosophus adit, ut sibi veritatem monstret,

τῶν δὲ Δίκη πολύποινος ἔχει κληῖδας ἀμοιβούς [4]).

Gilbert luculenter ostendit portam hanc esse portam Erebi [5]);

1) Cf. Hirzel, Themis, p. 154, 2.

2) Cf. Wilamowitz, Platon, I, p. 241: „Es ist durchaus nicht ausgeschlossen, dass der hellenische Glaube an ein Totengericht durch ägyptische Lehren mindestens ausgestaltet ist."

3) De Iustitia et Veritate cf. Hirzel, Themis, p. 116, 2.

4) Parmen. ed. Diels, I, 14.

5) Cf. Parmen. I, 11 cum Hes. Op. 748.

Digitized by Google

quid autem ibi agat clavigera Δίκη, iam epitheton πολύποινος satis demonstrat.

3. Heraclito (frg. 94) Ἐρινύες sunt Δίκης ἐπίκουροι.

4. Aesch. frg. 266 N.:

ἡμῶν γε μέντοι Νέμεσίς ἐσθ' ὑπερτέρα
καὶ τοὺς θανόντας ἡ Δίκη πράσσει τόκον [1]).

Manifestum est poëtam sibi fingere Δίκην mortuos iudicantem vel punientem in Tartaro.

5. Aesch. Agam. 1535:

δίκη δ' ἐπ' ἄλλο πρᾶγμα θήγει βλάβης
πρὸς ἄλλαις θηγάναις μοῖρα.

Locus corruptus ab aliis aliter emendatus. Wilamowitzius nunc in editione Aeschyli scribit:

δίκη δ' ἐπ' ἄλλο πρᾶγμα· θηγάνει βλάβης
πρὸς ἄλλαις θηγάναισι μοῖρα,

cum prius in editione Agamemnonis scripsisset:

δίκαν δ' ἐπ' ἄλλο πρᾶγμα θηγάνει βλάβας
πρὸς ἄλλαις θηγάναισι Μοῖρα.

Non facile dictu est, quomodo locus constituendus sit [2]). Suspicor tamen sermonem esse de Δίκῃ et Βλάβαις i. e. Furiis [3]) (cf. 3, 7, 10—12, 15—17):

Δίκη δ' ἐπ' ἄλλο πρᾶγμα θηγάνει Βλάβας
πρὸς ἄλλαις θηγάναισι Μοίρας.

6. Ibid. 1610 sq. Agamemnone trucidato, gloriatur Aegisthus:

οὕτω καλὸν δὴ καὶ τὸ κατθανεῖν ἐμοί
ἰδόντι τοῦτον τῆς Δίκης ἐν ἕρκεσιν,

i. e., ut verbis utar Platonis (v. infra, 18), ἐν τῷ τῆς Δίκης δεσμωτηρίῳ, ὃ δὴ Τάρταρον καλοῦσι.

7. Aesch. Choeph. 497:

ἤτοι Δίκην ἴαλλε σύμμαχον Φίλοις
ἢ τὰς ὁμοίας ἀντίδος Βλάβας λαβεῖν.

„Aut Iustitiam causae nostrae sociam mitte aut da nobis diras Furias adsciscere".

Cum verbis Δίκην ἴαλλε etc. cf. Eur. Bacch. 977, 993 (17).

---

1) Traditum est: τοῦ θανόντος-κότον. τόκον corr. Nauck. Cf. Aesch. Choeph. 310: τοὐφειλόμενον πράσσουσα Δίκη. Batrachomyom. 186.

2) Cf. Aesch. Eumen. 859.

3) Cf. Soph. Ant. 1104.

Digitized by Google

Traditum est βλάβας, quod editores cum Cantero in λαβάς mutant. Δίκη et Βλάβαι non solum hic iunguntur, sed etiam in Agam. (5) et Eumen. (10), dummodo hos locos recte intellegam [1]). Ὁμοίας adiectivum illud esse videtur mihi, quod Homerus vocibus γῆρας, νεῖκος, πόλεμος, θάνατος tribuit [2]).

8. Ibid. 647 Δίκας δ' ἐρείδεται πυθμήν,

vel, ut Wilamowitzius distinguit:

δίκας ἐρείδεται πυθμήν; .

Nondum, puto, pro certo constat, quid hic locus significet. Sed comparanti Agam. vs. 1611 (6) et Platonis locum infra adlatum (18) et Pindari fig. 207 Schr.: πυθμὴν Ταρτάρου nata mihi est suspicio, numne per „profundum Iustitiae" designentur ima Erebi, Ταρτάρου ἄβυσσα χάσματα [3]), quae illa incolit.

9. Ibid. 935 ἔμολε μὲν Δίκα
Πριαμίδαις χρόνῳ, βαρύδικος Ποινά..
946 ἔμολε δ' ᾇ μέλει
κρυπταδίου μάχας δολιόφρων Ποινά,
ἔθιγε δ' ἐν μάχᾳ
χερὸς ἐτητύμως
Διὸς κόρα (Δίκαν δέ νιν
προσαγορεύομεν
βροτοὶ τυχόντες καλῶς)
ὀλέθριον πνέουσ' ἐπ' ἐχθρᾶς κότον.

Longe facilius iam intellegitur, quomodo Ποινά hic appositum ad Δίκαν (τὴν πολύποινον) esse possit, postquam cognovimus famam tenuisse hanc apud inferos habitare.

10. Aesch. Eumen. 490:

νῦν καταστροφαὶ νέων
θεσμίων εἰ κρατή-
σει δίκα καὶ βλάβα
τοῦδε μητροκτόνου.

Nonne legendum est: Δίκα καὶ Βλάβαι? Cf. 3, 5, 7, 11, 12, 15—17.

11. Ibid. 511 ὦ Δίκα
ὦ θρόνοι τ' Ἐρινύων.

1) Cf. Soph. El. 1042: δίκη βλάβην φέρει.
2) Cf. Boisacq, Dict. étym. de la langue grecque, s. v.
3) Eur. Phoen. 1604 sq.

Digitized by Google

12. Soph. Ai. 1390:

μνήμων τ' Ἐρινὺς καὶ τελεσφόρος Δίκη.

13. Soph. Ant. 94:

ἐχθρὰ δὲ τῷ θανόντι προσκείσῃ Δίκη.

Hunc versum interpretatus sum Mnemos. a. 1918 p. 75. Δίκῃ, non δίκῃ scribendum esse nunc persuasum habeo, praesertim comparato loco Plutarchi infra (20) adlato: Δίκῃ... ὁ δαίμων παραδίδωσι.

14. Ibid. 451.

15. Soph. Trach. 808 ὧν δε ποίνιμος Δίκη
τείσαιτ' Ἐρινύς τ'.

16. Eur. Med. 1389 ἀλλά σ' Ἐρινὺς ὀλέσειε τέκνων
φονία τε Δίκη.

17. Eur. Bacch. 977 ἴτε, θοαὶ Λύσσης κύνες..
993 ἴτω Δίκα φανερός, ἴτω ξιφηφόρος.

18. Plat. Gorg. p. 523, b: τὸν δὲ ἀδίκως καὶ ἀθέως (τὸν βίον διελθόντα) εἰς τὸ τῆς Τίσεως [1]) τε καὶ Δίκης δεσμωτήριον, ὃ δὴ Τάρταρον καλοῦσιν, ἰέναι.

Cf. supra 6 et 8. Ignoramus, unde Plato, qui cum haec scribebat ad ipsas sedes Pythagoreorum nondum adierat, fabulam suam de mortuorum iudicio delibaverit [2]).

19. In vase Italico saec. IV[1] Δίκη in Orco iuxta Theseum sedens picta est [3]), gladium dextra tenens (ξιφηφόρος, 17).

20. Plut. de sera num. vind. XXII, p. 564, d: ὧν δὲ μεῖζόν ἐστιν ἔργον ἡ περὶ τὴν κακίαν ἰατρεία, τούτους Δίκη μετὰ τὴν τελευτὴν ὁ δαίμων παραδίδωσι.. P. 565, a.: ὃς δ' ἂν ἐκεῖθεν ἀκόλαστος ἐνταῦθα (apud inferos) καὶ ἀκάθαρτος ἐξίκηται, τοῦτον ἡ Δίκη διαλαβοῦσα κτλ. Ex his vel aetate imperatorum Romanorum perdurasse eandem antiquam superstitionem videmus, atque adeo usque ad finem litterarum Graecarum Δίκη nonnullis non παρθένος esse videbatur, ut ait Hesiodus,

Op. 256 Διὸς ἐκγεγαυῖα
κυδρή τ' αἰδοίη τε θεοῖς, οἳ Ὄλυμπον ἔχουσι,

sed monstrum informe et infernum. Legitur enim in

1) Cf. Herod. III, 126, 128: Τίσιες.
2) Cf. Wilamowitz, Platon, II, p. 343, 5.
3) V. Harrison, Themis, p. 521, fig. 145.

Digitized by Google

21. Iuliani Conv. p. 310, a: *ταῦτα ἔτι παιζόντων αὐτῶν, ἐπεισέρχεται θηρίον πονηρόν. εἶτα οἱ θεοὶ πάντες ἀπέστρεψαν τὰ ὄμματα, κἄτα αὐτὸν δίδωσιν ἡ Δίκη ταῖς Ποιναῖς, αἱ δὲ ἔρριψαν εἰς Τάρταρον.*

Vs. 471 sq. *δηλοῖ τὸ γέννημ' ὠμὸν ἐξ ὠμοῦ πατρός*
τῆς παιδός· εἴκειν δ' οὐκ ἐπίστανται κακοῖς.

Wecklein et Jebb autumant *τὸ γέννημα τῆς παιδός* idem fere esse quod: *ἡ γεννηθεῖσα παῖς*. Cui interpretationi inprimis officit ordo verborum distortus. Bellermann sub voce *γέννημα* sententiam *indolis* subicit, quam non habet. Optimo iure dicit Bruhns nos non intellegere, quid sit *τὸ γέννημα τῆς παιδός*, atque multi ante eum idem senserunt. Ignorare me fateor, quanam ratione lectio codicis Parisini *φώνημ'* (pro *γέννημ'*) orta sit; sed *γέννημ'* saltem non per corruptionem vel coniecturam natum esse mihi videtur. Parum igitur fido variis coniecturis, quibus viri docti *γέννημ'* tentaverunt, quarum omnium instar mihi esto una Blaydesii: *τὸ γοῦν* (!) *λῆμ'*, quam nunc a Pearsonio commendari video [1]). Contra placet mihi id quod proximo anno Appleton de his versibus scripsit [2]). Is enim post vocem *πατρός* distinguit et verba *τῆς παιδός* pro genetivo exclamativo habet. Cf. Ar. Av. 61: *τοῦ χασμήματος*, Eur. Bacch. 263: *τῆς δυσσεβείας*, Xen. Cyrop. III, 1, 39: *τοῦ ἀνδρός*. Dixerim tamen alterum versum ab altero etiam magis disiungi oportere quam per merum punctum. Exclamatio illa: *τῆς παιδός*! vix mediae orationi intervenire potest. Itaque poëta uni e choro priorem versum:

δηλοῖ τὸ γέννημ' ὠμὸν ἐξ ὠμοῦ πατρός

tribuisse mihi videtur, posteriorem alteri:

τῆς παιδός. εἴκειν δ' οὐκ ἐπίστανται κακοῖς.

Vs. 504 sq. *τούτοις τοῦτο πᾶσιν ἀνδάνειν*
λέγοιτ' ἄν, εἰ μὴ γλῶσσαν ἐγκλήσοι Φόβος.

Pro optativo futuri *ἐγκλήσοι*, quem olim G. Hermann Wex Boeckh A. Jacob recipere non dubitabant, plerique editores

1) Class. Rev. 1920, p. 56 sq.
2) Ibid. 1919, p. 25.

Digitized by Google

sine iusta causa praesens ἐγκλῄοι substituunt. Nam Demosth. or. 57 § 16: οὐκ ἠγνόει Εὐβουλίδης, ὅτι, εἰ λόγος ἀποδοθήσοιτο... οὐδαμοῦ γενήσονται οἱ μετὰ τούτου συνεστηκότες, ostendit in sententiis conditionalibus Graecos nonnumquam futuri optativo usos esse. Similiter latine dixeris: haec omnes sibi placere profitebuntur, nisi linguam metus compescet.

Vs. 508 sqq.

ΚΡΕΩΝ

σὺ τοῦτο μούνη τῶνδε Καδμείων ὁρᾷς.

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

ὁρῶσι χοὗτοι, σοὶ δ' ὑπίλλευσιν στόμα.

ΚΡΕΩΝ

σὺ δ' οὐκ ἐπαιδῇ, τῶνδε χωρὶς εἰ φρονεῖς;

Nemo admonitus negabit ultima verba Creontis primo obtutu non ad praecedentia Antigonae quadrare videri. Quid enim? Cum Creon dixisset solam Antigonam ita sentire, illa contra contendit senibus Thebanis eandem sententiam probari. Huius autem dicto aspero rex omnino non respondere videtur, sed quasi id aut non audisset aut prorsus contemneret [1]), interrogare eam: „nonne vero te pudet ab illis dissentire?" Quam difficultatem Jebbius cum optime sentiret, aliam interpretationem vs. 510 excogitavit, quam vernacula lingua hunc in modum exposuit: „σὺ δ' οὐκ ἐπαιδεῖ; And art thou not ashamed of it (cp. ἐπαισχύνομαι), if thou thinkest otherwise than they do? — thinkest, namely, that thou art free to act on thy own views, regardless of thy king. For the sake of argument, he concedes their possible *sympathy* with her, but insists on their loyal *behaviour*". Obiciendum est quod verbum φρονεῖν mirum in modum torquet interpres; vertit enim: „and art thou not ashamed *to act* apart from them?" Qua in re praeierat illi A. Jacobs: „in einem anderen Sinne *handelst* (χωρὶς εἰ φρονεῖς)". Paulo subtilius, sed non verius Bellermann: „φρονεῖν, gesinnt sein", inquit, „nicht vom Denken, sondern vom Wollen, das sich im Handeln äussert". (Reputa enim hic sermonem esse de viris, qui arguuntur secus facere atque sentiunt.) Deinde

1) Cf. M. d'Ooge: „Without paying any attention to Antigone's reply, Creon obstinately holds fast to his opinion".

Digitized by Google

vide ne ratione, quam Jebbius iniit, natura Creontis nimis humilis et ridicula fiat, si Thebanos suos collaudet, si sibi, licet eum peccare sciant, lingua blandiantur, et Antigonam obiurget, quod non eodem modo adversus ipsum se gerat. Hanc igitur viam relinquendam, aliam insistendum esse opinor: post vs. 509 sumo totum chorum vultu et manibus abominari verba Antigonae: *ὁρῶσι χοὔτοι, σοὶ δ' ὑπίλλουσιν στόμα.* Sic demum puellam recte interrogare potest Creon: *σὺ δ'οὐκ ἐπαιδῇ, τῶνδε χωρὶς εἰ φρονεῖς*; Nonne unusquisque mihi concedet senes hoc loco non posse quin significent se improbare verba, quibus Antigona ad ipsos provocaverat? Ceterum chorum Antigonae per totam fabulam adversari voluit poëta (v. e. g. vs. 853 sqq.), ut regia virgo sola ab omnibus derelicta perferret et certaret.

Vs. 548 *καὶ τίς βίος μοι σοῦ λελειμμένῃ φίλος*;

Sunt verba Ismenae ad sororem Antigonam. Vocem *φίλος* in dubium vocaverunt Nauck Wecklein Hense M. Schmidt. Jebbii adnotationem: „*φίλος* has been groundlessly suspected, for no other reason, seemingly, than because it is masc." non plane intellego. Certe non quadrat ad ipsius interpretationem: „and what life is dear to me, bereft of thee?" Causam tamen, cur *φίλος* corruptum esse crediderit Nauck, in propatulo esse puto: abundare et languere et sententiam debilitare ei visum est. Ego quoque censeo: *τίς βίος μοι*; hic multo concinnius dictum fore quam: *τίς βίος μοι φίλος*; Cf. vs. 566: *τί γὰρ μόνῃ μοι τῇδ' ἄτερ βιώσιμον*; Si quid mutandum est, quod mihi non plane constat, vide ne pro *φίλος* legi possit vocativus *φίλη* vel gen. *φίλης*. Cf. Pind. Isthm. II, 18: *κτεάνων θ' ἅμα λειφθεὶς καὶ φίλων*. Eur. Melan. *ἡ δεσμ.*: *ἡμεῖς οἱ λελειμμένοι φίλων* [1]).

Vs. 557. Cod. Laur.:

καλῶς σὺ μεν τοι .. τοῖς δ' ἐγὼ 'δόκουν φρονεῖν.

τ vocis *τοι* in rasura scriptum est. Cod. Paris. *μὲν τοῖς*. Lemma scholii: *μέντοι*. Paraphrasis scholiastae: *σεαυτῇ καλῶς ἐδόκεις*

1) Arnim, Suppl. Eurip. p. 31.

Digitized by Google

φρονεῖν ostendit eum legisse: μὲν σοί. Idem igitur fortasse habuit cod. Laur.

Μέντοι si legimus, conatus sensus idonei eruendi irriti evadunt. Velut Brunckius tentabat: καλῶς σὺ μέντοι· τοῖσδ' ἐγὼ δόκουν φρονεῖν, „pulchre tu quidem dicis; verum his quae feci sapere mihi ipsa videbar". Hermannus et Boeckhius legebant μὲν τοῖς, τοῖς δ', ita tamen, ut utrumque τοῖς ablativi vice fungeretur: „tu quidem illis, his autem ego dictis factisve sapere mihi videbar". Atque haec quidem adeo insulsa sunt, ut hodie nemini probentur. Unicuique iam patet non ablativis, sed solum dativis hic locum esse. Sed utrum μὲν σοί an μὲν τοῖς legendum sit, adhuc certatur. Μὲν σοί legunt Martin Bothe Dindorf Wecklein d'Ooge, μὲν τοῖς ceteri commentatores. Inter quos Jebbius quid censeret breviter significavit hisce verbis: „σὺ μὲν σοί, the schol.'s reading, is very inferior". Aliter, ut verum fatear, res se habere mihi videtur, idque duabus de causis.

Primum enim agitur hic de colloquio inter sorores, a quo fabula orditur (v. vs. 555 sq.). Cui cum nemo praeter illas solas interfuerit, quomodo Antigona iam dicere possit: καλῶς σὺ μὲν τοῖς, i. e. τοῖς ἀμφὶ Κρέοντα, φρονεῖν (ἐδόκεις)? Neque si, quod paulo durius esset, praesens (δοκεῖς) mente supplere malis, haec recte se habebunt; nam manifestum est Creontem nondum cognovisse quae Antigona et Ismene ante facinus inter se collocutae essent. Adde quod Ismene Creonti nunc omnino non καλῶς φρονεῖν videtur; cf. modo vs. 561 sq.

Venio iam ad alterum argumentum: si quis post longam altercationem adversario suo dicat: „Aliis tua, aliis mea sententia probabatur", nonne is satis habere videatur, si aequo fere Marte abscedat? Hoc vero indoli Antigonae repugnaret. Quamobrem cum scholiasta et forsitan cum prima manu cod. Laur. scribere pergam:

καλῶς σὺ μὲν σοί, τοῖς δ' ἐγὼ δόκουν φρονεῖν,

i. e. in colloquio illo recte sapere tu quidem tibimet ipsi videbaris, non vero mortuis; illi enim mecum sentiebant."

Hoc demum est responsum dignum Antigona.

Digitized by Google

Vs. 559 sq. θάρσει· σὺ μὲν ζῇς, ἡ δ' ἐμὴ ψυχὴ πάλαι
τέθνηκεν..

πάλαι, inquit, *iamdudum*, i. e. ex quo fratris corpus sepelire et certum exitium oppetere decreverat. Ita recte Jebb. Sunt tamen qui aliter sentiant, velut Kern, qui haec adnotat: „Schon lange hat Antigone keine Freude am Leben, ist also als liebende Braut kaum zu denken," et Bruhn: „In ihr ist über all dem Leid und der Schande ihres Hauses längst die Lebensfreude erstorben." Haec propterea notari oportet, quod attinent ad τὰ ἤθη, ut cum Aristotele loquar, τῶν πραττόντων. Unum si addidero, me cum iis facere, qui vs. 572 Antigonae reddunt, sapienti sat erit.

Vs. 563 sq. οὐ γάρ ποτ', ὦναξ, οὐδ' ὃς ἂν βλάστῃ μένει
νοῦς τοῖς κακῶς πράσσουσιν, ἀλλ' ἐξίσταται.

Apud Plutarchum hi versus paulo aliter leguntur:

ἀλλ' οὐ γάρ, ὦναξ, οὐδ' ὃς ἂν βλάστῃ μένει
νοῦς τοῖς κακῶς πράξασιν, ἀλλ' ἐξίσταται.

Plutarchus quidem non semper ipsa verba poëtarum diligenter exscribit, sed hi versus bis apud eum ita leguntur (Phoc. 1; Mor. p. 460, e), unde sequitur ut eos hoc modo in Sophocle suo legerit. Accedit quod apud Greg. Cor. p. 417 legitur vs. 563: ἀλλὰ γάρ (omissa particula οὐ), vs. 564: πράττουσιν, unde efficitur eum hos versus non ex Plutarcho decerpsisse (is enim legit πράξασιν) itaque in exemplari quodam Sophoclis, unde ille pendeat, scriptum fuisse, non οὐ γάρ ποτ', sed ἀλλ' οὐ γάρ. Dixerim porro adverbium οὔποτε, *numquam*, sententiam ceterum non absonam nimis exaggerare, et in frg. Euripidis Antigonae (165 N³), quo hanc Sophoclis sententiam impugnare videtur:

ἄκουσον· οὐ γὰρ οἱ κακῶς πεπραγότες
σὺν ταῖς τύχαισι τοὺς λόγους ἀπώλεσαν,

participium πεπραγότες favere lectioni πράξασιν. Inter Sophoclis editores unus Boeckhius Plutarchum priore certe versu secutus est: ego in utroque ei palmam dederim. Haec si recte disputata sunt, rursus monemur apud Sophoclem hodie varias lectiones rariores esse, non quod olim non exstiterint, sed quod codices nostri ab uno exemplari serioris aetatis originem ducant.

Digitized by Google

Vs. 582 εὐδαίμονες οἵσι κακῶν ἄγευστος αἰών.

„Felices quibus malorum immune labitur aevum." Ita latine vertit Brunckius. Horrendam tautologiam, quae in his inest, aut excusare aut tollere studuerunt multi. Audi argutias Hermanni: „Nequis putet, ineptam esse hanc sententiam, ut quae nihil aliud quam felices esse qui non sint infelices dicat, meminerit negligentius loqui poetam, quia statim explicat, quod intelligi velit. Hoc enim dicit, felices esse, quibus non acciderit insigne aliquod malum, ut quod soleat infinitam aliorum afferre malorum copiam." Quem corrigens Wexius (cuius vestigia deinde Boeckhius pressit) poëtam neglegenter esse locutum negavit, ratiocinatus in hunc modum: „ne poeta tibi nihil aliud dicere videatur, quam: felices esse, qui non sint infelices, intellige urgendam esse eam notionem, quae insit in voce ἄγευστος. *Degustandi* enim notione significantur *initia* rei. Felices igitur praedicat eos, quorum vita immunis mancat a *prima* calamitate." Pro bone Jupiter! sententiam stultam et magno poëta indignam: solos felices esse qui ne semel quidem periclitentur; primum enim adversum casum necessario sequi alios infinitos! Aliam vero viam iniit Bruhn. Is enim, ut tautologiam effugeret, vocem κακῶν novo modo interpretari conatus verba Sophoclis hoc modo vertit: „Selig, wer im Leben die Frucht des Bösen nicht kostete," sive: „Wohl dem, der frei von Schuld und Fehle." Ut concedam hanc sententiam per se non ineptam esse, dubito tamen num quadret in contextum. Attendas enim quaeso ad antitheton quod sequitur. Si poëta inciperet: „felices *insontes*", pergendum ei esset: „*sontes* enim a diis funditus evertuntur." Sed revera dicitur tantum: οἷς γὰρ ἂν σεισθῇ θεόθεν δόμος, ἄτας οὐδὲν ἐλλείπει, „quibus enim divinitus domus quassatur, horum vita nulla vacat calamitate." Quae cum Bruhn teutonice ita reddit: „Denn wo Götterhand *strafend* ein Haus trifft...", ipse de suo adicit notionem, cuius absentia in antitheto opinioni eius officit. Deinde haec reputa: Antigona quidem de sententia senum Thebanorum peccavit et noxia est; sed nonne mirum esset, si chorus hic calamitates omnes, quae regiam stirpem obruerant, tribueret culpae cuidam originali [1]) (puta

1) „Urschuld" Bruhn.

Digitized by Google

Laii admisso in Chrysippum)? Huc enim necessario devenimus, si vocem κακῶν cum Bruhnio per „malitiam" interpretamur. Quid quod ille etiam ipsi poëtae hanc sententiam assignat: „Der Dichter... hat gewiss den finsteren Glauben geteilt, dass ihr (i. e. Antigonae) Untergang das letzte Glied in der Kette des Götterzornes über das Labdakidenhaus sei"? Pace viri doctissimi dixerim: minus δεισιδαίμονα Sophoclem mente informare soleo.

His de causis persuasum habeo κακῶν ἄγευστος idem significare quod vs. 1191: κακῶν ἄπειρος, malorum immunis. Quomodo autem vs. 582 interpretandus sit, primus, quod sciam, Aug. Jacobs a. 1849 monstravit his verbis: „In εὐδαίμονες scheint hier der Begriff der Gottbegünstigung zu liegen, gewissermassen im Gegensatz zu dem folgenden: οἷς θεόθεν σεισθῇ δόμος". Eadem explicatio in editione Schneidewiniana circumferebatur eamque nuper amplexus est Gustavus Lejeune Dirichlet, De veterum macarismis [1]), p. 14 sq. „Diis cari sunt", cantat chorus, „quorum aevum immune malorum est", sive: si quis expers calamitatum vitam transigit, deos habet propitios. Sequitur contrarium: nam si cui dii infesti sunt, misere perit cum omnibus suis. Adiectivum εὐδαίμων sensu etymologico legitur etiam Pindar. fig. 134: εὐδαιμόνων δραπέτας οὐκ ἔστιν ὄλβος, Eur. Bacch. 73: ὦ μάκαρ, ὅστις εὐδαίμων τελετὰς θεῶν εἰδὼς βιοτὰν ἁγιστεύει, Plut. Num. 4: Νομᾶς... Ἡγερίᾳ δαίμονι συνὼν... εὐδαίμων ἀνὴρ καὶ τὰ θεῖα πεπνυμένος γέγονεν, ibid.: ἄλλων εὐδαιμόνων δή τινων καὶ θεοφιλῶν γενέσθαι δοκούντων.

Vs. 582—585. Licet rem metricam et compositionem carminum lyricorum in fabula nostra huc usque nusquam tractaverim, non possum quin ostendam tres versus, a quibus hoc carmen incipit, vulgo non recte dividi. Solitam enim divisionem pravam esse statim efficitur ex elisione ultimae syllabae vocis πίπτοντα (vs. 595), quae nunc in fine versus collocatur. Cum autem carmina lyrica Sophoclis saepissime ita ordinata esse constet, ut incipiant a duabus partibus inter se aequalibus et paribus, hic quoque rem sic se habere apertum esse censeo:

1) Relig. gesch. Vers. XIV, 4, Gissae, 1914.

Digitized by Google

εὐδαίμονες, οἵσι κακῶν ἄγευστος αἰών. οἷς γὰρ ἄν-
σεισθῇ θεόθεν δόμος, ἄτας οὐδὲν ἐλλείπει γενεᾶς
ἐπὶ πλῆθος ἕρπον·

et in antistropha (vs. 593—596):

ἀρχαῖα τὰ Λαβδακιδᾶν οἴκων ὀρῶμαι πήματα
φθιμένων ἐπὶ πήμασι πίπτοντ' οὐδ' ἀπαλλάσσει γένος
γενεᾷν, ἀλλ' ἐρείπει...

Versus bis initio strophae rursusque antistrophae repetitus est tetrameter acatalectus ex ionico a maiore et choriambo et duobus metris iambicis compositus:

⏑⏑–⏑⏑ | –⏑⏑– | ⏑–⏑– | ––⏑⏑.

Vs. 596 traditum est in codd. et schol. γενεὰν γένος, quae vocabula inter se permutavi, ut dimetri iambici qui sequitur numeris succurrerem.

Schol. vs. 582: οἷον· γαλήνης οὐ ῥᾳδίως τυγχάνουσιν ὅσοι ἐν κλύδωνι γίνονται, ἀλλ' οὐδὲ δυστυχίᾳ περιπίπτων οἶκος εὐχερῶς ἀνανεύει. Lege: ἀνανέει, *enatat*, *emergit*. Idem mendum etiam apud Ael. N. A. XIII, 17: οἱ δέ (pisces quidem) ἀκούοντες τοῦ κτύπου καὶ τὸ δέλεαρ ὁρῶντες ἄλλος ἀλλαχόθεν ἀνανεύουσι (lege: ἀνανέουσι). Ἀνανέει in ἀνανεύει corruptum est, quod seriore aetate utrumque fere eodem modo pronuntiabatur. Nota illa aetate homines non solum νεῖ, sed etiam νέει dixisse [1]).

Ab eodem, me iudice, verbo ἀνανέω ducta est vox ἀνάνευσις, de qua Hesychius: ἀνάνευσις· ἀναβίωσις, ἀνάπαυσις, ἀνάνηψις (lege: ἀνάληψις). Cf. Vet. Test. Psalm. LXXII, 4.

Vs. 586—591: ὅμοιον ὥστε ποντίαις
οἴδμα δυσπνόοις ὅταν
Θρῄσσηθεν ἔρεβος ὕφαλον ἐπιδράμῃ πνοαῖς
κυλίνδει βυσσόθεν
κελαινὰν θῖνα...

In codd. et in lemmate scholii est ποντίας ἁλὸς οἴδμα, sed paraphrasi scholiastae ostenditur eum legisse: ποντίοις οἴδμα. Metrica quoque ratio vocem ἁλός deleri postulat, quam ortam

1) Cf. e. g. Blass, Gramm. des neutest. Griech. p. 47, 2.

Digitized by Google

esse suspicor, cum quispiam in margine ad ὕΦαλον adscripsisset: ὑΦ' ἁλός.

Codicum et scholii lectionem Θρῄσσῃσιν olim expulit Ellendt (in praef. vol. II[1] lex. Soph. p. VI sq. a. 1835) omnesque editores illo auctore usque ad hunc diem Θρῄσσαισιν scribunt. Cognovimus tamen in inscriptionibus Atticis dativos plurales primae declinationis exire in -ῃσι et (post vocales et ρ) in -ασι, nonnumquam in -ῃσι et -ᾱσι, idque circiter usque ad a. 420 a. C. n. [1]). Sophocles igitur, cum Θρῄσσῃσιν scribit a. 441, non ἰωνίζει, sed καθαρῶς ἀττικίζει; neque magis est cur ei abiudicemus formes θυέλλῃσιν (Antig. 984), πλῃγῇσι (Philoct. 1457), ξένῃσι (El. 1130). Contra Θρῄσσαισιν si quis scribit cum Ellendtio, Sophocles αἰολίζει, quod illi quidem liceret, sed quod facere non est cur a nobis cogatur.

Vulgo censent οἶδμα subiectum, ἔρεβος ὕΦαλον obiectum esse verbi ἐπιδράμῃ. Credunt igitur poëtam dicere fluctus, cum ventis moti profundo superfundantur, arenam ex fundo maris subiectare. Dubito num recte: οἶδμα enim, quamquam vento commotum, arenam ex fundo ciere non valet, quod tum demum fieri potest, cum ipsa illa „caligo submarina," i. e. imum mare, quod fere semper immotum manet, procellae vi conturbatur. Rectius igitur sententiam constructam esse arbitror in editione Wunderi V[a], quam curavit N. Wecklein a. 1878, ubi ἔρεβος ὕΦαλον subiectum, οἶδμα obiectum esse perhibetur verbi ἐπιδράμῃ. Quin etiam ἔρεβος ὕΦαλον verbi κυλίνδει quoque subiectum esse mihi persuasum est. Simillimus locus est Verg. Georg. III, 240:

ima exaestuat unda
verticibus nigramque alte subiectat arenam.

Sophocles enim hoc dicit: „velut ima unda (ἔρεβος ὕΦαλον), cum ventis Thraciis commota exaestuat sive aequori (οἶδμα) superfunditur (ἐπιδράμῃ), ex profundo nigram arenam subvolvit."

1) Cf. Meisterhans, Gramm. der att. Inschr.[3] p. 120 sq.

Digitized by Google

ARNOBIANA.

SCRIPSIT

I. S. PHILLIMORE.

Cum forte Arnobium iamdiu in pluteis feriatum excuterem, animaduerti apud eum nonnullos locos ubi editorem inter omnes in hac utique parte Latinitatis peritissimum Hildebrandum, et, qui post illum unus extitit eius editor, Reifferscheidium ratio fefellisse uidetur ob neglectam eurhythmiam. Quippe in illo Africano rhetore diligenter ad numerum oratorium oportet omnia exigere. Arnobius enim iis se finibus astrictum tenuit ut paucas illas clausulas quas Cicero maxime laudat, uix umquam egredi auderet. Itaque ad fastidium illo 'praeclare per se cadente' dichoreo, aut binis creticis, aut post creticum uel paeana trochaeo abutitur ceterarum parcissimus. Quae res, cum saepe artis parum se celantis lectorem taedeat, tamen emendaturo, sicubi corrupte legitur, nonnihil prodest. Quaeramus igitur de his locis quos magni editores numerorum incuriosi aut perperam mutauerunt aut insanatos reliquerunt.

II 17. *Tamen his ipsis quae rostris atque unguibus faciunt, multa inesse conspicimus rationis et sapientiae simulacra, quae homines imitari nulla meditatione possimus, quamuis sint nobis opifices manus atque omni genere perfectionis artifices.*

Equidem uix crediderim Arnobium cum se ad pedum rationem tam diligenter astringere solitus sit, hic per accentum posthabita quantitate qui fiunt numeros secutum esse. Vide igitur num scripserit potius *perfectiōnĭs āntĭstĭtēs*. Sic iusta e binis creticis clausula redintegratur, nec inusitata uox q. e.

Digitized by Google

antistes in huiusmodi translationibus. Uerum tamen est quod mihi scrupulum iniciat. Quae enim (V 16) leguntur *numen ab Cereris fruge uiolentia maerōrĭs ābstĭnŭĭt*, fieri potest ut accentus non quantitatis lege metienda sint.

III 10. *Auet animus atque ardet in chalcidicis illis magnis atque in palatiis caeli deos deasque conspicere intectis corporibus atque nudis, ab Iaccho Cererem (musa ut praedicat Lucretia) mammosam, Hellespontiacum Priapum inter deas uirgines atque matres circumferentem res illas proeliorum semper in expeditionem paratas.*

Codex habet *expeditione:* correxerat Huetius olim, Hildebrandus autem cum allegaret uerba (V 9) persimilia *ad obsceni certaminis expeditionem*, quae uel ipsa satis monent accus. non ablat. hic legi debere, tamen Huetii coniecturam tacite damnauit, quam denique Reifferscheidius restituit. At eurhythmiae ratione habita quis in re tam manifesta dubitare potuisset? Adeo clamant numeri legendum esse *in expe|dītĭō|nēm pă|rātās.* Clausulam enim heroicam qualem *in expediti|onĕ pă|rātas* efficiunt, Siccensis improbauit.

At, inquis, in III 27 quae traditur uerborum comprehensio: *per uastas atque altissimas rupes iaciunt se passim uoluntariis saltibus prāecĭpĭtātī:* nonne in heroi clausulam desinit? Si modo Arnobii manum habemus et non potius legendum est *in praecipitia citati*, respondebo numeris rem sequentibus hic esse onomatopoeean quandam, ibi non esse quod a solito more discederet.

III 41. *Uarro similiter haesitans nunc esse illos manias et ideo Maniam matrem esse cognominatam Larum; nunc aerios rursus deos et heroas pronuntiat appellari; nunc antiquorum sententias sequens Laruas esse dicit Lares, quasi quosdam genios effunctorum [animas mortuorum].*

Quaeritur quibus uerbis Arnobius ambitum concluserit atque in eo inducine τὸ *mortuorum* oporteat. Atque editorum plures quidem utrumque uocabulum, Hildebrandus uero et Reifferscheidius hoc tantum pro glossemate damnauerunt. Frustra: numquam enim huius comprehensiones in talia exeunt quale

Digitized by Google

erit istud *ēffūnctōrum ānĭmās*, siue pro paeane siue illum anapaestum esse mauis. Nec dubium quin satis inaniter ad aures explendas illud *animas mortuorum* uel ideo adiecerit ut collocatum haberet in fine dichoreum.

V 2. *et siquando per fulgura significauero aliquid imminere, facite hoc et illud ut quod fieri statui inane fiat et uacuum et sacrorum .... uanescat.*

Excidisse uerbum ante u. q. e. *uanescat* cuiuis apparet. Apud Hildebrandinam et Reifferscheidianam receptum est quod olim Cuiacius coniecit, *sacrorum ui uanescat*. Non bene: nec patiuntur numeri clausulae contra morem Arnobii in dispondeum exeuntis. Quid ergo? Placet potius illud Meursii: *sacrorum peractione uanescat:* uel alia uox quae modo breuem habeat ultimam. Quod si quis eam mihi conclusionem quae est in V 36 obiecerit: *quod quidem quo genere aut fiat aut fieri posse credatur, intellegere confitemur minime nos posse*, uera fatebor: prorsus incredibile istuc; scriba non rhetor interturbauit; ita refingenda ut in dichoreum paeani subiectum desinant: *minime nos posse intellegere confitemur.*

V 5. Fertur Agdestis superbiens *non deos curare non homines, nec praeter se quicquam potentius credere, terras caelum et sidera continere.*

Sic Reifferscheidiana. Sed cum bene illud quidem numerosum *continere* nimis dure ad sensum faciat, ceteri editores *contemnere*, Hildebrandus *conterere* subdiderunt. Sed uereor ut noster pro clausula paeana dactylo subiectum, aut anapaesto tria breuia, posuerit. Nec longe quaerendum: quippe ipse Cicero (*Tusc.* V 30. 85), unde illud *conterere* Hildebrandus hausit, par uerborum praebet quod et ad numerum et ad morem loquendi Arnobianum optime accommodatum est: *terras coelum et sidera conterere atque contemnere.* Ecce duo cretici. Salua res est.

VI 14.... *pronum in faciem ruere, opem rogare suppliciter aduersisque in rebus atque in temporibus asperis propitii numinis † fauore succurrere †.*

Digitized by Google

Haec est codicis lectio quam Heraldus et Orellius tutati sunt renuente Hildebrando: nec improbauit eam Reifferscheidius. Et fateor satis dure scripsisse nostrum si modo infinitiuum q. e. *succurrere* ab altero illo infinitiuo q. e. *rogare* pendet. Attamen numeris certe Arnobianis repugnant quaecumque coniecerunt uiri docti, non repugnant quae codex tradidit. Nam nullo modo placet illud Hildebrandinum *fauores accurare;* uix autem satius est Meursio astipulari *fauores acquirere* legenti. Quid si aliam uiam ingressus inde corruptelae indicium capias quod *aduersis que in rebus* non sine offensione legitur? Pro quo si *ut* reponas, restat ut uerbi *succurrere*, (perperam ad uerba. q. s. *credere... supplicare... ruere... rogare* ab antiquario assimilati) modum corrigas: quo facto in hunc modum euadit sententia: *opem rogare suppliciter, aduersis ut in rebus atque in temporibus asperis propitii numinis fauore succurrat.*

Pauca haec sunt et tantum ad clausulas maiores attinentia, h. e. quae singula capitula concludunt. Sed ne in incisis et colis quidem numeros neglexit. Praemonitum uelim quisquis nouam Arnobii editionem paraturus est.

Ad Ovidii Met. III, 75.

Serpentis, quocum Cadmo est decertandum, violentia et aliis versibus depingitur et hisce:

terraque rasa sonat squamis, quique halitus exit
ore niger Stygio vitiatas inficit auras.

Ad vocem *q. e. vitiatas* annotari solet: „proleptice". Ergone tiro fuit in arte poetica Metamorphoseon poeta? Annon omnes illae „licentiae poeticae", praesertim audaciores, si vero appellantur nomine, vitia sunt male dissimulata? Lege *vicinas. Vicinas auras* i. e. Circumfusum aera Cf. I, 573:

.....sonitu plus quam vicina fatigat.

I. I. H.

Digitized by Google

LUCRETIANA ALTERA.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I. f.

De Sicilia, Empedoclis patria, cum alia scribit Lucretius tum haec I 718

quam fluitans circum magnis anfractibus aequor
Ionium glaucis aspergit virus ab undis,
720 angustoque fretu rapidum mare dividit *undis*
Italiae terrarum oras a finibus eius.

Adversus usum Lucretianum vs. 719 et continuo sequens 720 terminantur eodem substantivo eodem casu numeroque enuntiato. Non quidem studet hic auctor iterationem eiusdem vocis vitare, sed semper fere quaerit varietatem quamvis levem. Itaque scribit II 999 *de terra* et vs. 1000 *in terras;* II 1121 *auctum* et vs. 1122 *adauctu;* III 881 *illim* et vs. 882 *illum;* legimus IV 491—495 deinceps *seorsum.... sorsum.... sorsus.... sorsus.... sorsum;* IV 736—739 *fiunt.... confiunt.... facta.... fit* cet.

Non iam sunt qui *undis* (vs. 720) tueri velint [1]), sed unusquisque concedet integram lectionem *unda* falsa repetitione ultimi verbi versus proxime praecedentis extrusam esse.

Eiusdem vocabuli singularem numerum restituit Lachmann IV 437

at maris ignaris in portu clauda videntur
navigia aplustris fractis obnitier *undae.*

1) Lachmann proposuit *undans*, Bernays *almae*, Grasberger *intrans*, Merrill *aeque*, Woltjer *imas* cet.

Digitized by Google

Hic codices exhibent *undis*, at editores ad unum omnes Lachmannum secuti sunt.

Ennius quoque dicit Annal. 302

Europam Libyamque rapax ubi dividit *unda*.

Eodem modo lapsus est librarius in describendis IV 987 sqq.

quippe videbis equos fortis, cum membra iacebunt,
in somnis sudare tamen spirareque semper
et quasi de palma summas contendere viris
aut quasi carceribus patefactis *saepe quiete*
venantumque canes in molli *saepe quiete*
iactant crura tamen e. q. s.

Parum apte mea quidem sententia pro aliena lectione substituerunt e. g. Lachmann *colligere aestum*, Munro *velle volare* cet. [1]) Ipse Lucretius de luna canens V 629—631

quanto demissior eius
cursus abest procul a caelo terrisque propinquat,
tanto posse minus cum signis *tendere cursum*,

mihi auctor est, ut IV 990 sic restituam:

aut quasi carceribus patefactis *tendere cursum*.

1) Coniecturis a Merrillio enumeratis (pg. 640) adde *edere voces* (cf. Probst, Arch. f. lat. Lexicogr. 1907 pg. 212).

Digitized by Google

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER.

(Continuantur ex pag. 182.)

LXXXV rescriptum [1]).

QUOMODO FIAT LITIS CONTESTATIO.

CONSPECTUS. **1** Quomodo fiat litis contestatio iure Theodosiano Iustinianoque. **2** Quomodo fieri solita sit, quum litigabatur per formulas. **3** Quomodo ante Aebutiam legem. **4** Ius Graecum. **5** Quid intersit inter conventionem et litis contestationem. **6** Iudicia extraordinaria qualem habeant litis contestationem. **7** Pro litis contestatione publicis iudiciis testes recensentur. **8** Publica iudicia quando perpetua esse desierint. **9** De nominis delatione. **10** Qualem habuerint litis contestationem publica iudicia. **11** De subscriptione *in crimen* et iudicii. **12** Quomodo fiat inscriptio. **13** De inscriptionis origine et de poenae sponsione. **14** Sine inscriptione quando cognoscatur. **15** Crimina extraordinaria qualem habuerint litis contestationem. **16** Inscriptionis fata posteriora. Iudicis ordinarii praerogativa.

---

1 Iure novo quomodo lis inchoetur, docet Tribonianus [2]) his verbis: *lis .... tunc videtur contestata, cum iudex* [3]) *per narrationem negotii causam audire coeperit;* inchoatur igitur *per*

1) Rescribendi praecipua causa fuit Wlassak, *Anklage und Streitbefestigung im Kriminalrecht der Römer. Sitzungsber.* (*Wien*) 184 I (1917).

2) c. un. C. 3. 9.

3) Adsessori hoc delegari non posse, docet Thalelaeus ad Bas. 7. 1. 1 (= c. 13 C. 1. 51).

Digitized by Google

narrationem negotii vel, ut alibi [1]) habetur: *post narrationem propositam et contradictionem obiectam*. Neque enim post litigatorum praesentiam statim causam audit iudex, sed *in principio quaestionis* requirendum est mandatum [2]), exigenda denuntiatio [3]), antequam scilicet eam Iustinianus sustulit anno, ut videtur 530, qua de re disputavimus cap. LVII. Quibus omissis nullum est iudicium, quod statuitur aperte in causa mandati, atqui idem iuris fuisse circa denuntiationem, colligere est ex c. un. C. Th. 5. 18 (10), ubi remittitur litis denuntiatio originarios suos repetenti [4]), atque simul cavetur, ne quis repetat post tricennium mares, post vicennium feminas salvis litibus iam contestatis, *si tamen* adversarius *docebitur solemniter fuisse conventus*, id est, si solemni more denuntiatum sit [5]). Est igitur litis denuntiatio ex iis, quae non supplentur litis contestatione [6]), unde fit, ut *exig(at)* eam [7]) iudex, atque, si compererit defuisse, differat rem *ad denuntiationem* [8]). Post denuntiationem abrogatam similiter oportuit ἐρωτᾶσθαι τὸν φεύγοντα, εἰ.... διεληλύθασιν (αἱ) ἡμέραι αἱ τῆς διασκέψεως,.... εἰ δὲ ταῦτα μὴ παραφυλαχθείη, κἂν δόξειέ τις γ(ε)νέσθαι προκάταρξις, ἀντὶ μηδένος αὐτὴν εἶναι [9]). Sed nec, si constiterit de mandato, constiterit de denuntiatione aut de tempore, quod reo ad deliberandum datur, servato, tunc statim causa auditur, sed opponendae sunt fori praescriptiones [10]) ceteraeque dilatoriae [11]), recusandus

---

1) c. 14 § 4 (1) C. 3. 1; cf. c. 2 pr. C. 2. 58 (59).

2) c. 3 C. Th. 2. 12 = Consult. III 13 = c. 24 C. 2. 12 (13). Cf. *Archiv f. Papyrusf.* I p. 307/8 (ad P. Bouriant sine no.).

3) c. 4 C. Th. 2. 4.

4) His verbis: (§ 1) *iubemus sine dilatione restitui*.... (§ 2) *celeri iubemus executione revocari*. Intelligitur *dilatio* quadrimestris, quae sequitur denuntiationem, *celeris executio*, quae citra denuntiationem celebretur: c. 5, c. 7 C. Th. 2. 4; c. 4 C. Th. 4. 22; c. 1 C. Th. 4. 23.

5) Cf. c. 1 pr. C. Th. 2. 4; c. 1 C. Th. 4. 23.

6) Simile ius est de *inscriptio(ne)*: l. 3 § 1 D. 48. 2. Cf. Symm., Rel. 49 § 3 coll. 32 § 3.

7) Cf. c. 3 C. Th. 2. 4.

8) Symm., Rel. 16 § 1 (cf. Kipp, *Erörterungen* (1889) p. 73, p. 95).

9) Nov. 53 c. 3 § 2.

10) c. 65 C. Th. 11. 30 = c. 13 C. 8. 35 (36); cf. l. 52 pr. D. 5. 1.

11) c. 19 C. 4. 19; c. 12 C. 8. 35 (36). Probandae quidem hae non sunt, antequam intentionem suam impleverit actor (c. 19 cit.).

Digitized by Google

iudex [1]), quae post inchoatam litem iam non admittuntur [2]). Ea vero contestata tunc videbitur, quum sit *inter partes de negotio principali conflictu(s)* (*habitus*), quemadmodum definivit Theodosius [3]), id est, post narrationem negotii et contradictionem, ut supra est dictum. 2 At eo tempore, quo per formulas litigabatur, litis contestatio quomodo perageretur, etsi quaerendum fuisse negat Trampedach [4]), quaesiverunt vel sic nostra memoria Wlassak [5]), Lenel [6]), Kübler [7]), Naber [8]), Schott [9]), Schlossmann [10]), Bekker [11]), Busz [12]), qui omnes superiores laudat [13]) solo Nabero excepto, quem vel pueri contemnunt, ipse ne pueros quidem, eoque magis valet. Et invenire sibi visus est Wlassak [14]), quo melius nihil attulerunt Germanorum lumina: post legem Aebutiam fieri solitam litis contestationem per naturalem [15]) dationem formulae, quam dederit actor, reus acceperit, aut sufficere, si ille huic verba dictaverit. In re incerta illud utique certum est: litis contestationem litigatoribus praesentibus fieri [16]), itaque restat, quomodo res acta sit, et in iure an in iudicio. Videtur autem acta esse non per

---

1) c. 12 § 1, c. 16 C. 3. 1 (cf. Nov. 53 c. 3 pr.). Similiter *arbitro dato* invocanda est ante litis contestationem ipsius audientia, qui dedit (c. un. C. 7. 70).

2) Etiam calumniam auctore Patricio (sch. 1. Τὸ κατὰ πόδας (i. f.) ad Bas. 60. 1. 28) ἐν προοιμίοις τῆς δίκης oppositam oportet.

3) c. un. § 1 C. Th. 4. 14.

4) *Ztschr. der Sav.-St.* XVIII (1897) p. 114—145 (e. g. p. 124: „*die Annahme eines Schlussactes* (*des Verfahrens* in iure *ist*) *in hohem Maasse unwahrscheinlich.*" Eodem redit opinio Eduardi Hölder, *Ztschr.* cit. XXIV (1903) p. 213: „*es kann kein Zweifel sein, dass jene Handlung,*" id est, ea, quam describit Festus (v. contestari) „(p. 210 lin. 11: *im Formularprozesse*) *nicht etwa durch eine andre abgelöst wurde, sondern ohne Ersatz weggefallen ist.*"

5) *Die Litiscontestation im Formularprozess* (1889).

6) *Ztschr. der Sav.-St.* XV (1894) p. 391/2; XXIV (1903) p. 336.

7) *Ztschr.* cit. XVI (1895) p. 178—181.

8) Mnemos. XXVIII (1900) p. 436/8.

9) *Das Gewähren des Rechtsschutzes* (1903) p. 57—60, 64/5.

10) Litis contestatio (1905) p. 38—78, 122/3.

11) *Ztschr. der Sav.-St.* XXVII (1906) p. 12—36.

12) *Die Form der* L. C., Diss. Monast. 1907.

13) Diss. cit. p. 2—7.

14) Op. cit. (1889) p. 52/3.

15) De manu in manum.

16) L. 10 § 2 (i. f.) D. 2. 11; cf. l. 1 § 2 D. 2. 12.

Digitized by Google

traditionem, ut ille autumat, sed per subscriptionem [1]) formulae [2]), cuius rei testem habeo Plinium [3]): *post hoc ille cum ceteris subscripsit Centumvirale iudicium, non subscripsit mecum* [4]). Neve quis obiciat [5]) Plinii testimonium ad lites formularias non pertinere, sed ad scripturam, quae legis actionem [6]) exhibeat [7]), ideo, quia, ubi centumvirale iudicium futurum est, *ante lege agitur* [8]), reputato, quam veri sit dissimile, quum in legis actionibus placuerit, scripturam fieri, cui subscriberetur, idem hoc in formulis, quae scripto continentur [9]), omissum esse, quum videri possit a formula id ipsum mutuata esse legis actio, indidem denegationem per praetorem. Atqui publicorum iudiciorum exemplo subscribi centumvirale, opinio est Bethmanni Hollwegii [10]), idque hodie fortius defendi potest, quia tantum non constat papyrorum ope [11]), publica iudicia *cum* reo subscribi solita. Potest tamen èt hoc èt illud verum esse, ut ad

---

1) Mutuam utique.

2) Docet quidem Bachofen, de Rom. iudiciis (1840) p. 13 (ad Plin., Epist. V 1) litis contestationis et iudicii subscriptionis naturalem inter se puguam esse.

3) Epist. V 1 § 6.

4) Ergo videtur errare Bekker, *Ztschr. der Sav.-St.* XV p. 181 (*„Namensunterschrift entspricht nicht dem römischen Brauch"*).

5) Ita praecavebam in Mnemos. XXVIII (1900) p. 438. Obiecit nihilominus Schlossmann, op. cit. (1905) p. 35 ima.

6) *„Den Gegenstand"* dicere mavult Schlossmann, op. cit. p. 198.

7) Ex vate scepticus Wlassak, in *Pauly's Realencyclop.* III p. 1946 lin. 33—42 (v. *Centumviri* VII A i. f.) ita scribit: *„auf welches Schriftstück die Parteien im Centumviralprozess die* subscriptio *setzten, steht dahin. Man könnte etwa an die kaum entbehrliche Aufzeichnung der...* legis actio *denken... doch ist anderes eben so gut möglich"*.

8) Gai. IV § 31.

9) Collat. II 6 § 3 (*non vocem agentis, sed qualem (edat) formulam*). Ergo hoc tantum, utrum statim a lege Aebutia formulae scribendae utique fuerint, in dubium vocari potest (cf. Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* I § 44[26] (p. 154); Erman, *Ztschr. der Sav.-St.* XVII (1896) p. 335; Trampedach, ibid. XVIII p. 140[2]; Mommsen, *Strafrecht* (1899) p. 512; H. Krueger, *Ztschr.* cit. XXVI (1905) p. 542/6). De principali quaestione, utrum vel postea, cf. Kübler, *Ztschr.* cit. XVI (1895) p. 179/80; Trampedach, ibid. XVIII p. 140[3]; Lenel, ibid. XXIV p. 341; Bekker, ibid. XXVII p. 37/8; Ruggiero, *Bullett. dell'istit. di dir. rom.* XVII p. 166/7; XIX p. 255—269; Busz, Diss. cit. § 34. Obviam ivit inprimis Schlossmann, Litiscontest. p. 26—38, 122; Praescriptiones (1907) p. 1—50.

10) *Civilprozess* § 102[18] (II p. 482/3).

11) P. Berol. *(BGU)* 611 I 10. Vid. infra (§ 10 i. f.).

Digitized by Google

centumviros translatum sit ex legibus iudiciorum publicorum, iudicia publica mutuata sint a privatis. Quodsi hoc placet: post legem Aebutiam per subscriptionem formulae litem contestari solitam, iam paene sequitur, in iure [1]) litis contestationem peragendam, ut subscripta apud iudicem *ed(atur) formul(a)* [2]). 3 Ante legem Aebutiam credibile est testes, rogatos utique [3]), intervenisse solemnitatis causa [4]) ut in testamentis eo modo, qui vulgo putatur, scilicet ut audirent actorem reumque lege agentes [5]), non enim apud Romanos, sicut apud quosdam veteris Graeciae populos [6]), per *μνήμονας*, id est, per publicos testes gestorum memoria servabatur [7]). Itaque post verba solemnia [8]) sic uterque cum testibus loquebatur: *testes estote* [9])

1) *In iudicio* contendit Schlossmann, Litis contest. p. 82—93, sed cf. H. Krueger, *Ztschr. der Sav.-St.* XXVI (1905) p. 548/9. Abstinet ille prudenter a l. 10 § 2 (i. f.) D. 2. 11 (cf. Keller, *Ueber Litiscont.* p. 64—66). Ne nos quidem in contrariam partem laudabimus l. 1 § 2 D. 2. 12, quia pertinere potius videtur ad extraordinaria iudicia; abstinebimus praeterea argumento, quod porrigit Puchta, *Cursus der Institutionen* § 172 post notam *s*.

2) Gai. IV § 141. Cf. Hölder, *Ztschr. der Sav.-St.* XXIV p. 234.

3) Schlossmann, Litis contest., p. 112/3. Fortuito adstantes („*die Umstehenden*"), putabat Wlassak, op. cit. p. 77, quod merito displicebat Eduardo Hölder, *Ztschr. der Sav.-St.* XXIV p. 207. Cf. Cic. pro Mur. 12 § 26 *suis utri(u)sque superstitibus praesentibus* (Schlossmann, Iniurec. *und* mancip. (1904) p. 40: „*die erwähnten* superstites *werden dieselben gewesen sein, von denen* Festus (v. contestari) *berichtet*"; Busz, Diss. cit. § 11).

4) Non propterea dicendum esse (dicit Puchta, *Cursus* § 172 post notam *c*): *nudam* solemnitatem esse, recte observat Mommsen, *Ges. Schr.* III p. 523, qui putat ipse, probationis causa intervenisse. Testium interventionem numquam *nudam* habere solemnitatem („*car quelle que soit la raison de l'intervention d'un témoin à un acte, il peut toujours déposer sur le fait qui s'est accompli devant lui*"), scripturam raro veluti nominibus transscriptitiis, verba lingua figurata semper, doctrina est Henrici Saboulard, *Etude sur la forme des actes* (1889) p. 53, p. 47, *Prologue* p. II, et vera. Cf. denique Busz, Diss. cit. § 12.

5) Interveniebant praeterea ex iure manum consertum vocatis (Cic. pro Murena 12 § 26).

6) Aristol., Polit. VI 5 (8) § 4 (i. f.). Sic suos habuit Anglia *remembrancers* (Pollock et Maitland, *Hist. of english law* I (1895) p. 169 not. 2). Pertineatne ad hoc genus testes *Inscr. jur. gr.* I § 3: *ὅτι δ' ἂν οἱ μνήμονες εἰδέωσιν, τοῦτο κυρτερὸν ἔναι*, quaeremus infra (cap. CVI).

7) Cf. Bethmann-Hollweg, *Civilprozess* § 49 (p. 178): „*(von) einem gerichtlichen Protokoll (war) in dieser.... Zeit noch keine Rede*".

8) Festus v. contestari: *ordinato iudicio*. Cf. pr. Inst. IV 18:... *iudicia... per actiones ordinantur*. Disputat in contrariam partem Busz, Diss. cit. § 14.

9) Eodem modo fit in testamentis (Gai. II § 104), neque id est absurdum

Digitized by Google

et erat ea prisca litis contestatio. Quae, si revera cum legis actionibus coaeva fuit, ideo non potest ab actione separari [1]), quia quum legis actio [2]) tum litis contestatio rem consumit, quod nisi semel fieri non potest; proinde qui de legis actione negat et alium contractum quaerit, quo res consumatur, is [3]) necessario docere cogitur non lege agentibus sed aliter contrahentibus intervenisse testes. Versa quoque vice, qui legis actione rem consumi putat, non potest facere, quin cum legis actione coniungat litis contestationem. Separat nihilominus a legis actione litis contestationem Mommsen [4]) putatque *testes estote* dictum esse post denuntiationem *ad iudicem* [5]), ut omnia, quae in iure acta sint, testimonio comprehendantur [6]), proinde litis contestationem genus esse denuntiationis [7]). 4 Apud Graecos litis contestationis instar habet ἡ ἀντωμοσία, quamobrem in lapide Cnidio celeberrimo [8]) iudicare iubentur iudices περὶ ὧν οἱ ἀντίδικοι ἀντώμοσαν, Mileti [9]) de quibusdam causis τὰς ... κρίσεις συντελεῖ(ν) μετὰ τὰς ἀντωμοσίας ἐν ἡμέραις τριάκοντα, quocirca Ephesi quoque [10]) δίκαι ἐξευγμέναι intelligendae videntur μετὰ τὰς ἀντωμοσίας. 5 Observabimus praeterea interesse inter *litis contestationem* et *conventionem* [11]), licet nonnumquam con-

---

(Wlassak, op. cit. p. 72: „*eine unsinnige Einrichtung*") in testibus rogatis utique (Eisele, *Ztschr. der Sav.-St.* XXI (1900) p. 34 not.). Argumentum, quo pugnat Schlossmann, (op. cit. p. 113), ideo me non movet, quia posui legis actioni, id est, in iure (Schlossmann p. 197) testes intervenisse. Cui rei ille se non intercedere significat p. 111 (§ 11).

1) Probe hoc perspexit Wlassak, op. cit. p. 79—81. Perspexerant ii quoque, qui ipsam litis contestationem post legem Aebutiam increbruisse docebant. Quos laudat Puchta, *Cursus* § 172 not. *v*.

2) Gai. IV § 108. Cf. Schlossmann, op. cit. p. 186[1].

3) Collinet, *Nouv. rev. histor.* XXVI p. 537—541. Cf. Puchta, *Cursus* § 172 not. *x*.

4) *Ges. Schr.* III p. 528/9. Disputat in contrariam partem Hölder, *Ztschr. der Sav.-St.* XXIV p. 208.

5) Gai. IV § 15.

6) *Ges. Schr.* III p. 522: „*da... alles* in iure *Verhandelte bezeugt werden soll*".

7) Ibid. p. 523, p. 528.

8) *Inscr. jur. gr.* X (A) lin. 5. Cf. Harpocr. in v. ἀντωμοσία.

9) Inscr. Mileti III (Delphin.) 147, 32/3.

10) *Inscr. jur. gr.* IV § 5 (lin. 44).

11) L. 45 D. 6. 1 (Cuiac., Observ. IX 21).

Digitized by Google

fundantur [1]), etiam ab integrae existimationis testibus [2]), sicut *conventus* cum eo, qui iudicium subscripsit [3]), sed accurate loquentibus separantur, velut apud Paulum [4]): *placuit, si vivus conventus fuerat, etiam poenae persecutionem transmissam videri quasi lite contestata cum mortuo*, et item apud Ulpianum [5]): *si homo sit, qui post conventionem restituitur, si quidem a bonae fidei possessore, puto cavendum esse de dolo solo, debere ceteros de culpa sua, inter quos erit et bonae fidei possessor post litem contestatam.* Docet Ulpianus bonae fidei possessorem *post litem contestatam*, ceteros *post conventionem* culpae nomine teneri, quocirca non possunt esse eadem („*identisch*"), quod putabat Bethmann-Hollweg [6]). Similiter apud Gaium [7]), *quo tempore conveniebatur, possessor* nondum possedisse, *ante acceptum iudicium* possedisse proponitur. Sed quid proprie conventio? Conicio *conventum* eum proprie esse intelligendum, adversus quem formula impetrata sit necdum subscripta, itaque eadem ope sano Pauli textum [8]), ubi, postquam demonstravit solvi morte eius cum quo agitur, quae ante litem contestatam accidat, èt ipsam iniuriarum èt ex stipulatu, si vadimonium ei factum sit, actionem [9]), ita iuris-

---

1) L. 32 § 1 D. 15. 1 (io. l. 30 pr. eod. ia. l. 27 § 1 D. 6. 1) vitio quidem Triboniani (cf. Lusignani, *Consumazione dell'* actio de peculio (1899) p. 35 not. 33), — c. un. § 1 C. Th. 4. 14 (cf. c. 5 § 3 (1) C. 2. 55 (56) atque Kipp, *Litisdenuntiation* (1887) p. 207 not. 42); c. 1 C. Th. 4. 18 (= c. 2 C. 7. 51). — In c. 7 § 5 C. 7. 39 (Iustini) separatur quidem a litis contestatione *conventi(o)* sed videtur esse intelligenda per executorem conventio, quam Theodosio subiecit Tribonianus c. 3 § 1 C. 7. 39, proinde ne Iustini quidem esse haec: *quum litis contestationem imitatur ea detentio.*

2) L. 15 § 2 (i. f.) D. 43. 24: *alterius conventio alterum liberat.*

3) L. 20 § 5 D. 5. 3; l. 9, l. 26 § 4 D. 9. 4; l. 20 pr. D. 11. 1; l. 32 pr. D. 15. 1; Tribon. l. 32 § 1 D. 15. 1; id. l. 1 § 3 D. 26. 7 (cf. c. 2 C. 3. 6). Cf. Savigny, *System* VI § 257 (p. 20) not. *u*; Vocab. I p. 1020 lin. 2—7. — Sic similiter in postulatione illustris feminae Gundihild (Pap. Marinii 79 = Spangenb. tab. 20) lin. 45, quae habita est postulatio anno 557, coniux eius *per* [a]*editionem narrationum*, quae tunc erat litis contestatio, *conventus* perhibetur.

4) L. 33 D. 44. 7. Cf. l. 24 D. 4. 6.

5) L. 45 cit. (D. 6. 1).

6) *Civilprozess* § 122[114] (ad. l. 45 cit.).

7) L. 41 pr. D. 5. 3.

8) L. 10 § 2 D. 2. 11.

9) Ex vadimonio enim actio *propter rem ipsam* datur, quod illustravi cap. harum observ. II.

Digitized by Google

consultus rationem concludit: *si non post* conventionem [1]) *decesserit, quia, si ad (vadimonium) venisset, litem cum eo actor contestari potuisset* [2]). Alio modo *conventio* intelligitur iudicis interlocutio [3]) veluti *super aestimandis bonis* [4]), et *conven(iri)*, cui scribitur litis denuntiatio [5]), quive in ius vocatur [6]), quod Theodosio subiecit Tribonianus in c. 3 § 1 C. 7. 39 (= c. un. § 1 C. Th. 4. 14) inserto *per exsecutorem* [7]), Paulo autem l. 33 cit. (D. 44. 7) tam Graecus interpres [8]), dum vertit ὑπόμνησιν, quam Occidentales plerique [9]). Apud iudicem quoque datum qui stat, adhuc *convenitur* [10]). Quocirca plerisque locis non apparet, qualis conventio sit intelligenda, id est, per denuntiationem *ad iudicem* [11]), an per formulae impetrationem, an per litis contestationem, an vero apud iudicem datum [12]). Quin immo non iuris experiundi causa testationibus [13]) denuntiationi-

---

1) Substituit Tribonianus *longum tempus*, quod nullam admittit interpretationem. *Rerum actum* vel „tale quid" postulat Lenel (in Palingenesia) nec pervenit ultra Koschaker, Translatio iudicii (1905) p. 37.

2) Alibi quoque legitur eandem esse causam eius, qui *moram fecer(it) in iudicio accipiendo*, atque eius qui iudicium acceperit (l. 26 § 4 D. 9. 4). Quamquam alias expectatur integri restitutio (l. 24 D. 4. 6).

3) Nov. Maior. tit. II 1 § 4: *praeceptum iudicis... aut conventio.*

4) Symm., Rel. 19 § 4, 5, 9 (Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* III p. 359: *„gerichtliche Aufforderung")*. Potest ea deferri *responsione servata* (Rel. 23 § 3) vel secus.

5) c. 1 § 5 C. Th. 5. 18 (10). Eodem modo in c. 27 § 5 C. Th. 10. 10 *conventio* intelligenda videtur litis denuntiatio, etsi aliter vertit Kipp, *Litisdenuntiation* p. 212, p. 259.

6) L. 47 § 1 D. 42. 1. Diversa causa est l. 5 pr. D. 50. 15 (Vocab. I p. 1020 lin. 8). Cf. praeterea § 26 Inst. IV 6; c. 7 § 5 C. 7. 39.

7) *Per executorem* conventionem agnoscunt etiam Valentinianus Nov. tit. XXXV (XXXIV) c. 1 § 1 (i. f.) et Marcianus c. 25 § 1 C. 1. 3.

8) Basil. 52. 1. 32.

9) Veluti Bethmann-Hollweg, *Civilprozess* § 122[14] (II p. 778). Cf. praeterea Savigny, *System* VI § 257 (p. 19—21); Mommsen, *Ges. Schr.* III p. 534; Wächter, *Erörterungen* 3 (1846) p. 112/3; Wlassak, *Sitzungsber. (Wien)* 184 I (1917) p. 192.

10) L. 14 § 7 D. 11. 7 (Mommsen, *Ges. Schr.* III p. 533).

11) Hoc exprimitur apud Paulum V 5*a* § 6 (7); c. 7 C. 7. 43. Cf. l. 20 § 6*d* D. 5. 3.

12) Nubes exemplorum est in Vocab. I p. 1020 (a lin. 11).

13) L. 32 § 14 D. 4. 8 et item *testato*: l. 8 D. 18. 3; l. 8 D. 41. 7; l. 10

Digitized by Google

busque [1]) conveniri videmur [2]), quam *privatam* appellat *conventionem* Honorius [3]) et opponit [4]) *iudiciaria(m)*. 6 Ceterum contendit Eisele [5]), in iudiciis extraordinariis nullam esse litis contestationem, quem èt in Pandectis consultor Pauli [6]) èt anno 338, qui tum praefectus erat Aegypti, Flavius Theodorus [7]) èt multis locis refellit Tribonianus tum vero maxime c. un. C. 3. 9. Rectius autumat Savigny [8]), in his iudiciis talem non esse litis contestationem, qualem in ordinariis („*keine eigentliche Litiskontestation*") sed, quod quidem divinandum reliquit, tunc videri contestatum, quum reiectis vel omissis fori praescriptionibus *aliis defensionibus* reus *usus* sit [9]), id est, ut postea definierunt, quum de negotio principali conflictus habitus sit [10]). Etsi putat Wlassak [11]) litis contestationem *per narrationem negotii* a Iustiniano demum vel summum a Berytiensibus professoribus [12]) excogitatam esse, neglecto quum Theodosii [13])

---

§ 3 D. 42. 8; l. 122 § 3 D. 45. 1; l. 8 § 8 D. 17. 1; l. 5 § 10 D. 26. 7; l. 8 pr. D. 38. 2 (Vocab.).

1) Paul. II 21*a* § 13, § 17 (Vocab.); c. 10 C. 8. 13 (14).

2) *Conventio* = denuntiatio legitur in c. 5 (ia. 4) C. Th. 11. 31, ubi vertit Kipp, *die Litisdenuntiation* p. 200: „*Schriftstück*". *Convenire* = denuntiari habet l. 139 D. 45. 1 (iis. l. 85 § 5 eod.; l. 62 § 1 D. 21. 2). Cf. Binder, *Korrealobligationen* (1899) p. 110[95].

3) c. un. § 1 C. Th. 2. 27.

4) c. un. cit. § 3. Cf. Anastas. c. 4 § 2 C. 7. 39 *(iudiciaria conventione)*; Symm., epist. VI 29 *(conventio iudicialis)*; Int. c. 4 C. Th. 2. 4 *(publicam conventionem)*; Symm., Rel. 23 § 3 *(civilem conventionem)*.

5) *Ztschr. der Sav.-St.* XV (1894) p. 273.

6) L. 35 § 1 D. 34. 2. Cf. Koschaker, *Ztschr.* cit. 40 (1919) p. 366[4]: „*wenn man nicht ein Glossem annehmen will*".

7) Pap. Oxyrrh. 67, 11: (φρόντισον) ἔννομον... τυπωθῆναι τὴν τοῦ δικαστηρίου προκάταρξιν. Elevare cupit hoc testimonium Wlassak, *Sitzungsber.* cit. p. 143 not. 3 (i. f.).

8) *System* VI § 257 (p. 19 lin. ult.).

9) L. 52 pr. D. 5. 1,

10) Cf. supra (§ 1 i. f.).

11) *Sitzungsber. (Wien)* 184 I (1917) p. 180—183, p. 229—231 (p. 231 lin. 2: „*die Einführung einer neuen* (litis) contestatio").

12) *Sitzungsber.* cit. p. 184. Cf. ibid. p. 229[18] (de Zenone).

13) c. un. § 1 C. Th. 4. 14, ubi (p. 229 not. 17) exemplo Triboniani supplet *(per executorem) conventio*, huic ut exaequet conventioni Theodosii *litem contestatam*, deinde tacite supprimit: *in iudicium actione deducta habitoque inter partes de negotio principali conflictu*, quasi ad rem nihil pertinentia.

Digitized by Google

tum Ulpiani [1]) testimonio. Negare tamen hic non audet extraordinaria iudicia aliquam habuisse litis contestationem [2]). 7 Ne intra fines quidem iudiciorum privatorum constitit litis contestatio, quam agnoscunt in publicis iudiciis èt Iustinianus [3]) èt fortasse Zeno [4]) èt ambigue Constantinus [5]) èt aperte Modestinus [6]), Modestinus quidem his verbis: *ex iudiciorum publicorum admissis non alias transeunt adversus heredes poenae bonorum ademptionis, quam si lis contestata et condemnatio fuerit secuta,* ubi condemnationis mentionem damnat Albertario [7]), quem non sinit Wlassak [8]), sed nihil ad nos; ipse vero Wlassak litis contestationis [9]), quasi post condemnationem iam nihil intersit. Qua in re egregie fallitur, nam, quia iudex, nisi praecesserit litis contestatio, nihil iure decernere (πρᾶξαι = ποιεῖν) potest [10]), ideo condemnatio nihil valet, quam non anteverterit lis contestata [11]). Ea causa est, cur alicubi [12]) consulatur Paulus, *si lite contestata praetor*, fideicommissarius scilicet, *ita pronuntiavit* etc., quid iuris. Diversa causa est Macri [13]), ubi docet tempus *post inscriptionem ante litem*

---

1) L. 52 pr. D. 5. 1, quod laudat quidem (p. 181 not. 101), sed hic quoque tacite suppressis aut, si mavult, aversis: *et aliis defensionibus usus hanc omisit.*

2) *Sitzungsber.* cit. p. 182.

3) c. 3 C. 9. 44.

4) c. 3 § 2 (io. pr.) C. 12. 29 (30).

5) c. 2 § 2 C. Th. 9. 19 (= c. 22 § 2 C. 9. 22), ubi *testat(a) acti(o)* non potest intelligi (posse putat Mommsen, *Strafr.* p. 392 not. 3) inscriptio, quia, quod observavit Gothofredus, praecedit (§ 1): *volumus itaque, ut primum cesset inscriptio,* sed potest intelligi litis denuntiatio (cf. 2 C. Th. 2. 4; c. 9 C. Th. 15. 14), quae quidem alias *(in) civilibus causis* (c. 6 C. Th. 2. 4) exigitur, sed potuit eam Constantinus *cess(ante)* inscriptione in causa falsi exigere. Habet quidem ea quoque res suam difficultatem (Wlassak, *Sitzungsber.* cit. p. 104).

6) L. 20 D. 48. 2.

7) Ergo cancellat: *et condemnatio* (fuerit) *secuta.*

8) *Sitzungsber.* cit. p. 161—174.

9) *Sitzungsber.* cit. p. 156, 185—187.

10) Nov. 53 c. 4 pr.: *οὔτε τοῦ δικαστοῦ πρᾶξαί τι δυναμένου διὰ τὸ μήπω γενέσθαι παρ' αὐτῷ προκατάρξιν.* Hoc ius non sanxit Iustinianus sed sivit.

11) Gai Augustod. § 88 (*Ztschr. der Sav.-St.* XXIV (1903) p. 399): *cum non stet iudicium, nec res iudicata habebit effect(um).* Hoc confirmat Paulus l. 36 D. 10. 2, Alexander denique c. 6 C. 3. 1.

12) L. 35 § 1 D. 34. 2.

13) L. 15 § 5 D. 48. 16.

Digitized by Google

contestatam [1]), quoad eius pertineat ad senatusconsultum Turpilianum, proprio iure censeri. Quae sententia coaluit cum alia, qua liberantur metu senatusconsulti, *qui ... agere non potuerint ... occupationibus vel ... necessitatibus districti*, quam excusationem per totum tempus litis extendi [2]), ex quo semel senatusconsulto locus esse coeperit, plus quam manifestum est [3]). Coepit autem auctore Papiniano [4]) *post interpositam denuntiationem*, quocirca, ne disconveniat Macro cum Papiniano, prior sententia ita restituenda est: *qui post inscriptionem ante* (*denuntiationem*) (*destiterit*, *senatusconsulto Turpiliano non tenetur*), ex mente Triboniani similiter [5]). Docet etiam imperator Antoninus [6]), sed quis Antoninus incertum, senatusconsulto non statim post delationem locum esse, sed *causa ordinata*, ubi de suo Tribonianus addidit: *id est inscriptionibus* [7]) *depositis et fideiussore de exercenda lite praestito eoque qui accusatur sub custodia officii facto*. Apud Macrum continuandum est sic: *(qui) anno vel biennio agere non potuerint variis* [praesidum] *occupationibus vel etiam civilium officiorum necessitatibus districti* [8]) *in senatusconsultum non incident*, modo teneamus de *anno vel biennio* Macrum nihil expressisse, sed haec deberi

1) *Ante litem contestatam* Triboniano restituit Wlassak, *Sitzungsber.* cit. p. 215. Interpretatur autem (p. 219): „*welche vor die Streitbefestigung fällt*" = τὴν πρὸ προκατάρξεως. Verum nulla causa articulum *ante* sollicitandi.

2) Etiam post condemnationem, si fuerit appellatum. Cf. l. 1 § 14 D. 48. 16.

3) Wlassak, *Sitzungsber.* cit. p. 199/200.

4) L. 4 pr. (cf. l. 1 § 10) D. 48. 16; l. 40 (39) § 6 D. 48. 5. Recte adnotat Mommsen, *Strafr.* p. 389[4]: „*die dort wie hier erforderte Abolition zeigt, dass die Denuntiation nach der Inscription stattgefunden hat*". Contrarium docet Cuiacius (Paris. IV (2) 592 B, 595 E) haesiturus (697 D/E) in l. 12 (11) § 3 D. 48. 5. Cf. praeterea de hac denuntiatione Wlassak, *Sitzungsber.* cit. p. 203[11].

5) Ne currat annus vel biennium *ante* litem contestatam, quod recte observat Lenel (in Palingenesia) legi a Iustiniano latae (c. 3 C. 9. 44) repugnare. Tantum huic non est obtrudendum *(denuntiationem)* pro *litem contestatam*, quod ne Macro quidem obtruderemus, nisi Papinianus quodammodo facere cogeret.

6) c. 1 C. 9. 45.

7) Pluralis *inscriptiones* pro singulari signum est interpolationis. Hoc demonstratur c. 21 § 1 C. 4. 21; c. 19 C. 9. 1 (= c. 12 C. Th. 9. 1); c. 16 pr. C. 9. 2 (= c. 8 § 2 C. Th. 2. 1); c. 2 pr. C. 9. 44 (= c. 2 C. Th. 9. 36). Ergo recte Wlassak insimulat c. 3 pr. C. 9. 1 (*Sitzungsber.* cit. p. 86 not. 13), male defendit c. 10 C. 9. 1 (ibid. p. 91), de hac nostra constitutione (c. 1 C. 9. 45) sine causa dubitat (p. 90 not. 18).

8) Cf. l. 25 D. 4. 6; l. 1 D. 13. 4.

Digitized by Google

Triboniano, postquam Iustinianus *criminales causas omnimodo intra duos annos a contestatione litis connumerandos finiri* censuisset [1]), vel intra annum, si ex vinculis causa dicenda esset [2]) privato capitis accusante [3]). 8 Genuino iure publica iudicia perpetua erant [4]), idque manebat Macri, quin etiam Modestini [5]) et Constantini Magni [6]) temporibus; itaque, sicuti solemnibus implendis [7]), ita *certa perferendae accusationi tempora iudex competens praest(are)* solebat [8]). Et credebat quidem Cuiacius [9]) annum generaliter praestitutum esse, quem aliquanto post accusatoribus largitus est Theodosius [10]), idque demonstrari posse adhibito l. 7 pr. D. 50. 4, ubi docet Marcianus *reu(m) delatu(m) ... honores petere principalibus constitutionibus prohibe(ri), ... sed post annum* [11]), *quam reus delatus est, petere non prohibe(ri)*, sed non docet Marcianus post anni decursum ipsum iudicium quolibet modo finiendum. Quod statuit primus in causa falsi dumtaxat Magnus Constantinus [12]), ita ut eius

---

1) c. 3 C. 9. 44.

2) c. 6 § 5 C. 9. 4. Cf. Matth. de crimin. 48. 19 c. 6 § 5 (et Cuiac., Obs. XX 13).

3) Sin accusatur *ὑπὸ τῶν δημοσιευόντων* vel (c. 6 cit. § 4) *μὴ κεφαλικῶς* intra sex menses peragendum est. Add. in priore specie c. 11 C. 10. 1 (*πᾶσα δημοσία δίκη ἐντὸς ἓξ μηνῶν μετὰ τὴν προκατάρξιν μετρουμένων τεμνέσθω κτέ.*, ubi *δημοσία* esse videtur *fiscalis*).

4) L. repet. inscr. lin. 27 *(eisdem iudices unius rei in perpetuum sient)* ia. lin. 72 = 79 *(iudex deinceps faciat principe cessante)*. Cf. Mommsen, *Strafrecht* p. 207[4].

5) L. 25 pr. D. 49. 18 *(si diutino tempore aliquis in reatu fuerit)*. Cf. Sueton. II 32 *(diuturnorum reorum ... nomina abolevit)*.

6) c. 2 pr. C. Th. 9. 19 (vv. *imminens accusatio nullis clausa temporibus*, quae (propter § 2) rectissime docet Gothofredus de instituta accusatione intelligenda esse).

7) L. 18 D. 48. 2. Cf. Wlassak, *Sitzungsber.* cit. p. 211/2.

8) c. 7 C. 9. 1; l. 6 § 2 D. 48. 16.

9) Observ. I 8. In eadem sententia nunc esse video Ottonem Lenel, Paling. I p. 1224[2]; Mauritium Wlassak, *Sitzungsber.* cit. p. 216 lin. antepen. („*wenn es aber stetig geübte Regel war, dem Ankläger ein Jahr zu verstatten*", sed p. 206 med.: „*wenn die Strafgerichte dem Ankläger recht häufig einen* annus *verstatteten*"). Cf. ibid. p. 102[6].

10) c. 1 C. Th. 9. 36 (= c. 1 C. 9. 44).

11) Ergo rectissime l. 21 § 5 D. 50. 1 Paulo *annum* in Palingenesia Lenel restituit. Cf. praeterea de hoc iure l. 17 § 12 D. 50. 1; l. 3 § 9 D. 50. 4; l. 6 § 2 eod. (ia. l. 6 § 2 D. 48. 16).

12) c. 2 § 2 C. Th. 9. 19.

Digitized by Google

anni *exordium testatae apud iudicem competentem actionis* [1]) *nasce(re)tur auspicium* [2]), generaliter deinde Honorius [3]) *a die inscriptionis intra anni curricula criminales causas limitandas.* Ergo aut cum Theodoro Mommsen [4]) dicendum est: ubi praeses accusationi tempus praefiniat, ibi semper aut annum aut biennium praefiniri, aut liberandus est Macer [5]) toto *anno vel biennio*, nec sufficit [6]) interpolatori solum *vel biennio* adsignavisse. 9 Ceterum observat Mommsen [7]): apud iurisconsultos, qui floruerint ante Severum Alexandrum, litis contestationis nomen, quod ad publica iudicia attineat, non inveniri neque id fortuito fieri putat, sed, quod publica iudicia litis contestationem olim nec habuerint, nec habere potuerint, quia nominis delatio [8]) solo actoris facto reum tenent [9]). Qua in re vir summus errare videtur, neque ex sola nominis delatione reus quisquam fieri; alioquin absens quoque reus fieret, quod ne in provinciis quidem iure fit [10]), licet per abusum nonnum-

---

1) *Testata actio* sitne intelligenda litis contestatio, in superiore adnotatione quaesivimus (p. 403 not. 5).

2) *Auspicio* emendat Tribonianus c. 22 C. 9. 22.

3) c. 2 C. Th. 9. 36 (= c. 2 C. 9. 44).

4) *Strafrecht* p. 488 lin. 3/4.

5) L. 15 § 5 cit. (D. 48. 16).

6) Sufficere putant Cuiacius et (in Palingenesia) Lenel et Wlassak, *Sitzungsber.* cit. p. 216/7.

7) *Strafrecht* p. 392/3.

8) Quid proprie sit nominis delatio, ubi exprimendum erat, non exprimit Mommsen (*Strafrecht* I p. 382), nam „*Einbringung der Klage*" quam nihil significet, demonstrat ipse (p. 381).

9) „*Bei der . . . einseitigen* nominis delatio *ist die Einlassung ausgeschlossen*" (p. 393. Cf. ibid. p. 388—390). Certissimum hoc videtur Mauritio Wlassak, *Sitzungsber.* cit. p. 17—30.

10) Cic. Accus. IV 39 § 95; 41 § 101; P. Oxy. 1032, 51/2. Exemplo Cuiacii (Obs. XX 21) Ciceronis testimonio pro se uti studet Mommsen, *Strafr.* p. 334[2]. Confundit scilicet, ut multi, legem et ius, quod constat etiam moribus. Ceterum, quod condemnari potest absens, eo non demonstratur inter reos recipi posse absentem, quod observandum fuit, quia ea quoque confundit Mommsen not. 2 cit. (i. f.). Nam, quod recte scribit Cuiacius (Obs. XX 20): *damnari absens potest is quocum praesente lis contestata est, quia* (c. 21) *vix est, ut inter reos recipi possit qui non et damnari*, id perperam convertit (ad l. 12 (11) § 2 D. 48. 5, Paris. IV (2) 697 C): *si damnari (absens potest), et inter reos recipi (absens potuit).* Talia enim secundum Aristotelem (Anal. prior. I c. 2 et 3) ἐν μέρει (= non utique) ἀντιστρέφει.

Digitized by Google

quam, etiam Romae [1]), factitatum sit, quamobrem lata est lex Memmia, *quae eorum* saltem, *qui rei publicae causa abessent, recipi nomina vetabat* [2]), salva ceteris post condemnationem in integrum restitutione, quum absentes essent in reos relati [3]). Ergo, quod rescribit Gordianus [4]): *absentem* [5]) *capitali crimine accusari non posse* [6]), *sed requirendum tantummodo adnotari solere, si desit* [7]), id, sicut ipse significat, *vetus ius est.* Quod in iudiciis publicis non capitalibus, velut adulterii [8]), aeque obtinet, sed in capitalibus hoc plus est, quod ne damnari quidem [9]) quamvis *cognitione suscepta* [10]) absens potest; non capitalibus potest, quocum sit iudicium inchoatum [11]), non

---

1) Memorabile exemplum est apud Livium 39 c. 17: *qui nominatus profugisset, diem certam se finituros, ad quam nisi citatus respondisset, absens damnaretur.* Nominatus enim is videtur dici, cuius dumtaxat nomen delatum sit, etiam *absentis*, qui non utique profugit, quasi profugisset.

2) Val. Max. III 7 § 9 (cf. Liv. 43 c. 5). Similes fuerunt clausulae in iudiciorum publicorum legibus (l. 12 pr. D. 48. 2; l. 16 (15) § 1 D. 48. 5). Ceterum ne hoc quidem interdictum certi auxilii fuit (Suet. I 23). Cf. Mommsen, *Strafr.* p. 353[2].

3) Cic. Phil. II 23 § 56 (Mommsen, *Strafr.* p. 335 not. 3). Posterioribus temporibus citra appellationem (errat Karlowa, *Rechtsgesch.* I p. 548 not. 6) sententia *reformab(atur)* (c. 6 § 1 C. 9. 2) quasi *contra sacras constitutiones* lata (cf. l. 1 § 2 D. 49. 8).

4) c. 6 pr. C. 9. 2 (Mommsen, *Strafr.* p. 335 not. 5).

5) A tribunali. Cf. Wlassak, *Sitzungsber.* cit. p. 70—72.

6) Hactenus concurrit Paul. V 5*a* § 9 (Wlassak, *Sitzungsber.* cit. p. 60 ima).

7) *Si desit* molestum est (Wlassak, *Sitzungsber.* cit. p. 72 summa). Forsitan sic interpretari possis: si copia non sit apprehendendi eum.

8) c. 15 pr. C. 9. 9 (Mommsen, *Strafr.* p. 353 not. 2). Tunc nondum fuisse capitale demonstrat Wlassak, *Sitzungsber.* cit. p. 63—66.

9) Paul. V 5*a* § 9; Ulpian. l. 5 pr. D. 48. 19; Marcian. l. 1 § 1 D. 48. 17; Carac. c. 1 pr. C. 9. 40, nisi turbat Ulpianus l. 33 § 2 D. 3. 3 (cf. l. 4 § 2 D. 48. 8). Sanxerat Augustus aliquando, ut posset damnari sed πάσαις dumtaxat (ταῖς ψήφοις). Testis: Dio Cass. LIV 3 § 6 (Mommsen, *Strafr.* p. 334 not. 3).

10) L. 10 D. 48. 1.

11) *Inchoat(um) indici(um)* habet Pap. Berol. *(BGU)* 611 II 6; *crimen* c. 14 (13) C. 9. 9, idem vel *quaestion(em) inchoat(am)* (Mommsen. *Strafr.* p. 358 not. 3) c. 1 C. 3. 15; *delatione(m)* l. 5 § 2 D. 48. 1. Eodem, ut videtur, sensu *accusatio mota* dicitur l. 20 D. 48. 2; c. 1 C. 9. 42 et *instituta* l. 31 § 2 D. 34. 4; l. 4 § 2 D. 48. 5; l. 5 (4) § 3 D. 50. 7; c. 16 pr. C. 9. 9; c. 2 C. 9. 43 (Bas. 60. 64. 5: προκαταρχθε(ῖσ)α); diverso *fundata* c. 7 C. Th. 9. 7 (= c. 32 (33) C. 9. 9), *coep(ta)* c. 1 C. Th. 9. 36 (= c. 1 C. 9. 44).

Digitized by Google

damnari tantum relatus [1]), sed etiam in reos referri. Quod praecipitur rescripto item Gordiani [2]): *adulteram, si, postea-quam crimen contra eam inchoatum* [3]) *est, provincia* [4]) *excessit* [5]), *etiam absentem inter reos recipi* [6]) *posse, explorati iuris est.* **10** Apparet praesentibus adversariis iudicium etiam publicum inchoandum esse, quod fieri contendimus per litis contestationem, id est, actu quodam interposito, quo *(s)e reum fac(iat)* is, cuius nomen defertur, quemadmodum loquitur imperator Alexander [7]). Quo quidem rescripto, vide Wlassak, quid tibi largiar, per se nihil probatur, quia, ut tu dixisti [8]), reflexivum potest esse pro passivo, sicut apud Ciceronem [9]) *se capite .... deminu(ere)* pro deminui, in lege Iulia de vi [10]) *se libera(re)* pro manumitti [11]). Modestinum quoque et Macrum tibi largior, etsi Modestinum certe non est necesse. Sed, ne diu gaudeas: nam surgit a nobis multo illustrior et antiquior testis M. Tullius, qui actum, quem quaerimus, agnoscit appellavitque [12]) *iudicii laqueos*, quos quandiu quis delatus *declina(ret)*, tamdiu

---

1) Ne hoc quidem permittere videtur Traianus, generaliter qui *in criminibus* absentem damnari vetat apud Ulpianum l. 5 pr. D. 48. 19 (cf. Wlassak, *Sitzungsber.* cit. p. 57/8). Sed ne Constantinus quidem non capitalia excipit c. 2 C. Th. 9. 1 = c. 2 C. 9. 40.

2) c. 14 (13) C. 9. 9. Cf. Cuiac. (Paris. IV (2) 697 B/C) ad l. 12 (11) § 2 D. 48. 5.

3) Accursius: *per litis contestationem.* Itaque vertit Theod. sch. 1 ad Bas. 60. 37. 56 μετὰ προκαταρξιν. Quod probat Cuiacius, Obs. XX 21.

4) *In qua... factum est adulterium*, nam ibi est vindicandum (c. 12 (14) C. 9. 9).

5) Quodnisi excessit, quia potest in ius duci, minus est laborandum. Ex diverso, si excessit, quia *transmittend(a)* foret, compendium adfert, quod potest absens recipi. Cf. c. 15 pr. C. 9. 9, ubi *transmitti* negatur in provinciam non suam, quod vidit Accursius. Rem illustrat Macer l. 7 D. 48. 3.

6) Intelligunt perperam Theodorus sch. 1 cit. (ad Bas. 60. 37. 56) et Thalelaeus sch. 2 ibid. *requirend(a)m* γενέσθαι. Quanquam docet ille sch. 1 ad Bas. 60. 33. 19 generaliter (τὸν) προκαταρξάμενο(ν) ἀπολειφθ(έντα) καταδικάζεσθαι. Priorem sententiam reprehendit Cuiacius, Obs. XX 21, excusat quodammodo Wlassak, *Sitzungsber.* cit. p. 75.

7) c. 2 C. 4. 21.

8) *Sitzungsber.* cit. p. 27/8.

9) Top. 4 § 18.

10) Collat. IX 2 § 2; l. 3 § 5 D. 22. 5.

11) Similiter *in integrum se restitu(it)* tam qui postulat (l. 3 § 6 D. 4. 4), quam qui impetrat (l. 48 pr. eod. = Paul. I 9 § 5) in integrum restitutionem.

12) Pro Mil. 15 § 40.

Digitized by Google

voce tenus [1]) *reus* esset [2]), *in iudicium detrahi non posset* [3]). Quod ius nequaquam propterea videri debet absurdum [4]), quia hoc modo futurum sit in potestate delinquentis velitne reus fieri; sunt enim adversus contumaces [5]) certa remedia [6]), nec multum ad rem facit [7]), quod forte fortuna ignoramus, adversus *declinantem* cuiusmodi decreta Romae emitti a magistratibus consueverint. Adsimulat autem declinanti orator Clodium, qui consulis edicto adesse vetabatur [8]). Actu quodam interposito, quo se reum faciat is, cuius nomen delatum sit, quod publicum iudicium inchoatur, fateor equidem privatorum iudiciorum exemplo id receptum esse, quia ita praecipit Mommsen [9]), sed nego sub Severis [10]); actum utique in publicis iudiciis *se reum faciendi* prorsus respondere solemnitati privati iudicii accipiendi, nemo, opinor, diffitebitur. Quem actum quia praecedere debet *accusati(o) fundata* [11]) praescriptionibus discussis, ipsum proxime sequitur in reos receptio [12]), ideo praescriptiones omnes *ante solent tractari, quam quis inter reos recipiatur; ceterum posteaquam semel receptus est, non potest praescriptionem obicere* [13]). Verum, quis actus fuerit, videndum. Et quidem iure Iustiniano hac parte nihil interfuisse videtur inter iudicia publica et privata [14]), proinde litis contestatio intelligenda,

---

1) Cuiac. Paris. IX 1471 E: *improprie*. Locum hic non laudat. Zumpt, *Criminalprozess* (1871) p, 514 lin. 14 (ad ipsum locum): *„(nicht) im eigentlichen Sinne"*.

2) Pro Mil. 13 § 35. 3) Ibid. 14 § 38.

4) Absurdum videtur Mauritio Wlassak, *Sitzungsber.* cit. p. 21.

5) Quum absentes tum praesentes. Sed loquimur nunc de praesentibus.

6) Ex iure Anglico exemplum *(la peine forte et dure)* adfert Brunner, *Entst. der Schwurger.* (1871) p. 474 *(„diese Art der Behandlung, welche allmählich zur wahren Tortur ausartete, wurde so lange fortgesetzt, bis sich der Beklagte freiwillig auf den Spruch der Beweisjury berief")*.

7) Facere putat Wlassak, *Sitzungsber.* cit. p. 24.

8) Pro Sest. 41 § 89. Reliqua dabit Zumpt, *Criminalprozess* (1871) p. 513/4.

9) *Strafr.* p. 67[2]: *„aus dem Privatprozess uebertragen"*.

10) Hactenus nobiscum stat Wlassak, *Sitzungsber.* cit., sed, quantum nos referimus, in tantum ille profert diem (p. 105: *„bis zur Zeit Justinians"*, p. 215: *„frühestens in die Blütezeit . . . von* Berytus").

11) c. 7 C. Th. 9. 7 (= c. 32 (33) C. 9. 9).

12) c. 14 (13) C. 9. 9; Cuiac. Paris. IV (2) 697 B.

13) L. 16 (15) § 7 D. 48. 5.

14) Nisi quem movebit Theophili auctoritas (IV 406): multum interfuisse ceteris

Digitized by Google

quum iudex per narrationem negotii causam audire coeperit [1]); sed iure genuino, quia *publica iudicia n(on) per actiones*, id est, per formulas *ordinantur* [2]), interfuerit oportet, neque enim potuit in illis per mutuam formulae subscriptionem contestari lis [3]), atqui per mutuam aliquam subscriptionem, èt est per se probabile, èt nunc audacter confirmari potest propter nuper inventam papyraceam ad Senatum orationem [4]), qua tantum non demonstratur actorem *cum* reo iudicium subscripsisse, non modo adversus reum [5]), quod putabat Wlassak [6]) putatque [7]). 11 Est igitur haec subscriptio diversa ab ea, quam ponit actor in inscriptionis libello testandi causa *se professum esse* [8]), quae subscriptio *in crimen* dicitur [9]), nam ista quidem non mutua sed *μονομερής* est, nisi quis dicat hoc modo iudicium publicum subscribi, ut reus in ipso inscriptionis libello post actoris subscriptionem *subnotet sua manu quod volet* [10]). Apud Ciceronem quoque [11]) *parricidii causa(m)* [12]) *subscripta(m)*, quam sequitur

---

partibus *ἔν τε τῇ προκατάρξει*. Quae certe non movit Mauritium nostrum, *Sitzungsber.* cit. p. 225.

1) Cf. Mommsen, *Strafrecht* p. 392[4], qui tamen confundit Septimium Severum et Tribonianum (c. un. C. 3. 9). Hoc remoto adstipulatur Wlassak, *Sitzungsber.* cit. p. 184.

2) Pr. Inst. IV 18.

3) Ergo rectissime docet Mommsen, *Strafr.* p. 67[2], iudiciis publicis fuisse nullam *„eigentliche Litiscontestation"*.

4) P. Berol. *(BGU)* 611 I 10: *(accusatoru)m artes qui subscripto iudicio cum* (reliqua perierunt). Primum *m* ipse legi et me non dixisse in *Berichte (Leipzig)* 63 (1911) p. 129, miror.

5) L. 8 D. 48. 2.

6) In *Pauly's Realencyclopaedie* III p. 1946 (v. Centumviri). Quae ex Cicerone adfert (pro Cluent. 45 § 127; 47 § 131), ea pertinent non ad accusatoriam sed ad censoriam subscriptionem (Bruns, *Kl. Schr.* II p. 54). Eadem confusio est apud Mommsenum, *Strafrecht* p. 385 not. 6 (i. f.).

7) *Sitzungsber.* cit. (1917) p. 29/30.

8) L. 3 § 2 D. 48. 2,

9) L. 3 D. 47. 1; l. 93 (92) D. 47. 2; l. 24 D. 48. 10; c. 3 C. 9. 20; c. 2 C. 9. 45 (*in crimen*); c. 2 pr. C. 9. 1 (*in crimine*); Gell. II 4 § 1 (*in reum*). Apud Senecam libellus inscriptionis habens subscriptionem dicitur *subscriptio* (de benef. III 26 § 2: *subscriptionem compon(ere)*; apocol. 14: *ed(ere) subscriptionem*), similiter apud Asconium p. 49 (55). Alioquin *subscriptio* intelligenda videtur libelli subscriptio (l. 7 pr. D. 48. 2; c. 12 pr. C. 9. 1; c. 5 C. Th. 9. 1), proinde *subscriptionis* et *inscriptionis vinculum* idem esse (cf. Mommsen, *Strafr.* p. 386 not. 1 i. f.).

10) Cf. Vat. fr. 163.

11) De Invent. II 19 § 58.

12) Ideo *causa* subscribenda est, ut constet, quid in iudicium veniat neve id

Digitized by Google

nomen acceptum [1]), mutuo subscriptam intelligimus, multo vero magis pro Cluent. 31 § 86: *haerebat*, id est: subscripserat, *in tabulis publicis reus et accusator* (20 § 55: *ex lege illa Cornelia, quae tum erat*); nec, quod suspicati sumus: ponendam fuisse in inscriptionis libello, est contrarium; fuerit enim inscriptio, ex quo tempore inscriptio in usum venerit, sicuti formula [2]), pars tabularum publicarum [3]), neve interfuerit, utrum apud magistratum deponatur scripta an scribatur accusatio, nam utroque modo fieri permittitur [4]). Quamquam disputant viri docti utro modo fiat [5]). 12 Docent èt Geib [6]) èt Mommsen [7]), inscriptionem fieri apud magistratum, proinde libellos, inscriptionis qui vocantur, inscriptionis esse praeparatorios („*eine vorläufige Eingabe*"), quum demonstret Paulus [8]) esse libellos ipsam inscriptionem continentes. Neque id Theodorum Mommsen latuit, quamquam dissimulat [9]), nam Geib [10]) dolum admittit [11]). Ex diverso negat Zumpt [12]) apud magistratum accu-

---

iudicatio excedat (Geib, *Gesch. des röm. Criminalproz.* (1842) p. 282), quod negare videtur Mommsen, *Strafr.* p. 385 not. 4 (ubi pro „*Kläger*" bis legendum est „*Richter*").

1) Perinde ut c. 14 (13) C. 9. 9 accusationem inchoatam inter reos receptio.

2) De formula testis est Cicero pro Q. Roscio 4 § 13: *tabularum fide arbitrum sumpsit*. Ergo èt § 12 cancellandum est *tuarum* èt resolvitur Mommseni (*Strafr.* p. 517 ia. p. 512) dubitatio, utrum formula publicarum tabularum fuerit, quod propius est ut neget.

3) De tabulis publicis iudiciorum publicorum cf. Mommsen, *Strafr.* p. 517/8.

4) Ergo *aut libellos offer(t)* accusator *aut querelas suas apud acta depon(it)* (c. 8 C. 9. 2) *in codice publico solemnia inscriptionis implet(urus)* (c. 4. C. Th. 9. 3); magistratus *accusationem vel admitt(u)nt (depositam vel) scribi concedunt* (c. 2 § 2 (i. f.) C. 2. 15 (16), ubi hucusque editur: *vel depositam*). Ceterum illic (c. 8 c. 9. 2) sermo deponitur (Thalel. sch. 3 ad Bas. 60. 33. 21), hic (c. 2 § 2 C. 2. 15) libellus (ut l. 2 § 8 D. 48. 5; c. 1 C. 9. 45; c. 1, c. 19 C. 9. 1).

5) Rectam sententiam habet, cuius cathedram occupo, Ant. Matth. 48. 13 c. 6 § 2.

6) *Gesch. des röm. Criminalproz.* p. 281, p. 552 (sed cf. p. 553 not. 35).

7) *Strafr.* p. 384/5.

8) L. 3 pr. D. 48. 2.

9) *Strafr.* p. 385[2]: „*(die Einzeichnung) ist gemeint, obwohl es .... heisst*: libellorum .... conceptio talis est."

10) Op. cit. p. 281[60]; 554[40].

11) Tacite apud Paulum supprimit *libellorum*.

12) *Criminalproz.* (1871) p. 147. Alteram inscriptionem (p. 157: „*(durch welche) die Annahme der Klage geschah*") unde habeat, nescio.

Digitized by Google

sationem scribi, quod non debuerat. Nam potest vel hoc modo. **13** De eo quidem dubitari potest, utrum inscriptionis libellos Ciceronis aetas viderit. Videntur enim Carolo Georgio Bruns [1]) ab Augusto demum introducti esse, neque admittit sententiam Zumptii nominis delationem idem esse [2]), quod nec probari potest nec refelli [3]), alioquin, si probaretur, sufficeret ad rem obtinendam. Atqui docet Asconius [4]) anno ante Chr. 52 Saufeium petitum *subscriptione* [5]) *ea, quod loca publica occupasset*, docet praeterea imperator Gratianus [6]): leges Cornelias, deinde Iulias, *ita promulgat(a)s, ut poss(e)t etiam sine inscriptione cognosci, poena tamen accusatorem etiam sine solemnibus occuparet.* Erat igitur inscriptio legibus Corneliis cognita, potestque etiam apud Ciceronem et in libris de Inventione [7]) intelligi *causa subscripta*, quum mutua vice reus in libello inscriptionis subscripserit. Quamquam imperatoris Gratiani testimonium amoliri studet Gothofredus sic interpretando [8]), quasi legibus Corneliis et Iuliis ipsa inscriptio incognita fuerit [9]); sed est interpretandum: ex praedictis legibus non semper fuisse inscriptionem necessariam; ubi necessaria non esset, attamen poenis iisdem accusatores fuisse obstrictos. Sed an obstet imperatoris Gratiani testimonio testimonium Pauli [10]): *hoc enim lege Iulia publicorum.... generaliter praecipitur omnibus, qui reum aliquem deferunt?* Non obstat: *praecipitur* enim apud Paulum non inscriptio, sed loci et temporis, ubi sit delictum, designatio. Illud autem, quod proxime subiungit [11]): *quodsi libelli inscrip-*

---

1) *Kl. Schr.* II p. 52.

2) Propterea nominis delationem illustrat hic adhibita (*Criminalproz.* p. 143 not. 3) l. 3 D. 48. 2.

3) Quia, ut verbis utar Brunsianis (*Kl. Schr.* II p. 51): „*in welcher Form... die* nominis delatio... *vollzogen wurde, wissen wir... nicht*". Quocirca miror Brunsium (p. 52) Zumptium refutare volentem.

4) P. 49 (55).

5) I. e., inscriptione.

6) c. 4 § 1 C. Th. 9. 19 (p. Chr. 376).

7) De inventione libros scriptos esse post (priorem utique) legem Corneliam, aditus docebit Velsen, *die* exceptiones praeiudiciales (1896) p. 24—26.

8) Not. *q.*

9) Sententiam ipse extenuat dicendo: *quo illarum legum capite index quaestionis constituitur*, credo, ne committat l. 3 pr. (i. f.) D. 48. 2, vano metu.

10) L. 3 pr. D. 48. 2. 11) L. 3 cit. § 1.

Digitized by Google

tionum legitime ordinati non fuerint, rei nomen aboletur etc., id non ad omnes omnino causas pertinet, sed ad eas, in quibus est inscriptio necessaria. Magis obstare videtur imperatoris Gratiani testimonio Ulpiani testimonium [1]): in crimen subscriptionem *ad id inventa(m) es(se), ne facile quis prosiliat ad accusationem, cum sciat inultam sibi* accusationem (l. *calumniam*) *non futuram,* docet enim imperator Gratianus legibus Corneliis et Iuliis perinde esse ad poenam accusatoris, utrum agatur cum subscriptione an sine subscriptione. Sed videndum est, sitne Ulpiani testimonium integrum, et crediderim scripsisse eum non, quod nunc legitur: *si cui crimen obiciatur, praecedere debet crimen subscriptio,* sed: *praecedere debet (poenae sponsio),.... ne facile quis prosiliat ad accusationem, cum sciat inultam sibi (calumniam) non futuram* [2]), auctore Symmacho [3]): *quid habeat condicionis inscriptio, prae ceteris nostis* — imperatoribus p. Chr. 384/5 haec dicit praefectus urbi — *provisum est enim, ne quis temere in alieni capitis discrimen irrueret, ut se idem* [4]) *prius poenae sponsione vinciret.* Itaque genuino iure accusatoris poena non ex inscriptione descendebat [5]), sed ex *poenae sponsione,* qua omissa inscriptio nihil valebat [6]). Exigit autem poenae sponsionem sub idem tempus (p. Chr. 381) non tantum synodus Constantinopolitana [7]):

---

1) L. 7 pr. D. 48. 2.

2) Quae proxime sequuntur (§ 1), Ottoni Lenel (in Palingenesia) merito suspecta, sic restituo: *cavent itaque singuli (poenam) et praetereu perseveraturos se in crimine usque ad sententiam.* Ergo in papyro anni p. Chr. 210 (Florent. 6 lin. 5/7) queritur quis accusatum se (ὑπὸ) *οὔτε ὄντος δημοσίου κατηγόρου ἀλλ' οὐδὲ ἀσφαλισαμένου τὸ ταμεῖον εἰς τὸ πρόστειμον τῆς συκοφαντίας* (*Archiv für Papyrusf.* IV p. 427). Qui testis non comparet apud Mauritium Wlassak *Sitzungsber.* cit. p. 247.

3) Relat. 49 § 1.

4) Emendo: *in idem,* Seeck, Mommsen, Wlassak, *Sitzungsber.* cit. p. 85 not. 9: *eiusdem.*

5) Sic veridicus invenitur imperator Gratianus.

6) Cf. Mommsen, *Strafr.* p. 496: *„bei der schriftlichen Klaganstellung (hat) sich (der Kläger) ausdrücklich (der Anklägerbestrafung) zu unterwerfen"*. Concordat Ed. Theod. c. 13 (quod non laudat). Eam recte appellat Wlassak, *Sitzungsber.* cit. p. 86 *„Strafverschreibung"*, sed negat (p. 85 not. 9) inscriptioni accedere inscriptionis, ut videtur ei, novum genus. Quod suum verbum mox in dubium ipse revocat (p. 88 lin. (infra lineam) 29: *„fraglich ist es"*), quin paulo post absurdum vocat (p. 95 lin. 1: *„schlechthin undenkbar"*).

7) Cap. 6 (i. f.).

Digitized by Google

μὴ πρότερον ἐνίστασθαι τὴν κατηγορίαν πρὶν ἢ ἐγγράφως αὐτοὺς τὸν ἴσον ὑποτιμήσασθαι κίνδυνον, sed agnoscit eam etiam (p. Chr. 380) Theodosius [1]) his verbis: *non prius adsimulanti* [2]) *accommodetur adsensus* [3]), *quam.... in poenam reciproci* [4]) *stilo trepidante recaverit* [5]), quae Tribonianus ideo resecuit, quia ipsius temporibus [6]) sola inscriptio sufficiebat ad accusatorum poenas. Cui novo iuri praeterea accommodatum videtur èt l. 7 pr. D. 48. 2 èt l. ult. D. 47. 2 (insertis *non quasi publicum sit iudicium, sed quia visum est temeritatem agentium etiam extraordinaria animadversione coercendam*) èt Diocletiani c. 12 pr. C. 9. 1 — ibi *non exacta subscriptione* fuerint *non exacta (poenae sponsione)* — multo vero magis Gordiani c. 10 C. 9. 1: *solemnibus* [7]) *te* [inscriptionibus] *adstringe* [8]). Ergo, quod erat olim sponsionis vinculum, cessit *inscriptionis vinculo* [9]), quod non continuo lege quadam lata puto effectum esse, sed paulatim consuetudinis genere, postquam supervacaneum videri coeperit in *legitimam poenam* [10]) insuper cavere, innovatum, quamobrem èt diu ante Theodosium legimus apud Constantinum [11]) accusatores *inscriptionis vinculo contineri*, èt multo post apud Interpretem legis Theodosianae [12]) apparet sponsio:

1) c. 3. C. Th. 9. 2 (= c. 2 C. 9. 3).

2) I. e., insimulanti.

3) I. e., non prius accusandi potestas detur.

4) I. e., talionis (Mommsen, *Strafr.* p. 496).

5) I. e., vice mutua caverit.

6) Aliquid suboluit Ferdinando Walter, *Gesch. des röm. Rechts* (1861) § 854[132]: „*Diese* (i. e., accusatoris poena) *wurde nun* (i. e., ab Ulpiani temporibus) *als eine aus der Subscription der Anklage hervorgehende Verbindlichkeit angesehen*". In fastis hic errat, in re Geib, *Gesch. des röm. Criminalproz.* p. 554: „*man (nahm) nun gleich in die* inscriptio *die Erklärung (auf), der Ankläger mache sich bei Strafe... verbindlich* etc." Introductum putat, quod abrogabatur.

7) Non, quia c. 4 § 1 C. Th. 9. 19 hoc vocabulo venit inscriptio, ideo apud Gordianum vel apud Valentinianum (c. 7 C. 9. 46) intelligi non potest poenae sponsio.

8) *Inscriptionibus* interpolatum esse, numerus ostendit. Cf. supra (p. 404 not. 7).

9) c. 2 C. Th. 9, 7 = c. 29 (30) C. 9. 9 (p. Chr. 326); c. 11 C. Th. 9. 1 (373?); c. 14 C. Th. 9. 1 = c. 13 C. 9. 2 (383); c. 6 C. Th. 9. 2 (409); c. 19 C. Th. 9. 1 = c. 17 C. 9. 2 = cap. 3 Ca. 2 qu. 8 (423). Cf. Ambros., epist. 5 (64) § 2 (p. Chr. circ. 380): *delationis nexu se obligare.*

10) L. 1 § 3 (i. f.) D. 48. 16.

11) c. 2 C. Th. 9. 7 = c. 29 (30) C. 9. 9.

12) Ad c. 14 (Vis. 8) C. Th. 9. 1.

Digitized by Google

quicumque alium... capitali obiectione pulsaverit, non prius... audiatur, quam se similem poenam, quam reo intendit, conscripserit subiturum, similiter in edicto Theodorici [1]). Quin immo respicitur poenae sponsio Basilicorum scholiis: (ὁ) ἀποστὰς, ἐπεὶ ἐπὶ τῶν δι' αἵματος ἄνευ ἐγγράφων [2]) καὶ ἀσφαλείας οὐ κατηγορεῖ, πείσεται κατὰ τὴν ἀσφαλείαν, ἃ ἤμελλε παθεῖν ὁ κατηγορούμενος, εἰ διηλέγχθη [3]). Ne in Occidentis quidem partibus omnis intercidit eius rei memoria, siquidem inter Glossatores quoque fuerunt, qui contenderent, *quod* accusator *subscribere debet se velle pati eandem poenam, si non probaverit, quam passurus erat reus* [4]), quibuscum stare videtur papa Innocentius III, quum doceat [5]) *coram iudice saeculari* accusantem *inscriptionis vinculum debe(re) arripere* [6]) *seque ad poenam talionis adstringere* [7]), apertius Durantis [8]): nisi *consuetud(o) patriae* diversa sit, *inscrib(endum) in libello* — Vivianus [9]): *in fine libelli — quod accusator se obliget subire poenam*, talionis utique [10]); sed simul adfirmat [11]) *in Italia inter laicos* consuetudinem diversam esse. Quin voluit Gallis obtrudere poenae sponsionem sanctus rex Ludovicus [12]), quo successu nescio [13]).

1) c. 13: *non prius audiatur, nisi... caverit,... se eam poenam subiturum, si non probaverit, quod intendit, quam possit* (= debeat) *reus convictus secundum leges excipere.*

2) Ἔγγραφον = *inscriptio* habet sch. 2 ad Bas. 60. 26. 3.

3) Sch. 1 ad Bas. 60. 26. 7 (cf. sch. 2 ad Bas. 60. 26. 1; sch. 2 Οὐ μὴν ad Bas. 60. 26. 3; sch. 2 Κἂν et Ὅταν ad Bas. 60. 26. 6).

4) Gl. *perseveraturos* ad l. 7 § 1 D. 48. 2; gl. *subscribere* ad l. 3 § 2 eod.

5) cap. 5 X 1. 38.

6) Hoc habet ex c. 17 pr. C. 9. 2.

7) Per se esse posset ἓν διὰ δυοῖν.

8) Tit. *de lib. conceptione* § 15 versu 1.

9) *Casu* c. 17 C. 9, 2.

10) Cf. tit. *de accusatione* versu 17: *accusator se ad poenam talionis obligabit*, quod per se ambiguum est, ut Innocentii capitulum.

11) Adfirmat post eum Ioannes Andreae, add. ad Durantis Spec., tit. *de accusatore* vs. 34 voc. *hodie*.

12) „*Si tu veux appeler de multre... il convient que tu te lie(s) à tel paine souffrir comme ton adversaire souffrirait, s'il estent atainl*" (Guizot, *Hist. de la civilis. en France* IV (1843) p. 162; Capefigue, *Hist. const. et admin.* I (1834) p. 234).

13) Laudat Esmein, *Hist. de la procéd. crim.* (1882) p. 85, „*un passage du* Livre des droiz (§ 942): *Accusation si est* etc. *En cest convient que applége et se soubzmette à telle peine dit la loy* ad poenam talionis".

Digitized by Google

14 Diximus auctore imperatore Gratiano [1]), ex legibus Corneliis et Iuliis [2]) *etiam sine inscriptione cognosci* [3]) solitum pro causarum et rerum diversitate. Successit [4]) Antonini, sed incertum cuius Antonini, rescriptum *in iudicis potestate (id) constituens*, etsi ne hic quidem ad poenam accusatoris voluit interesse, quapropter fiebat, ut, si inscriptio iudici non necessaria visa esset, *non subscriptio sed professio criminis uno sermone ex ore fugiens tam accusatorem quam reum sub experiendi periculo* [5]) *de patria, de liberis de vita denique dimicare* [6]) *cogeret*. Quod quum vidit tum removit Constantinus [7]), sanxit denique, *ut remota professionis licentia... ad subscriptionis morem ordinemque criminatio referatur, ut iure veteri in criminibus referendis omnes utantur* [8]), salva tamen causa falsi, cui dedit legem [9]), *(ut) cesset inscriptio*. Rursus Gratianus in causa falsi dumtaxat *in arbitrio iudicantis* posuit [10]), *an* accusatorem *sinat etiam sine inscriptione certare*, postquam altera constitutione, quae nunc non extat, in hac quoque causa inscriptionem utique interponi iusserat. Iustinianus denique generaliter in omni crimine inscriptionem exigit [11]), neque falsi causam usquam excipit [12]); excipit *momentariae possessionis interdictum* [13]) et

---

1) c. 4 § 1 C. Th. 9. 19.

2) In lege Fabia diversum est: c. 3 C. 9. 20 (Alex.).

3) Absurda res videtur Mauritio Wlassak, *Sitzungsber.* cit. p. 95, nisi intelligatur poenae sponsio (*„die ausdrückliche Gebundenheitserklärung des Anklägers"*).

4) Fide imperatoris Gratiani c. 4 § 1 cit.

5) *Experiundi periculum* non definivit Gothofredus. Nescio, an intelligam poenae sponsionem.

6) Imitatur pro Mil. 1 § 3 (i. f.). 7) c. 5 C. Th. 9. 1.

8) His verbis restitui non puto antiquam distinctionem, sed generaliter praecipi inscriptionis necessitatem.

9) c. 2 § 1 C. Th. 9. 19. Eodem anno, quo principalis constitutio et ad eundem data est.

10 c. 4 § 1 C. Th. 9. 19.

11) L. 7 pr. D. 48. 2; c. 16 C. 9. 2 (ex c. 8 C. Th. 2. 1); c. 3 pr. C. 9. 1 (quod videtur interpolatum Mauritio Wlassak, *Sitzungsber.* cit. p. 86[13], et mihi). Ad legem Fabiam nominatim pertinet c. 3 C. 9. 20 (Alex.).

12) Recepit quidem et c. 2 C. Th. 9. 19 (= c. 22 C. 9. 22) et c. 4 eod. (= c. 23 C. 9. 22) sed omissis, quae ad inscriptionem remittendam pertinebant. Cf. praeterea ipsius c. 21 § 1 C. 4. 21 et Nov. 80 c. 7.

13) Hinc discimus quinto saeculo in interdicto exigi coepisse inscriptionem.

Digitized by Google

abacti animalis accusationem, in quibus permittit *interdum etiam sine inscriptione* certare [1]), servat praeterea legem Gordiani [2]): ea, *quae per officium praesidibus nuntientur, et citra solemnia accusationum posse perpendi*; remittit denique marito *genialis tori vindic(i)* inscriptionem [3]), feminae autem, non, quatenus mulieri accusare permittitur [4]), sed, *secundum antiquitus statuta, tantum de quibus* hoc quoque *specialiter eis concessum est* [5]), veluti *matri sine calumniae timore necem filii sui vindicare* [6]). Conveniens est, quod rescribitur [7]): *si femina suam suorumque iniuriam exsequatur, cum ipsa pacto* [8]) *contra vetitum destitisse profiteatur, in senatusconsulti Turpilliani poenam incidisse eam certi iuris es(se)* [9]), quia, quem desertoris poena, eundem calumnia utique obligat [10]). In marito autem genialis tori vindice Iustinianus: *n(e) inscriptionis vinculo contine(retur), quum iure mariti accusaret, veteres retro principes* iam *adnu(isse)*, addit [11]) fide Constantini [12]) nec videtur mentiri, licet Valeria-

---

Posterioribus saeculis apud Graecos utique magis magisque confundi coepit accusatio et interdictum (Bruns, *Recht des Besitzes* (1848) § 10).

1) Cf. c. 8 C. 8. 4; c. 16 C. 9. 2; c. un. C. 9. 37, quae fluxerunt omnes ex c. 8 C. Th. 2. 1 (ubi tamen generaliter *(de) rebus parvis*, excipitur, ne locum habeat inscriptio, quod stare putat Antonius Matthaeus 48. 13 cap. 6 § 9).

2) c. 7 C. 9. 2.

3) c. 29 (30) C. 9. 9 (ex c. 2 C. Th. 9. 7).

4) Ita interpretantur Theod. sch. 1 (i. f.) ad Bas. 60. 34. 25; sch. 1 ad Bas. 60. 34. 26; Cuiacius, Observ. XX 8; Ant. Matth. 48. 13 c. 6 § 9; Mommsen, *Strafr.* p. 369[5].

5) c. 12 pr. C. 9. 1.

6) c. 2 pr. C. 9. 46. Pergit: *idque beneficium senatusconsulti et in aliis publicis servatum est.* Quod non intelligo.

7) c. 2 C. 9. 45.

8) *De compositione... locut(am)* sufficeret (l. 6 pr. D. 48. 16).

9) Contraria quidem videtur Papiniani auctoritas l. 4 pr. D. 48. 16; sed perspiciet, qui contulerit l. 1 § 10 eod. (Paling. Papin. 730) priore loco (l. 4 pr. cit.) liberandum esse Papinianum articulo *non*, renuente licet Cuiacio (Obs. XX 8). Etiam l. 1 § 10 cit. (i. f.): *merito* rell., laborat pro *muliere et minore*, l. 16 (15) § 6 (i. f.) D. 48. 5: *sane si — irrogabitur*, pro minore dumtaxat adversus calumniae poenam Tribonianus.

10) L. 15 § 2 D. 48. 16. Cf. l. 6 § 3 D. 50. 2: *ex Turpilliano senatusconsulto not(a)ntur ignominia velut calumniae causa iudicio publico damnati*; Cic. pro Cluent. 31 § 86 (i. f.). Hoc sensu desertor *calumnia(e)*, id est, velut calumniae damnari dicitur l. 10 D. 48. 1; l. 11 D. 48. 16; Plin. Epist. VI 31 § 12 (cf. Cuiac., Obs. XX 30, XXI 3).

11) c. 29 (30) cit. (C. 9. 9).

12) c. 2 C. Th. 9. 7.

Digitized by Google

nus auctor sit [1]), *diversum.... div(os) principes saepe sanx(isse)*, id est, ut maritum, iure mariti accusantem, deinde desistentem teneret senatusconsultum Turpillianum. Porro, quem desistentem tenet senatusconsultum, eundem sine dubio calumnia obligat [2]). Sed est in marito sicut in patre [3]) semper variatum èt iurisconsultorum auctoritatibus èt principum rescriptis; veluti respondet Scaevola [4]): *iure mariti qui accus(e)nt, calumniae periculum non evita(re)*, ex diverso auctore Tryphonino [5]) *iure mariti sine calumnia vir accusare mulierem adulterii potest*, adstipulaturque Paulus [6]); quin ipse Iustinianus, postquam remisit inscriptionem [7]), rursus τὸν ἄνδρα iubet ἐγγράφεσθαι τὴν γυναῖκα [8]). Ceterum non ex mente Iustiniani remittitur in Basilicorum scholiis [9]) inscriptionis necessitas ἐπὶ τῶν μὴ δι' αἵματος ἐχόντων τὴν τιμωρίαν. **15** Ad necessitatem quidem inscriptionis nihil interest inter crimina iudiciorum publicorum et extraordinaria [10]), unde potest coniectura capi: in extraordinariis quoque litem contestatam a subscriptione cum reo ut in legitimis computandam eamque apud Modestinum [11]) intelligendam *accusatio(nem) mota(m)*, etsi valde repugnat Wlassak [12]). **16** De posterioribus inscriptionis fatis haec ac-

1) c. 16 § 1 C. 9. 9.

2) Diximus paulo supra (p. 417).

3) Cf. l. 31 (30) pr. D. 48. 5 et in contrarium Collat. IV 4 § 1.

4) L. 15 (14) § 3 D. 48. 5. Cf. etiam Plin. Epist. VI 31 § 5, 6.

5) L. 37 § 1 D. 4. 4.

6) Collat. IV 4 § 1. Cf. etiam c. 6 § 1 C. 9. 9; Tribon. l. 16 (15) § 6 D. 48. 5.

7) c. 29 (30) C. 9. 9.

8) Nov. 117 c. 8 § 2.

9) Sch. 1 ad Bas. 60. 26. 7.

10) L. 3 D. 47. 1; l. 93 (92) D. 47. 2.

11) L. 20 D. 48. 2: *ex ceteris vero delictis* rell., de cuius sententiae sinceritate consulendus est inprimis Wlassak, *Sitzungsber.* cit. p. 143—152. Ad interpretationem eius quod attinet, sunt ibi *cete(ra)* delicta extraordinaria; etenim de *iudiciorum publicorum admissis*, quae designari putat Mommsen (*Strafrecht* p. 67 not. 2) *excepto repetundarum et maiestatis iudicio* diversum statuerat iurisconsultus. Quod ne Mommsenum quidem latuit, etsi (p. 392 not. 2) dissimulat (vv. *man erwartet*: nec), nisi forte Tribonianum reum agere voluit. Sed huic sententiae obstarent, ni fallor, c. 2 C. 9. 50; c. 5 C. 9. 6; l. 3 § 1 D. 48. 21 (Wlassak, *Sitzungsber.* cit. p. 165); l. 11 (— *mortalitate*) D. 48. 4. Cf. praeterea de excepto maiestatis iudicio l. 11 cit. (D. 48. 4); l. 31 § 4 D. 39. 5; l. 15 eod. (ubi *capitale* successisse pro *maiestatis* manifestum est).

12) *Sitzungsber.* cit. p. 152/5.

Digitized by Google

cepimus [1]). Transiit ea in leges Burgundionum [2]) et Visigothicas [3]); extenditur denique in formula quadam Turonensi [4]) ad iudicia privata [5]) propter *sumptus vel (litis) expensas*, quod descendit [6]) ex Interpretatione legis Romanae [7]): *tam civile negotium quam criminale accusationis professio manu accusatoris conscripta praecedat.* Qui interpretis error inde natus est, quod ignorabat id quod hodie quoque vulgo ignoratur: praefecti urbis Romae, ad quem ipsa constitutio data est, sicuti ceterorum [8]) *praefectorum vel vicariorum* fuisse *extraordinarium iudicium* [9]), proinde de criminibus tantum potuisse eum vel certe debuisse principaliter iudicare, nisi causa ageretur senatoris. Senatorum enim praefectus urbi proprius iudex est [10]); in criminibus autem cognoscendis ordinarius iudex nullam habuisse videtur praerogativam [11]), quamobrem, quibus ordinarius iudex displicebat, ii *sub specie criminis* altioris sedis *pulsa(ba)nt iudicium*, cui rei obviam it constitutio Honorii [12]), quam ad rectorem provinciae alicuius datam putabat Interpres (c. 8 cit.), putant Gothofredus, Karlowa [13]), Brunner [14]), sed

---

1) Non laudabitur Leonis Nov. 107, quia potius calumniae iusiurandum spectare videtur quam criminis subscriptionem. Etsi diversum sentit Ferrari, *Rivista penale* 67 (*estr.* p. 27 ima).

2) Tit. 77 (io. 7). Cf. Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* IV § 39[18] (p. 171). Perperam scribit hic inscriptione opus esse ad omnem accusationem: exigitur, quum *servus* accusabitur (cf. tit. 8).

3) Reccesw. VI 1 § 2; VII 1 § 5; VII 2 § 23; XII 2 § 9; cf. Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* IV § 50[21] (p. 240). 4) Est form. 29.

5) Formula criminalis inscriptionis est (Zeumer) extrav. I 6.

6) Cf. form. (Zeumer) extrav. I 4 (et 5).

7) Int. c. 9 (Vis. 4) C. Th. 9. 1.

8) Sitne hinc excipiendus praefectus Augustalis, nescio. Praesidalem hic quidem notionem exercet (Mitteis, *Berichte (Leipzig)* 62 (1910) p. 106/7, *Grundzüge* p. 26; Wilcken, *Grundzüge* p. 73), sed potest factum esse per abusum.

9) c. 1 C. Th. 1. 16. — Putat quidem Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* § 133 (p. 59), sicut Constantinopoli ita Romae praefectum urbi fuisse iudicem *ordinarium*, sed non sane probat eo testimonio, quod solum profert (p. 61) not. 22 (ia. 21): c. 11 C. Th. 1. 6.

10) Cf. Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* § 133 not. 17, 18. Add. c. 1 § 2 C. Th. 2. 17 = c. 2 § 2 C. 2. 44 (45) (ibid. not. 41).

11) Cf. Geib, *Gesch. des Criminalproz.* (1842) p. 467, p. 475/6. Praerogativam dedit Martianus, Nov. tit. I c. 1 § 1.

12) c. 8 C. Th. 2. 1. 13) *Rechtsgesch.* I (1885) p. 858 ima.

14) *Rechtsgesch.* II (1892) p. 178 (et *Ztschr. der Sav.-St.* (*Germ.*) V p. 74).

Digitized by Google

est data ad *ag(entem) vicem praefectorum praetorio et urbi* [1]). Similiter obviam itur ab eodem *exam(ina) accip(ienti)* vicario urbis Romae, *in qu(ibus).... non tam crimen obicitur, quam cuiusdam criminis conflatur invidia* [2]). Habet autem inscriptionis necessitatem etiam ius pontificium [3]), quin superest usque hodie in Gallorum legibus, sed ex una tantum causa, id est, ubi civiliter agetur de fide instrumenti, quod falsum dicatur [4]), nam crimen intendere privato non permittitur. Quae nunc non est inscriptio periculosa; olim cavendum erat in poenam et eam nummariam [5]) talionis dudum abrogata [6]).

---

1) Henzen n° 6478. — Ad praef. urbi datam scribit Mommsen, *Strafr.* p. 666[2].

2) c. 61 C. Th. 11. 30.

3) Cap. 24 X 5. 1: (*accusatio*), *nisi legitima praecedat inscriptio, nullatenus admittatur*; cap. 31 X 5. 3: *accusationem legitima praecedere debet inscriptio.* Idem fieri debere *coram iudice saeculari* docet Innocentius III cap. 5 X 1. 38. Sed re quidem vera fieri coepit aliquanto post (Ioh. Andreae add. ad Durantis Spec. tit. *de accusatore* vs. 34 voc. *hodie*).

4) *Code de procéd.* art. 218; Pothier, *Procéd. civ.* n° 769; Loysel, *Instit. coutum.* (ed. 1846) n° 798. In ceteris criminibus quando desierit inscriptio locum habere, dicet Ayrault, *Instruction judiciaire* II 4 § 35.

5) Pothier, *Procéd. civ.* n° 766. Cf. Garsonnet, *Traité de procéd.* II (1885) p. 453[1] (et p. 468/9).

6) Loysel, *Instit. coutum.* (ed. 1846) n° 821.

ELENCHUS FONTIUM.

(Numeri sunt paginarum et notarum).

I. Auctores Graeci
Aristotel.
Analyt. prior.
I 2, 3 . . . . . 406[10]
Polit.
VI 5 (8) § 4. . . . 398[6]
Dio Cassius
LIV 3 § 6. . . . . 407[9]
Harpocratio
V. ἀντωμοσία. . . . 399[8]
II. Inscriptiones Graecae
Inscr. jurid.
I § 3 . . . . . 398[6]
IV § 5 . . . . . 399[10]
X (A) 5 . . . . . 399[8]
Mileti
III (Delph.) 147 . . 399[9]
III. Papyri Graeci
BGU
611 I. . . . . 397[11] 410[6]
611 II . . . . . 407[11]
Bouriant
sine no. . . . . 395[2]
Flor.
6. . . . . 413[2]
Oxy.
67 . . . . . 402[7]
1032 . . . . . 406[10]

Digitized by Google

IV. Auctores Latini
Ambros.
epist. 5 . . . . . 414[9]
Asconius
p. 49 . . . . . 410[9] 412[4]
Cicero
Accus.
IV 39 § 95 . . . . 406[10]
IV 41 § 101 . . . . 406[10]
Cluent. (pro)
20 § 55 411
31 § 86 . . . . 411 417[10]
45 § 127 . . . . . 410[6]
47 § 131 . . . . . 410[6]
Invent. (de)
passim . . . . . 412[1]
II 19 § 58. . . . . 410[11]
Milone (pro)
1 § 3 . . . . . 416[6]
13 § 35 . . . . . 409[2]
14 § 38 . . . . . 409[3]
15 § 40 . . . . . 408[12]
Mur. (pro)
12 § 26 . . . . 398[3] 398[8]
Philipp.
II 23 § 56. . . . . 407[3]
Roscio (pro Q.)
4 § 12, 13 . . . . . 411[2]
Sestio (pro)
41 § 89 . . . . . 409[8]
Top.
4 § 18. . . . . 408[9]
Festus
v. contestari. . . 396[4] 398[3] 398[8].
Gellius
II 4 § 1. . . . . 410[9]
Livius
XXXIX 17 . . . . 407[1]
XLIII 5. . . . . 407[2]
Plinius
Epistul.
V 1 § 6. . . . 397[2] 397[3]
VI 31 § 5, § 6 . . . 418[4]
VI 31 § 12. . . . . 417[10]
Seneca
Apocol.
14 . . . . . 410[9]
Benef. (de)
III 26 § 2. . . . . 410[9]
Suetonius
I 23 . . . . . 407[2]
II 32 . . . . . 405[5]
Symmachus
Epistul.
VI 29. . . . . 402[4]
Relation.
16 § 1. . . . . 395[8]
19 § 4, 5, 9 . . . . 401[4]
23 § 3. . . . . 401[4] 402[4]
32 § 3. . . . . 395[6]
49 § 1. . . . . 413[3]
49 § 3. . . . . 395[6]
Valerius Max.
III 7 § 9 . . . . . 407[2]
V. Inscriptiones latinae
Lex repetundar.
27, 72, 79. . . . . 405[4]
Henzen
6478 . . . . . 420[1]
VI. Papyri latini
Marini
79 . . . . . 400[3]
VII. Ius Romanum
Gaius
II § 104. . . . . 398[9]
IV § 15. . . . . 399[5]
IV § 31. . . . . 397[8]
IV § 108 . . . . . 399[2]
IV § 141 . . . . . 398[2]
Paulus
I 9 § 5 . . . . . 408[11]
II 21[a] § 13, 17. . . 402[1]
V 5[a] § 6 . . . . . 401[11]
V 5[a] § 9 . . . 407[6] 407[9]
Vatic. fr.
163. . . . . 410[10]
Collatio
II 6 § 3. . . . . 397[9]
IV 4 § 1 . . . 418[3] 418[6]
IX 2 § 2 . . . . . 408[10]
Cod. Theodos.
I 6, 11 . . . . . 419[9]
I 16, 1 . . . . . 419[9]
II 1, 8 . . 404[3] 416[11] 417[1] 419 419[12].

Digitized by Google

II 4, 1 pr. . . . . 395[5]
II 4, 2 . . . . . 403[8]
II 4, 3 . . . . . 395[7]
II 4, 4 . . . . . 395[3]
II 4, 5 . . . . . 395[4]
II 4, 6 . . . . . 403[5]
II 4, 7 . . . . . 395[4]
II 12, 3. . . . . 395[2]
II 17, 1 § 2 . . . . 419[10]
II 27, 1 § 1 . . . . 402[3]
II 27, 1 § 3 . . . . 402[4]
IV 14, 1 § 1 . . 396[3] 400[1] 401 402[13].
IV 18, 1 . . . . . 400[1]
IV 22, 4 . . . . . 395[4]
IV 23, 1 . . . 395[4] 395[5]
V 18 (10), 1 . .395 401[5]
IX 1, 2. . . . . 408[1]
IX 1, 5. . . . 410[9] 416[7]
IX 1, 11 . . . . . 414[9]
IX 1, 12 . . . . . 404[7]
IX 1, 14 . . . . . 414[9]
IX 1, 19 . . . . . 414[9]
IX 2, 3. . . . . 414[1]
IX 2, 6. . . . . 414[9]
IX 3, 4. . . . . 411[4]
IX 7, 2. . . 414[9] 414[11] 417[3] 417[12].
IX 7, 7. . . 407[11] 409[11]
IX 19, 2 . . . . . 416[12]
IX 19, 2 pr . . . 405[6]
IX 19, 2 § 1. . 403[5] 416[9]
IX 19, 2 § 2 . . 403[5] 405[6] 405[12].
IX 19, 4 . . . . . 416[12]
IX 19, 4 § 1 . . .412[6] 414[7] 416[1] 416[4] 416[10].
IX 36, 1 . . 405[10] 407[11]
IX 36, 2 . . . 404[7] 406[3]
X 10, 27 § 5. . . . 401[5]
XI 30, 61. . . . . 420[2]
XI 30, 65. . . . . 395[10]
XI 31, 4 . . . . . 402[2]
XI 31, 5 . . . . . 402[2]
XV 14, 9 . . . . . 403[5]

Novellae cod. Theod.
Valentin. XXXV (XXXIV) 1 § 1 . . . . . 401[7]
Mart. I c. 1 § 1 . . . 419[11]
Maior. II c. 1 § 4 . . 401[3]

Gai. Augustod.
§ 88. . . . . 403[11]

Consultatio
III 13 . . . . . 395[2]

Interpret. Visigoth.
Cod. Th. II 1, 8. . . . 419
» » II 4, 4 . 402[4]
» » IX 1, 9. 419[7]
» » IX 1, 14. 414[12]

Edictum Theodorici
13 . . . . . 413[6] 415[1]

Institutiones
IV 6, 26 . . . . . 401[6]
IV 18 pr. . . . 398[8] 410[2]

Digesta
II 11, 10 § 2 . . 396[16] 398[1] 400[8].
II 12, 1 § 2 . . 396[16] 398[1]
III 3, 33 § 2. . . . 407[9]
IV 4, 3 § 6 . . . . 408[11]
IV 4, 37 § 1. . . . 418[5]
IV 4, 48 pr.. . . . 408[11]
IV 6, 24 . . . 400[4] 401[2]
IV 6, 25 . . . . . 404[8]
IV 8, 32 § 14 . . . 401[13]
V 1, 52 pr. . . 395[10] 402[9] 403[1].
V 3, 20 § 5 . . . . 400[3]
V 3, 20 § 6[1]. . . . 401[11]
V 3, 41 pr. . . . . 400[7]
VI 1, 27 § 1. . . . 400[1]
VI 1, 45 . . 399[11] 400[3] 400[6]
IX 4, 9. . . . . 400[3]
IX 4, 26 § 4. . 400[3] 401[2]
X 2, 36. . . . . 403[11]
XI 1, 20 pr.. . . . 400[3]
XI 7, 14 § 7. . . . 401[10]
XIII 4, 1 . . . . . 404[8]
XV 1, 30 pr. . . . 400[1]
XV 1, 32 pr. . . . 400[3]
XV 1, 32 § 1 . 400[1] 400[3]
XVIII 3, 8 . . . . 401[13]
XXI 2, 62 § 1. . . 402[2]
XXII 5, 3 § 5 . . . 408[10]
XXVI 7, 1 § 3. . . 400[3]
XXVI 7, 5 § 10 . . 401[13]

Digitized by Google

XXXIV 2, 35 § 1 . 402[6] 403[12].
XXXIV 4, 31 § 2 . 407[11]
XXXVIII 2, 8 pr. . 401[13]
XXXIX 5, 15 . . . 418[11]
XXXIX 5, 31 § 4 . 418[11]
XLI 7, 8 . . . . . 401[13]
XLII 1, 47 § 1. . . 401[6]
XLII 8, 10 § 3. . . 401[13]
XLIII 24, 15 § 2. . 400[8]
XLIV 7, 33 . . . 400[4] 401
XLV 1, 85 § 5. . . 402[2]
XLV 1, 122 § 3 . . 401[13]
XLV 1, 139. . . . 402[2]
XLVII 1, 3 . . 410[9] 418[10]
XLVII 2, 93. . . 410[9] 414 418[10].
XLVIII 1, 5 § 2 . . 407[11]
XLVIII 1, 10 . 407[10] 417[10]
XLVIII 2, 3 . . . 412[2]
XLVIII 2, 3 pr. . . 411[8] 412[9] 412[10].
XLVIII 2, 3 § 1. . 395[6] 412[11]
XLVIII 2, 3 § 2. . 410[8] 415[4]
XLVIII 2, 7 pr. . . 410[9] 413[1] 414 416[11].
XLVIII 2, 7 § 1. . 413[2] 415[4]
XLVIII 2, 8. . . . 410[5]
XLVIII 2, 12 pr. . 407[2]
XLVIII 2, 18 . . . 405[7]
XLVIII 2, 20. . 403[6] 407[11] 418[11].
XLVIII 3, 7. . . . 408[5]
XLVIII 4, 11 . . . 418[11]
XLVIII 5, 2 § 8 . . 411[4]
XLVIII 5, 4 § 2 . . 407[11]
XLVIII 5, 12 § 2 . 406[10] 408[2].
XLVIII 5, 12 § 3 . 404[4]
XLVIII 5, 15 § 3 . 418[4]
XLVIII 5, 16 § 1 . 407[2]
XLVIII 5, 16 § 6. . 417[9] 418[6]
XLVIII 5, 16 § 7 . 409[13]
XLVIII 5, 31 pr. . 418[3]
XLVIII 5, 40 § 6 . 404[4]
XLVIII 8, 4 § 2 . . 407[9]
XLVIII 10, 24. . . 410[9]
XLVIII 16, 1 § 3 . 414[10]
XLVIII 16, 1 § 10 . 404[4] 417[9].
XLVIII 16, 1 § 14 . 404[2]
XLVIII 16, 4 pr. . 404[4] 417[9]
XLVIII 16, 6 pr. . 417[8]
XLVIII 16, 6 § 2. . 405[8] 405[11].
XLVIII 16, 11. . . 417[10]
XLVIII 16, 15 § 2 . 417[10]
XLVIII 16, 15 § 5 . 403[13] 406[8].
XLVIII 17, 1 § 1 . 407[9]
XLVIII 19, 5 pr. . 407[9] 408[1]
XLVIII 21, 3 § 1 . 418[11]
XLIX 8, 1 § 2. . . 407[3]
XLIX 18, 25 pr.. . 405[5]
L 1, 17 § 12. . . . 405[11]
L 1, 21 § 5 . . . . 405[11]
L 2, 6 § 3. . . . . 417[10]
L 4, 3 § 9. . . . . 405[11]
L 4, 6 § 2. . . . . 405[11]
L 4, 7 pr. 405
L 7, 5 § 3. . . . . 407[11]
L 15, 5 pr. . . . . 401[6]

Codex

I 3, 25 § 1 . . . . 401[1]
I 51, 13. . . . . 394[3]
II 12. 24 . . . . . 395[2]
II 15, 2 § 2 . . . . 411[4]
II 44, 2 § 2 . . . . 419[10]
II 55, 5 § 3 . . . . 400[1]
II 58, 2 pr. . . . . 395[1]
III 1, 12 § 1. . . . 396[1]
III 1, 14 § 4. . . . 395[1]
III 1, 16 . . . . . 396[1]
III 6, 2. . . . . 400[3]
III 9, 1 . . 394[2] 402 410[1]
III 15, 1 . . . . . 407[11]
IV 19, 19. . . . . 395[11]
IV 21, 2 . . . . . 408[1]
IV 21, 21 § 1 . 404[3] 416[12]
VII 39, 3 § 1 . 400[1] 401
VII 39, 4 § 2 . . . 402[4]
VII 39, 7 § 5 . 400[1] 401[6]
VII 43, 7 . . . . . 401[11]
VII 51, 2 . . . . . 400[1]
VII 70, 1 . . . . . 396[1]
VIII 4, 8 . . . . . 417[1]

Digitized by Google

VIII 13, 10 . . . . 402[1]
VIII 35, 12 . . . . 395[11]
VIII 35, 13 . . . . 395[10]
IX 1, 1 . . . . . 411[4]
IX 1, 2 pr. . . . . 410[9]
IX 1, 3 pr. . . 404[1] 416[11]
IX 1, 7 . . . . . 405[8]
IX 1, 10 . . . . 404[1] 414
IX 1, 12 pr. . 410[9] 414 417[5]
IX 1, 19 . . . 404[1] 411[4]
IX 2, 6 pr. . . . . 407[4]
IX 2, 6 § 1 . . . . 407[3]
IX 2, 7 . . . . . 417[2]
IX 2, 8 . . . . . 411[4]
IX 2, 13 . . . . . 414[9]
IX 2, 16. . . 404[1] 416[11] 417[1]
IX 2, 17. . . 414[9] 415[6] 415[9]
IX 3, 2 . . . . . 414[1]
IX 4, 6 § 4 . . . . 405[3]
IX 4, 6 § 5 . . . . 405[2]
IX 6, 5 . . . . . 418[11]
IX 9, 6 § 1 . . . . 418[6]
IX 9, 12 . . . . . 408[4]
IX 9, 14 . . . 407[11] 408[2] 409[12] 411[1].
IX 9, 15 pr. . 407[8] 408[5]
IX 9, 16 pr. . . . 407[11]
IX 9, 16 § 1. . . . 418[1]
IX 9, 29 . . . 414[9] 414[11] 417[3] 417[11] 418[1].
IX 9, 32 . . . 407[11] 409[11]
IX 20, 3 . . . 410[9] 416[2] 416[11]
IX 22, 22 . . . 403[5] 406[2] 416[12]
IX 22, 23 . . . . . 416[22]
IX 37, 1 . . . . . 417[1]
IX 40, 1 pr. . . . 407[9]
IX 40, 2 . . . . . 408[1]
IX 42, 1 . . . . . 407[11]
IX 43, 2 . . . . . 407[11]
IX 44, 1 . . . 405[10] 407[11]
IX 44, 2 . . . 404[1] 406[2]
IX 44, 3 . 403[2] 404[5] 405[1]
IX 45, 1 . 404[6] 404[7] 411[4]
IX 45, 2 . . . 410[9] 417[1]
IX 46, 2 pr. . . . 417[6]
IX 46, 7 . . . . . 414[1]
IX 50, 2 . . . . . 418[11]
X 1, 1 . . . . . 405[3]
XII 29, 3 pr., § 2 . . 403[4]
Novellae 53 c. 3 pr. . . 396[1]
53 c. 3 § 2 . . . . 395[9]
53 c. 4 pr. . . . . 403[10]
80 c. 7 . . . . . 416[12]
117 c. 8 § 2. . . . 418[8]

VIII. Ius Graeco-Romanum
Theophilus IV 406 . . . 409
Basilica 7. 1. 1 (sch.) . 394[3]
52. 1. 32 . . . . . 401[8]
60. 1. 28 (sch. 1) . 396[2]
60. 26. 1 (sch. 2) . 415[3]
60. 26. 3 (sch. 2). . 415[3] 415[3]
60. 26. 6 (sch. 2) . 415[3]
60. 26. 7 (sch. 1). . 415[3] 418[9]
60. 33. 19 (sch. 1). 408[5]
60. 33. 21 (sch. 3). 411[4]
60. 34. 25 (sch. 1). 417[4]
60. 34. 26 (sch. 1). 417[4]
60. 37. 56 (sch. 1). . 408[3] 408[6].
60. 37. 56 (sch. 2). 408[6]
60. 64. 5. . . . . 407[11]
Novellae Leonis 107 . . 419[1]

IX. Ius Canonicum
Syn. Constantinop.. 413[7]
c. 3 Ca. 2 qu. 8. . 414[9]
c. 5 X 1. 38. . 415[5] 420[3]
c. 24 X 5. 1. . . . 420[3]
c. 31 X 5. 3. . . . 420[3]

X. Ius Germanicum
Leges barbar.
Burg. 7, 8, 77. . . . 419[2]
Visigoth. Recesw.
VI 1 § 2, § 5 . . . 419[3]
VII 2 § 23. . . . . 419[3]
XII 2 § 9 . . . . . 419[3]
Formulae
Turon. 29. . . . . 419[4]
Extrav.
I 4. . . . . 419[6]
I 5. . . . . 419[6]
I 6. . . . . 419[5]
Établissements. . . . . 415[12]
Livre des droiz . . . . 415[13]

Digitized by Google

DE ARTE CRITICA.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Argumentum illud retractare mihi liceat, quod I. I. Hartman v. c. in hac Bibliotheca nuper disputatione elegantissima lepidissimaque persecutus est. At, hercle, gravissimum verbum retractandi, quod inconsiderate posui, iam statim periculum mihi creare video quod ut scriptor caveat ipso initio ille monet, ne scilicet ipsa libelli inscriptio arrogantiae moveat suspicionem. Quapropter ne apud legentem maior incepti mei exoriatur exspectatio sive verbo minus idoneo seu titulo infinito deceptum, me res novas non allaturum esse praemoneo, tantummodo meam qualemcumque opinionem expositurum de ratione, qua in arte critica exercenda utendum esse mihi videatur. Etsi enim multis partibus Hartmanno consentio, de nonnullis variae nostrae sunt discrepantesque sententiae. Argumentationem meam aequi bonique consulat.

Emendationibus igitur tam palmaribus quam dubiis vel improbabilibus prolatis demonstrare conatus est 1° artem criticam certis definiri et constringi legibus non posse, 2° si quis locum emendare velit, operam ei dandam esse ut *totus* evadat sanus salvusque; sin minus, h. e. si praeterea dubii aliquid restet, locum corruptum omnino esse relinquendum. E quibus illud nemo non ei concedet; hoc vero non semper et ubique verum iustumque esse arbitror, quandoquidem fieri posse opinor ut correctio, quae aut ex parte modo bona est aut non suc-

Digitized by Google

cessit, aliis viam monstret ad totum locum in integrum restituendum. Ceterum rebus nonnullis, quas in disputatiuncula sua pronuntiavit, singulatim ante respondebo quam ipse quoque de artis criticae methodis dicere incipiam.

Hartman autem de palaeographia locutus est nullo discrimine inter Graecam et Latinam facto. Quas cum promiscue habuerit atque e Latinis quoque codicibus mss. exempla sua deprompserit, hunc mihi primum iniecit scrupulum. Rogare velim, num vitia in codicibus Latinis a librariis commissa revera iudicio sive menti eorum tantum non omnia imputanda sint, ut pag. 233 affirmavit. Vix ac ne vix quidem credo, quoniam constat, e codicibus Latinis haud paucos exaratos esse ab hominibus, qui linguam aut non multum intellegerent aut prorsus ignari eius essent atque rudes, ita ut labor scribendi sine mente ac ratione, sine iudicio ullo processerit.

Deinde hoc animadvertendum esse censeo.

Quod fontem primarium omnium in codicibus errorum positum esse ducit in librariorum oscitantium iudicio eum perpulisse puto ut Cobetum immerito reprehenderet, quod, si coniecturam aliquam improbabilem refutare vellet, exclamare soleret: „*Callistratus:* legendum videtur *Philonides*".

Mihi vero persuasum est, Cobetum, virum salis facetissimi, dicacitate illa coniecturis illudere voluisse, quae nullam probabilitatem palaeographicam prae se ferrent, non infitiari studuisse, tales esse errores quales Hartman significat: si quisquam, Cobetus novit rem criticam agenti hoc memoria tenendum esse, quod nomina et vocabula nonnumquam pro veris sive consulto seu casu substituta sunt. An pios monachos ei excidisse verisimile est, qui cum nomen sibi sacrum *Lateranus* apud Iuvenalem (VIII 147) profanatum putarent, nomen *Damasippus* pro eo pinxerunt, vel pudicos illos, qui ubicumque in codice Thuaneo Martialis epigrammatum vocabulum *cunnus* exaratum erat, id perhorrescentes induxerunt et nusquam non pro eo posuerunt *monstrum*? Istae corruptelae, quae consulto et cogitatae factae sunt, lippis ac tonsoribus notae sunt. Similiter scribae locos permultos depravarunt oculorum errore perducti vel arbitratu suo, veluti qui in Propertii codice Daventriensi pro nominibus ethnicis sibi minus compertis

Digitized by Google

nomina dedit Christiana celebratiora: *Adriana* pro *Ariadne*, *Herodias* pro *Heroidas*, *Thessalonica* pro *Thessalia*.

Non inquam! Cobetus illo „*Callistratus*: legendum videtur *Philonides*" non generatim atque universe locutus est, verum eas modo coniecturas perstringere studuit, quae a mera libidine profectae omni probabilitate palaeographica carerent. Nempe cum ars critica certis legibus definiri et constringi nequeat, ut Hartman iure constituit, tum sunt „certi denique fines", quos migrare critico non licet. Id Robinson Ellis egregie commonstravit, cum Housmanni editionis Manilianae censuram scripsit (Hermathena 1904), cuius verba Latine sic refero:

> Nostra aetate artis criticae fines terminique multo certiores constituti sunt („bounded far more straitly") quam Bentlei et Marklandi temporibus. Id praecipue effecit Lachmanni, Madvigii, Cobeti auctoritas. Illi tantum sibi sumebant indulgebantque quantum neque Lachmannus neque Madvigius neque Cobetus umquam ausus esset. Cuius rei causa est, quod palaeographia interim ad genus quoddam disciplinae progressa est. Nunc codices mss. nos docent, quid in coniecturis inferendis liceat, quid non. Inde fit ut multa ex iis, quae Bentleius et Marklandus proposuerunt, sine mora nunc reiciantur — non quo secundum grammaticam vel consuetudinem sermonis Latini minus probabiles videantur, sed quia propter causas palaeographicas aliena sunt a nova doctrina. Hoc „evangelium" nostrorum dierum licet acerbe sonet, nihilominus promulgetur!

Rem acu tetigit neque opus est ut moneam ne Ellisium quidem significare voluisse, locum nullum iam superesse eiusmodi emendationibus, quas Hartman indicavit.

At ista leviora sunt: ad quaestionem iam venio graviorem, de qua inter nos dissidemus. In ipsa quidem commentatione, quae argumentum dedit meae disputatiunculae, eam non movit, sed alibi saepius sententiam suam de ea aperuit nec non in actis diurnis novis, quae Roterodami emittuntur, nuper eam denuo professus est in sermunculo iucundissimo, quem „*Vereenvoudige Philosophie*" inscripsit sive „Philosophia ad sanitatem rectamque viam reducta." In eo vide-

Digitized by Google

licet, cum de emendationibus agit palmaribus, haec fere posuit:

> Talia autem inventa — siquidem praeclara sunt — non quaeruntur via ac ratione logica: sponte sua manifesto apparent.

Atque paulo inferius iterum affirmavit:

> Pulchrum inventum — atque certa emendatio in pulcherrimorum numero ducenda est — non reperitur quaerendo: quasi extrinsecus alicui succurrit. Non debetur perspicientiae (inzicht), immo vero instinctui (ingeving).

Ergo quod in nostra rei criticae parte artem argumentandi prorsus iam excipiendam atque omnes eximias emendationes divinationi assignandas esse enixe asseverat, id mihi quidem persuadere numquam potuit atque ex ipsa Hartmanni disputatione argumentum sumam quo eius sententiam refellam.

In emendatione igitur illa palmari (θυΐαν pro θύραν in Luciani Philopseude) enarranda certiores nos facit, quo modo veram ac genuinam lectionem post tot saecula tandem restituerit, atque ita argumentatur (pag. 231): „primum mirabar quod hic τὴν θύραν in singulari legeretur numero, nam Aesculapio (legendum est: Hippocrati!) illi, si *totas* perambularet aedes, non unam sed plures fuisse movendas ianuas. Sed statim mihi in mentem venit θύραν non posse περιτρέπεσθαι, quoniam περιτρέπειν non esset *convertere* sed evertere et humum deicere. Ergo reponi debere aliquid quod et in quavis adesset officina medica (quod articulo τήν declararetur), ibi in loco esset superiore positum, postremo quod ibi in suo esset genere *solum*. Quid multa? Haec omnia in τὴν θυΐαν competere intellegebam idque esse reponendum."

Quibus perlectis facere non possum quin exclamem: Istud tibi, Hartmanne, quis non credat? At bona tua venia dixerim, non instinctu afflatuque quasi divino manum Luciani revocasti: obloquitur tanta ista accurataque argumentatio! Immo, ingenio tuo acutissimo ac disserendi subtilitate ad eventum prosperrimum pervenisti atque hunc spectandi, cogitandi, ratiocinandi cursum continuum, etiamsi perneges, in locis omnibus corruptis resarciendis efficacem esse aio: sane modo caute pedetemptimque procedit, modo fulminis instar ruit micatque ita ut instinctus esse videatur.

Digitized by Google

Omnis explorandi ratio multis ad finem ducentibus viis est nixa, e quibus qua potissimum ad metam perventurus sit (siquidem contingat!) praesciscere critico non datur. Enodata demum quaestione si vestigia ingenii sui diligentissime relegerit, constituere poterit, quibus usus ambagibus quaque tandem recta via progressus sui compos factus sit propositi. Etiam atque etiam repeto: multis itineribus fata in re critica decurrunt neque ullum parvi facere et neglegere licet — ne illud quidem quod Hartman saepius iam salse derisit idque merito, si quidem adulescentes semiperiti ac semidocti eo utebantur omnibus aliis prorsus praetermissis. Illud volo quod in eodem de philosophia compendiaria sermunculo ludificatur (pag. 232 sq.).

At quid tandem facit ut ratio illorum discipulorum arte palaeographica ita ridicule abutentium hominibus leporis et festivitatis capacibus risum moveat, tristiores vero morososque exacerbet?

Hoc est quod adhibebant eam pueri immaturi nec non adhibebant multis aliis *necessariis* rationibus non simul atque ante temptatis, quibus admovendis fere eos pares non fuisse suspicor.

At, hercle, vero non ipsa ratio sive ridicula sive contemnenda est: nempe eam quicumque locum mutilatum sanare conatur adhibere solet nec non Hartman adhibuit in lectione Lucianea reparanda, quamquam rationis ipsius rationem sibi non reddidit. Rem demonstrare mihi liceat.

Cum iam sibi constaret mendosam esse scripturam *τὴν θύρκν*, statim sibi in mentem venisse dixit reponi debere aliquid quod et in quavis adesset officina medica (quod articulo *τήν* declararetur), ibi in loco esset superiore positum, postremo quod ibi in suo esset genere solum, quae omnia in *τὴν θυίκν* competere intellegeret. At inferat quispiam, ista omnia in plura instrumenta competere quae in quavis medicina praesto sunt, in trutinam, in lucernam, in alia: cur tamen mortarium maluerit? Ad quod non possit non respondere: quoniam illorum nomina vocabulo tradito quod est *θύρκν* ductibus litterarum dissimilia sunt, cum scribendi error quo *θυίκν* in *θύρκν* abierit in promptu sit. Ergo ipsum vocabulum corruptum animum Hartmanni et mentem coërcuit, lineolae illae rectae et obliquae, quae nihili

Digitized by Google

ei videntur, phantasiam intra certos continuerunt terminos, oculos de vocabuli imagine nusquam deiecit, immo fixa et intenta acie eam intuitus est donec lectionem sinceram emergere videret.

Ut vero aliter Erasmus, aliter pueri Terentium legunt, ita inter Hartmannum et adulescentulos illos hoc maxime interest, quod ille tempus aucupatus est ut litterarum apices ad usum transferret, cum his earum investigatio èt initium esset artis criticae èt finis.

Quibus expositis illos iam nunc confutasse mihi videor qui forte contradicere velint: „Esto! verumtamen utraque opinio bona esse potest: altera alteram non tollit; alius enim alia ratione utetur, pro sua quisque indole et ingenio", atque abunde iam me demonstrasse confido, quamvis emendationem ex his tribus rebus profectam esse quae sunt: omnium quae ad scriptorem eiusque dictionem pertinent intima cognitio, subtilis argumentandi ratio, rei palaeographicae notitia accurata.

Neve haec quoque disceptatio suis exemplis careat, in beneficii et gratiae loco peto ut emendationem apud Vergilium meo quidem iudicio evidentem resuscitare mihi liceat, quae, praecipue artis palaeographicae ope a me reperta, plus quam viginti iam annos in angello obscuro sepulta iacet [1]).

Poeta autem in libro Aeneidos octavo arma describit, Aeneae a matre donata, et clipeum a Vulcano confectum, „clipei non enarrabile textum", fuse nobis pingit vs. 626 sqq.:

Illic res Italas Romanorumque triumphos,
Haud vatum ignarus venturique inscius aevi,
Fecerat Ignipotens.

Verba igitur *Haud.... aevi*, quae versum 627 complent, Vulcani cognomini apposita sunt. De quo versu quae sint sententiae diversae primum videamus. Servius annotavit, quibusdam videri hunc versum omitti potuisse, id quod nemo negabit, sed quoniam causa iusta nulla est, nemo umquam eum spurium esse censebit. Codices tres exhibent *fatum*, sed non contrahi genitivum *fatorum* in *fatum* Gossravius iure observat: *fatum* igitur nescio cuius coniectura est, qui lectio-

1) Progr. Gymnas. Lugduno-Bat. 1899—1900 p. 49.

Digitized by Google

nem *vatum* damnaret. Peerlkampii propositum *fati* omnino respuendum esse nemo non videt: quis ita potuit somniare ut pro *fati*: *vatum* scriptum putaret? Melius quis *rerum ignarus*, quod VIII 730 legitur, proposuerit!

Quicumque locum attente considerarit, perspiciet agrum fertilem hic patere coniecturis diversis, quae singulae lectionem praebeant egregiam, sed originem corruptelae obscuram inexplicatamque relinquant, cuius rei lectio trium codicum *fatum* et Peerlkampii coniectura *fati* documenta iam sunt.

Gossravius lectionem traditam tuetur, *vatum* genitivum partitivum esse perhibens, quem etiam a positivo pendere affirmat, sed exempla neque ipse attulit neque ego adhuc invenire potui.

Loco accuratissime perpenso hoc quidem mihi quoque constabat necesse esse ut in uno vocabulo *vatum* vitium lateret. Persuasum habebam aliud vocabulum eius locum olim tenuisse, quod obscure scriptum cum esset librario, cui in mente haereret IV 65: *heu vatum ignarae mentes*, vocabuli *vatum* praebuisset speciem. Inops consilii forte mihi *vatum* scriptum fingebam ut in codicibus mss. exarari solet, quo facto facile primo obtutu e litterulis *avium* legere mihi videbar. Lineolas nimirum rectas obliquasque dum intuebar, simul memor eram litterarum V et A commutatarum atque T et I confusarum, quarum Ribbeck in Proleg. Crit. p. 236 et 256 multa exempla contulit.

Restituta iam vera lectione:

Haud AVIVM ignarus venturique inscius aevi

Vergilio novam Homeri imitationem reddiderimus, nam Od. I 202 legitur:

οὔτε τι μάντις ἐὼν οὔτ' οἰωνῶν σάφα Ϝειδώς.

Usque ad hunc diem obstinate credo Vergilium ita scripsisse. Quod si non fiducia fallax animum meum tangit, emendatio huic uni rei debetur, quod litteras capitales VATVM fixo intentoque animo intuebar, ceterum — cum ad hanc rationem decurrerem, senseram nullum aliud mihi superesse perfugium!

Cum vero contentio nostra poscere videatur, ne desit exemplum earum emendationum, quae sola arte argumentandi prolatae sunt, ignoscas mihi, optime lector, si inventum alterum, ante

Digitized by Google

haec quinque lustra a me evulgatum [1]), recoctum appono; ad rem enim illustrandam nunc quidem coniectura aptior mihi nulla est. Apud Curtium Rufum (X. 1. 19) haec leguntur:

> Igitur Mesopotamiae praetoribus imperavit, materia in Libano monte caesa devectaque ad urbem Syriae Thapsacum septingentarum carinas navium ponere: septiremis omnes esse deducique Babylona. Cypriorum regibus imperatum, ut aes stuppamque et vela praeberent.

Lectio *septiremis* vel *VII remis*, quod MSS praebent, hisce de causis corrupta est: primo *septiremes* sive *hepteres*, ut dicebantur, rarissima erant navigia neque verisimile est, ne ridiculum dicam, Alexandrum totam classem earum navium aedificandam curavisse; deinde alterum exemplum non exstat classis tam ingentis, quae ex uno eodemque navium genere tota constaret: semper et ubique *triremibus* parvus numerus navium maiorum adiungebatur, unde fieri non potest ut pro VII alius quidam numerus fuerit; denique hoc suspicionem movet quod voc. *septiremes* in litteris Latinis ἅπαξ εἰρημένον est, cum praesertim MSS tantum *VII remis* exhibeant. Quoniam igitur vocabulum corruptum esse constat, Curtii narrationem de classe aedificanda ordine sequamur.

Primum Alexander materiam caedi iubet devehique ad Thapsacum, unde carinae ponantur septingentarum navium. Porro, VII remis omnes esse deducique Babylona. Denique Cypriorum reges aes stuppamque et vela praebere iubentur.

Videmus igitur, Curtium nobis tradidisse originem materiae, aeris, stuppae, velorum, h. e. rerum paene omnium, quibus ad naves construendas opus est. 'Paene' inquam, nam remi unde venerunt, princeps illud naves promovendi subsidium? De iis mentionem fieri nullam eo magis miramur, quod origo velorum, quibus in re nautica antiquorum secundae demum partes assignatae erant, expressis verbis memoratur. Nempe eo quod naves omnes septiremes esse iussit nondum dixit ut remi eis adderentur.

Equidem rem quam desideramus latere credo in verbis *VII remis omnes esse*. Qua de causa *remis* non partem postremam

---

1) Classical Review Vol. VIII (1894) p. 445.

Digitized by Google

adiectivi in acc. plur. esse existimo, sed ablativum pluralem substantivi *remus*, neque dubium iam videtur, quin numerus VII, qui in codicibus omnibus ante *remis* nunc legitur, corrupta sit lectio praepositionis *cum*, ita ut legendum esse censeam: *cum remis omnes esse*, vel *in* ad analogiam locutionis quae est *in armis esse*.

Ad Ovidii Met. III, 16.

Vix bene Castalio Cadmus descenderat antro,
incustoditam lente videt ire iuvencam
nullum *servitii* signum *cervice* gerentem.

Credamusne Ovidium *kervike* pronuntiasse?

I. I. H.

Ad Ovidii Met. XIII, 133.

quis magno melius succedat Achilli
quam per quem magnus Danais *successit* Achilles?

Non lusus verborum hic est, sed merae sunt ineptiae. Quomodo enim, obsecro, *successisse* Danais dici potest Achilles? L. *accessit* cf. III 691 *accessi sacris*. Dittographia male correcta per multa saecula legentes ludibrio habuit.

I. I. H.

Digitized by Google

QUAE RATIO INTERCEDAT INTER LUCRETIUM ET PRUDENTIUM.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I. f.

Maxime memorabile est inter Lucretium et Prudentium, poetas didacticos Latinos, primum et postremum, magnam similitudinem esse non solum quod attinet ad ingenium rationemque eorum operum, sed etiam a personis ipsis. Nam sicut iam provectus aetate Hispanus ille vates quaestiones theologicas satis graves lectoribus Christianis statuit tractare poematis prolixis, ita Lucretius maturus annis Romanis fusius subtiliusque exposuit partem praecipuam Epicuri doctrinae. Et Lucretius et Prudentius suum esse iudicavit aequales avertere ab erroribus iisque veritatis viam monstrare. Uterque cum — ut Horatii verbis utar — poetica mella manaret, rem de qua agebat, quamvis arida videretur, divino quodam spiritu instinctus persequebatur. Lucretius Epicuri rationem de Rerum Natura in *sex* carminibus explicavit etiam atque etiam refellens sectam Stoicam aliosque adversarios. Quattuor autem Prudentii poemata Apotheosis, Hamartigenia, duo libri Contra Symmachum argumenta sua hauserunt aut ex Tertulliani tractatibus aut e duabus Ambrosii epistulis. Accedit quod allegorice in Psychomachia triumphus virtutum et fidei uberius canitur. Denique pertinet quodammodo ad poesim didacticam carmen decimum libri Peristephanon: hic enim non tantum Romani martyrium celebratur, verum etiam longissimum illud carmen vehementer paganos impugnat defenditque religionem Christianam. *Sex* igitur opuscula didactica a Pru-

Digitized by Google

dentio quoque scripta esse haud immerito quispiam contenderit. Iam vero quamvis Prudentii opinio de divinis humanisque rebus abhorreret a Lucretii sententia, tamen uterque vitam simplicem laudabat semel usus eadem locutione *parce vivere* (Lucr. V 1118 = Psychom. 554) [1]).

Cum Lucretio, qui cecinit II 20—21

ergo corpoream ad naturam pauca videmus
esse opus omnino, quae demant cumque dolorem

vel depinxit, quemadmodum parvo pretio homines ruri voluptatem percipere possent II 31—33

non magnis opibus iucunde corpora curant,
praesertim cum tempestas arridet et anni
tempore conspergunt viridantis floribus herbas

bene congruunt Prudentii verba (Hamart. 330—331)

Felix qui indultis potuit mediocriter uti
muneribus parcumque modum servare fruendi.

Quivis certe Epicureus ἀταραξίαν pro summo bono habens pangere potuisset hosce versus (Psychom. 609—613)

Summa quies, nil velle super, quam postulet usus
610 debitus, ut simplex alimonia, vestis et una
infirmos tegat ac recreet mediocriter artus,
expletumque modum naturae non trahat extra.

Consentaneum est a Lucretio nullum vitium vehementius oppugnatum esse quam luxuriam e. g. V 1007—1008 (ubi inopiam pristinam et suorum aequalium lautitiam inter se opponat)

tum penuria deinde cibi languentia leto
membra dabat, contra nunc rerum copia mersat.

Verum multo latius in eandem sententiam disputavit V 1423—1429

tunc igitur pelles, nunc aurum et purpura curis
exercent hominum vitam belloque fatigant;
1425 quo magis in nobis, ut opinor, culpa resedit.
frigus enim nudos sine pellibus excruciabat
terrigenas; at nos nil laedit veste carere

1) Numeri sunt editionis Lucretianae, quam curavit Bailey, Prudentianae, quam curavit Dressel.

Digitized by Google

purpurea atque auro signisque ingentibus apta,
dum plebeia tamen sit quae defendere possit.

Idem tamen imprimis invectus est in mulieres, quae ab amatoribus munera pretiosissima flagitabant, sunt autem verba notissima ipsius poetae IV 1125—1132

pulchra in pedibus Sicyonia rident
scilicet et grandes viridi cum luce zmaragdi
auro includuntur teriturque thalassina vestis
assidue et Veneris sudorem exercita potat.
et bene parta patrum fient anademata, mitrae,
interdum in pallam atque Alidensia Ciaque vertunt.
eximia veste et victu convivia, ludi,
pocula crebra, unguenta coronae serta parantur.

Viros rursus docuit sumptuosissimis conviviis opus non esse II 22—31

delicias quoque uti multas substernere possint
gratius interdum, neque natura ipsa requirit,
si non aurea sunt iuvenum simulacra per aedes
lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
lumina nocturnis epulis ut suppeditentur
nec domus argento fulget auroque renidet
nec citharae reboant laqueata aurataque templa [1]),
cum tamen inter se prostrati in gramine molli
propter aquae rivum sub ramis arboris altae
non magnis opibus iucunde corpora curant.

Prudentius quoque duplicem censuram egit, nam postquam mulieres nimis munditiis levitatique deditas acerbius obiurgavit hisce versibus (Hamart. 266—276)

Ac velut artificis Domini manus inperfectum
os dederit, quod adhuc res exigat aut hyacinthis
pingere sutilibus redimitae frontis in arce,
colla vel ignitis sincera incingere sertis,
auribus aut gravidis virides suspendere bacas,
nectitur et nitidis concharum calculus albens
crinibus aureolisque riget coma texta catenis.
Taedet sacrilegas matrum percurrere curas,

1) *Templa* servandum est neque rscte distinxit Bailey.

Digitized by Google

muneribus dotata Dei quae plasmata fuco
inficiunt, ut pigmentis cutis inlita perdat
quod fuerat, falso non agnoscenda colore.

mollibus effeminatisque viris hanc notam inussit (Hamart. 285—297)

Sed pudet esse viros, quaerunt vanissima quaeque,
quis niteant, genuina leves ut robora solvant:
vellere non ovium, sed Eoo ex orbe petitis
ramorum spoliis fluitantes sumere amictus
gaudent et durum scutulis perfundere corpus.
Additur ars, ut fila herbis saturata recoctis
inludaut varias distincto stamine formas.
Ut quaeque est lanugo ferae mollissima tactu,
pectitur: hunc videas lascivas praepete cursu
venantem tunicas, avium quoque versicolorum
indumenta novis texentem plumea telis:
illum pigmentis redolentibus et peregrino
pulvere femineas spargentem turpiter auras.

Ne hac quidem pictura contentus poeta Christianus induxit in Psychomachia Luxuriam vehentem in splendidissimo curru pugnantemque violis rosis calathis contra Sobrietatem. Quae virtus facile cruce oblata hostium aciei victrix e campo discessit (Psychom. 310—453).

Constat Lucretium Epicuro auctore saepe de aliis philosophorum sectis, praecipue de Stoicis, severum tulisse iudicium, vicissim confitendum est ab eodem censore digno adversario magnum honorem habitum esse. Non dubitavit, ut exemplo utar, aliquot versus Euripidis, Anaxagorae interpretis, vertere (II 991 sqq.) etsi bis patrem ὁμοιομερείας refellit.

Idem poeta ausus non est Democriti dogma redarguere nisi verbis praemissis III 371

Democriti quod sancta viri sententia ponit.

Quorum omnium neminem magis laudibus extulit quam Empedoclem, cuius patriae Siciliae descriptio excipitur hisce versibus I 729—733

nil tamen hoc habuisse viro praeclarius in se
nec sanctum magis et mirum carumque videtur.
carmina quin etiam divini pectoris eius

Digitized by Google

vociferantur et exponunt praeclara reperta,
ut vix humana videatur stirpe creatus.

At Prudentius non ante rettulit, quomodo Iulianus (Apotheos. 453)

amans tercentum milia divum
Perfidus ille Deo

malo omine sacra faceret, quam praemisit ipse quoque hoc praeconium imperatoris (Apotheos. 450—452)

ductor fortissimus armis,
conditor et legum, celeberrimus ore manuque
consultor patriae.

Quin etiam Prudentius Symmachum ipsum, quo nemo tunc defensor religionis Romanae fuit peritior, contra quem maxima cum cura duos libros scripsit, allocutus est sic (Contra Symm. I 632—634)

O linguam miro verborum fonte fluentem,
Romani decus eloquii, cui cedat et ipse
Tullius, has fundit dives facundia gemmas!

Transeamus ad alias similitudines. Non solum Lucretius, sed etiam Prudentius de magnitudine solis pauca docet, ille sic (V 564—565)

Nec nimio solis maior rota nec minor ardor
esse potest, nostris quam sensibus esse videtur,

hic (Contra Symm. I 314) ad hunc modum:

et, quod nemo negat, mundo caeloque minorem.

Praeterea qnod de sole legimus paulo supra (Contra Symm. I 311)

conditio inposita est *vigilem* tolerare laborem

videtur declarare Prudentio obversatos esse versus Lucretianos V 1436—1437

at *vigiles* mundi magnum versatile templum
sol et luna suo lustrantes lumine circum. —

Religio Romana non minus Lucretio quam Prudentio prava superstitio erat, tamen omnium cultuum Lucretius videtur Magnam Matrem minime sprevisse. Hinc nimirum vividissima illa pompae pictura (II 600—643), e qua colligere possis auctorem miseritum esse et sacerdotum et hominum valde credulorum. Prudentius in illo poemate lyrico-epico, de quo iam diximus, diserte ter (Perist. X 154—160; 196—200;

Digitized by Google

1056—1085) legentes monuit, ne Matrem Idaeam vel „lapidem nigellum" (vs. 156) colerent, praesertim autem studuit depingendo sollemni Taurobolio (quod iam inde a temporibus Antonini Pii cum cultu Magnae Matris coniunctum erat) fideles absterrere a religione profana (Perist. X 1011—1050).

Decimum illud carmen libri Peristephanon semper maximam admirationem movet lectoribus non intellegentibus, quomodo fieri potuerit ut martyr, cum ei primum membra praefracta (vs. 121), deinde mentum et facies desecta (vs. 560), postremo lingua et gutturis pars a medico scalpello excisa essent (vs. 901), pergeret cogitare et loqui. Una saltem res videtur singularem Prudentii narrationem aliquatenus explanare posse. Haud enim scio an poeta memor fuerit versuum Lucr. III 402—407

at manet in vita cui *mens animusque* remansit.
quamvis est circum caesis lacer undique membris
truncus, adempta anima circum membrisque remota
vivit et aetherias vitalis suscipit auras.
si non omnimodis, at magna parte animai
privatus, tamen in vita cunctatur et haeret.

Bene perspexit uterque poeta metu saepe religionem natam esse, id quod elucet tam e Lucr. V 1218—1221

praeterea cui non animus formidine divum
contrahitur, cui non correpunt membra pavore,
fulminis horribili cum plaga torrida tellus
contremit et magnum percurrunt murmura caelum

quam ex iis quae profert Theodosius (Contra Symm. I 449—454)

Sint haec barbaricis gentilia numina pagis,
quos penes omne sacrum est, quidquid formido tremendum
suaserit, horrificos quos prodigialia cogunt
credere monstra deos, quos sanguinolentus edendi
mos iuvat, ut pinguis luco lanietur in alto
victima visceribus multa inter vina vorandis.

Ergo improbavit Prudentius sacrificia cruenta, quae ut damnaret Lucretius, panxit hosce versus pulcherrimos V 1201—1203

(nec pietas ullast)
nec aras sanguine multo
spargere quadrupedum nec votis nectere vota
sed mage pacata posse omnia mente tueri.

Digitized by Google

Locus Prudentianus (Hamart. 892—909) ubi enodatur, quemadmodum mens secundum quietem quasi aberret a corpore cernatque res remotas, deinde vigilans totum mundum pervestiget, videtur scriptus esse inspirante Musa Lucretiana, utique Lucretii verbis III 26

nec tellus obstat quin omnia dispiciantur

respondet hic versus Prudentii (Hamart. 905)

obiacet interea tellus, nec visibus obstat [1]).

Aliam similitudinem magis a rebus quam a verbis sine ullo negotio reperire possis inter (Contra Symm. II 318—319)

infantia repit,
infirmus titubat pueri gressusque animusque

et Lucr. III 447—448

nam velut infirmo pueri teneroque vagantur [2])
corpore, sic animi sequitur sententia tenvis [3]).

Tum sic pergit Prudentius vs. 321

mox stabilita venit maturi roboris aetas,

quo cum versu conferri licet Lucr. III 449

inde ubi robustis adolevit viribus aetas.

Sed quae deinceps leguntur apud utrumque, inter se discrepant, cum Lucretius statuat in senectute mentem paulatim imminui debilitarique Prudentius vigere consiliis purgarique.

Colorem Lucretianum facile unusquisque deprehendet in hoc Prudentii versu (Apoth. 517)

quod fieri recipit, recipit quandoque perire.

Idem cadit in hanc stropham anapaesticam Cath. X 13—16

Quia cuncta creata necesse est
labefacta senescere tandem
conpactaque dissociari,
et dissona texta retexi.

Nunc componimus Lucr. V 243—246

quapropter maxima mundi
cum videam membra ac partis consumpta regigni,

---

1) Cf. Heinze, de Rerum Natura Buch III pag. 54.

2) Operae pretium est observare *vagantur* idem valere atque *titubare* (Heinze l.l. pag. 119). Idem fere sentit Giussani.

3) Frequentissime hoc adiectivum apud Lucretium bisyllabum est, velut I 875, II 232, III 232 cet.

Digitized by Google

scire licet caeli quoque item terraeque fuisse
principiale aliquod tempus clademque futuram.

Nonnunquam factum est, ut Prudentius locutionem aliquam a Lucretio mutuatus ipsi auctori obloqueretur [1]). Dubitari enim vix potest quin his verbis (Apoth. 723—724)

ex nihilo nulla existente creavit
mundum materia

designetur hic locus Lucretianus I 150

nullam rem e nilo gigni divinitus unquam [2]).

Diligens ut erat lector Lucretii, quem nocturna versabat manu, versabat diurna, Prudentius vidit, quantam venustatem qualemque leporem tribueret carminibus ille, cum disputationes illustrabat comparationibus maximam partem veris Homericis, ut opus suum „contingeret melle musaeo". In uno saltem poemate Prudentius magistrum conatus est imitari: in una Hamartigenia tres inveniuntur comparationes. Primum poeta satanam comparat cum latrone, qui viatore occiso praeda potitus est: sic diabolus non modo homini peccatis perdito imperat, sed etiam mundo, cuius praeses homo nimirum subversus est (vs. 208—215). Iam maiorem vim habet secundum simile, quod docet hominem ipsum ex se malum gignere, quo intereat, sicut vipera dentibus prolis in suis visceribus fusae emoritur (vs. 581 sqq.). Quoniam tertia comparatio lepidissima videtur digna stilo Lucretii, veniam peto ut totam exscribam (vs. 804—823)

Haud secus, ac si olim per sudum lactea forte
lapsa columbarum nubes descendat in arvum
ruris frugiferi, laqueos ubi callidus auceps
praetendit lentoque inlevit vimina visco,
sparsit et insidias siliquis vel farre doloso:
inliciunt alias fallentia grana gulamque
innectunt avidam tortae retinacula setae,
molle vel inplicitas gluten circumligat alas:
astutiae, quas nullus amor prolectat edendi,
gressibus innocuis sterili spatiantur in herba,

1) Idem Manilius fecit: confer Astron. I 529 cum Lucr. II 209 cet.
2) Paulum immutata sunt verba locorum parallelorum I 205 et II 287.

Digitized by Google

suspectamque cavent oculos convertere ad escam.
Mox ubi iam caelo revolandum, pars petit aethram
libera sideream plaudens super aera pennis;
pars captiva iacet, laceris et saucia plumis
pugnat humi et volucres nequidquam suspicit auras.
Sic animas caeli de fontibus unicoloras
infundit natura solo; sed suavibus istic
devinctae inlecebris retinentur et aethera paucae
conscendunt reduces, multas viscosus inescat
pastus et ad superas percurrere non sinit auras.

Iam apparuit multis in rebus Prudentium fuisse discipulum Lucretii. Quam accurate ille huius genus dicendi imitatus sit, e longa serie locutionum et verborum, quae poeta Christianus e poemate de Rerum Natura desumpsit, lucidissime clarebit. Initium facimus a Lucr. V 96

ruet moles et *machina mundi.*

Prudentius paulum modo dictionem vere Lucretianam immutans scripsit (Hamart. 247—249)

nec mirum, si membra orbis concussa rotantur,
si vitiis agitata suis *mundana* laboret
machina

Brevius quoque ei placuit dicere (Perist. X 339)

verbo creavit (sc. Deus) omniformen *machinam,*

neque minus apte (Cath. IX 13—14)

Ipse iussit et creata, dixit ipse, et facta sunt
terra, caelum, *fossa ponti*, trina rerum *machina.*

Quod attinet ad *fossa ponti*, Lucretius praeivit scribens V 482

succidit (sc. terra) et salso suffudit gurgite *fossas.*

Crebro Lucretius periphrasi usus est e. g. V 560 *vis animae* (= IV 917) vel III 397 *vis animai* (= III 638) cet.

Neque hanc figuram sprevit Prudentius, vide Apoth. 776—777

Ipse gerit, quod struxit opus, nec ferre pudescit
factor, quod peperit, corpus loquor atque *animae vim.*

Pulchre iuncturam Lucretianam *vacuum per inane* (II 202, VI 838 II, 158) Christianus poeta in suum usum convertit canens Cath. X 145

Nec, si vaga flamina et aurae
vacuum per inane volantes

Digitized by Google

tulerint cum pulvere nervos,
hominem periisse licebit.

Praeterea conferenda sunt *longum per inane* (Hamart. 924) cum (Lucr. I 1018 = 1103) *magnum per inane* et (Lucr. II 96) *per inane profundum*; (Contra Symm. I 313) *per inane volantem* cum (Lucr. II 83) *per inane vagantur*, (III 27) *per inane geruntar* cet.

Obbrutescendi verbum, quod usurpavit Prudentius Hamart. 650

Dampna aures, Pater alme, meas, et claude meatus
obbrutescentis capitis

a nullo [1]) potuit mutuari nisi a Lucretio, qui de anima professus est III 544—545

nec refert utrum pereat dispersa per auras
an contracta suis e partibus *obbrutescat.*

Iam satis est nullis versibus laudatis has imitationes afferre Cath. IX 15 *lunae globo*, Lucr. V 19 *lunaique globum.* Cath. XII 5 *solis rotam*, Perist. XIV 96 *solis... rota*; Hamart. 76 *rota sideris* (= solis), Lucr. V 432 (= 564) *solis rota.* Hamart. 344 *primordia lucis* — Lucr. I 483 *primordia rerum.*

Vapor apud Lucretium praeter unum locum (III 432) valet idem atque *calor*; ter eodem sensu ponitur apud Prudentium, vide Perist. II 345

Vapor senescens langueat
qui fusus adflatu levi
tormenta sensim temperet
semiustulati corporis.

Ceteri loci sunt Perist. II 397 et Apoth. 145. At *vapores* = ἀτμοὺς invenitur Apoth. 441

perdidit insanos mendax Dodona *vapores.*

Legimus vocem *lacunae* praeditam vi *paludis* Dittoch. 49

aspera gustatu populo sitiente *lacuna*
tristificos latices stagnanti felle tenebat;

nimirum exemplo fuit Lucr. VI 552

fit quoque ubi in magnas aquae vastasque *lacunas*
gleba vetustate e terra provolvitur ingens

sive I 115

1) Nihil est cur putemus ei exemplo fuisse Afran. 418... non possum verbum facere: obbrutui.

Digitized by Google

an tenebras Orci visat simulque *lacunas* [1]).

Item Hamart. 102 *reboanti Oceano* originem ducit a Lucr. II 28

nec citharae *reboant* laqueata aurataque templa.

Haud facile quisquam intelleget, quid sibi velit (Contra Symm. III 567) *Corvus Apollineus*, nisi meminerit huius loci Lucretiani (V 1083—1086)

et partim mutant cum tempestatibus una
raucisonos cantus, cornicum ut saecla vetusta
corvorumque greges ubi aquae dicuntur et imbris
poscere et interdum ventos aurasque vocare.

De ecclesia quadam magnam multitudinem capiente Prudentius refert haec (Perist. XI 227—230)

plena laborantes aegre domus accipit undas
artaque *confertis* aestuat in foribus,
maternum pandens gremium, quo condat alumpnos
ac foveat fetos *accumulata* sinus.

Eadem illa verba *confertus* et *accumulare* iungit Lucr. VI 1263 (loquens de Atheniensibus pestilentia mortuis)

confertos ita acervatim mors *accumulabat.*

Uterque poeta adamavit translatum usum verbi *rigandi* vel *irrigandi* e. g. Cath. VI 25

Sed dum pererrat omnes
quies amica venas
pectusque feriatum
placat *rigante sompno* (e. q. s.)

et Lucr. IV 907

nunc quibus ille modis *somnus* per membra quietem
irriget atque animi curas e pectore solvat e. q. s.

Qui plura exempla desiderat, eum relego ad Perist. I 20, X 14, XIII 10 Lucr. V 282, 594 cet.

Libido vocatur Psychom. 89 *ianua leti*, sed iam Lucretius dixit V 373

haud igitur *leti* praeclusa [2]) est *ianua.*

Similiter Perist. II 314

---

1) Contra Lucr. V 794 *lacuna* significat *mare.*

2) Haec verbo tenus imitatus est Ovid. Metam. I 662.

Digitized by Google

miris modis
per tot figuras ludimur

referendum est ad Lucr. I 123

simulacra *modis* pallentia [1]) *miris.*

Adiectivo, quod est *dius*, favet uterque poeta; equidem comparo Contra Symm. I 80—81 (ubi Prudentius loquitur de rusticitate paganorum)

pecudes inter ritusque ferinos
dedere sueta animum *diae* rationis egenum

cum Lucr. II 172 (quod est praecipuum dogma Epicureum)

dux vitae *dia* [2]) voluptas;

insuper Cath. XII 89—90

regnum quod ambit omnia
dia et marina et terrea

cum Lucr. I 22

nec sine te quicquam *dias* in luminis oras
exoritur.

Has formas, quae nisi raro non inveniuntur, adhibitas cum a Lucretio tum a Prudentio verisimile est ex illius libris in huius poesim fluxisse:

aquai Apoth. 702; Lucr. I 283, 285, 307 cet.

coelos Perist. II 372; Lucr. II 1097.

magno impete Apoth. 65. Lucr. VI 153 *impete magno* (cf. etiam Lucr. IV 416 *impete tanto*; V 505 *certo impete*; IV 903 *quantoris impete*; II 330 *valido impete*; VI 138 *impete recto* cet.).

fuant Contra Symm. I 504; *fuat* Lucr. II 383, IV 637.

reccidit Apoth. 878; Lucr. I 857, 1063; V 280.

potesse Perist. X 803; Lucr. I 665, II 225, 1010, III 319.

potis est Contra Symm. I 331; Lucr. V 1, III 468 cet.

potis es Psychom. 88.

densetur Cath. V 53; *denset* Hamart. 409; *denseri* Lucr. I 656, *densebant* V 491.

Ne quam similitudinem inter hos duos auctores praetermittamus, commemorandum nobis est utrumque multas voces Graecas [3])

1) Haec omnia ad verbum repetuntur Verg. Georg. I 477.

2) Idem fere significat V 1389 otia *dia*.

3) Etiam inscriptiones Prudentii poematum Graecae sunt, velut Apotheosis, Hamartigenia, Dittochaeon cet.

Digitized by Google

usurpasse, multa adverbia in *-im* exeuntia, multos infinitivos passivi desinentes in *-ier*. Haec omnia enumerare quid attinet? Praestat addere paucas observationes ad syntaxim et figuras pertinentes.

Verbum *insuescendi* transitive usurpatum est et a Prudentio et a Lucretio, ut declarant Cath. IX 94—95

ad brevem se mortis usum dux salutis dedidit,
mortuos olim sepultos ut redire *insuesceret*

et Lucr. IV 1280—1282

nam facit ipsa suis interdum femina factis
morigerisque modis et munde corpore culto,
ut facile *insuescat* te secum degere vitam.

Eodem modo construitur *consuescit* (Apoth. 725) et *adsuescit* (Contra Symm. I 540).

Participium praesens coniunctum cum verbo *esse* apud Lucretium aliquotiens inservit formandae coniugationi quae dicitur periphrasticae [1]) e. g. III 276—277

quod genus in nostris membris et corpore toto
mixta *latens* animi vis *est* animaeque potestas.

Adde III 396 *est... coercens* et II 1089 *generatimst abundans*. Unum certe exemplum e Prudentio proferre possumus: Hamart. 43

unum semper *erit gignens* atque unus ab uno.

Tamen non multum differt Apoth. 230

est Deus, est et homo, *fit mortuus* et Deus idem est.

Uterque poeta abusus est pleonasmis, satis habeo unum atque alterum exemplum afferre.

Legimus Lucr. V 1124

certantes *iter* infestum fecere *viai*;

Contra Symm. II 773—774

persistit tamen affirmans, *iter* esse *viandi*
multifidum variumque, Deus cum quaeritur unus;

Lucr. III 529—530

inde pedes et crura mori, *post inde* [2]) per artus
ire alios tractim gelidi vestigia leti;

1) Cf. Schmalz, Lat. Gramm. pag. 459.

2) *Tum... deinde* invenimus V 1007. Lucretius saepe copulat adverbia synonyma e. g. V 494 *pariter tantundem*, VI 319 *omnino plane*, I 1019 *sive adeo potius* cet.

Digitized by Google

Contra Symm. II 347—348

innumeros *post deinde* deos virtute subactis
urbibus et claris peperit sibi Roma triumphis.

Hoc satis innocens videtur, sed confitendum est Lucretium et Prudentium synonymis accumulandis omninoque indulgendo iterandi studio persaepe orationem reddidisse tumidam. In promptu sunt haec exempla: De angelo, qui a Deo descivit, Prudentius narrat haec Hamart. 168—170

nimiis dum viribus auctus
inflatur, dum grande *tumens* sese altius *effert*,
ostentatque suos licito *iactantius* ignes.

Contra Symm. I 427—429

omne quod ex mundo est, tibi *subiacet*, hoc Deus ipse
constituit, cuius nutu *dominaris* et orbi
inperitas, et cuncta *potens* mortalia *calcas*.

Perist. V 265

Hac ille *versutus vafra*
meditatus arte struxerat.

Lucr. VI 211—212 (loquitur de nubibus)

hasce igitur cum ventus agens *contrusit* in unum
compressitque locum *cogens*

Lucr. II 1060 (cf. V 1002) loquitur de seminibus rerum:

multimodis *temere incassum frustraque* coacta

Lucr. V 285

id *licet* hinc cognoscere *possis* [1])

Itaque non miramur utriusque carmina abundare epanalepsibus velut Psychom. 70—73

numquid et intactae *post partum virginis* ullum
fas tibi iam superest? *post partum virginis*, ex quo
corporis humani naturam pristina origo
deseruit;

Hamart. 250—252

exemplum dat *vita hominum*, quo cetera peccent,
vita hominum, cui, quidquid agit, vesania et error
suppeditant;

Lucr. V 948—951

---

1) Giussani adnotat: il tautologico *licet possis* è simile a quello di III 181.

Digitized by Google

denique nota vagi silvestria templa tenebant
nympharum, quibus e scibant umori' fluenta
950 lubrica proluvie larga lavere *umida saxa*,
umida saxa, super viridi stillantia musco;

Lucr. V 1189
per caelum volvi quia sol et *luna* videtur,
luna dies et nox et noctis signa severa.

His omnibus similitudinibus in verbis figuris rebus inter Lucretium et Prudentium perpensis consideratisque dubitare non possumus quin postremus poeta didacticus — id quod iam aliquotiens significavimus — studiosisime legerit et diligentissime pervolutaverit carmen de Rerum Natura. Id miror neminem scriptorem Historiae Litterarum Romanarum commemorasse [1]). Ceterum ne Lease [2]) quidem, qui inter exempla Prudentii enumerat Senecam, Lucanum, Silium Italicum, Statium, ullo verbo Lucretium indicat, quo tamen post Virgilium, Horatium, Ovidium Prudentius neminem poetam imitatus est saepius. Nobis Prudentius summopere videtur laudandus, quod, cum de rebus divinis humanisque prorsus aliter sentiret atque Lucretius, frequentissimis imitationibus declaravit carmen de Rerum Natura habendum esse in maxime egregiis operibus litterarum Latinarum.

1) Puech (Prudence 1888 pag. 219) et Boissier (La fin du Paganisme 1891 pag. 151 sqq.) nonnullas observationes *generales* utique de Prudentio et Lucretio fecerunt.

2) A syntactic, stylistic and metrical study of Prudentius (Baltimore 1895 pag. 72).

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, J. J. HARTMAN, C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

K. KUIPER, J. C. NABER, M. C. VALETON, I. VAN WAGENINGEN.

vol. 47

NOVA SERIES.

VOLUMEN QUADRAGESIMUM SEPTIMUM. PARS I.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1919.

Digitized by Google

INDEX

	Pag.
Observatiunculae de Iure Romano, scripsit J. C. NABER S.A.FIL.	1– 34.
De Idomeneo ac Merione, scripsit K. KUIPER	35—54.
Ad epigramma Graecum nuper in Aegypto repertum. Revue des Etudes grecques, 1915, p. 55, vs. 8, scripsit G. V. .	54.
Ad Senecae Troades, scripsit P. H. DAMSTÉ	55– 65.
Studia Epigraphica, scripsit GUILIELMUS VOLLGRAFF . . .	66—72.
Ad Senecae Phoenissas, scripsit P. H. DAMSTÉ.	73—76.
De C. Asinii Pollionis ad Antonium Transitione, scripsit IACOBUS VAN WAGENINGEN	77—83.
Polenarianum ad Hor. S. I, 4, 65, scripsit J. J. H. . . .	83.
De Aulularia Plautina, scripsit P. J. ENK	84—99.
Polenarianum ad Hor. S. II, 6, 14—20, scripsit J. J. H. . .	99.
Ammianea, scripsit C. BRAKMAN J.F.	100—110.

Digitized by Google

Bibliotheca Philologica Batava quater in anno prodibit Calendis Ianuariis, Aprilibus, Iuliis, Octobribus.

Pretium annuum erit floren. 8.—.

Singuli fasciculi separatim non venibunt.

Ii quorum disputationes huic inserentur bibliothecae gratis duodena earum accipient exempla. Qui plura cupiunt ad tempus nos faciant certiores!

Digitized by Google

Sumptibus E. J. BRILL prodierunt:

C. G. Cobet, Variae lectiones, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. Editio secunda auctior. 8°. . . *f* 7.—.

—— Miscellanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos praesertim Homerum et Demosthenem. - 7.—.

—— Collectanea critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. 8°. . . . . - 7.—.

Feestbundel Prof. Boot, Verzameling van wetenschappelijke bijdragen den 17den Augustus 1901 Prof. Dr. J. C. G. Boot aangeboden bij gelegenheid van zijn negentigsten geboortedag door eenige vrienden en oudleerlingen. gr. in-4°.. . . . . - 6.—.

Halbertsmae, Tjallingi, Adversaria critica. E schedis defuncti selegit, disposuit, edidit H. v. Herwerden. Accedit Epimetrum de Codicibus Bibliothecarum exterarum quos descripsit aut adhibuit Halbertsma. gr. in 8°. . . . . - 3.—.

J. J. Hartman, De Ovidio Poeta commentatio. 8°. . . . - 1.75.

—— Analecta Tacitea. 8°.. . . . . - 4.20.

—— De Plutarcho scriptore et philosopho. gr. in-8°. . . - 7.—.

H. van Herwerden, Lectiones Rheno-Traiectinae 8°. . . . - 1.50.

H. T. Karsten, De Commenti Donatiani ad Terenti fabulas origine et compositione. 8°. . . . . - 2.20.

Lysiae Orationes. In usum studiosae iuventutis textum constituit C. G. Cobet. Editio quarta, quam novis curis recensuit J. J. Hartman. (Editio maior prolegomenis, fragmentis, indice nominum aucta). 8°. . . . . - 2.40.

Manilii, M., Astronomica. In het Nederlandsch vertaald door J. van Wageningen. 8°. . . . . - 2.25.

E. Mehler, Luciani dialogi quatuor (Timon, Philopseudes, Verae historiae, Gallus). In usum scholarum 8°.. . . . . - 1.90.

Smits, J. C. P., De geschiedschrijver Herodianus en zijn bronnen. Een poging tot analyse van zijn werk. 8°. . . . . - 1.75.

—— Die Vita Commodi und Cassius Dio. — Eine quellenanalytische Untersuchung. 8°. . . . . - 1.75.

Matthaeus Valeton, De Iliadis fontibus et compositione. 8°. - 3.50.

Mnemosyne. — Bibliotheca philologica Batava. Edid. C. G. Cobet, T. J. Halbertsma, H. G. Hamaker, E. J. Kiehl, etc. 1852—62. 11 vol. et Appendix ad vol. 2—7. 8°. (*f* 56.50) . . . . . - 30.—.

—— Nova series, Vol. I—XIV colleg. C. G. Cobet, H. W. van der Mey, Vol. XV—XLVI colleg. S. A. Naber, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valeton, J. J. Hartman, 1873—1918. 8°. pro vol. - 5.25.

Ex officina typographica et bibliopolio quae antehac E. J. Brillii fuerunt.

Digitized by Google

JPTL

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, J. J. HARTMAN, C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

K. KUIPER, J. C. NABER, M. C. VALETON, I. VAN WAGENINGEN.

NOVA SERIES.

VOLUMEN QUADRAGESIMUM OCTAVUM. PARS IV.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1920.

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
Peerlkampiana, scripsit I. I. HARTMAN	329—338
De textu Evangeliorum in saculo secundo (continuatur e pag. 309), scripsit A. POTT	339—365
Ad Sophoclis Antigonam (continuantur e vol. XLVI pag. 367), scripsit GUILIELMUS VOLLGRAFF	366—387
Arnobiana, scripsit I. S. PHILLIMORE	388—391
Ad Ovidii Met. III, 75, scripsit I. I. H.	391
Lucretiana altera, scripsit C. BRAKMAN	392—393
Observatiunculae de iure Romano (continuantur ex pag. 182), scripsit J. C. NABER	394—424
De arte critica, scripsit P. H. DAMSTÉ	425—433
Ad Ovidii Met. III, 16, scripsit I. I. H.	433
Ad Ovidii Met. XIII, 133, scripsit I. I. H.	433
Quae ratio intercedat inter Lucretium et Prudentium, scripsit C. BRAKMAN.	434—448

Digitized by Google

Bibliotheca Philologica Batava quater in anno prodibit Calendis Ianuariis, Aprilibus, Iuliis, Octobribus.

Pretium annuum erit floren. 10.—.

Singuli fasciculi separatim non venibunt.

Ii quorum disputationes huic inserentur bibliothecae, gratis duodena earum accipient exempla. Qui plura cupiunt ad tempus nos faciant certiores!

Digitized by Google

Sumptibus E. J. BRILL prodierunt:

C. G. Cobet, Variae lectiones, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. Editio secunda auctior. 8°. . . *f* 7.—.

—— Miscellanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos praesertim Homerum et Demosthenem. - 7.—.

—— Collectanea critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. 8°. . . . . - 7.—.

Feestbundel Prof. Boot, Verzameling van wetenschappelijke bijdragen den 17den Augustus 1901 Prof. Dr. J. C. G. Boot aangeboden bij gelegenheid van zijn negentigsten geboortedag door eenige vrienden en oudleerlingen. gr. in-4°. . . . . - 6.—.

Halbertsmae, Tjallingi, Adversaria critica. E schedis defuncti selegit, disposuit, edidit H. v. Herwerden. Accedit Epimetrum de Codicibus Bibliothecarum exterarum quos descripsit aut adhibuit Halbertsma. gr. in-8°. . . . . - 3.—.

J. J. Hartman, De Ovidio Poeta commentatio.. 8°. . . . - 1.75.

—— Analecta Tacitea. 8°. . . . . - 4.20.

—— De Plutarcho scriptore et philosopho. gr. in-8°. . . - 7.—.

H. van Herwerden, Lectiones Rheno-Traiectinae 8°. . . . - 1.50.

H. T. Karsten, De Commenti Donatiani ad Terenti fabulas origine et compositione. 8°. . . . . - 2.20.

Lysiae Orationes. In usum studiosae iuventutis textum constituit C. G. Cobet. Editio quarta, quam novis curis recensuit J. J. Hartman. (Editio maior prolegomenis, fragmentis, indice nominum aucta). 8°. . . . . - 2.40.

Manilii, M., Astronomica. In het Nederlandsch vertaald door J. van Wageningen. 8°. . . . . - 2.25.

E. Mehler, Luciani dialogi quatuor (Timon, Philopseudes, Verae historiae, Gallus). In usum scholarum 8°. . . . . - 1.90.

Smits, J. C. P., De geschiedschrijver Herodianus en zijn bronnen. Een poging tot analyse van zijn werk. 8°. . . . . - 1.75.

—— Die Vita Commodi und Cassius Dio. — Eine quellenanalytische Untersuchung. 8°. . . . . - 1.75.

Matthaeus Valeton, De Iliadis fontibus et compositione. 8°. - 3.50.

Mnemosyne. — Bibliotheca philologica Batava. Edid. C. G. Cobet, TJ. Halbertsma, H. G. Hamaker, E. J. Kiehl, etc. 1852—62. 11 vol. et Appendix ad vol. 2—7. 8°. (*f* 56.50) . . . . . - 30.—.

—— Nova series, Vol. I—XIV colleg. C. G. Cobet, H. W. van der Mey, Vol. XV—XLVI colleg. S. A. Naber, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valeton, J. J. Hartman, P. H. Damsté, C. W. Vollgraff, 1873—1918. 8°. pro vol. . . . . - 5.25.

Ex officina typographica et bibliopolio quae antehac E. J. Brillii fuerunt.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Stanford University Libraries
3 6105 013 479 733

NON-CIRCULATING

Stanford University Library
Stanford, California

In order that others may use this book, please return it as soon as possible, but not later than the date due.

Digitized by Google